

ANNALES

SACRI, PROPHETICI, ET ELIANI ORDINIS. BEATISS: VIRGINIS MARIAE de monte Carmeli,

POST CHRISTI SERVATORIS EVANGELIVM per Ascetas, Therapeutas, Essenos, Monachos, Anachoretas et Eremitas in Carmelo, Syria, Ægypto, et alijs orbis Christiani locis Propagati.

Notabiliores quoq, euentus mundiales compendio recensentes.

TOMVS SECVNDVS

TOTAM MONASTICAM HISTORIAM PER quadringentos circiter annos primos Christi amplectens.

Ex Sacris, prophanis, exteris, et domesticis authoribus, et historijs.

AD REVERENDISS. P. M. IOANN. ANTONIVM PHILIPPINVM Ordinis totius Priorem Generalem.

PER P. M. IOANNEM BAPTISTAM DE LEZANA Hispanum Matritensem, S. Congregat. Indicis Consultorem; Beneficiorum Examinatorem; et in Sapientiæ Archigymnasio Romano publicum lectorem Carmelitanum.

Romæ typis Mascardi anno Iubilei 1650.

Superiorū permissu.

F Colignon sc.

REVERENDISSIMO
PATRI MAGISTRO
IO. ANTONIO
PHILIPPINO
ORDINIS CARMELITANI
Antiquæ Obſeruantiæ Regularis
GENERALI DIGNISSIMO.
FR. IOANNES BAPTISTA DE LEZANA
CLIENS MINIMVS.

AMBIT tuam lucem, Reuerendiſſime Præſul, in lucem proditurus qualiſcumque hic tenuitatis meæ labor, quo magnus ille terreſtris Paradiſi *Sol* (hoc enim vel ſuo nomine Græcè *Elias* denotat) ſuæ claritatis radios in poſteros, ſydera veluti, vibrans, præmonſtratur. Tot enim priſcorum Aſcetarum, Monachorumque myriades quatuor Chriſti ſæcula decorantes huius *Solis* radiantia lumina extitiſſe ipſorum geſta narrant. Non abs re porro hoc Tibi peruigilium debetur; cum, *In cuius iura hæredium deuoluitur quaſcumque eius acceſſiones tranſcribi* proclament leges. Ei igitur, cui veluti Parenti Eliſeo Eliæ pallio induto, & gemino ſpiritu ornato, filij Prophetarum (ij nempe, qui cum illis Carmeli ſpelæa colunt) obſeruantiæ genua flectunt, paterna vt hæreditas accedit, ſic & quod Elianorum magnalia, quæ his lucubrationibus propalantur, nuncupentur, neceſſitas premit. Elianæ gazæ primogenito ſucceſſori etiam duplici veluti fœnore auctæ deuenerunt, Sacro textu promente, *Requieuit ſpiritus Eliæ* (duplex inquam, quem poſtulauerat) *ſuper Eliſeum:* quod mihi

✠ 2 indigi-

indigitat Prophetici Instituti Archiducem, igneo illo, quo, vt *Sol*, nitebat ardore, dum eructabat *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum*, maxime in votis habere, vt qui ipsum in Eliadum Præfectura succedunt, bini spiritus paterni consortes appareant, ne filij sint degeneres, quando genitor, qui *Prophetas facit successores post se*, tanta pollet sanctitudinis præexcellentia. Scio bipartitum hoc Thesbitæ *Pneuma* de spiritu prophetiæ, & miraculorum ab aliquibus accipi; autumant enim, haud immerito, vtrumque pro optimi Præsulis panoplia necessarium; alijs sonare duplex genus gratiæ gratum facientis, & gratis datæ (Theosophi vocant) alijs Actiuam, & contemplatiuam vitam per Martham, & Mariam designatas; Mysticis quibusdam, spiritum orationis, & mortificationis. Sed ijs non spretis, illis adhæreo, qui per ipsum potestatem *in opere & sermone* intelligunt. Fuit etenim eximius hic Propheta illius prototypus, qui *cœpit facere, & docere*, potens *in opere & sermone*. Et sicut ille spiritum linguis igneis super clientulos Orbis vigiles misit; sic & iste supra suos Eliseos igneum charitatis spiritum, vt alijs prosint, eiaculat, fulminat, vibrat. Ignis est lucernas accendens, vt opere ardeant, sermone luceant. Quod in te, Archimandrita noster, facile intuebitur oculis non lippis fruens; si aptè *Tibi* congruere illud melliflui Bernardi inspiciat: *Nec præceps erit in sententia, nec vehemens in vindicta: non in corrigendis remissior, non in parcendis seuerior: non pusillanimis in expectandis: non superfluus in victu: non notabilis in vestitu: non prodigus dator, non tenax ad largiendum*. Sed quid ni, cum per omnes S. Religionis gradus ad summum Generalatus apicem (nec sine Numinis flatu) post studiorum Regentias, Cœnobiorum Præfecturas, Prouinciarum Præsulatus; Sociatus, & Procurationis Generalium munia, vocatus fueris? Vt sanè non aliundè, sed per ostium in Ouile ascendisse in te comprobetur. At, ne in ijs muneribus nomen vacuum, & inane portare videreris, non præesse, sed prodesse, non officere, sed Tibi, & alijs proficere studuisse, clamant S. Iuliani in Vrbe Domus, quæ ruinæ primitus proxima iam perennitatem ostentat; ac SS. Syluestri & Martini in eadem Alma Vrbe clarissima Basilica, quæ innumerabilium Diuorum memoriam condens, sic tua industria, labore, diligentia, & solicitudine creuit, vt etsi in primo sui limine S. Syluestri sanctitate, Symmachi deuotione, & Constantini Imperatoris pietate in magnam surrexerit molem, iam luculentior, pulchrior & venustior omnium obtutibus conspiciatur. In Cælites quoque ipsos, & Ecclesiasticam Chronologiam, qua egregia

Sancto-

Sanctorum gesta, & cultus asseruntur, quanta tui animi propensio sit, vel vnius Angeli martyris, & Franci Confessoris, eorumdemque diuorum Siluestri, & Martini Basilicæ mira magnalia typis à te historicè edita pronunciant. Otiositatis sanè hostis iuratus, *forma gregis*, iuxta Apostolorum Coryphæi documentum, effectus es; sciens Euripidis illud: *Idem est otiosus, & malus ciuis*; & quod Monachi otiosi, iuxta Hugonem, sunt *Nihil proficientes, proximis non subuenientes, Deo non seruientes, hostibus non resistentes, pœnitentiam non agentes*. Sileant porro cuncta, sibique Carmelæa congratuletur Sodalitas, cum te, Rectore primario, pace perfruitur; concordia viget; Obseruantiæ strictioris incrementis nitet; Ordinis Deiparæ propagatione, tum fructu, tum spe, in America, Germania, Bohemia, Hibernia, & Heluetia lætatur; legibus cultioribus floret, & ad meliora deinceps charismata, Deo flante, semper & semper anhelat. Hæc sunt, Præsul amplissime, quæ Tibi, Christi Supremi Vicarij beneuolentiam; Purpuratorum Patrum (Eminentissimi præsertim, & vigilantissimi Protectoris) amorem, Vrbis obseruantiam, & tuorum reuerentiam ascifcunt; maioraque in posterum promittunt. Hæc etiam sunt, quæ hos qualescumque fœtus, quos tua in me benignitas, beneficentia, & protectio peperit, Tibi sacrandos egerunt. Non *quantum*, sed ex *quanto* opus metiendum, eo tibi gratius, quod in eo magnalia priscorum Monachorum, qui Eliæ parentis soboles fuerunt, gesta offeruntur; vt maior inde Deo gloria, & honor, Virginis Matris deuotio, & tuorum spiritualis vtilitas succrescat, quod animitus (non aliud) ambio. Vt vel sic, tua comitante directione, Deo in omnibus, & per omnia placere queam, & post vitæ curriculum, tecum in æterna patria congaudere. Fiat. Vale.

De mandato Reuerendissimi Patris Ioan. Anton. Philippini Ordinis nostri B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo Antiquæ Obseruantiæ Regulatis Magistri Prioris Generalis, Opus istud, cui Titulus, *Annales sacri Prophetici & Eliani Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli, &c. Tomus Secundus.*

A Reuerendo Adm. P. Magistro Ioanne Baptista de Lezana Prouinciali Terræ Sanctæ, eiusdem Reuerendiss. P. Generalis Socio, nec non Sacræ Congregat. Indicis Consultore, Beneficiorum examinatore, ac publico Sapientiæ Romanæ Lectore compositum, qua licuit diligentia & attentione perlegi, in quo infinitam propè rerum diuersarum copiam compendio collectam reperi; ita tamen, vt in prophanis & politicis Laconice, in externis breuiter, in monasticis ac proprijs fusè, & feliciter auctor sit versatus. Antiquitatum Ecclesiæ doctissimum se commonstrat indagatorem, monastices vindicem acutissimum, antiquæ & primæuæ in Carmelo Religionis assertorem sagacissimum. Noua non astruit temere; dubia pro certis non exponit; difficilia non dissimulat: nec tam sui, quam veritatis amans videri studet. Contradicentibus non exprobrat, deuiantibus non insultat: quæ ad Ordinis sui commendationem spectant, modeste & humiliter exponit. Propterea in ijs aliorum potius quam proprijs verbis sæpius loquitur. Polyhistoriam simul & encylopædiam vno hoc in opere dat intueri: quippe annorum periodos & chronologiæ Epochas inuestigat laboriosè. Theologiæ nodos soluit acutè, institutiones Ecclesiasticas ex Concilijs & Canonibus colligit accurate; in scriptis Patrum versatissimus apparet, in gestis Monachorum apprime instructus, quorum præclara virtutum facinora curiosius delibare, ac in suam & aliorum ædificationem fusè solet proponere. Ita rerum, quas tractat varietate delectat, assertorum veritatem graui & acuta rationum demonstratione persuadet; claro & familiari stylo placet mirifice: fidei zelum accendit, pietatem excitat, deuotionem auget. Typis ergo censeo mandandum hoc Opus, quod singulis gratum & perutile fore mihi persuadeo. Reorque iudicaturos hocce meum symbolum, non tam fraternæ beneuolentiæ, aut gratitudinis erga Auctorem, de litteris, de Religione, immò de Ecclesia benemeritum, qualemcunque extare tesseram, quam iure debitum veritati perhibendæ testimonium. Datum Romæ in Conuentu Carmelitarum S. Mariæ Transpontinæ die sexta Februarij Anno Domini 1649.

Fr. Matthias à Sancto Ioanne, Reformatæ Prouinciæ Turoniæ Ord. Carmel. in Gallia Theologus.

FR.

FR. IOANNES ANTONIVS PHILIPPINVS *Magister Generalis Carmelitarum Antiquæ Obseruantiæ Regularis.*

AVctoritate nostra, præsentium tenore, dilecto Nobis in Christo Adm: R.P. Magistro Ioanni Baptistæ de Lezana, nostræ Prouinciæ Castellæ professo Sacerdoti, Socio nostro, Prouinciali Terræ Sanctæ, Sacræ Congreg. Indicis Consultori, & in Vrbis Sapientia Sapientiæ professori licentiam impertimur, quantum ad nos spectat, typis mandandi librum, cui titulus est: Annales Sacri Prophetici, & Eliani Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli Tomus Secundus, à Magistris Theologis nostri Ordinis, quibus id commisimus, perlectum, & approbatum. Hac fide &c. Datum Romæ die 9. Februarij 1649.

Fr. Io: Antonius Philippinus Generalis Carmelitarum.

Fr. Andreas Angelettus Secret. Ord.

Im-

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. Mag. S. Pal. Apost.

A. Riualdus Vicesg.

EGo Fr. Philippus Vicecomes Procurator Generalis Ordinis Erem. S. Augustini iussu Reuerendissimi Patris Candidi Magistri Sacri Palatij euolui secundum Tomum Annalium A. R. P. Magistri Ioannis Baptistæ de Lezana Ordinis Carmel. & hoc sufficeret pro approbatione, nomen eius indicasse, qui tot suæ Doctrinæ monumenta, cum omnium applausu, euulgarit. Cæterum iussioni obsequens fidem facio omnia in eo, nedum S. Romanæ Ecclesiæ documentis, ac legibus consona, sed omni eruditione, ac veneranda antiquitate, esse referta.

Fr. Philippus Vicecomes Procurator Gen. Ord. Erem. S. Aug.

Imprimatur

Fr. Vincentius Candidus Sac. Palatij Apost. Mag. Ord. Præd.

APPA-

APPARATVS
AD TOM. II.
ANNALIVM CARMELITARVM
PRAEFATIO.

SPATIOSVM valdè, simulque periculosum 964. circiter, non fluctuum, sed annorum, Oceanum, diuina aspirante gratia, tomo primo Annalium nostrorum enauigare aggressi, felici omine ad portum appulisse necessum fuit, cum ab Elia eximio Vate Prophetici, Eliani, imò & totius monastici Ordinis Patriarcha, Christi expressissima in veteri testamento figura, cursum ducentes, ad ipsum Christum, seculorum Regem, cunctis desiderabilem, vitæ fontem, immortalem per resurrectionem, & clarificatum per visibilem Spiritus sancti sub igneis linguis à Patre missionem in sacro Pentecostes die, ipso dante, peruenerimus. Secundi propterea status eiusdem Prophetici Ordinis primordia tunc iacta; & illius professoribus, qui primitus sub Mosaica lege floruerant, Christo renatis per baptismum, cum innouata Ecclesia Carmeli quoque Religio, veluti pubescere cœpit. Ipsius etenim infantiam, seu pueritiam ab eodem Elia vsque ad Christum desumendam sæpius diximus; ab ipso tamen Christo, sicut omnia plenitudinis complementum, sic & ipsam pubertatis perfectionem hausisse pro comperto asseuerandum. Quos ergò vberes fructus, quævè incrementa virtutum Carmeli vinea ab Elia plantata, & Christi doctrina fæcundata Orbi in hoc secundo statu protulerit, præsens tomus recensebit. Si prius tamen aliqua dicendorum veluti præambula, & pro maiori ipsorum luce, Annalistarum grauissimorum vestigia secuti, præmittamus. Primum, quod Esseni (de quibus plura in præcedenti tomo dicta) Christi, Apostolorum, & primorum Christianorum tempore in Palæstina, & Ægypto idem institutum sectantes conuersati fuerint. Secundum, quod illi ab Apostolis instructi, Monachi, & Religiosi, seu Religiosorum, vel Monachorum legis nouæ Duces & Antesignani extiterint. Tertium, quod Christiani, & Christianorum primitiæ censendi sint. Quartum, quod ipsi Prophetici, & Eliani Ordinis continuatores, ac propagatores appellari debeant. Quintum, quod nec huius primitiuæ Ecclesiæ æuo in

Secundus Ordinis status.

Diuisio Apparatus.

Carmelo eremitæ desiderati fuerint. His autem quinque veluti limpidissimis de torrente Ecclesiæ lapidibus sublatis, nedum Philistæos incircumcisos (Hæreticos nempè, qui Monasticem nouū inuentum appellant) in nomine Domini exercituum profligabimus, sed & quod nostri muneris magis proprium est, Carmelitanam familiam, quæ ad hoc vsque tempus in Orbe perseuerat, perenni successione, prout Summorum Pontificum diplomata continent, ab Elia originem traxisse pro posse ostendemus. Vnde propterea cap. 6. huius Apparatus Eliæ posterorum, seu Carmelicolarum peculiaria gesta primæuæ Ecclesiæ sub æuo recensebimus. Et cap. 7. quomodo omnes, & singuli Monachi, & Anachoretæ post Christum in quatuor primis seculis, ante Basilij præsertim institutionem viuentes; ad Propheticum & Elianum Institutum quadamtenus, etsi diuersimode; alij nempe successione, alij verò dumtaxat imitatione, spectauerint, comprobabimus.

Esseni tempore Christi, Apostolorum, & primorum Christianorum conuersati sunt in Palæstina, & Aegypto eiusdem Instituti sectatores. Cap. I.

Esseni Christi tempore.

1 QVOD Essenorum Institutum, Christi maximè, & primorum ipsius discipulorum tempore viguerint, res est apud omnes absque controuersia, quæ & manifestè conuincitur ex ijs, quæ primo tomo præcedenti à nobis scripta sunt. Vt enim omittamus Simonem illum Essenum, qui Archelao Herodis filio, cuius tempore puer Iesus ex Ægypto rediens in Galilææ partes secessit Matth. 2. v. 22. Regni excidium vaticinatus est, iuxta dicta sub anno mundi 4061. ex [a] Iosepho. [b] Gorionide & [c] Egisippo, & quæ de Scariotho Essenorum Archimandrita sub anno 4065. *n.* 9. dicta manent, qui etiam Christo coætaneus fuit, prout colligitur ex Coria [d]. Insuper quæ de Iacobo Minori nuncupato, & inter Apostolos numerato, de quo *sub anno* 4019. *n.* 3. diximus cū Nicolao Serario, Iacobo Boulduc, & alijs, nempe Esseni, & Rechabitæ instituti sectatorem fuisse: sanè Ioannem Baptistam cum eisdem Essenis vixisse, eorum Principem extitisse, ipsiusque Discipulos inter ipsos numerandos esse, ea quæ adduximus *sub anno* 4052. *n.* 13. 14. & 15. ex Beauxamis, Dominico Soto, Velosillo, Adricomio, Carthagena, Boulduco, ex alijs sufficienter demonstrant. Accedit maximè id quod sub anno Christi 34. *à n.* 26. scriptum reliquimus, inter eos scilicet, qui in sacro Pentecostes die baptismi lauacro suscepto Christo nomen dederunt, plures Esseni Ordinis alumnos fuisse: ex hoc enim clarè dignosci potest illorum institutum cum Christo, eiusque Discipulis in primitiua Ecclesia floruisse. Causas porrò cur Euangelistæ de ipsis nullam fecerint mentionem, assignauimus *sub anno* scilicet 3545. *n.* 12. ex Abulensi, Boulduco, Serario, Scaligero, & alijs, quia scilicet ipsi nunquam aduersati fuerint

[a] 17. *Antiquit.* c. 19. & l. 2. *de Bello* c. 6.
[b] *lib.* 1. *sua hist.* c. 44.
[c] *Lib.* 2. *de Excidio* c. 3.
[d] *In Chron. Carmel.* l. 7. c. 2.

sint Christo, vel eius Discipulis, sicut Pharisæi, ac Saducæi, nec ambitiosi, aut grauioribus vitijs obstricti, sicut illi essent; sed probi, & honesti, ac magna ex parte in solitudinibus, Rechabitarum instar, quorum soboles erant, habitantes. De quo etiam videndus Adrianus Adrianius Iesuita.[a]

2 Esto tamen quod Sacræ historiæ nusquam aliquid de ipsis expresse prodant, humaniores tamen litteræ, clarissime, Christi, & Apostolorum ætate vixisse explicant. Plinius[b] enim qui primo Christi seculo scripsit, dum ait, eos per seculorum millia durasse, manifestè declarat eo tempore conuersatos in Iudæa fuisse. Similiter Solinus, qui non multò post ipsum Plinium[c] viuebat, dum inquit: *Per immensum spatium seculorum, incredibile dictu, æterna gens est*, liquidò etiam denotat hoc Christi æuo Essenorum disciplinam floruisse. Maximè id constat ex Philone Iudæo illius æui nobilissimo scriptore, Plinio etiam, & Solino vetustiori, vtpote qui, vt refert Eusebius[d] & D. Hieron.[e] temporibus Claudij Imperatoris Romam venit, & Petri Apostoli concionibus, & colloquijs perfrui potuit; hic enim, dum in libro: *Quod omnis probus sit liber*, & in alio de *Vita contemplatiua*, siue *de supplicum virtutibus*, de Essenis agit, procul dubio supponit ipsos hoc Christi, & Apostolorum æuo conuersatos fuisse. Ipse etenim Philo coætaneus Christo fuit, & cum primis ipsius discipulis communicationem habuit. Hoc etiam satis denotatur ex ijs, quæ in priori libro de illis scribit, videlicet eos exerceri *legibus patrijs*; exhibere reuerentiam *senioribus*; pleràque habere per figuras *more veterum philosophorum*; & multa perpessos fuisse *in multis & varijs temporum difficultatibus sub tyrannide potentiorum*. Et in posteriori, dum de ipsorum instituto inquit, quod *in Ægypto frequentatur*: item quod *dant operam philosophiæ per manus acceptæ à maioribus*: rursus: *Habent priscorum commentarios, qui huius sectæ auctores multa monumenta reliquerunt, ad quorum imitationem posteri se accommodant*. Quibus manifestè indicatur eos sine dubio cum Christo sicut & ante ipsius ortum effloruisse. Quod ex etymologia nominis *Iessei seu Essei* deducitur, quæ à Iesu deriuari potest, vt colligitur ex Epiphan.[f]

3 Ne autem in re prorsus indubia amplius immoremur, vno verbo dicere possumus, omnes, & singulos de Essenis loquentes Authores, Christianos, Hebræos, & Gentiles, etsi diuersimode de ipsorum origine quidam loquantur, disertè tamen affirmare, vel saltem supponere, Christi, & eius primorum Discipulorum tempore conuersatos esse. Hi verò sunt Philo relatus duobus illis libris, altero de eo, *Quod omnis probus sit liber*, & altero de *Vita contemplatiua*, cui etiam adiungere possumus *Apologiam pro Iudæis*, quam ex D. Hieronymo, & Eusebio refert Serarius[g] quam omnino congruere cum priori libro tenet c. 13. Flauius Ioseph[h], Plinius[i], Solinus[k], Eusebius Pamphili Episcopus Cæsariensis[l] apud Georgium Peccatorem, & Cedrenum, Porphyrius[m] apud eundem Eusebium[n] D. Epiphan.[o] Nilus S. Chrysostomi discipulus[p], Philastrius[q], Georgius Cedre-

a In lib. de vit. monastic. Origin. c. 2.

Prophani Authores.

b Lib. 5. c. 17.

c Cap. 36.

d Lib. 2. hist. c. 16.

e In Catalog.

f Heres. 29.

Omnes communiter.

g In Trihæres. l. 3. c. 12.

h Lib. 2. de Bello Iud. c. 7. & 18. Antiq. c. 2.

i Lib. 5. c. 17.

k In hist. c. 36.

l Lib. 2. Histor. Ecclesiast. c. 16. 17. & in epist. seu Commentarijs ad Marinum.

m In lib. 4. de Abstinent. rerum animatarum.

n Euangelic. l. 9. c. 3.

o Heres. 29.

p In Asceti.

q De heresib.

nus [a], alter Georgius Græcus monachus [b] nuncupatus ex Bibliotheca Vaticana erutus, & à Leone Allatio [e] Latinitati donatus, etsi nondum typis, Photius [d], Sozomenus [e], Suidas verbo *Essai*, Petrus Comestor [f] Nicephorus Calixtus [g], Sixtus Senensis [h], Baron. [i] Nicolaus Serarius [k], Cornelius [l], Bellarminus [m], Petrus Canisius [n], Iacobus Boulducus [o], Ricardus Hall. [p] Paulus Sherlogus [q], Adrianus Adrianius eiusdem Iesuiticæ sodalitatis [r], ex quo plura refert noster perdoctus Vvastelius [f].

4 Ex his porrò ad nostrorum Annalium scopum propius accedendo deducere potes, mi Lector, quod hoc Christi, & Apostolorum æuo Prophetici, & Eliani Ordinis alumni perstiterint, durauerint, ac sub eiusdem instituti disciplina conuersati fuerint. Cum enim præcedenti tomo *sub anno 3545.* latius ostensum sit *à n. 39.* Essenos, Professores, ac Sectatores eiusdem Ordinis extitisse, vtpote eosdem cum Rechabitis, vel ex eis ortum ducentes, iuxta modum ibi expositum, quos ex filijs Prophetarum fuisse *sub anno 3159.* ostendimus; sanè si illi tunc superstites erant, clarè deducitur, aliquos ex Eliani, & Prophetici Ordinis cultoribus hoc felicissimo Christi, & Apostolorum tempore effloruisse, prout etiam ex dicendis liquidius innotescet.

5 Quod verò Palæstinæ, & Ægypti loca Esseni incolerent, ex præcitatis Auctoribus dilucidè habetur. Philo enim inter ipsos vetustior in libro illo: *Quod omnes probus sit liber*, clarè sic exprimit de illis: *Nec Palæstina, Syriaque deest hoc genus hominum virtutem sectantium, cuius regionis non paruam partem populosa Iudæorum gens incolit.* In libro autem *de vita contemplatiua* sic: *Hoc genus reperitur in multis Orbis regionibus, meritò, vt absolutæ probitatis receptum à Græcis, atque Barbaris, maxime tamen in Ægypto frequentatur per præfecturas singulas*: Iosephus porrò locis relatis eos inter Iudæorum sectas recensens, clarè Iudææ incolas, sicut Pharisæos, & Saducæos constituit, vt ipsum legenti euidenter constabit. Ad hæc Plinius relatus etiam Palæstinæ incolas ipsos vocat: *Ab occidentali* (inquit) *Asphaltitæ littore Esseni, &c.* Lacus namque Asphaltites, seu mare mortuum, pars est Iudææ. Vnde Solinus, Plinij veluti scholiastes: *Interiora*, ait, *Iudææ, quæ occidentem contuentur, Esseni tenent, &c.* Idem etiam ex Hieronymo, Eusebio, & alijs colligi potest, vt legenti patebit; maximè ex Eusebio, qui Philonem referens eos in Ægypto commorari solitos describit.

a In Compend. Hist. in Claudio Impor. b Peccator. c In Chronic. in Claudio Imper. d In sua Bibliotheca. e in Tripart. l. 1. c. 11. f in Hist. Euāg. c. 31. g in Histor. Ecclesf. l. 2. c. 15. & 16. & l. 8. c. 39. h in Bibliothec. verbo traditiones. i to. 1. Annal. sub anno Christi 64. k in Trihæresio, & Minerualis. l in Act. Apost. c. 5. m to. 1. lib. 2. de monach. c. 5. n de Corrupt. Verbi Dei c. 3. o in lib. de Ecclesf. ante leg. & super epist. Iudæ. p in lib. de propriet. Monach. c. 4. q in Cant. Cantic. to. 2. vestig. 24. sect. 1. r in lib. de Orig. Monast. c. 3. f in Vindic. lo. Ierosolym. de Instit. primor. monach. ar. 11. n. 2. & 13. §. 2.

An Eliani tempore Christi. Esseni in Ægypto, & Palæstina.

Ex Philone.

6 Expendi tamen debent illa Philonis [t] verba, videlicet: *Hoc genus reperitur in multis Orbis regionibus, meritò vt absolutæ probitatis receptum à Græcis, atque Barbaris, maxime tamen in Ægypto*, quæ Eusebij [u] interpres sic vertit: *In multis*, inquit, *est Orbis terræ partibus hoc genus hominum: oportebat namque huius perfecti boni participem fieri omnem Græciam, omnemque Barbariam.* Ijs enim perspicue denotatur extra Palæstinam etiam & Ægyptum Essenorum institutum eo Philonis æuo viguisse, quæ nobis necessaria valde erunt pro dicendis suo loco de Elpidio, & alijs, quos ex ipsorum societate ad Hispanias venisse Luitprandi, & aliorum testimonijs ducti trade-

t in lib. de Vita Contemplatiua. u cap. 17.

trademus. Idem ſequitur expreſſe Adrianus Adrianius loco ſuperius relato dicens: *Eſſeni è vicinioribus Engaddi locis* (eſt autem Engaddi Palæſtinæ portio) *totam peruaſerunt Ægyptum, quæ Schiti appellatur.*

7 Sed ſupereſt oſtendamus, qualiter omnes hi Eſſeni, ſiue Iudæam, ſiue Ægyptum incolentes, eiuſdem inſtituti Profeſſores extiterint, licet alij actioni, alij contemplationi dediti, alij rigidiores, alij mitiores, ſtrictiores quidam, & alij laxioris obſeruantiæ fuerint. Quod, vt rectius fiat, operæpretium erit prius oſtendere Philonem, & Ioſephum de eiuſdem nationis Eſſenis, Iudæis ſcilicet, & Alexandrinis locutos fuiſſe, etſi vtcrque duo ipſorum genera ſtatuerit, Philo quidem, vnum practicorum tum in Apologia, tum eo libro [a] aliud *Theoreticorum* in libro [b] prout ipſe in limine illius exprimit, dicens: *Poſtquam de Eſſenis diſſeruimus, qui vitam exercent actiuam in omnibus &c. ordo poſtulat, vt deinceps dicamus, quæ dicenda ſunt de contemplationi deditis.* Ioſephus verò vnum *Cælibum* dicto [c] & aliud *Coniugatorum* eo [d] illis verbis: *Eſt autem aliud etiam Eſſenorum Collegium,* quos etiam infra *Collectionem* appellat. Id verò oſtenditur primo ex ipſiſmet Philone, & Ioſepho. Philo enim in libro [e] agit de illis, vt vidimus, qui in Syria, & Palæſtina degebant. In libro autem de Vita contemplatiua, etſi principalius tractet de Ægyptijs, & Alexandrinis, non tamen prætermittit alios, qui, vt ipſe dicit, *in multis Orbis regionibus* reperiuntur. Ioſephus autem, etſi ſolum agere videatur de Eſſenis Palæſtinis, non obſcurè tamen ex eo elici poteſt agnouiſſe etiam alios extra Iudæam. Cum enim eo libro [f] tractare vellet de tribus Iudæorum ſectis, Phariſæis ſcilicet, Saducæis, & Eſſenis, qui *apud Iudæos*, vt inquit, erant, poſtea Eſſenos commemorans; *Eſſeni*, inquit, *gente quidem Iudæi*. Quorſum enim cum iam diſtinxiſſet tria illa Iudæorum genera, iterum repetijt quod Eſſeni gente Iudæi eſſent? aut cur non pariter Phariſæos, & Saducæos gente Iudæos eſſe dixit? Certè non alia ratione, niſi quia in alijs regionibus nouerat eſſe Eſſenorum inſtitutum, non autem Phariſæos, & Saducæos, & ideo prudenter iudicauit in ſuæ gentis laudem Eſſenos Iudæos gente declarare. Eſſenorum ergo inſtitutum extra Iudæam agnouit, vel ſaltem ex Philonis ſe vetuſtioris ſcriptis, quæ ſine dubio legerat, ſed ea diſſimulauit, ne patriæ ſuæ, vel in minimis derogare videretur. Secundò ex D. Hieronymo [g] vbi loquens de monachis Ægypti inquit: *Tales Philo Platonici ſermonis imitator, tales Ioſephus Græcus Liuius in ſecunda captiuitatis hiſtoria Eſſenos refert,* quo ſatis indicat de eiſdem Eſſenis loquutos Philonem, & Ioſephum. Clariùs ex eodem Hieronymo [h], poſtquam enim dixerat: *Ioſephus in ſecunda Iudaica captiuitatis hiſtoria, & in 18. Antiquit. libro, & contra Appionem duobus voluminibus tria deſcribit dogmata Iudæorum, Phariſæos, Saducæos, Eſſenos, quorum nouiſsimos miris effert laudibus, quod & ab vxoribus, & vino, & carnibus ſemper abſtinuerint, & quotidianum ieiunium verterint in naturam,* Subiungit immediatè. *Super quorum vita & Philo vir doctiſſimus proprium volumen edidit.* Vbi apertè oſten-

Eiuſdem inſtituti.

[a] *Quod omnis probus ſit liber.*

Ex Philone.

[b] *de Vita Contemplatiua.*

[c] *lib. 2. de Bello c. 7 & 18. Antiquit. c. 2.*

[d] *Cap. 7.*

[e] *De probi viri libertate.*

Ex Ioſepho.

[f] *2. de Bello c. 7*

[g] *ep. 22. ad Euſtoch. de Cuſtodia Virginit.*

Ex D. Hieronymo.

[h] *lib. 2. aduerſus Iouinianũ.*

ostendit de eisdem Essenis scripsisse vtrumque authorem. Quartò ex Georgio Peccatore, & Cedreno locis relatis, qui dum de Essenis loquuntur, Philonis, & Iosephi testimonia referunt, quo etiam clarè demonstrant de eisdem illos locutos fuisse. Quare de eisdem Essenis, Philoni, & Iosepho sermonem esse, iure plures autumant, & inter eos Matthæus Galenus [a]: probabile censet Bellarminus [b], & ex parte tuetur Serarius [c], ac Laurentius Landemeter [d]. Idem supponit Thomas de Iesu [e], & indicat Turrianus [f] ac fauet Suarez [g].

a lib. de Orig. Monast. c. 5.
b to. 2. lib. 2. de Monach. c. 5. §. alij docent.

Oppositio leuis.

8 Nec opponatur quod aliqui ex Essenis Iosephi testimonio commendati coniugijs vacassent, neutiquam verò Philoniani. Hoc leue sanè fundamentum est, cum hoc solum scripserit Iosephus de quodam ipsorum Collegio, vt vidimus, non de alijs, aut omnibus. Tales ergò solum indirectè ad Essenorum ordinem spectarent, quemadmodum de filijs Prophetarum vxoratis diximus [h], & de Tertiarijs Ordinum mendicantium, qui nunc in Ecclesia vigent, & coniuges sunt, dici debet.

c in Triharef. l. 3. c. 13.
d de veter. Cleric. monach. l. 1. c. 16. §. Dixi.
e de varijs Regulis Carmelit. p. 1. c. 1. §. Pro quo tetolenda, & §. his visis.

Alia.

9 Minus vrget quod quidam opponunt, Philonem videlicet locutum de Essenis, quasi de hominum instituto nuper exorto, Iosephum verò de illis tamquam vetustioribus. Nullum enim verbum in Philone reperimus, quo de neothericis sermonem instituere denotetur. Potius si expendantur illa quæ supra [i] adduximus, scilicet quod illi exercerentur *legibus patrijs*; quod reuerentiam exhiberent *senioribus*; quod eorum institutum in Ægypto *frequentaretur*; quod *darent operam philosophiæ per manus acceptæ à maioribus*; quod *in multis, & varijs temporum difficultatibus* perstitissent; & quod haberent *priscorum Commentarios, qui huius sectæ auctores* fuerant, manifestè deducitur contrarium: egisse videlicet de hominibus veteris instituti sectatoribus, sicut & Iosephum. His adijce eundem Philonem [k] asserere fuisse inter illos *feminas plerasque anus sed virgines per totam vitam*; quomodo autem potuerint virgines istæ vetulæ appellari, si tam recens eorum institutum erat?

f Epist. Pontific. lib. 5. c. 2.
g 3. to. de Relig. lib. 3. c. 1. n. 13.
h to 1. sub anno 3142. n. 4.
i n. 2.
k de Vita Contemplatiua.

Aliorum oppositio.

10 Opponunt alij, quod Iosephus vetustatem suis Essenis tribuens hallucinatus sit in eis, eos videlicet cum Rechabitis commiscens; quod non fecit Philo. Sed verendum est, ne ipsi potius hallucinentur, cum Esseni Rechabitæ, vel ex Rechabitis fuerint, vel ex ipsis Rechabitæ, iuxta dicta to. 1. de quo Serarius [l]. Veritas enim est Rechabitas, & Essenos solo fermè nomine differre, vt ibi ostensum est, ac proinde meritò à nobis Essenos inter Prophetici Ordinis alumnos, sicut & Rechabitas censeri, meritò etiam Iosephum vetustissimos illos existimasse. Nunc ad alia pergamus discutientes, an isti Esseni à Philone, & Iosepho commendati, eiusdem instituti, an diuersi sectatores fuerint.

l in Triharef. l. 3. c. 9. & in Minerual. l. 5. c. 13.

Eiusdem Instituti.

11 Et sanè eiusdem Instituti fuisse, quoad substantialia videlicet, licet diuersi quoad maiores, vel minores austeritates, ritus, & cæremonias, ac exercitia actionis, & contemplationis, facile ex eisdem Philone, & Iosepho deduci potest. Primo quidem, quia vt diximus, & ex ipsismet

constat,

constat, tam Iosephus locis relatis, quàm Philo in eo libro [a] agunt de Essenis Palæstinis; & quamuis ipse Philo in libro [b] agat de Ægyptijs, & Alexandrinis, quia tamen, vt vidimus, etiam agit de illis, qui *in multis Orbis regionibus* reperiebantur, & illos, de quibus eodem libro scribit, solum distinguat ab alijs, de quibus in alio, quod priores illi erant Theoretici, seu contemplatiui, isti verò practici, & actiuæ vitæ dediti, vt patet illis verbis: *Postquam de Essenis disseruimus, qui vitam exercent actiuam &c. ordo postulat, vt deinceps dicamus de contemplationi deditis*; rectè sequitur, omnes Essenos, de quibus vterque auctor scribit, eiusdem instituti fuisse, solumque diuersos in accidentalibus exercitijs, actionis, & contemplationis, quæ sub vno, & indiuisibili Religionis instituto cadere posse omnibus compertum est.

a quod omnis probus sit liber. b de Vita Contemplatiua.

12 Porrò eiusdem substantialiter instituti alumnos eos omnes fuisse nullo cõmodius pacto ostendi potest, quàm mutua collatione eorum, quæ de illis vterque author asseruit, sic enim clarius demonstrabitur intentum, tàm pro præsentis dubij enodatione, quàm pro dicendis in huius secundi tomi discursu valde necessarium. Cum autem Religionis, seu instituti vnius substantialia puncta sint obedientia, & reuerentia Superioribus; castitas, & munditia, paupertas, & renunciatio bonorum temporalium; quibus accedunt Regula, & instituta quædam generalia, vtpuTa orationis, abstinentiæ, solitudinis, & silentij, ideo in his sigillatim probandum non absimiles fuisse Essenos ab his duobus authoribus celebratos, ac proinde eiusdem instituti.

Mutua ipsorum collatio.

13 Ergo Philo (à quo veluti antiquiori semper incipiendum) de Essenorum obedientia, & reuerentia erga seniores *in Apologia* dicit: *Senes etiam si liberis careant, quasi tamen non liberis tantum, sed & liberis bonis abundarent in beatissima, optimissimaque senectute vitam solent finire, cum à tam multis cura, & honore digni habeantur, & quidem ab ijs qui voluntario decreto magis quàm naturæ necessitate illos curare cupiant.* Ad hanc etiam obedientiam spectare videtur illud quod ibidem scribit: *Et operibus mercedem accipiunt quàm vni constituto quæstori dant. Ille verò statim, quæ consentanea sunt emit, ciboſque copiosos, & alia quorum indiga humana vita, præbet.* Quæstor enim iste, cui ea, quæ adquirunt, tradunt, proculdubio vel Superior eorum est, vel à Superiore pro œconomo designatus. Deinde in libro [c] de ipsis ait exerceri in morali philosophia *sub pædotribus*, id est sub magistris *legibus patrijs*. Et infra: *Senioribus iuniores debitam curam, honorem, reuerentiam exhibent tanquam germani filij*. Item [d] dum dicit eos frequentari in Ægypto *per Præfecturas singulas*. Præfecturæ namque nomen Præfectum illius subindicat. Et inferius dum tempore conuiuij solemnis ipsorum dicit: *Ad signum datum à quopiam ephemereuta*, idest ministro precari solitos, *vt Deo placeat id conuiuium*. Et inferius: *Vbi verò Præses* (ita Prælatum, vel Superiorem nominat) *Visus est rem bene tractando satisfecisse auditorum desiderio, plausus propalam editur ab omnibus.*

De obedientia.

c quod omnis probus sit liber. d in lib. de Vita Contemplatiua.

Ex Iosepho. *omnibus*. Adhuc inferius: *Præsulem mox imitantur ceteri &c.* Iosephus
a lib. 2. de Bello Iud. c. 7. autem idem intentum, etsi alijs verbis, sæpius inculcat. Etenim [a] non solum procuratorum, & curatorum meminit, sed etiam dum de tempore prandij loquitur: *Voce*, inquit, *cibum sacerdos anteuenit*; qui proculdubio idem est, ac *ephemereuta* ille à Philone nominatus. Clarius infra: *Quamuis aliarum rerum nihil sine præcepto faciant curatoris &c.* Ecce Prælato obedientiam exhibitam, & inferius clarius adhuc: *Sane cognatis dare aliquid sine curatoribus interdictum*. Insuper Superiorum, & subditorum munera commemorat, dum ait, inter iuramenta ab vnoquoque præstita vnum esse; quod *si ipse ceteris præsit, nunquam se abusurum viribus potestatis, ad contumeliam subditorum*. At verò [b] id habet ad intentum
b in lib. 18. Antiq. c. 2. Essenos constituere *Susceptores, & curatores*. Subiungit autem: *Sacerdotes autem optimos viros eligunt*. Ex quibus, præcipuè cum se remittat
c 2. lib. Belli Iudaic. ad ea, quæ de ipsis [c] dixerat, bene elicitur idem sentire de illis quantum ad obedientiam ad Præsides, ac Philonem.

De Castitate ex Philone. 14 De castitate autem Essenorum idem Philo in præfata Apologia sic: *Nuptias declinabant, simulque continentiam continue exercebant; Essenorum enim nullus vxorem ducit*. In libro etiam [d] hæc: *Castitatem in tota*
d quod omnis probus sit liber. e de Vita Contemplatiua. *vita perpetuam* (scilicet obseruant) in libro alio [e] etsi nihil de hoc afferat, quia forsan nec necessarium duxit, eum id expresserit relatis locis, satis tamen id innuit, dum dicit eos solitarie viuere, temperantiæ studiosissimos esse, & feminas, quæ idem institutum sequuntur, virgines esse, sponte continentes præ amore sapientiæ. Philoni autem concinit Io-
Ex Iosepho. f 2. de Bello Iudaic. c. 7. sephus primo quidem libro illo [f] etsi enim ibi de quodam Collegio Essenorum dicat vxores ducere; de alijs tamen, de quibus principaliter agit,
g lib. 18. de Antiq. c. 2. ait: *Nuptias quidem fastidiunt*, & [g] *Vxores non ducunt*.

De paupertate ex Philone. h in Apologia. 15 De paupertate verò, seu temporalium bonorum abnegatione mira, sibique valde cohærentia vterque protulit. Philo quidem [h] hæc: *Eorum nemo ferre potest, vt omnino quidquam quod ei proprium sit habeat, neque domicilium, neque seruum, neque agrum, neque pecora, neque alia vlla, quæ ab opibus præparari, ac suppeditari solent, sed in medium ponentes omnia communi vtilitate fruuntur*. Quo non qualemcunque paupertatem, sed & eam etiam, quæ vita communis appellatur, professos fuisse denotat. Vnde infra: *Quam operibus mercedem accipiunt, vni constituto quæstori dant*. Deinde: *Hi verò eiusdem viuendi rationis, & mensæ consortes quotidie sunt, ijsdem rebus libenter vtentes*. Et infra: *Neque verò mensa tan-*
i Quod omnis probus sit liber. *tum, sed vestis etiam ijs communis est*. Porrò in libro [i] sic scripsit de ipsis: *Pene soli hominum degunt sine prædijs, sine pecunijs*. Infra: *Pecunias, honores, voluptatesque contemnunt*. Deinde: *Mira dictu æquabilitas & omnium rerum societas*. Clariùs infra: *Vnum est promptuarium, vnde vestitus, & mensa communis sumuntur &c. Quicquid enim lucrantur è quoti-*
k de Vita Contemplatiua. *dianis opere mercedibus, non sibi quisque seruant, sed in medium conferendo cuicumque volenti fruendi potestatem faciunt*. In libro alio [k] inter alia hæc:

hæc: *Relictis facultatibus, & auocamentis omnibus fugiunt sine respectu, &c.* His verò apertissimè consentit Iosephus. Etenim [a] hæc habet: *Diuitiarum contemptores sunt, rerumque apud eos communicatio admirationi habetur, neque inuenias alteri alterum opulentia præstare, legemque sibi dixerunt, vt qui disciplinam suam sectari vellent, bona contubernio publicarent, ità enim fore, ne vel paupertatis humilitas, vel diuitiarum dignitas appareret, sed permixtis facultatibus velut inter fratres, vnum esset omnium patrimonium.* Deinde [b] sic idem prosequitur: "*Illud etiam habent dignum & valde mirabile, quod in alijs non inuenias gentibus tam Græcorum, quàm etiam Barbarorum, quod omnes illis opes in medio sunt, & ab eis omnia communia possidentur, nihil amplius inter eos ditior fruitur, nihil pauperior defraudatur, ac si nihil omnino possideat.*

Ex Iosepho. *a lib. 2. de Bello cap. 7.*

b 18. de Antiq: c. 2.

16 Quod verò in Regula, ac viuendi methodo non absimiles fuerint Esseni, qui à Philone, & qui à Iosepho commemorantur, ex eo conijci potest, quod quemadmodum de suis [c] dicit Philo: *Pleraque per figuras more veterum Philosophorum sunt eis tradita*; Et *in libro de Vita Contemplatiua* sic: *Dant operam Philosophiæ per manus accepta à maioribus.* Et infra: *Habent etiam priscorum commentarios, qui huius sectæ auctores multa monumenta reliquerunt de allegorijs huiusmodi, ad quorum imitationem posteri se accommodant.* Sic & Iosephus [d] inter ea quæ iuramento firmare solitos esse, si ad Prælaturam euehantur, id refert: *Nihil se de dogmatibus aliud quam ipsi susceperint, tradere.* Et infra: *Conseruatum ire simul, & dogmatis sui libros.* Quibus Esseni instituti Regulam tam per traditionem, quàm per Scripturam haberi vterque author profitetur.

De vitæ regula.

c in lib. quod omnis probus sit liber.

d 2. de Bello cap 7.

17 Quantum ad orationis, meditationis, seu contemplationis exercitium hæc Philo tradit [e] de suis Essenis: *Singuli habent sacras ædiculas, quæ semnea vocant, siue monasteria, vbi solitarij sanctæ vitæ mysterijs dant operam, nec cibi, potusuè quicquam eò inferunt; aliudue in vsum corporis, sed legem tantum, & Prophetarum oracula diuinitus prodita, hymnosque & quædam alia pietati, scientiæque promouendæ vtilia, itaque perpetuam habent Dei memoriam, vt ne in somnis quidem aliud eis obuersetur, quàm imagines diuinarum pulchritudinum.* Deinde sic: *Quotidie bis precari solent, mane, ac sub vesperam, oriente sole petentes diem verè felicem: vtque mentes eorum cælesti repleantur lumine, occidente verò vt anima in totum exonerata sensibus, moleque rerum visibilium veritatem vestiget in consistorio domestico. Medium verò matutini, vespertinique temporis interstitium totum meditationi attribuitur.* Plura item alia apud eundem Philonem de precibus Essenorum ante, & post cibum, & in eorum conuiuijs. His verò concinit egregiè Iosephus [f] dum de oratione ipsorum ad solem orientem dicit: *Et patria quædam vota celebrant, quasi vt oriatur precantes.* & post pauca: *Voce cibum Sacerdos anteuenit, neque gustare quemquam fas est, nisi prius Deo celebretur oratio. Post finem quoque prandij vota repetunt, nam & cum incipiunt, & cum desinunt, quasi datorem victus Deum laudibus canunt.* In quibus

De orationis exercitio.

e in libro de Vita contemplatiua.

f 2. de Bello c. 7

quibus, cum prorsus eadem Philo, & Iosephus scripserint, etsi alia deessent, ex hoc solum conijci posset de eiusdem instituti hominibus vtrumque disseruisse.

De abstinentia.

18 Ipsorum quoque abstinentiam sic prædicat Philo *in Apologia: Eiusdem viuendi rationis, & mensæ consortes quotidie sunt, ijsdem rebus libenter vtentes, parsimoniæ amatores, rerum abundantiam tanquam animæ corporisque morbum auersantes.* In libro autem *de Vita Contemplatiua* ait, quod in ipsorum Semmea; *nec cibi, nec potus quicquam inferunt.* Item: *Temperantiæ tanquam fundamento in anima iacto virtutes cæteras superstruunt, nec cibum, nec potum quisquam sumit ante Solis occasum.* Et infra: *Nonnulli ex his vix tertio quoque die famem sentiunt, attenti magis ad disciplinarum scientiam, nec desunt qui prælaute accepti epulo sapientiæ copiose præbentis sua placita perdurent duplum eius temporis, & vix sexto die degustent cibum necessarium.* Et inferius: *In cibatu vtuntur pane simplici, sal vicem supplet obsonij. Qui delicatiores sunt hyssopum pro condimento adijciunt. Potum e fluentis hauriunt contenti placare dominas à natura mortalibus additas famem, sitimque.* Adhuc inferius: *Edunt igitur, ne esuriant, bibunt, ne sitiant, saturitatem cauendo, vt inimicam animo pariter & corpori.* Loquens verò de solemnibus ipsorum conuiuijs, in quibus, vt ipse dicit: *Remittunt paululum illam Laconicam disciplinæ duritiem*, sic ait: *Vinum per illos dies non præbetur, sed aqua limpidissima, cæteris frigida, calida verò ijs quibus inter seniores molliori, commodiorique dieta opus est. Mensa pura est à cruentis dapibus. Pro cibo panis apponitur, sal pro obsonio, & pro condimento interdum apparatur hyssopus in delicatorum gratiam.*

Ex Iosepho. a lib. 2. de Bell. c. 7.

19 Quibus etiam accinit, etsi compendiosius, Iosephus, dum [a] dicit quod dum in cœnaculum veniunt, *pistor quidem panes ordine, vnum autem vasculum & vno pulmento.* Deinde: *Perpetua sobrietas causa est.* Item: *Viuunt quam longissime, ita vt plurimi eorum vsque ad centenariam proferantur ætatem propter simplicitatem victus.*

De solitudine, & silentio.

20 Demum de ipsorum solitudine, seu silentio aliqua habet Philo. In libro namque illo, *quod omnis probus sit liber*, de Essenis practicis loquens, extra vrbes libentius morari scribit, proculdubio propter familiares vrbium tumultus, & rumores vitandos. De Theoreticis autem *in lib. de Vita Contemplatiua* dicit: *Extra mœnia degunt in hortis, ac villis solitarijs, amantes solitudinem, non hominum odio, sed ad cauendum congressus cum dissimilibus.* Deinde quid agerent in eorum semmeis sic explicat: *Seiuncti ab alijs, ac solitarij sanctæ vitæ dant operam, nec sibi potusue quicquam eo inferunt, aliudue in vsum corporis; sed legem tantum, & Prophetarum oracula diuinitus prodita, hymnosque, & quædam alia pietati, scientiaque promouendæ vtilia.* Et inferius: *Per sex dies seorsum quisque in suis illis modo dictis monasterijs philosophantur, non progredientes foras, imo ne prospicientes quidem.* In Sabbatis præterea auscultare *per summum silentium*

ea quæ

ea quæ vnus inter ipsos peritissimus differit, in sequentibus asserit. Demum de ipsorum festiuissimis conuiuijs sermonem instituens, ibi obseruari dicit: *Silentium maius quàm antea, ita vt ne mutire quidem cuiquam liceat, aut respirare vehementius.* Iosephus quoque de huiusmodi silentij, & solitudinis suorum Essenorum obseruantia aliqua etiam commemorat [a]. Videlicet quod *ante Solis ortum nihil prophani loquantur*, quod in cœnaculo *cum silentio* resideant. De tempore verò cœnæ sic: *Neque verò clamor vnquam tectum illud, neque tumultus inquietat, cum etiam loquendi ordine alijs alij cedant; eorumque silentium extra tectum constitutis arcanum quoddam videatur venerabile.* Et inferius: *Cum semel denique sederint decem nullus vnus nouem loquitur inuitis.* a lib. 2. de Bello c. 7.

21 Sunt etiam præter ista plura quoque alia ex eisdem auctoribus excerpta, quibus valde denotatur de vnius ipsiusque instituti Essenorum fuisse locutos. Primum illud est, quod Philo in Apologia illa de suis Essenis dicat: *Hæc igitur eorum, quæ contentione magna expetitur, vita est, adeo vt non priuati tantum, sed magni etiam Reges viros istos admirati obstupescant, talisque vitæ maiestatem approbationibus ac honoribus venerantur.* Quæ sanè cum ijs, quæ Iosephus [b] dicit, mirè cohærent. Ibi enim qualiter Herodes senior Iudæorum Rex Essenorum familiam propter Manachemum ex illis vnum, qui ei regnum prædixerat, prædictionique euentus successerat, sic habet: *Herodes autem istis contentus Manachemum cum honore dimisit, & omnes Essenos propter illum honorauit.* Et sanè cum ea tempestate, qua de Essenis scribebat Philo, Ægyptus in prouinciam sub Romanorum ditione redacta esset, vix potest intelligi de quibus Regibus affirmare potuerit Essenos illos suos honorasse, nisi de Iudæorum Regibus, Herode scilicet, & ipsius successoribus, qui quamuis Romanis subiecti, Regum tamen nomine appellabantur, & in Palæstina habebant eius instituti alumnos, quos admirari, & venerari possent. Eiusdem instituti signa. b lib. 15. Antiq. cap. 13.

22 Secundum, quod ipse Philo in dicto libro *de Vita contemplatiua*, dum loquitur de Essenis, & eorum solemnibus conuiuijs, dicat: *Vbi verò conuenere candidati &c.* quo satis indicat, albis vestibus eos vsos fuisse, conformiter ad dicta à nobis *to. 1. sub anno 3545. n. 29.* Concinente etiam Iosepho, qui [c] inquit: *Squallorem decorem putant, dummodò semper sint in veste candida.* Et infra de tyronibus loquens: *Dolabellam quoque, & quod prædictum est perizoma, & albam vestem tradentes &c.* Aliud. c lib. 2. de Bello cap. 7.

23 Tertium, quod idem Philo dum libro illo, *quod omnis probus sit liber* de suis practicis Essenis scribit eorum constantiam, ac fortitudinem in tormentis tolerandis sic commendat: *Id compertum est in multis & varijs temporum difficultatibus sub tyrannide potentiorum diuersis præditorum ingenijs; ex quibus alij conati feroces bestias immanitate superare, nullam omiserunt crudelitatis speciem, gregatim mactando subditos, & lanionum more viuos frustatim concidendo, nec prius finis fuit, quam in easdem calamitates incidere, vindicante diuina prouidentia. Alij verò suam rabiem celantes* Aliud.

diuerso

diuerso malitiæ genere acerbas clades dederunt, placido sermone, susurrisque clancularijs dissimulantes odium, canum maleficorum more blandiendo, moxque infigendo morsus insanabiles, vt oppidatim monumenta impietatis suæ relinquerent ad perpetuam afflictionum memoriam. Nemo tamen vel è crudelibus illis, vel ex alteris fucatis, ac subdolis valuit modo dictos cœtus Essenorum in culpam inducere, sed omnes discesserunt victi virtute horum virorum, laudantes eos &c. Quibus similia fermè in Iosepho [a] sic habentur: *Sunt etiam contemptores aduersorum, cruciatus siquidem vincunt firmitate consilij, mortem verò si cum decore obeunda sit, iudicant etiam immortalitate meliorem: Prodidit autem eorum in omnibus negotijs animos bellum, quod gestum est cum Romanis. Tunc siquidem per artuum confractiones, & ignes, ac per tormenta omnigena transeuntes, vt videlicet vel in Legislatoris aliquid loquerentur iniuriam, vel ciborum quidpiam quod non solent, ederent, ad neutrum horum potuerunt compelli, sed neque deprecari suos tortores, aut inter ipsa flere supplicia; in medijs quinimo cruciatibus subridentes, & eis, qui tormenta admouerant, illudentes, constanter animas cum quadam hilaritate reddebant, scilicet quasi eas essent denuò recepturi.*

a lib. 2. de Bello cap. 7.

Item aliud. 24 Quartum, de quo Philo [b] sic: *Aperta sunt eorum domicilia, etiam ijs qui aliunde adueniunt, eiusdemque cum ipsis instituti sunt.* Et infra: *Quidquid enim lucrantur, non sibi quisque seruat, sed in medium conferendo cuiuumque volenti fruendi potestatem faciunt.* Cui similia Iosephus loco relato: *Aduenientibus sectæ suæ professoribus quidquid habeant, promptum exhibent quasi proprium. Denique tanquam consuetissimi ad eos ingrediuntur, quos nunquam ante viderunt.*

b lib. de viri probi libertate.

Aliud quoque. 25 Nec prætermittendum ex eo quod Philo in eo libro *de Vita contemplatiua* asserat, eos à se commendatos Essenos agere solitos circa stagnum *Mariam* appellatum colligi posse iuxta hunc locum elegisse ipsos inhabitare propter commoditatem habendam ad sua lauacra, & lotiones exercenda; non quidem quia ipsi ex Hemerobaptistis essent, prout rectè Serarius [c] meritò in hoc reprehendens Iunium, & Scaligerum; sed quia huiusmodi balneis vtebantur, quantum suspicari licet, *ob castificationem*, vt inquit Iosephus [d]: aquarum enim frigidarum lotionibus calorem immoderatum castitati contrarium temperari pro comperto est, de quo Franciscus à Sancta Maria [e]. Ex hoc autem elici etiam potest, eiusdem instituti Essenorum fuisse tam Palæstinos à Iosepho relatos, quam Alexandrinos, de quibus Philo.

c in Triheres. l. 3. c. 18.
d 2. de Bello c. 7
e in Hist. Prophet. Hispan. l. 3. c. 9. n. 2.

De alijs. 26 Alia studiosus Lector in vtroque Auctore reperiet, quibus de vnius, & eiusdem instituti hominibus scripsisse deducere poterit, quemadmodum Serarius [f] animaduertit, vtrosque sese ad orientem solem precabundos conuertisse, & à sacrificijs abstinuisse, sed nobis, quæ attulimus, sufficiunt. Nec immoramur in eo, quod non pauca etiam reperiet, in quibus Philo, & Iosephus dissentiunt; aliqua namque vnus Essenis tribuit, quod alter prætermittit. Vt enim diximus supra *num.* 11. Etsi

f in Triher. l. 3. c. 18. § septimum argumentum.

etsi tam à Philone, quàm à Iosepho relati Esseni eiusdem veluti substantialiter instituti cultores essent, alij tamen alijs obseruantiores, rigidiores, austeriores, & maiori solitudini, & quieti addicti erant, ad modum sanè, quo in Ecclesia modo sub vna eademque Carmelitarum, Minorum, Augustianorumue Religione variæ, ac diuersæ cernuntur Congregationes, habitu, calceamentis, ceremonijs, obseruantijs, & austeritatibus valde discretæ. Quid ergo mirum, quod diuersa de illis scripserint? Præsertim, cum nec tempore, nec loco conuenerint. Etsi enim eodem primo Christi seculo vixerint, Philo tamen Iosepho vetustior est, cum tempore Caij Imperatoris, ætate maturus, sapientia & auctoritate pollens, ad illum missus sit à Iudæis, vt testatur ipse in libro de ea legatione. At Iosephus tunc infans erat, natus eiusdem Caij anno primo, vt vitæ suæ initio ipsemet narrat. Similiter quod Philo aliquando Iudæam viderit, aut Iosephus Ægyptum, nullo modo constat. Quomodo ergo non variare debebant in suis Essenis, loco, & tempore dissitis.

27 Nec inefficaciter etiam ex eo ostendi potest eiusdem instituti Esseni cultores fuisse tam Palæstinos, quàm Alexandrinos, quod illi istorum veluti progenitores, & parentes; isti verò proles, & progenies, ac posteri illorum fuerint. Hoc namque in Religiosis familijs manifestè conuincit eiusdem, vniusque Ordinis (etsi in accidentalibus diuersi) communem professionem. Essæos autem Alexandrinos, seu Ægyptios a Iudæis, & Palæstinis ortum duxisse, viuendique rationem mendicasse, pluribus demonstrari potest. Primò, nam Palæstini vetustiores valde Alexandrinis fuerunt, ijdem quippe cum Assidæis, Rechabitis & filijs Prophetarum, iuxta dicta *to. 1. sub anno* 3545. *&* 3847. ex illis ergo suæ vitæ normam sumere debuerunt Alexandrini, qui proculdubio nonnisi posterioribus seculis vixerunt. Secundò, quia cum hi Alexandrini, seu Ægyptij Iudæorum ritus, & obseruantias tenuerint, vt clarissimè constat ex Philone in libris relatis, & nos capite sequenti dicemus, oportet quod ex Iudæa originem habuerint, ac proinde ex Iudæorum simili instituto. Tertiò, ex Iosepho [a] qui loquens de Iudæorum sectis, tresque distinguens, Pharisæorum, Saducæorum, & Essenorum, etsi omnes Iudæos esse affirmauerit, & re vera tales essent, nihilominus specialiter de Essenis ait: *Esseni gente quidem Iudæi*, ad denotandum proculdubio, quod etsi in alijs regionibus extra Iudæam Esseni essent, illi tamen *gente Iudæi*, id est, ex Iudæis oriundi erant. Quartò, ex Philone, qui cum dicat, vt vidimus de suis Essenis, quod *legibus patrijs* exercerentur, quod obedirent *senioribus*, quod eorum institutum *frequentaretur* per Ægyptum, quod darent operam *Philosophiæ per manus acceptæ à maioribus*, quod haberent *priscorum commentarios* huius sectæ auctorum, quod *in multis, varijsque* temporum difficultatibus perseuerassent, ac denique quod inter ipsos essent pleræque *virgines anus*, clarè denotat eorum institutum a Palæstinis mendicatum. Neque enim vel suspicari licet de alijs loquutum esse. Quintò, ex Eusebio [b] qui

Idem intentum.

Essæi Alexandrini ex Palæstinis orti.

Ex Iosepho. [a] *2. de Bello cap. 7.*

Ex Philone.

Ex Eusebio. [b] *lib. 2. hist. Eccles. c. 16.*

dum de Philonianis Essenis sermonem institueret, eos vocat, *Apostolicos viros ex Hebraeorum, quantum intelligi datur, praecipue genere*, ergo ex Palęstinis. Sextò, ex S. Hieronymo [a], loquens enim de monachis Ægyptijs (quos euidens est ab Essenis ortum duxisse; vnde & ipse eos *Essenos* vocat ex Philone, & Iosepho) plurima dicit, quibus eos Palæstinorum discipulos esse (quales Iosephus [b] retulit) manifeste denotat, quod non aliter melius expendi potest, quàm ipsius Hieronymi, & Iosephi verba conferendo. Hieronymus enim dicit; *Prima apud eos confœderatio est, obedire maioribus*. Iosephus verò; *Senibus verò obedire, & plurium quorumque decreto probabile arbitrantur officium*. Deinde Hieronymus: *Diuisi sunt per decurias, atque centurias, ita vt nouem hominibus decimus præsit, & rursum decem præpositos sub se centesimus habeat*. Iosephus autem; *Disceptant autem non minus quàm centum*. Et infra; *Cum simul denique sederint decem, nullus vnus nouem loquitur inuitis*. Item Hieronymus: *Cunctis residentibus medius, quem Patrem vocant, incipit disputare, quo loquente tantum silentium fit, vt nemo alium respicere, nemo audeat excreare*. Iosephus similiter post illa, *cum simul denique sederint decem &c.* subiungit: *Expuere quoque in medium eorum; vel in dexteram sui partem quisque deuitat*. Alia diligentior lector obseruare poterit; hæc enim nobis sufficiant, vt credamus, etiam ex mente Hieronymi, Alexandrinos Essenos ex Palæstinis propagatos fuisse. Septimò, ex Sozomeno [c], qui eos, quos Philo commemorat, *Hebraeos* vocat, & ex *Hebraeis* fuisse refert, quo & instituti eorum ab Hebræis emanasse etiam subindicat. Octauò, & clarius Georgius Peccator superius relatus, qui non solum Essenos Philonianos ex Hebræis ortum duxisse dicit, sed etiam prius institutos in Essenorum moribus explanat, proculdubio denotans ab Hebræis, sicut Scribas, & Pharisæos, originem traxisse. Ipsius verba latinitati donata per Leonem Allatium sunt hæc; *Etenim hic* (scilicet Philo) *Ascetarum, qui ab assiduo exercitio nomen habent, mores probans, eos quos diuinos maximis laudibus concelebrat, virosque Apostolicos sui temporis, qui, vt videtur, ex Hebrais originem ducunt, tanquam venerandos pietatis ministros, & Essaeorum moribus, ac disciplina, quæ longo post se interuallo Pharisaeorum, & Scribarum iustitiam reliquit, præclarè prius institutos admiratur, & prædicat.* Nonò clarè etiam ex Cedreno *in Hist. Compend. in Claudio Imp.* eadem enim de ipsis referens; *Ab Hebraeis*, inquit, *vt videtur, oriundos, ac Essaeorum moribus præclarè prius institutos*. Quo & genus, & institutionem ab Hebræis (Palæstinis videlicet Essenis) desumpsisse profitetur. Decimò ex Nicephoro Callisto [d], qui sicut & alij, quos retulimus Philonis Essenos ex Iudæis progenitos esse, & veterum Iudæorum consuetudinibus instructos asserit, quo etiam id, quod intendimus, explanat.

28 Hinc ex recentioribus alij Essenos Palæstinos Alexandrinorum authores faciunt. Inter quos Serarius [e], dum ait, quod Esseni practici possent dici authores Theoreticorum. Constat enim Essenos practicos, siue de ijs, de quibus Philo, siue de quibus Iosephus, loquamur, ex Palæstinis

stinis

Ex D. Hieronymo.

[a] epist. 22. ad Eustoch. de custodia Virgin.

[b] lib. 2. de Bello c. 7.

[c] in Tripart. l. 1. c. 11.

Ex Georgio Peccatore.

Ex Cedreno.

[d] lib. 2. c. 16. in principio & l. 8. c. 39.

Ex recentioribus.

[e] in Tril. aref. l. 3. c. 18. §. Quartum argumentum.

ſtinis fuiſſe. Deinde [a] ait quod à practicis Eſſenis Theoretici facti ſunt. Fauet & Scaliger apud eundem Serarium [b], dum aſtruit Eſſenos Theoreticos, & practicos ſola theoria, & praxi differre. Clarius Aubertus Miræus *de Orig. Carmelit.* non ſolùm *in Preæmio*, vbi vtroſque Eſſenos inter filios Prophetarum recenſet; ſed & vlterius ſic loquens: *Nec Palæſtinæ, Syriæue tantum finibus cæleſtis inſtitutio circumſcripta eſt; in Ægyptum enim temporis excurſu lectiſſimæ gentis Coloniæ (quos Eſſenos nuncupabant) deductæ ſunt, vt Eliæ imitatione Alexandria quoque clareſceret.* Item Adrianus Adrianius Ieſuita [c] de Eſſenis, quos vocat è melioribus Eliæ, & Eliſei diſcipulis dicens: *E vicinioribus Engaddi locis totam peruaſerunt Ægyptum, quæ Scithi appellatur.*

a cap. 19. S. Prima cum prædict.
b in Mineruali lib. 5. c. 24. n. 6.
c lib. de vita monast. orig. c. 2.

29 Alia quæ de ijs deſiderari poſſunt, præſertim an Monachi, vel Chriſtiani fuerint, dabimus in ſequentibus.

Eſſeni iſti ab Apoſtolis inſtructi, Monachi, & Religioſi, ac Religioſorum, ſeu Monachorum nouæ legis, Duces, ac Anteſignani ſunt dicendi. Cap. II.

1 QVOD ab Apoſtolis edocti fuerint inſtituti Eſſeni cultores, non ſolùm probant ea, quæ primo tomo *ſub anno Chriſti* 34. diximus, ſed etiam communiter ſupponunt, qui de ipſis ſcripſerunt. Speciatim Euſebius [d], Caſſianus [e], D. Hieronymus *de Scriptor. Eccleſiaſt. in Marco*, Georgius Peccator [f], Nicephorus [g], & alij plures, quos facile Lector adire poterit, & conſulere quæ dicimus infra *ſub anno Chriſti* 45. dum de Marco Euangeliſta Eſſenorum præcipuo inſtitutore agemus.

Ab Apoſtolis inſtituti Eſſeni.
d lib. 2. hiſt. c. 16 & 17.
e l. 2. Monach. Inſtit. c. 5.
f in Chronic. tempore Claudij.
g lib. 2. hiſt. c. 15

2 Plures quoque, & magni nominis authores, etiam ex ijs, quos retulimus, illos *monachorum* titulo appellare non dubitant. Primus cenſendus S. Dionyſius Areopagita, qui [h] de Therapeutis loquens (quod Eſſenorum proprium nomen eſt, vt conſtat ex Philone *in lib. de Vita contemplat.* Euſebio [i], Nicephoro [k], & alijs) dicit eos vocatos fuiſſe *monachos* ab Apoſtolis, prout etiam exponit, & ſequitur *in ſua Paraphraſi ad Dionyſ.* Abbas Vercellenſis. Deinde idem Euſebius Cæſarienſis, qui [l] loquens de Philone, & libris, quos de Eſſenis ſcripſit, dicit, ipſum *vitas eorum dumtaxat, qui nunc in Eccleſijs, & monaſterijs degunt*, deſcripſiſſe; quo clarè ſatis monachos appellat Eſſenos: ij ſiquidem ſunt, qui *in monaſterijs* degere ſolent. Deinde Philaſtr. [m] inquit: *Eſſeni ſunt, qui monachorum vitam exercent.* S. Hieronymus, vt *cap. præcedenti* vidimus, loquens de monachis Cœnobitis Ægypti [n], inquit: *Tales Philo Platonici ſermonis imitator, tales Ioſephus Græcus Liuius in ſecunda captiuitatis hiſtoria Eſſenos refert;* quo etiam monachos illos cenſet, cùm Ægyptijs monachis ſimiles faciat. Item Caſſianus [o] illis verbis inferius referendis, *pauci quidem, ſed probatiſſimi monachorum nomine cenſerentur.* Loquitur autem ibi de

Eſſeni monachi.
h lib. de Eccleſ. Hierarch. c. 6.
i lib. 8. de præpar. Euang. c. 4.
k l. 2. hiſt. c. 16.
l lib. illo 2. Hiſt. c. 16.
m in l. de hæreſ.
n in epiſt. 22. ad Euſtochium.
o lib. 2. monaſt. Inſtit. c. 5.

Eſſenis

Essenis Alexandrinis. Ad hæc S. Nilus *in initio suorum Asceticorum* de illis ait, *habuisse mores similes moribus monachorum.* Item Sozomenus [a], dum de eisdem monachis sermonem instituit, refert, quæ Philo de suis Essenis scripserat, subiungens: *Eorum conuersationem talem introducit, qualem & nos apud Ægyptiorum monachos esse conspicimus*, quo etiam proculdubio inter monachos memorandos existimat, sicut & Ægyptios. Accedit Cedrenus, qui [b] illos *Ascetas* & *Apostolicos viros* vocat, quæ sunt propria monachorum epitheta. Idem facit Georgius ille *Peccator* nuncupatus in suo illo *Chronico* de quo cap. præcedenti, loquens de Claudij Imperatoris tempore. Item Nicephorus Calistus [c], qui eos *monachos* vocat. Vnde eius Scholiastes Ioannes Langus in Scholijs marginalibus ait: *Philo de Monachis Christianis in Ægypto scripsit.* Similiter Petrus Comestor *in Histor. Euangelic. c.* 31. de eisdem loquens ait: *Essæi ferè in omnibus monasticam agebant vitam.* Ioannes Trithemius [d] sic; *Si de monachis, qui ante Christi natiuitatem in Iudæa floruerunt, altiora scire desideras, historias Philonis Alexandrini, & Iosephi Ierosolymitani Iudæorum legas.* Omnibus autem constat Philonem, & Iosephum de Essenis scripsisse. Thomas Beauxamis [e] de eisdem Essenis hæc scribens: *Ab his videtur ductum esse monasticum institutum, quale etiam Philo Iudæus de vita supplicum describit.* Sixtus Senensis [f] eos appellat *Insigniores pietatis cultores, nec multum Christianis monachis absimiles.* Bartholomæus Cassaneus [g] eadem, quæ Comestor de ipsis refert. Canisius [h] ait ex Philone, quod *inter eos viguerit vita monastica disciplina.* Marianus Victor S. Hieronymi Scholiastes [i] Essenos ait esse hominum genus *cœnobitarum instar in communi viuentium.* Bergomensis [k] inquiens: *Monasticam in omnibus agebant vitam.* Baronius in Martyrologio Romano [l] id disertè supponens. Bellarminus [m] asserit Philonem in libris *de Vita contemplat.* descripsisse *vitam & mores monachorum, & sanctarum virginum.* Item Suarez [n]. Ac Cornelius [o] vocans Essenos *quasi primos Religiosos, ac viros Angelicos.* Clarius *in Euangel. Marci in Argum.* dicens S. Marcum instituisse Essæos, *qui primi fuere Religiosi, & Religiosorum omnium prototypi.* Ad idem Serarius [p] referens Drusium, Chytræum, & Hugonem Broghtonum. Item Franciscus à S. Maria [q]. Similiter Ascanius Tamburinus [r] S. Schariothum *Abbatem* appellat, & eius subditos *monachos*: fuerunt autem ij ex Esseno ordine, vt diximus *to. 1. sub anno* 4065. Deinde *quæsit. 2.* S. Marcum Religiosorum institutorem secundum monasticos ritus vocat: ij autem erant Esseni, vt ex dicendis constabit. Ad de Sherlogum [f], & Dominicum Grauinam [t].

3 Hinc consequenter asseuerandum est, ipsos *Religiosos* appellari debere. Quod non solùm ex modò dictis elici potest, cum monachi nomen apud Patres, & Doctores regularis, & religiosæ vitæ sectatoribus solum adaptetur, sed etiam ex *cap. præcedenti* relatis, de obseruantia videlicet obedientiæ, castitatis, & paupertatis; regula, & alijs claustralis disciplinæ institutis, quæ in Essenis cernebantur, & maxime ex ijs, quæ *to. 1. sub anno mundi*

a in Tripart. l. 1. c. 11.
b in Comp. hist. in Claud. Imp.
c lib. 2. hist. c. 15
d in lib. de laudib. Carmelit. c. 2.
e in Harmonia Euangel. to. 2. in Matth. 3. fol. mihi 35.
f in Bibliotheca l. 2. verb. Traditiones.
g in Catalogo gloriæ mundi 4. par. consideral. 53.
h lib. 1. de corrupt. Verbi Dei c. 3.
i in epist. ipsius 22. ad Eustochium.
k in supplemen. sub anno Christi 30.
l sub 19. Octobris & to. 2. Annalium sub anno 188. n. 2.
m to. 2. lib. 2. de Monachis c. 5.
n ... Quanto probatur.
o to. 3. de Relig. lib. 6. c. 1.
p in Chronotaxi ad Act. Apost. ad ann. Christi 64.
q in lib. 3. Triharef. c. 10.
r in histor. Prophet. Hispan. l. 3 c. 10. n. 2. & 3. Religiosi nuncupandi.
f de iure Abbatum to. 1. disp. 2. quæsit. 1.
s to. 2. in Cant. vestigat. 24. explanat. mystica sect. 1.
t in voce surrup. p. 2. c. 15.

mundi 3545. ex plurium testimonio adduximus, eos videlicet voto, vel iuramento suum institutum firmasse, & obseruasse. Ex hoc enim perspicuè deducitur Religiosorum cognomine decorari posse. Vnde eos Religiosos, & ipsorum cœnobia *Conuentus Religiosorum* appellat noster Thomas Vvaldensis [a], & alij ex relatis auctoribus, specialiter Cornelius ipsos *Religiosos*, & *primos Religiosos* nuncupans. Suarez etiam [b] eos Religiosos vocat. Item Honuphrius Manescal [c]. Quin etiam addendum, esto quod ij ex Essenis, qui sub legis veteris iugo vixerunt, castitatem ex voti ligamine non coluissent (hæc enim tanta prærogatiua solius Euangelij propria a multis censetur) post Christi tamen, & Apostolorum prædicationem, de quo tempore in præsenti loquimur, nullus restat scrupulus, seu ratio dubitandi, cur isti Esseni, qui Apostolorum Discipuli, & alumni erant, ea non fruerentur.

a to. 1. Doctrinal. fidei l. 3. ar. 1. c. 7.
b to. 4. de Relig. tract. 10. l. 1. c. 9 n. 9.
c to. 1. Concion. in Concion. B. V. Mariæ de Monte Carmeli

4 Superest iam examinare, qualiter non modo monachi, & Religiosi, sed Religiosorum etiam & monachorum legis nouæ Duces, & Antesignani appellari debeant. Quod duplici via probare contendimus; testimonijs videlicet tum Patrum, tum Doctorum id asserentium; tum etiam ex rituum, & obseruantiarum, quibus Esseni vtebantur, cum illis, quæ in probatiorum Monachorum institutis fuerunt, mutua collatione, & similitudine.

An monachorum, seu Religiosorum Duces.

5 Ex Patribus autem, vel Doctoribus primus est Eusebius [d]. Cum enim *cap.* 15. dixisset Philonem *ad liquidum descripsisse vitas eorum, qui in Ecclesijs, & monasterijs degunt* (Essenorum videlicet, de quibus Philoni sermo est) postea ad initium *cap.* 16. illos vocat *primos*, scilicet in monastica professione. Accedit D. Hieronymus [e] verbis referendis infra *cap.* 4. *n.* 9. & 10. quæ vel sola si Lector percurrat, sine vllo dubietatis scrupulo intelliget Essenos monachos, & monachos Essenos fuisse, ac maximè Ægyptios monachos, qui monachorum parentes communius habentur, Esseni instituti asseclas extitisse. Clarius Cassianus *in præfat. ad Castorem Episcopum*, loquens enim de monachorum institutis: *Ea*, inquit, *secundum eam, quam vidimus monasteriorum Regulam per Ægyptum, & Palæstinam antiquitus fundatorum, vel adijciam, vel recidam, nequaquam credens rationabilius quidquam, vel perfectius in occiduis Galliarum partibus reperiri potuisse, quam illa sunt instituta, quibus ab exordio prædicationis Apostolicæ à Sanctis, ac Spiritualibus Patribus fundata monasteria ad nos vsque perdurant.* Quo satis denotat primos monasteriorum, & institutorum fundatores fuisse monachos Ægyptios, & Palæstinos, qui, vt diximus, Esseni erant. Vnde [f] inquit: *Cum in primordijs fidei pauci quidem, sed probatissimi monachorum nomine censerentur, qui sicut à beatæ memoriæ Marco Euangelista, qui primus Alexandrinæ vrbis Pontifex præfuit normam suscepere viuendi, non solum illa magnifica retinebant, quæ primitus Ecclesiam, vel credentium turbas in Actibus Apostolorum legimus celebrasse: verum etiam his multo sublimiora cumulauerunt, etenim secedentes in secretiora suburbiorum loca agebant vitam tanto*

Ex Eusebio. d in Hist. Eccl. l. 2.
e epist. 22 ad Eustochium.
Ex Cassiano.
f lib. 2. c. 5.

abstinentiæ rigore districtam, vt etiam his, qui erant Religionis externæ (Philonem proculdubio, & Iosephum intelligens, qui de ipsis scripserunt) *stupori esset tam ardua conuersationis eorum professio.* Deinde subiungit: *Ea igitur tempestate cum Ecclesia illius primitiuæ perfectio penes successores suos adhuc recenti memoria inuiolata duraret.* Clarè etiam Sozomenus [a] relatus: postquam enim ea, quæ Philo de Essenis disseruerat, retulit, subdit: *Vnde coniicio ex illo apud Ægyptios hanc philosophiam habuisse principia.* Similia habet Nicephorus [b]: post relatos enim Essenos Alexandrinos à Philone commemoratos ait: *Equidem ab illis Ægyptijs tantopere hoc viuendi genus inualuisse coniicio.* Item [c] ait, quod liber Philonis *de Vita contemplat.* seu de supplicibus *Canones, & Regulas, quæ etiamnum in Ecclesia seruantur, liquido continet.* Quo ipsos auctores regularum monachalium extitisse valdè denotat. Item Georgius ille *Peccator* appellatus, postquam loco relato multa de Essenis dixerat, subiungit: *Pauca hæc necessaria tamen è multis collegi, & huc retuli propter eos, qui in controuersiam vertunt, quando, vbi, & vnde monachorum ordo exercitium institutumque vitæ principium habuit.* Quo manifestè denotat, illos monachorum originem fuisse. Ad hæc noster Thomas Beauxamis [d], dum de Essenis agit, ait: *Ab his videtur ductum esse monasticum institutum.* Item vnus pro multis Cardinalis Baronius [e] sic scribens: *Monachorum institutum non recens, sed ab initio nascentis Ecclesiæ viguisse ex his, quæ scribit Philo de Essæis, & quæ habet Dionysius Areopag. & alijs facilè colliges.* Quo & Essæos monachos, & ex eis monachos prodijsse satis indigitat. Præterea ex recentioribus Serarius [f]: quærens enim, possintne Esseni monachorum, aliorumque Christianorum monachorum inchoatores, & exemplaria quædam censeri? Respondet: *Possunt sanè, cùm generatim, tum speciatim.* Clarè etiam Richardus Hall. [g] asseuerans monachismum legis nouæ ab Essenis cœpisse. Idem sequitur Iacobus Boulduchus [h]. Vnde in margine sic habet, *Monachorum, & monialium instituta ab Essenis ortum accepisse certissimum.* Item [i] Monachos Essenorum vitam sectari inquit. Fauet valde Franciscus à S. Maria [k]. Laurentius Landtmeter Præmonstratensis [l] Essenos monachorũ Patriarchas post Ioannem Baptistam appellat. Et [m] eos dicit *primos Christianorũ post Apostolos monachos.* Præterea [n] ipsos vocat *Monachorum primitias.* Item Dominicus Grauina [o] de eis aiens: *Ab his porro monachorum agmina in Ægyptum, & Palæstinam descendisse Doctores, & historici tradunt.* Cornelius etiam a Lapide *Commentar. in Marcum in Argum.* de eis dicit, quod sint *Religiosorum omnium prototypi.* Amedæus Salyus *in Breuiario Christianæ Theologiæ* sub hoc titulo *Initia cœtuum Religiosorum, & Ordinum militarium*, sic primo loco de Essenis dicit: *Essæi siue Iessæi Alexandriæ monachi.* Concinit Ioannes Bollandus [p] ex Philone, Hieronymo, Epiphanio, Eusebio, Cassiano, Sozomeno, Baronio, Bellarmino, & Prospero Stellartio admittẽs, *Exordium monachorũ ab Essæis.* Inter Sectarios quoq; etsi hostes infestissimos monasticæ antiquitatis, Magdeburgenses [q] asserunt monachatũ incepisse *ex praua æmulatione Essenorũ.*

Id

Ex Sozomeno. a in Tripart. l. 1. c. 11.
Ex Nicephoro. b lib. 8. hist. c. 39 prope finem.
c lib. 2. c. 16.
Ex Georgio Peccatore.
d in Harmonia Euang. to. 1. ad cap. 3. Matthæi Marc. 1. Luc. 3. fol. 135.
e in Martyrol. Rom. die 19. Octob.
Ex alijs.
f in Trihæres. l. 3. c. 10.
g in lib. de progress. Monach. cap. 4.
h in lib. de Eccles. post legem cap. 14. §. de vtriusque sexus religiosis.
i in epist. Iudæ vers. 21.
k in Historia Prophet. Hisp. lib. 3. c. 14. n. 9. & 10.
l de veteri clericor. monach. lib. 1. c. 2.
m lib. 2. c. 4.
n lib. 2. par. 2. c. 11.
o in voce turtur. par. 2. c. 15.
p in Actis Sanctor. die 17. Ianuarij in vit. S. Anton. § 3. n. 82.
q Centur. 5. c. 6 col. 700.

6 Id quoque manifestè conuinci potest ex dictis *cap. praecedenti*, vbi illos exactissimos obedientiæ, paupertatis, castitatis, orationis, abstinentiæ, silentij, & solitudinis sectatores fuisse corroboratum manet. Cum enim hæc omnium Monachorum, quæ in Ecclesia fuerunt, insignia præcipua, & veluti notæ, & thesseræ quædam extiterint, rectè elicitur Essenos, qui tempore ipsos præcesserunt, Monachalis eorum status primos Patriarchas nuncupandos. Accedente maximè voto, vel iuramento, quod ab ipsis fieri solitum de obseruantia sui instituti, diximus *to. 1. sub anno* 3545. — Ex alijs principijs.

7 Sed expendamus alia, in quibus ipsorum Duces, vexilliferos, & Antesignanos fuisse perspicuè demonstrari potest. Primum illud sit de probatione Nouitiorum, seù tyronum nouitiatu, quod etiam ad cunctas monastici Ordinis familias ad hoc vsque tempus, etsi diuersimode in quibusdam, deriuatum conspicitur, vt legi potest in Cassiano [a], S. Basilio *in Regul. cap.* 7. Benedicto [b], & alijs posterioribus. Illud verò quomodo apud Essenos ageretur, Iosephus [c], ex quo Porphyrius, Georgius Peccator, & alij desumpserunt, sic enarrat: *Sectæ verò suæ studiosis non statim cum eis vna collectio, sed per annum integrum extrinsecus commoranti cuique eundem victus ordinem tribuunt, dolabellam quoque, & quod prædictum est perizoma, & albam vestem tradentes. Cum verò processu temporis experimentum continentiæ dederit, accedit etiam ad communem cibum, & purioribus, ob castificationem scilicet, aquis participat, neque tamen in conuictum assumitur. Post ostensionem quippe continentiæ duobus alijs annis mores eius probantur. Cumque dignus apparuerit, tunc demum in consortium assumitur.* — Alia.

8 Secundum, apud veteres monachos frequens fuit, & salutare, vt pueri monasterijs offerrentur, ea enim ætas, qua homo veluti tabula rasa est, nec prauis habitibus imbutus, aptissima credebatur instructioni regulari imprimendæ. Qui mos colligitur de monasterio Pachomij ex vita ipsius, & de Ordine S. Benedicti ex Regula eiusdem *cap.* 59. & in pueris Mauro, Placido, Beda, & alijs conspici potest. De quo Lessius [d], Laurentius Landtmeter [e]. Eum verò ab Essenis nostris mendicatum ex eo clarè cernitur, quod refert Iosephus *lib. 2. de Bello c. 7.* de ipsis: *Alienos verò filios, dum adhuc molles sunt, eruditioni traditos pro cognatis habentes, suis moribus diligenter instituunt.* Subscribit Porphyrius relatus eisdem fermè verbis, & Cedrenus *in Compend. hist. in Claud. Imper.* dicens: *Alienos liberos tenera adhuc ætate suscipientes, docent, & pro suis habent, suisque moribus formant.* — Ex puerorum educatione.

9 Tertium, cantus Ecclesiastici vsus frequentissimus est, & fuit etiam inter priscorum monachorum cœtus, vt colligitur ex S. Basilio [f] contra Hæreticos scribens, vbi sic: *Ad id verò quod propter psalmodias accusamur, quare potissimum simpliciores præterrefaciunt, qui vos traducunt, hoc habeo quod dicam, quod videlicet, qui iam obtinuerunt ritus omnibus Ecclesijs Dei concordes sunt, & consoni. De nocte siquidem populus consurgens antelucano tempore tempus precationis petit, inibique labore, & tribulatione, ac lacrymis indeficientibus, facta ad Deum confessione, tandem ad orationem surgentes ad psal-* — Ex Cantu.

[a] *lib. 4. de Inst.*
[b] *in Regul. c.* 58
[c] *lib. 2. de Bello c.* 7.
[d] *in disp. de Statu vitæ deligendo c.* 2.
[e] *de veteri cler. & monach. vitu, & discipl. l. 2. c. 5. p. 2.*
[f] *ep. 69 ad Neocæsarienses*; D. Basilius:

psalmodiam instituuntur. Et nunc quidem in duas partes diuisi alterius succinentes psallunt, atque ex eo simul eloquium Dei, exercitationem, ac meditationem corroborant, & cordibus suis attentiorem, reiectis vanis cogitationibus mentis, soliditatem suppeditant. Deinde vni ex his hoc muneris dato, vt quod canendum est, prior ordiatur, reliqui succinunt, atque ita in psalmodia varietate precibusque subinde interiectis noctem superant, illucescente iam die pariter omnes velut vno ore, ac corde vno confessionis psalmum Domino offerunt, ac suis quisque verbis, resipiscentiam profitentur. Horum gratia, si nos fugitis, fugietis simul, & Ægyptios, fugietis Libyam vtramque, Thebaos, Palestinos, Arabes, Phœnices, Syrios, & qui ad Euphratem habitant, & vt semel dicam, omnes apud quos vigiliæ ac preces, communesque psalmodiæ in pretio sunt. Hæc Basilius, quæ si conferantur cum ijs, quę Philo *in lib. de Vita contemplatiua* de Essenis Theoreticis post finita eorum sacra conuiuia scripsit, hos illorum Duces fuisse facilè comperiet, sic Philo: *Vbi omnes consurrexere, duo chori fiunt in medio cœnaculi, alter virorum, alter feminarum, cuique suus incentor præficitur honore præstans; & canendi peritia. Deinde cantant hymnos in laudem Dei compositos, varijs metrorum, carminumque generibus, nunc ore vno, nunc alternis, non sine decoris, & religiosis gestibus, atque accentibus, modo stantes, modo prorsum, retrorsumue gradum mouentes, vtcumque res postulat. Deinde postquam vterque chorus seorsim expleuit se his delicijs, velut amore diuino ebrij vnum chorum faciunt promiscuum ad imitationem illius olim instituti in rubri sinus littore post mirandum prodigium, quando mare Deo iubente alteris salutem, alteris perniciem attulit, &c. præcinente viris Moyse Propheta, Mariamme verò prophetide feminis. Ad horum maxime imitationem hic therapeutarum, therapeutidumque chorus compositus, & mixtus ad graues virorum, acutis femineis vocibus concinnè temperatus, concentum reddit suauissimum, vereque musicum; pulcherrimis enim verbis includuntur sententiæ pulcherrimæ, religiosis choreis accedentibus. Horum porrò vniuersorum finis vnus, & idem est pietas.* Hucusque Philo; qui dum ait non tantum *accentibus*, sed & *religiosis gestibus* se mouentibus illos concinere solitos esse, haud dubium est intellexisse de canticis dramatis, qui non tantum in voce, sed in actione consisterent, de quibus Ecclesia: *Ante thorum huius Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis*, prout ait Baronius *sub anno Christi 60. §. Iam quod superest.*

Philo.

Alia Philonis.

10 Aliter legit Philonis alius interpres apud Serarium [a] verba illa *non sine decoris, & religiosis gestibus atque accentibus*, videlicet *cum decoro manuum gestu modulantes, & saltantes*, quo sane tripudiando cantasse Essenos istos denotatur, vt admittit Boulducus [b]. Et licet hoc cum alijs exoleuerit iam in Ecclesia, vt habet relatus Baronius, nihilominus dictæ tripudiationi, quæ Christianæ modestiæ non satis conuenire visa est, successit (inquit Boulducus) grauis illa, prorsusque reuerenda duorum Acolythorum in choro deambulatio, nec non quas processiones vocare solemus, de quo Tertullianus *ad Vxorem* [c], & D. Hieronymus *ad Eustochium*: Possumus & nos dicere, *decoris* huiusmodi *gestibus* successisse in Ecclesijs, & mona-

[a] *in Triharef. lib. 3. c. 16.*

[b] *in lib. de Ecclef. post legem c. 14. §. oratio autem.*

[c] *lib. 2. c. 4.*

& monasterijs ceremonias, quæ à cantantibus in choro obseruantur, nunc sedendo, nunc stando, nunc inclinando, nunc genuflectendo, modò alternatim, modò coniunctim, modò separatim Deo laudes, hymnis, & canticis concinendo. Vt hoc etiam ab Essenis traditum monachi profiteantur.

11 Quartum, peruigilia, seu sacrarum vigiliarum vsus inter monasticos cultores commendatissima, in eisdem Essenis magnum etiam exemplum habuisse ex Philone ipso facilè constare potest. Ea enim, quæ paulo antea ex ipso attulimus de choris, cantibus, & modulationibus hymnorum cum *decoris, & religiosis gestibus*, atque *accentibus*, tripudijs, seu pijs saltationibus in sacro peruigilio totius noctis peragi solita clarè exprimit, dum dicit: *Cœnam verò sequitur sacrum peruigilium his ritibus*. Et post illos relatos, *producta vsque ad matutinum hac comessatione honestissima, neque granate crapula, neque nictantes, sed exercitatiores, quàm cum venirent ad conuiuium verso ad auroram vultu, totoque corpore, quamprimum solem orientem aspiciunt &c.* Item Georgius Peccator loco relato: *A media nocte vsque ad auroram, precationibus, ac cantibus vacant*. Et infra: *Breuissimo leuissimoque somno minimam noctis partem conterunt*. Totam igitur noctem in Dei laudibus, & iubilis insumebant, quod & indicat Cedrenus relatus ipsos *breuissimo, & leuissimo somno* vsos fuisse scribens. — De peruigilijs.

12 Quintum, labor externus, seu manualis exercitatio tantopere à Patribus pro otiositate Monachis fugienda vicibus repetitis intimata, vt videre est in Basilio, Hieronymo, Augustino, Cassiano, Benedicto, Bernardo, Francisco, Alberto, & alijs regularium Ordinum mystologis legislatoribus, in horum Essenorum instituto sæpissimè, & veluti primordialiter delineata cernuntur, vt propterea iure credi potest dixisse Cassianum [a]: *Hic est apud Ægyptum ab antiquis patribus sancta sententia operantem monachum dæmone vno pulsari, otiosum verò innumeris deuastari*. Hi enim antiqui Patres proculdubio sunt Esseni nostri, qui primum in Ægypto sanctæ Religionis semina iecerunt. Philo enim hanc piam illorum manualem operationem crebrius commendat. In Apologia quidem dicens: *Priusquam Sol oriatur ad consueta sua opera conuersi, vix vbi ille occidit, reuertuntur, lætitia non minori, quàm qui in gymnicis certaminibus probantur, exultantes: existimant enim eas in quibus se ipsos exercent, exercitationes, ad vitam esse vtiliores, & animo, corporique iucundiores, ac multo ijs, quæ in certaminibus sunt, diuturniores, cum vnà cum corporis vigore simul haud marcescant, ac pereant. Sunt enim eorum quidam agricolæ, serendi, terramque colendi periti, hi verò pastores, pecorumque omnis generis magistri, ac duces. Quidam verò apum aluearia curant. Alij aliarum artium opifices sunt*. Et in libro *de Viri probi libertate: Eorum quidam tractant agriculturam, alij verò eas artes, quæ pacis adiutrices, sicque sibimet, proximisque prosunt*. In libro autem *de Vita contemplat.* vbi de Essenis Theoreticis agit, etsi præsertim ea, quæ ad speculationem, & contemplationem spectant, de ipsis referat, aliqua — De labore externo. — a lib. 10. c. 23.

tamen,

tamen, quæ quadamtenus actiuæ vitæ munia sunt, non prætermittit. Hinc illud: *Itaque non solùm contemplantur, sed etiam cantica, hymnosque in Dei laudem componunt, vario metrorum, carminumque genere rhythmis concinnatos in angustiorem, ac religiosam speciem*. Ad quod etiam accedit, quod idem Philo subiungit de concione, seu lectione facta ab vno illorum doctissimo, alijs audientibus: *Tum progressus in medium natu maximus, & dogmatum eius sectæ peritissimus, differit vultu ad grauitatem composito, voce moderata, non sine magna prudentia &c.* Demum post finita illa solemnia peruigilia, de quibus supra diximus, addit Philo: *Ad suum quisque Semneum secedit, & ad negotiationem, culturamque consuetæ philosophiæ*. Quo etsi minus alijs, qui practici propterea vocantur, theoreticos etiam, & contemplatiuos alicui operi externo exercendo incubuisse denotari videtur.

Ex Iosepho. a de Bello lib. 2. c. 7. 13 De hac quoque manuali Essenorum exercitatione plura Iosephus in libro illo [a] illis verbis: *Ad quas venerunt singuli artes à curatoribus dimittuntur. Cumque horam quintam studiose fuerint operati, rursus in vnum congregantur.* Et infra: *Hinc illis morborum remedia, stirpes medicæ, quamque vim propriam singuli lapides habeant rimantibus conquiruntur*. Item [b] inquit: *Ad colendam terram; & exercendam omni studio intenti*. Quibus ipsos operi manuum externo vacasse clarè denunciatur. Et Porphyrius relatus: *Ad eam quam quisque nouit artem Præsidum se iussu conferunt, in qua perpetuo, & continenti ad quintam horam labore versati &c.*

b lib. 18. Antiq. c. 2.

De vita mixta. 14 Sextum (quod ex dictis clarè deducitur) vitam scilicet mixtam ex actiua, & contemplatiua, quæ proculdubio perfectior est tam actiua, quàm contemplatiua seorsum, in Religioso, & monachali statu, vt ex D. Thom. [c] inferunt boni Theologi; nedum adumbratam, seu præfiguratam, sed executioni quoque mandatam ab Essenis fuisse, vt proinde in hoc, sicut in alijs ad monasticem spectantibus ipsi Duces fuerint, facile ex ijsdem auctoribus demonstrare possumus. Et quidem, quod ad actionem attinet, sufficienter ex dictis ostensum est. Quod verò ad speculationem, seu contemplationem, non minus clarè ex vltimo Philonis libro, cuius titulus est *de Vita Contemplatiua*, ostenditur. Vnde in initio illius sic habet: *Postquam de Essæis disseruimus, qui vitam actiuam exercent omnibus, aut quod minus inuidiosum dictu est, plerisque facilius, ordo postulat, vt deinceps dicamus, quæ dicenda sunt de contemplationi deditis*. In corpore verò libri ait: *Medium verò matutini, vespertinique temporis interstitium totum meditationi attribuitur.* Et infra: *Itaque non solum contemplantur, &c.* Inferius: *Totam vitam dedicarunt cognitioni naturę, contemplationique.* Et in fine: *Hactenus de Therapeutis naturæ contemplatoribus*. Addit Suidas *verbo Essæi* hoc Essæorum nomen significare *Contemplatores*. Vt verò non dumtaxat contemplatores, sed & piarum actionum ad animarum salutem operatores ex instituto esse demonstraret Philo subiungit: *Hinc tantum studio* (scilicet contemplationi) *curandaque animæ per totam vitam deditis &c.* quo & actiuæ, & contemplatiuæ vitæ exercitijs addictos fuisse clarè ostendit.

c 2. 2. q. 188. ar. 6.

15 Septimum, vt nec illud, quod in Religionibus cunctis veluti per maximè necessarium viget, de expulsione videlicet morbidarum pecudum, quæ suo exemplo toti gregi perniciem afferre possent, in Essenorum instituto defuisse comprobaretur, Iosephi verba [a] satis ostendunt: *Deprehensos verò in peccatis à sua Congregatione depellunt.* Et quod hic eorum vsus Deo pergratus esset, sequentia demonstrant: *Et qui taliter fuerit condemnatus, miserabili plerumque morte consumitur. Illis quidem sacramentis, ac ritibus obligatus, neque capere ab alijs oblatum cibum potest, herbas verò pecudum more decerpens, & fame exesus per membra corrumpitur. Ob quod etiam plurimos plerumque miserati extremum spiritum agentes receperunt, sufficientem pro peccatis eorum, quæ vsque ad mortem adduxerit, pœnam luisse censentes.* Eadem fermè, vt solet, habet Porphyrius *c. 1.* relat.

De expulsione.

a lib. 2. de Bello cap. 7.

15 Vnum specialiter expendendum, ex quo mirificè comprobari potest, monachos, præsertim Ægyptios, Essenatus scholæ alumnos fuisse. Id autem est, parcè viuendi, seu abstinentiæ ritus ab vtrisque obseruatus. Sicut enim Philoniani illi Esseni, de quibus Philo ipse *in lib. de Vita contemplatiua* agit, cuius & nos ad intentum verba retulimus *cap. 1. n. 18.* pro cibo panem, pro obsonio salem, pro potu aquam habebant; sic & Ægyptij posteriores Ascetæ. Id enim in eorum magno Coryphæo Antonio conspicitur; de quo id disertis verbis asseritur in ipsius vita ab Athanasio descripta *c. 6.* Et in Palæmone Pachomij magistro, prout in eiusdem Pachomij vita *c. 6.* cernitur. Ac in Zachæo monacho, in vita similiter Pachomij *c. 52.* Item in Euagrij discipulis, prout notatur *lib. 2. Vit. Patr. cap. 27.* Quod etiam in Syriæ monachis animaduerti potest, prout conspicitur in Romano Antiocheno, *lib. 9. Vit. Patr. c. 11.* Quibus alij non dissimiles ab studioso numerari poterunt Lectore.

Abstinentiæ modus.

16 Et vt plura paucis prolixitatis vitandæ causâ perstringamus, quæcumque ferme in sacris monachorum Ordinibus commendarunt omnes, in Essenis istis primordialiter conspici facili compendio demonstrari potest. Præter dicta namque, hospitalitatem tam eximiè à priscis monachis obseruatam, prout videre est in Cassiano [b], Theodoreto [c], Palladio [d], D. Benedicto [e], & alijs, amplexatos fuisse, quæ de ipsis Iosephus dicto libro refert, ostendunt: *Simuliterque*, inquit, *inde reuersi cœnant, consedentibus etiam hospitibus, si quos forte interuenisse repererint.* Itemque *aliunde aduenientibus sectæ suæ professoribus quicquid habeant promptum exhibent quasi proprium, peregrinationes quandoque suscepisse etiam ex mendicato viuendo.* Sic etiam idem Iosephus: *Hinc est quod cum peregrinantur, propter latrocinia tantum armantur, neque præterea quidquam ferunt.* Vilibus assutis, & despectis vestibus monachorum instar vsos sic describit Philo in Apologia: *Assuunt enim ijs hyeme quidem crassæ, asperæque lanæ, æstate autem exomides viles, ac tenues.* Et in libro *de Vita Contemplatiua*: *In veste autem eadem apparet simplicitas ad arcendos calores, & frigora, pro pelliceis crassa tunica in hyeme, æstate verò exomis, aut interula linea.* Iosephus verò

De hospitalitate.

b lib. 4. c. 7.

c in Philot. c. 24

d cap. 53.

e in Reg. c. 53.

Vestium vilitate.

Nec

Nec verò vestitum, siue calceos mutant, nisi aut omnino conscissis prioribus, aut longi temporis vsu consumptis: Et infra de iuramento a tyronibus facto loquens, promittere dicit, *neque veste, aut ambitioso aliquo ornatu reliquis eminere.* Vitam etsi cœnobiticam, tamen quadantenus eremiticam sectari, in quo etiam monachi ipsorum æmulatores conspiciuntur, sic habet Philo *de Vita Contemplat. Extra mœnia degunt in hortis, ac villis solitarijs amantes solitudinem.* Deinde: *Domicilia verò conuenarum sunt admodum fragilia parata contra æstum tantummodo, & frigora; non contigua, vt in vrbibus; non enim placet id amantibus solitudinem, nec tamen longe remota, quia societatem diligunt, vt sibi possint inuicem succurrere contra latronum incursus fortuitos.* Nonne etiam quemadmodum deserta Iordanis, ex ea præsertim parte, quæ lacui *Asphaltites*, seu *Mari mortuo* adiacet, Esseni colebant, vt ostendemus infra *ad ann. 77.* & diximus *to. 1. sub ann. 3545. n. 40. & sub ann. 3895. n. 3.* sic eadem habitarunt monachi posteriores, vt habet Cassianus [a], & nouissime Bollandus [b] notat? Idem dicendum de alijs Palæstinæ, & Ægypti locis, prout in sequentibus notabimus. Maximè verò de celeberrimo illo *Scbiti* appellato, quem frequentissimam monachorum coloniam fuisse dicenda toto hoc opere commonstrabant, scribit Adrianus Adrianius [c] hæc. *Meliores Eliæ, atque Elisei discipuli Esseni appellati sunt, atque è vicinioribus Engaddi locis totam peruaserunt Ægyptum, quæ Scbiti appellatur.* En à Theologo Iesuita celebrem Scithi, & Ægypti habitationem, Essenorum vocari; quam tamen Regionem à monachis cultam fuisse tota historia librorum Vitarum Patrum proclamat. Ipsam quoque Alexandriam, quæ sicut totius Ægypti nobilissima Metropolis erat, sic & monachorum myriadum selectissima mansio, Essæorum lectissimam coloniam fuisse post Philonem, & vetustiores alios confirmat huius æui nobilis Scriptor Aubertus Myræus [d] his verbis: *Nec Palæstinæ, Syriæue tantum finibus cælestis Institutio circumscripta est; in Ægyptum enim temporis excursu lectissimæ gentis coloniæ (quos Essenos nuncupabant) deductæ sunt, vt Eliæ imitatione Alexandria quoque claresceret.* De ipsorum in lectisternijs humilitate, & frugalitate, monastico more, sic idem Philo: *Quod si quis suspicatur lectisternia, & si non sumptuosa, certè molliuscula parari hominibus ingenuis, ac Philosophiæ deditis, sciat esse tegetes rudes è vili contextas materia, videlicet è papyro indigena sic humi egestas, vt eminendo fulciat cubitus.* Loquitur Philo de lectisternijs pro discumbendo in conuiuijs, sed ex illis colligi datur, qualia ea essent, quibus pro somno capiendo vterentur. Similia sanè ijs, quæ Theodoretus [e] & Pachomius *in Regul.* commemorant. Palmarum fructibus victitasse Essenos ex Plinio, & Solino sectatur Volaterranus [f]: quem etiam morem vetustos monachos æmulatos fuisse constat in pluribus. Quæ omnia, & alia, quæ prætermittimus, si vt fas est studiosè expendantur, meritò prudens lector censebit haud exiguo fundamento ipsos legis nouæ in monachatu duces, & antesignanos à nobis appellatos fuisse. Ne autem aliquid

Vita Eremitica.

[a] Collat. 6. c. 1. in princip.

[b] In Act. Sanctor. pro die 20. Ianuarij in S. Euthymio, & Charitone n. 1. & 2.

[c] Libro de vit. monast. origin. c. 2.

[d] Tract. de Origin. Carmelit.

Lectisterniorum humilitas.

[e] in Phil. c. 30.

Palmarum fructibus esus.

[f] lib. 11. in Celosyria, & Palestina.

quid deſit quo monachi oſtenderentur, eorum etiam habitationes *monaſteria* vocat idem Philo: *Singuli*, inquit, *habent ſacras ædiculas, quæ ſemnea vocant ſiue monaſteria*. Et infra: *Per ſex dies ſeorſum quiſque in ſuis illis modo dictis monaſterijs philoſophantur, &c.*

17 Nec ſolum virorum, ſed feminarum etiam monachatum in Eſſenorum inſtituto exemplum habuiſſe manifeſtè conſtat in ſæpius relato Philone lib. illo *de Vita Contemplat.* ibi enim ſic: *Mulieres quoque ſimul auſcultant ex more dumtaxat, quæ idem inſtitutum ſectantur*. Eas porrò virgines per totam vitam eſſe ſic deſcribit: *Adhibentur menſæ feminæ quoque, anus pleraque, ſed virgines, quibus non coacta caſtitas, ſicut apud Græcos quædam ſacrificulæ, ſed ſponte continentes præ amore ſapientiæ, cuius ſtudio per totam vitam contempſerunt voluptates corporis*. Et infra: *Decubitus itaq; diſtribuitur, vt ſeorſim viri dextrum latus, ſeorſim feminæ ſiniſtrum teneant*. De peruigilio etiam ait: *Duo fiunt chori, alter virorum, alter feminarum*. Aſſerit etiam feminas has cum viris, etſi ſeparatis cœtibus, in communi ſemneo, ſeu monaſterio vixiſſe: *Commune* (inquit) *Semmeum, in quod ſeptimo quoque die conueniunt, ſepto clauditur duplici, ſeparatis virorum, & mulierum cœtibus*. In quo pariter ſimilis conſuetudinis, quæ in varijs mundi partibus olim viguit, primordia iecerunt. Ergò vt intentum claudamus, Eſſenorum inſtitutum monachatus legis nouæ ſiue in viris, ſiue in feminis principium fuit.

Feminæ inter ipſos.

18 Nec opponatur derogari per hoc Ioannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum ſingulari prærogatiuæ, qua Chriſtianæ Eccleſiæ primi monachi, & religioſi, ſicut & primarij ipſius lapides communi Doctorum calculo reputantur, quod ſecus eſſet, ſi hunc primatum Eſſenis tribueremus. Hoc enim nullatenus aduerſatur traditæ doctrinæ. Fatemur etenim, quod ad Apoſtolos ſpectat, eos fuiſſe perfectæ Religionis a Chriſto inſtitutæ veros alumnos, & profeſſores per trium ſubſtantialium votorum emiſſionem. Sic namque elicitur ex Auguſtino [a], S. Thom. [b] Vvaldenſi noſtro [c], quos plures alij ſequuntur, & ex noſtris Franciſcus à S. Maria [d], & Michael Munozzius [e]. Quia tamen primi ipſorum diſcipuli fuerunt Eſſeni, vt conſtat ex dictis *to. 1. ſub anno* 4086. *n.* 28. & conſtabit ex dicendis, præſertim de Alexandrinis Eſſenis à S. Marco Chriſtianis factis; ideo ſine illorum præiudicio ipſos primos monachorum appellamus. Apoſtolos ergo legis nouæ monachatus Principes, Eſſenos Duces, illos prima capita, iſtos Anteſignanos; illos ſeminatores, iſtos primitias frugum cenſemus.

Ioannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum monachatus.

a 27. de Ciuit. cap. 4.
b 2.2. q 88. ar. 4 ad 1. & q. 186. ar 6. ad 1.
c in Doctr. fid. to. 1. l. 3. ar 2. c. 22. & l. 4. ar. 1. cap 5.
d in Hiſt. Propbet. Hiſp. lib. 3. c. 16. n. 6.
e in propugnac. Eliæ l. 1 tit. 3. c. 1. ar. 3. n. 5. & 6. & l. 2. tit. 2. c. 2. ar. 2.

19 Quod verò ad Ioannem Baptiſtam attinet, cum ipſe, iuxta conſtantem fermè Patrum, & Doctorum traditionem, quam tomo primo *ſub anno* 4052. *n.* 10. retulimus, monachus, & monachorum legis nouæ Princeps fuerit, Eſſenos ſolos poſt ipſum veluti ipſius diſcipulos, iuxta dicta *eo primo tomo ſub eodem anno* monachalis Status Duces recenſere debemus, ita vt ipſum veluti magiſtrum, eos autem tanquam diſcipulos

Quid de Ioanne Baptiſta.

in monaſtica diſciplina commendare poſſimus. Quod clarius innoteſcet, ſi ea, quæ eo loco adduximus iterum memoriæ reuocentur, eos videlicet, quos ſacer textus diſcipulos ipſius commemorat, Eſſeni instituti alumnos extitiſſe, & poſtea Christi, & Apoſtolorum.

An monachi priores Clericis regularibus.

20 Ex hoc autem oritur noua dubitatio, quam quidam etiam mouerunt, an ſcilicet monachi priores clericis regularibus, an è contra Clerici regulares monachis priores dicendi ſint. Differunt autem Monachatus, & Clericatus regularis, iuxta dicta a nobis [a], quod Monachatus eſt inſtitutum hominum vitæ ſolitariæ; quieti, ſilentio, & orationi vacantium; hoc enim vel ex ipſa etymologia nominis cognoſcitur: *Monos* enim Græcè, *Solus* Latinè eſt. Hinc Hieronymus *in Epiſt.* ad Heliodorum: *Interpretare* (inquit) *nomen monachi, hoc eſt tuum, quid facis in turba, qui ſolus es?* Clericatus verò eſt inſtitutum vacantium diuinis miniſterijs, ſeu officijs. Hoc enim etiam ex etymologia nominis, quæ a *cleros* Græcè, Latinè *ſors* venit, quia clerici in ſortem Domini aſſumpti ſunt, vel quia Dominus ſors illorum eſt. Vnde Iſidorus [b]: *Qui in Eccleſiaſtici miniſterij gradibus ordinati ſunt, generaliter clerici nominantur.* De quo Suarez [c]. Non ergo differunt, vt quidam autumant, quod Clerici regularis munus ſit attendere ſaluti proximorum, monachi verò ſolùm ſaluti propriæ. Si enim de ipſis loquamur abſtractè, & præciſe, ea tantum, quæ diximus, ipſis competunt, ſi verò prout de facto in Eccleſia cernuntur, vtraque ratio ipſis conuenit.

a to. 2. qq. Regular. c. 1. n. 10. c. 3. n. 7. & c. 4. n. 2.

b lib. 2. de Eccleſ. offic.

c to. 4. de Relig. tract. 9. l. 1. c. 7.

Quidam negãt.

21 Igitur non pauci, nec parui nominis Doctores Clericos etiam regulares monachis vetuſtiores exiſtimant. Eorum aſſertio præcipuè nititur in eo, quod clericalis regularis ordo ab Apoſtolis dicatur inſtitutus; ita enim colligitur ex Pio IV. in quadam Bulla apud Nauarrum [d], Poſſidonio [e], & alijs. Monachorum autem inſtitutio non niſi poſt id tempus facta exiſtimetur.

d Comment. 4. de Regular. n. 7. & 8.

e in Vit. S. Aug. c. 5.

Affirmatiua pars.

22 Sed ex ijs, quæ de Eſſenis diximus, facilè colligi poteſt, quid de horum ſententia iudicandum. Etſi enim libenter admittamus Clericorum ordinem ab Apoſtolis originem traxiſſe, quod & de regulari clericatu affirmandum credimus, tum ex fundamento relato, tum etiam, quia ipſi, qui nocte Cœnæ a Chriſto Domino Sacerdotes, & per conſequens clerici ordinati ſunt, vt habet Tridentinum Concilium [f], ante id tempus per trium votorum profeſſionem ſub Chriſto factam verè Religioſi erant, prout colligitur ex Auguſtino, & D. Thoma relatis; alioſque poſtea ad ſimilem viuendi modum excitauerunt, & auctores fuerunt Clericatus, & Canonicatus Regularis, prout deducitur ex Ioanne Trullo [g], Ioanne Mauburno [h], & nos diximus [i]. Monachos tamen illis antiquitate præferendos certum videtur. Primo enim Eliam, Eliſeum, & filios Prophetarum monachos veteris teſtamenti monachorumque Principes extitiſſe, ea quæ *to. 1. in Apparatu c. 5.* adduximus ex conſtanti ſatis Patrum, & Doctorum conſenſione, quorum alij expreſsè, alij implicitè

f ſeſſ. 22. Can. 2.

g lib. 1. de Ord. Canonic. Reg.

h in Venat. Canonic. Regul.

i to. 2. qq. Reg. c. 4. n. 1.

id

id affirmant, abundè satis suadent (eo tamen Monachatus genere, quo imperfecta, & vmbratilis Synagogæ lex tolerare poterat, vt sæpius *to. 1.* inculcatum reliquimus) ex eo autem euidenter deducitur Monachatum antiquiorem esse Clericatu Regulari, qui solùm ab Apostolis inchoatus fuit. Deinde etiam in lege noua clericatum iuniorem monachatu fuisse clarè constat ex Ioanne Baptista, qui monachus, immò & monachorum Ecclesiæ Princeps a Patribus appellatur, iuxta dicta eo *to. 1. sub anno* 4052.

23 Nec audiendi noui quidam Doctores, qui dicunt vulgare esse monachos ab Elia incepisse, & Ioannem Monachum fuisse, & id solùm intelligendum de vsu operum pertinentium ad illum statum, solitudine abstinentia, paupertate, &c. quæ in illis reperta fuerunt: ij enim sibimet contrarij sunt, quia alio in loco de Carmelitanis monachis loquentes dixerunt: *Est autem valde recepta, & satis antiqua traditio, Religionem hanc à temporibus Prophetarum, & signatim ab Eliæ institutione suam ducere originem, & quasi hæreditariam successionem in Monte Carmelo, à quo nomen etiam accepit; quam traditionem, vt veram suscipimus, præcipuè quia septem Summi Pontifices Sixtus Quartus, Ioannes Vigesimussecundus, Iulius Tertius, Pius Quintus, Gregorius Decimustertius, Sixtus Quintus, & Clemens Octauus in Bullis huic Ordini concessis de Professoribus huius sacri instituti ita loquuntur.* Similiter de Ioanne Baptista alibi sic scripserunt: *Satis piè, & probabiliter affirmare possumus (virginitatem scilicet Deo ex voto consecrasse) quoniam ab infantia se totum Deo consecrauit, vitamque cœlibem, ac solitariam perpetuo agere decreuit, ergo verisimile est hoc suum propositum voto firmasse, vt & immobilius esset, & Deo gratius. Nec id omninò Patres intactum reliquerunt, sed indicant potius, cum dicunt Ioannem monasticam vitam egisse, ac Principem monachorum fuisse.* Deinde valdè derogant Sanctorum, & Patrum auctoritati, dum vulgare appellant, quod ipsi vnanimi ferme consensione docent. Eliam namque, Eliseum, & filios Prophetarum monachos, & monachorum Principes fuisse asserunt, vel supponunt, Dorotheus *in Synopsi Prophetar.* Macarius Abbas, S. Athanasius *in vita S. Antonij*, Auctor vitæ S. Pachomij, Paphnutius *in vita S. Honuphrij*, S. Ephrem [a], Gregorius Nyssenus [b], Gregorius Nazianzenus [c], Ioannes Ierosolymitanus [d], Hieronymus *in Epist. ad Paulin. & in epist. ad Rusticum*, Ambrosius *in epist. ad Vercellen.* Auctor *Sermon. ad fratr. in erem. apud Augustinum, ser. 39.* Cassianus [e], Paulinus *in epist. ad Sebastianum Eremit.* Sollius Sydon. [f] Antiochus [g], Isidorus [h], Petrus Damianus [i], Rupertus [k], qui hæc de Elia: *Hæc dixit, & fecit ille primus auctor, & institutor eorum, qui dicti sunt filij Prophetarum, quos fuisse monachos in veteri testamento consentit auctoritas Patrum venerabilium.* Bernard. seu auctor *epist. ad fratres de Monte Dei*, Hugo. Victorinus [l], Ioachimus Abbas *in lib. de concordia noui, & veteris testamenti, & super Apocalypsim*, Vvaldensis [m], quos omnes, & plerosque alios ferè sine numero loco relato attulimus.

Quorundam euasio.

a in consil. de vita spir. c. 90.
b orat. 7. in Cãt. Cantic c. 4. & orat. 15. in Cãt. & in orat. de laud. S. Basilij.
c orat. 11. aduersus Arrian. & in orat. de laud. S. Basilij, & orat. 9.
d de instit. monachorum c. 2. & 12.
e lib. 1. c. 2. Collat 18. c. 6.
f Carm. 16.
g hom. 89. de inopia, & hom. 112.
h l. 2. offic. c. 16.
i to. 3. opusc. 15 c. 2. & l. 5. epist. epist. 19.
k lib. 3. in c. 4. Cantic.
l ser. 72.
m in doctrinali fidei to. 1. lib. 3. ar. 1. c. 4.

Patres, qui monachatû Ioannis Baptistæ tuentur.

24 Similiter Ioannem Baptistam monachum, & monachorum legis nouæ principem appellandum docent ferè communiter Patres, vt testatur Bellarminus [a]. Et præter Nazianzenum, Chrysostomum, Hieronymum, Cassianum, Isidorum, & Bernardum, quos ipse refert, confirmant idem intentum Ioannes Ierosolymitanus [b], Isidorus Pelusiota [c], Auctor *Vitæ S. Pachomij*, Paphnutius *in Vita S. Honuphrij*, Ephrem [d], Auctor *sermon. ad fratres in eremo apud Augustinum ser.* 39. Sollius Sydon. [e], Antiochus [f] Auctor *epist. ad fratr. de Monte Dei apud Bernardum*, Hugo Victorinus [g], & plures alij, quos loco relato ex *primo to. sub anno* videlicet 4052. plerosque etiam alios prætermittentes, retulimus. Quomodo ergo vulgare placitum appellari potest tantorum Patrum, & Doctorum firma consensio? Et, si hoc vulgare est, quid solidum, aut firmum ex Patrum auctoritate vocari poterit?

a *to. 2. lib. 2. de Monachis c. 5.*
b *de Inst. Monach. c. 38.*
c *lib. 1. ep 5.*
d *in Consil. de vit. spir. c. 90. & paran. 1.*
e *in Carm. 16.*
f *hom. 89. & 112.*
g *ser. 72.*

Euasio præcluditur.

25 Nec dici potest, ex eo Patres relatos monachos, & monachorum Principes Eliam, Eliseum, Prophetarum filios, & Ioannem compellasse, quia in illis opera monachorum similia cernebantur. Neque enim verba ipsis deessent ad id significandum, si illud intendissent. Deinde pari licentia dicere posset aliquis Apostolos, & Clericos ab ipsis institutos solùm eadem de causa, quod scilicet ipsi opera ad monachatum spectantia exercerent, Religiosos appellari a Doctoribus; cum nihil de hoc Sacra Pagina prodat, & multo pauciores sint, qui id asserunt, quàm qui intentum nostrum confirmant.

Monachos vetustiores Clericis.

26 Præterea monachos vetustiores Clericis fuisse manifestè colligitur ex ijs, quæ adduximus dicto *to. 1. sub anno* 4052. *n.* 13. scilicet Ioannem Baptistam inter Essenos vitam egisse, antequam ad baptismum prædicandum a Deo mitteretur, prout docent plures, & graues auctores, specialiter Dominicus Sotus [h], Iacobus Zeglerus *in descript. Palæstinæ in monte Addumim fol.* 38. Adricomius *in descript. Terræ Sanctæ in Beniamin n.* 27. & alij. Verè enim Esseni illi monachi erant legis veteris, quieti enim, solitudini, silentio, & pœnitentiæ vacabant, quæ sunt propria monachorum munia; obedientiæ quoque, castitatis, & paupertatis obseruantissimi erant, iuxta dicta *sub anno* 3545. ex illis etiam erant Ioannis discipuli, iuxta dicta *sub eo anno* 4052. Similiter Iacobus Apostolus minor appellatus, cum namque Essenum fuisse tenent Serarius [i], qui eum vocat *Essæorum Christianorum Principem*, idque defendit contra Scaligerum [k], Boulduchus [l], & ex nostris Munozius [m]. Pariter etiam ex eisdem Essenis erat Scariothus, qui fuit vnus ex ijs, qui tempore mortis Christi surrexerunt, & de quo Petrus Comestor [n], Bartholomæus Cassaneus infra referendus, & alij. Cum ergo omnes hi, & plures, quos prætermittimus, Esseni essent, & ante Clericatus institutionem, rectè sequitur monachale institutum clericis antiquius esse.

h *in 4. dist. 30. q. 1. ar. 3. §. Veruntamen hæc.*
i *in Trihæresio l. 3. c. 9. & c. 18. §. Alterum argumentum.*
k *in Minornali l. 5. c. 26.*
l *de Eccles. post legē c. 7. §. Alij sentientes, & c. 8. §. & primo de Circumcisione.*
m *in propugnaculo Eliæ l. 2. art. 1. c. 2. ar. 5 n. 10*

Ex S. Bernardi verbis.

27 Id quoque probant egregia Sancti Bernardi verba *in Apologia ad Guilellmum*, vbi sic: *Heu me miserum qualemcumque monachum, Cur adhuc*

n *in Hist. Euangel. c. 178.*

vino

viuo videre ad id deueniße Ordinem nostrum, Ordinem, qui primus fuit in Ecclesia, immò à quo cœpit Ecclesia. Quibus satis intentum nostrum statuit; cum non contentus dixisse de monachismo, *quod primus fuit in Ecclesia*; subiungit; *immò à quo cœpit Ecclesia*, quo ante Christi Ecclesiam, & Clericos, qui cum ipsa cœperunt, monachos fuisse demonstrat. Fauent quoque & ad intentum Bernardi maximè verba Petri Damiani [a], vbi sic in principio: *Multum fratres charissimi, si digni estis audire, miramur, quomodo, vel ob quam causam conamini nos à consortio, & vnitate vniuersalis Ecclesiæ separare, cum constet à monachis, non à Canonicis vniuersalem Ecclesiam fundatam, & gubernatam, & à diuerso errore cribratam. Apostoli nempè fundatores, & rectores Ecclesiarum, nostro, non vestro more viuebant, vt Lucas Euangelista in Actibus Apostolorum refert, & Philo disertissimus Iudæorum in libris, quos in laudem nostrorum conscripsit, primitiuos Christianos monachos, non Canonicos vocat, & habitacula eorum monasteria nuncupat, & quamplurima dicit eos laudabilia egisse, & conscripsisse. Certè nostri, non vestri Ordinis Moyses, & Elias fuere, eremum qui incoluere, nostri auctores greges Prophetarum, cum quibus reprobus Saul sæpe cantauit.* Hæc Damianus in fauorem nostrum.

Ex Petro Damiano.
a in l. 5. Epist. ep. 19. ad Cler. & Canon.

28 Clare tamen, immo clarissimè S. Vincentius Ferrerius non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in spiritu humilitatis, & veritatis *in Ser. de S. Dominico* hæc dixit: *Dicunt Clerici, quod ipsi fuerint antequam Religiosi, quod non est. Nam non fuerunt Clerici vsque in diem Cœnæ, & tamen prius fuerunt Religiosi, scilicet Apostoli, qui prædicta* (id est tria vota) *vouerunt*: Hæc Vincentius, qui etsi non loquatur explicitè de monachis, sed de Religiosis, eadé tamen ratio militat in vtriusque, præsertim cum ipsi Apostoli, & monachi, & monachorum legis nouæ Principes a pluribus appellentur, & monachismi perfectio de ipsis conspiciatur.

Ex S. Vincentio.

29 Tenent etiam nostram sententiam Bartholomæus Cassaneus [b], dicens: *Antiquitas Religionis est etiam multum attendenda, quoniam est maxima, cum reperiatur Monachos, & Religiosos etiam fuisse in veteri testamento, quoniam vt habetur in volumine scholasticæ historiæ in rubrica de Signis in morte Domini de S. Scarioth, qui Abbas monasterij fuisse dicitur, quo mortuo, eius monachi, & sub eius obedientia degentes inconsolabiliter doluerunt: ex quo comprehenditur, quod Scarioth Abbas fuit, & non simpliciter Abbas, sed sub se monachos habuit: legitur etiam in eadem historia sub rubrica de sectis Iudæorum, quod Essæi in omnibus ferè vitam monasticam ducebant omnia habentes communia, &c.* Et infra: *Ex quibus constat, quod Religio fuit etiam ante Christum. Immò etiam refert Historia Tripartita lib. 1. cap. 11. & Isidorus tit. de offic. c. 15. quod Elias & Eliseus vitam monasticam duxerunt, plures etiam alij ante Christum vitam monasticam, seu eremiticam duxerunt.* Hæc ille.

Ex alijs.
b in Catal. gloria mund. 4. p. consid. 53.

30 Vnde monachos antiquiores Clericis censendos tuentur Franciscus à S. Maria [c], & Michael Munozius [d].

c in Histor. Prophet. Hisp. l. 3. c. 31. n. 4.
Ex alijs.
d in propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 2. c. 2. ar. 7. n. 5.

Conclusio. 31 Hæc porrò dicta sint, non animo quidem super institutorum antiquitate contendendi, huiusmodi namque logomachia proculdubio longè a viris Religiosis abesse debet, quorum finis is est eis præscribendus, solam veritatem ipsam ad Dei maiorem gloriam, philautia charitatis contraria omninò reiecta, in suis disputationibus inuestigare. Absit a nobis animositas quorundam, quibus nulla placent nisi sua, cum tamen, iuxta Platonem [a] deceat magnum virum, *neque ipsum, neque sua diligere, sed iusta semper*. Rectè prudentem, & doctum auctorem dixisse memores sumus: *Si quis est, qui alteri Ordini detrahit, inuidet, impedit, huius vana est Religio, hic non religiosus, sed prophanus est*. Sed iam pergamus ad alia. Hæc enim solùm pro veritate tuenda dicta sint.

[a] lib. 5. de leg.

Esseni, Christiani magna ex parte, & Christianorum primitiæ fuerunt. Cap. III.

Esseni varij. 1 VT diximus *cap. 1.* plura genera fuerunt Essenorum, Palæstini alij, & alij Alexandrini, quibus etiam iuncti erant ij, qui in varijs mundi regionibus agebant, ex vtrisque, vel alterutris originem trahentes. De Alexandrinis præcipuè agit Philo libris in superioribus relatis, licet nec prætereat alios, vt diximus ibi; similiter de Palæstinis ex professo Iosephus; licet etiam extraneos non prætermittat, vt ibi ostensum. Deinde alij Theoretici, seu speculatiui, alij practici fuerunt, quos ad idem institutum spectasse *dicto cap. 1.* ostendimus. Rursus quidam Christi tempore præcesserunt, alij post ipsum vixere; de quibus omnibus dubitatur inter Doctores, an Christiani, vel Iudæi religione fuerint.

Sanæ fidei. 2 Prius tamen præmonendus Lector, eorum institutum, siue sermo sit de ijs, qui Christi tempore præcesserunt, siue qui postea secuti sunt, ab hæreseos labe omnino immune, & liberum, ac sanæ fidei semper extitisse. Intentum hoc latè probauimus *to. 1. sub anno 3545. à n. 43.* vbi ea quæ contraria videbantur, reiecimus; nunc verò potius supponendum; cum constet probatissimos, ac commendatissimos illos semper fuisse apud omnes Scriptores, non solùm Hebræos, ex quibus ij oriundi erant, sed & Christianos, ac Ethnicos, vt eos, quos retulimus *c. 1.* legenti liquidò constare poterit. Vnde Pharisæis, & Saducæis valdè illos, vt sanctiores, & religiosiores præponunt Doctores. Iosephus enim [b] memoratis Pharisæorum, & Saducæorum institutis subiungit: *Tertium verò, quod etiam probabilius habetur, Esseni colunt*. Suidas etiam eos vocat *à Pharisæis, & Scribis in exercitatione, studioque pietatis è diametro differentes*; Georgius Peccator de eorum disciplina dicit: *Quæ longo post se interuallo Pharisæorum, & Scribarum iustitiam reliquit*. Cedrenus similiter *Essæorum secta Scribarum, & Pharisæorum iustitiam magno post se reliquit interuallo*. Bergomensis in supplemento *sub anno Christi* 30. post relatos Pharisæos, &

[b] 2. de Bello c. 7

Sadu-

Saduceos de Essenis addit: *Nec inhonestus sermo de his in historijs vnquam habitus est*. Quibus similia fermè alij. Quare quod aliqui modum viuendi ipsorum *sectam*, seu *haresim* (sicut & Pharisæorum, & Saducæorum) appellent, ideo est quia *secta*, & *haresis* nomen, apud Priscos præsertim, etiam in sacris Scriptoribus in bonam partem sumitur, vt ostendit Serarius [a]. Similiter quod aliqui (vt Suarez [b]) an sanam habuerint fidem dubitent: ideo etiam est, quia D. Epiphanius (non quidem *haref*. 9.) vt ipsi dicunt; sed *haref*. 8. 10. & 12. mentionem facit quorundam hæreticorum Samariæ, qui *Esseni* vocabantur, illi tamen non veri *Esseni*, sed Essenorum simiæ, & pseudoesseni, vel Essenorum apostatæ erant, vt dicto *to. 1. sub anno* 3545. diximus, & partim notarunt Serarius [c], & Possevinus *in Apparatu litt. I. in Iosepho Flauio*, vbi ait S. Epiphanium illa *haref*. 10. solum de Essenis Samaritis loqui. Referunt etiam eundem Epipha. *haref*. 19. quasi ibi de Essenis hæreticis agat, sed ibi neque verbum de *Essenis*, sed de *Ossenis* quibusdam, qui nihil commune cum Essenis nostris habebant, sed re, & nomine ab ipsis diuersi erant; vt legenti patebit, & notat idem Serarius loco relato. Quam rectè autem sentiat Epiphanius de veris Essenis, quos ipse *Iessæos* vocat, constat ex *haref*. 29. vbi multa de illis ex Philone. Hoc iam posito, locus datur nostræ quæstioni, qua quærimus, an fuerint Essei, de quibus in præsenti, Christiani.

[a] in Tribaeres. l. 1. c. 2.
[b] 3. to. de Relig. l. 3. c. 1. n. 12. & 13.
[c] in Tribar. l. 3. c. 5.

3. Et quidem si sermo sit de illis, qui Christum, & Apostolorum prædicationem præcesserunt, & quatenus præcesserunt, proculdubio Christiani vocari non debent, nisi in ea lata significatione, qua Patres omnes veteris testamenti, quòd fidem Christi venturi habuerint, quodam modo Christiani nuncupantur, iuxta doctrinam Theologorum.

De Essenis, qui præcesserunt Christum.

4. Loquendo tamen de ijs, qui post Christi, & Apostolorum prædicationem fuerunt, siue a Philone, siue Iosepho commemoratis, nouatores plures negant Christianos fuisse. Ita Magdeburgenses, Iunius, & Scaliger apud Serarium [d]. Communiter tamen Doctores Ecclesiastici Essenos Christianos vocant. Hi sunt Eusebius [e], Epiphanius *haref*. 29. Hieronymus *de Scriptorib. Ecclesiast. in Marco, & Philone*, Beda *præfat. in Marcum*, Sozomenus [f], Nicephorus [g], Vvalfridus [h], Photius *in Philone*, Honorius Augustodun. *de Luminarib. Eccles. in Philon.* Vincentius [i], Antonin. [k] Trithem. *in Catal. Scriptor. Ecclesiast. in Philone*, Bellarminus [l], Adrianus Adrianius *lib. de vit. Monastic. Origin. cap. 2.* Michael Munozius [m], & plurimi alij. Quia tamen non omnes hi loquuntur de omnibus Essenis, sed tantum, vel præcipuè de ijs, quos Philo *in lib. de Vit. Contemplat.* commemorat, estque maior ratio dubitandi in quibusdam, quam in alijs, ideo, vt explicatior sit huius perobscuræ quæstionis veritas, distinguendum est de Essenis practicis, & speculatiuis, seu theoreticis, prout benè Serarius loco relato; etsi enim, iuxta dicta in superioribus, eiusdem communis instituti alumni fuerint, plura tamen Christianitatis vestigia in Theoreticis, quàm in practicis reperiuntur.

De alijs posterioribus.

[d] in Tribar. l. 3. c. 17.
[e] in Hist. Eccl. l. 2. c. 16. & 17.
[f] in hist. Eccles. Tripar. l. 1. c. 11
[g] lib. 2. c. 15. & 16.
[h] de rebus Eccles. c. 25.
[i] in Specul. hist. l. 7. c. 131.
[k] 1. p. hist. tit. 6. c. 21. §. 7.
[l] to. 2. lib. 2. de Monach. c. 5.
[m] in propugnaculo Elia l. 2. tit. 2. c. 2. ar. 3 n. 4.

Et pri-

Quid de Essenis practicis.

5 Et primò asserendum, Essenos practicos tam à Philone quàm a Iosepho descriptos, fuisse partim Christianos partim Iudæos. Primam partem rectè probat Serarius ex eo quod *Act. 2.* ipsa die Pentecostes contigit, supponens videlicet ex illis tribus millibus circa D. Petri concionem conuersis, & baptizatis *Act. 2. v. 41.* plures ex Essenorum schola fuisse; prout & nos ostendimus *to. 1. sub anno 4086. à nu. 28.* Vnde non mirum quod ibidem *v. 44.* subiungatur: *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.* Ex hoc enim denotatur, plures ex illis Essenos fuisse, quibus familiaris erat hic modus vitæ communis, iuxta dicta supra *c. 1. n. 15.*

De quibus Philo, & Iosephus: a lib. 2. hist. c. 6.

6 Deinde id ipsum conijcitur ex tempore, quo vterque auctor de Essenis scripsit. Philo enim, teste Eusebio [a] Romæ fuit sub Claudio Imperatore, qui circa annum 43. Christi imperium suscepit, & viuente Sancto Petro, cum quo communionem habuit, quo tempore, vel circiter, librum illum *de probi viri libertate*, & *Apologiam*, vbi de Essenis practicis, edidit. Iosephus verò ipso valdè iunior libros *de antiquit. Iudaic.* in quibus agit de eisdem Essenis sub anno 13. Domitiani absoluit, vt ipse testatur *lib. 20. in fin.* correspondet autem hic annus Domitiani anno Christi 96. Quare, siue de tempore quo Philo, siue de eo quo Iosephus scripserunt, loquamur, certum est tunc Palæstinam, & Ægyptum, aliasque Orbis partes Christianis plenas fuisse, vt ex dicendis hoc 2. *to.* constabit. Quid mirum ergo, quod plures ex ijs ex Essenorum schola essent? Vt enim rectè Baronius [b] dixit: *Si quod natura insitum est, vt habentium symbolum sit facilis communicatio, quomodo non magis ex his aliarum sectarum Iudæis Christiana religio potuit prorogari? Sanè quidem omnes sectas, quæ erant in Palæstina Christum Dominum aliquando auersatas esse, nempe Pharisæos, Saducæos, Herodianos, & Samaritas, euangelica attestatione exploratum habetur. De Essenis verò quod aliquando, vel Domino, vel eius Apostolis, atque discipulis, vel minimum negotij fecerint, nusquam legitur. Immo quo magis hi à Pharisæis, ac Saducæis dissentirent, eo facilius Christianis consensisse, quos illi vehementer auersarentur, facilè credi potest.* Et post pauca: *Cum præsertim in perscrutandis Prophetis illos intentos fuisse, ac ob eam causam veritatem rerum futurarum attigisse Porphyrius de illis testetur.* Ex quibus Baronij verbis quatuor rationes elici possunt, vt ostendamus cur præ cæteris Iudæorum sectis Esseni potiùs, & prius Christi dogmata susceperint, ac per consequens (quod ad intentum nostrum proximiùs deseruit) quòd plures ex illis a Philone, & Iosepho eo æuo commemoratis Christiani fuissent. Prima, propter maiorem similitudinem cum Christiana religione. Secunda, quia nunquam Christo, vel eius Discipulis, sicut alij, aduersati sunt. Tertia, vt magis a Pharisæis, & Saducæis dissentirent; & quarta, quia illi, vtpote versatissimi in Prophetarum libris, clarius cognoscerent Christum esse Messiam promissum.

b sub ann. Christi 64. 5. Verum nec in ijs.

Posterio-

7 Posteriorem verò partem probant Baronius, & Serarius ex Philastrio [a] asserente plures ex Essenis in Iudaismo permansisse. Secundò, id conijcit Serarius ex eo, quod Iosephus [b] loquens de Essenis ait, quod in Iudaico bello plures illorum immanissimis cruciatibus interempti obierint, ex quo Iudæos illos fuisse, & non Christianos denotatur, siquidem id bellum propter Iudæorum peccatum in nefanda Christi occisione commissum a Deo immissum fuit, non ergo calamitatibus ipsius inuolui deberent Christiani, in quorum gratiam agebatur. Id tamen non conuincit intentum, bellicus namque furor in omnes etiam innocentes quandoque sæuire solet; præsertim quia, quamuis Esseni Christiani religione essent, Iudæi tamen genere erant, & Iudæorum aliquot ritus, vel similes, obseruabant, vt propterea a Romanis cruciatibus affligerentur. Accedit quod non constat, an ab Ethnicis torquerentur, quia Christiani, aut quia Iudæi, verba enim Iosephi, videlicet, *vel in Legislatoris aliquid loquerentur iniuriam, vel ciborum quidpiam, quod non solent, ederent*, vtrumque denotare possunt, si per Legislatorem non solum Moyses, sed Christus, & per cibos non tantum legales, sed & illi, qui proprij erant Essenorum scholæ, accipiantur.

Aliqui ex eis nō Christiani.

a in lib. de hæres.

b lib. 2. de Bello cap. 7.

8 Vrgentius potest id suaderi ex eo, quod cum Iosephus nunquam satis æquus testis in rebus Christianorum recensendis inuentus sit, vt notarunt Hegesippus *in princ. suæ historiæ.* Abulensis [c], Baronius [d], Posseuinus [e], & plures alij; quinimo magnus Iudaismi zelator, vt cuncta ipsius opera produnt, certè non tam studiosè, ac diligenter Essenorum institutum, ipsosque Essenos post Christum commendasset; Pharisæorum sectæ, cuius ipse vnus erat, præposuisset, prout fecit [f], nisi inter ipsos plures Iudæos ritu, & à Christianitate prorsus alienos conspexisset. Accedit, quod ipse Iosephus cum celebri quodam Esseno *Abba* nomine, cui ante alios instituti homines in solitudine degenti, arbores, & terra latibulum, cibum & vestem suppeditabant, per triennium conuersatus est, & inde Vrbem petijt, Pharisæorum dogma amplexus, prout tradunt Georgius Peccator, & Cedrenus locis relatis. Ex hoc autem magnopere suspicari licet Essenum hunc *Abbam* non Christianum, sed Iudæum fuisse. Quid enim ageret cum Christiano in eremo per triennium Iudæus perfidus? aut quomodo in ciborum, rituum, & festorum obseruantijs conuenirent?

Idem intentum.

c q. 85. c. 12. Numer.

d sub an. Christ. 34.

e in Appar. in Iosepho.

f 2. de Bello c. 7 & 18. Antiq. c. 2.

9 Ceterum loquendo de Essenis Theoreticis, seu contemplatiuis, de quibus præsertim Philo in relato libro *de Vita Contemplatiua* agit, tenendum est omnes, vel ferè omnes Christianos fuisse. Huius thesis fundamentum præcipuè sumitur ex auctoritate Eusebij, Hieronymi, Epiphanij, Bedæ, & aliorum, quos supra retulimus. Accedit quod non solum cuncta, quę de illis refert Philo, rectè cohęrere possunt cum Christiana religione (eo maximè tempore, quo Iudęorum ritus à Christianis obseruabantur, quia etsi mortui, tunc tamen non mortiferi, & vt Synagoga cum honore sepeliretur, vt constat in facto Pauli Apostoli [g] Timotheum cir-

Quid de Essenis Theoreticis.

g Act. 16. vers 3

cum-

a Act. 21. cumcidentis, & [a] Cenchris se tondentis Nazaræorum more) sed potius ipsius propria videntur, aurea videlicet illa Ecclesiæ ætate. Etsi enim illa essent iuxta veteres Essenorum etiam sub synagoga ritus, vt *cap. sequenti* dicemus, accedente tamen Christi, & Apostolorum doctrina, & exemplo, perfectiora, & illustriora erant. Inter infideles autem multo minus credi potest tam magnifica, & heroica, in tanta frequentia præsertim, reperiri posse. Accedit, & nomen *Essæorum*, quod à *sanctitate* dicitur, vt notauit idem Philo, omnes enim Christianos *sanctorum* titulo eo æuo insignitos Pauli demonstrant Epistolæ, & ostendit Baronius *sub anno Christi* 41. Multo magis id suadet *Iessæorum* nomen, quod à Iesu Saluatore deriuari videtur, vt colligitur ex S. Epiphanio *hæres.* 29. Accedunt, & sequentia.

Esseni à B. Marco Christiani facti. 10 Est enim concors, communisque Doctorum consensio à Beato Marco Euangelista primo Alexandrinæ Ecclesiæ institutore Christianitatem hos Philonis Essenos recepisse. Sic enim tradunt authores relati. b lib. 2. c. 16. Maximè Eusebius [b], Hieronymus *de Script. Eccles. in ipso Marco*, Cassia- c lib. 2. Inst. c. 5 nus [c], Georgius Peccator, & Cedrenus *in Hist. sub Claudio Imperat.* Beda d lib. 2. c. 15. *in Marcum*. Nicephorus [d], D. Antoninus [e], & alij. Adduntque Hi- e 1. p. tit. 15. c. 1 §. 1. f lib. 2. c. 2. storici nostri, specialiter Palæonydorus [f], cum Marco Euangelista Alexandriam perrexisse Enochum de Amathi Carmeli eremitam, & ex Ioannis discipulis Christo comparatis vnum. Quod & nos in operis discursu comprobare studebimus.

Quid gesserit S. Marcus cum illis. 11 Ergo D. Marcus, etsi præfatos Alexandriæ Essenos in fide Christi instruxerit, prout relati authores pro comperto tenent, coadiutore etiam Enocho; prout & nostri asserunt, insuper ipsos in Essenorum institutionibus Christianè perfecerit, cum hæc sit legis gratiæ excellentia, vt cuncta bona compleat, & perficiat, propterea enim plenitudo *temporis* appellatur ad *Galatas* 4. *vers.* 4. quo sensu accipiendi sunt plures, qui eos in monastica disciplina instituisse asserunt; nihilominus illos non primo in Essenorum disciplina imbuisse pro comperto habendum. Exploratissimum enim est ipsos ante D. Marci aduentum eo instituto imbutos fuisse. Primo quidem, quia, vt constat ex dictis *cap.* 1. *n.* 27. ab Essenis Palæstinis, qui erant prisci ipsorum veluti parentes, eos viuendi ritus susceperant. Deinde, quia, vt ex ipsius Philonis verbis, quæ supra etiam *c.* 1. *n.* 2. *&* 9. attulimus, clarè deducitur, vetustus valdè erat apud ipsos hic vitæ modus. Non ergo à D. Marco illum accipere potuerunt. Quod & clarè secuti sunt Georgius Peccator, & Cedrenus locis relatis, & referendis de Philone loquentes. Ille enim sic ait: *Virosque Apostolicos sui temporis, qui, vt videtur, ex Hebræis originem ducunt, tanquam venerandos pietatis ministros, & Essenorum moribus, ac disciplina, quæ longo post se interuallo Pharisæorum, & Scribarum iustitiam reliquit, prius institutos admiratur, & prædicat.* Iste verò sic: *Magnificè prædicat Apostolos suæ ætatis viros ab Hebræis, vt videtur, oriundos, ac Essenorum moribus, & disciplina prius*

insti-

institutos. Si enim expendatur illud, *prius institutos* ab vtroque authore prolatum, manifestè deducetur, eos priusquam à S. Marco institutionem acciperent, Essenorum vetustorum institutis vixisse. Hinc Bouldu-cus [a], dum quæstionem mouisset, an illi essent Christiani, respondet: *Ego Christianos quoque fuisse censeo, sed qui prius ex Essenorum grege multos eorum psallendi, Deumque colendi ritus retinuerunt.* [a] *de Eccl. ante leg. l. 1. c. 13. §. De istis amplissimè.*

12 Hi porro, quatenus suspicari licet, ex illis Iudæis transfugis, qui cum Onia alterius Oniæ filio in Ægyptum perrexerant, & templum instar Hierosolymitani construxerunt, soboles erant, prout etiam diximus *to. 1. sub anno* 3889. *n.* 11. Qui fuerint.

13 Modo ad intentum, vt difficultati, quæ contra dicta emergit, satisfiat, quomodo Philo natione, & religione Iudæus tam studiosè, & diligenter de Essenis Christianis Alexandriæ librum de Vita Contemplatiua, vbi tot ipsorum mira, ac magnifica gesta refert, conscripserit? Sunt qui astruant Christianis ritibus initiatum Philonem, sic enim legitur apud Photium *in Biblioth.* sicut & ab ijs desciuisse dolore quodam atque iracundia. Sed meritò repulsam patitur istorum assertio, quæ neque in Eusebio, Hieronymo, Epiphanio, Sozomeno, Nicephoro, aut alijs vetustioribus, qui de ipso loquuntur, vllum habet fundamentum, nec prætermittere hoc deberent, cum res magni ponderis esset pro Christiana religione contra Iudæos, quod ipsorum clarissimus Christo nomen dedisset. Propterea communiter post Eusebium, & Hieronymum astruunt alij Philonem Romæ commorantem D. Petri amicitia, & familiaritate potitum fuisse, vt propterea mirum non sit in ipsius gratiam Christianæ fidei alumnos aliàs optimè meritos litteris commendasse. Sed sanè nec in hoc animus quiescit, quomodo enim obstinatissimum in sua Iudaica perfidia hominem propter vnius Petri tantam amicitiam contra totius suæ gentis, cuius ipse velut caput erat, beneplacitum, Christianos tot encomijs honorasse credetur? Quas cruces, quot conuicia, aut maledicta à proprijs contribulibus non expectare deberet? Rem ergo altius rimantes consequenter ad dicta asserendum Philonem etsi Hebræum Christianos Essenos laudibus concelebrasse, propter duo, quæ nec extranea omnino Iudæorum genti erant, quin potius aliqualiter in eorum sectæ commendationem cedebant. Primò quidem, quia Esseni illi, etsi Christo nomen dedissent, Iudaicos tamen ritus, quatenus religio Christiana eo æuo tolerabat, retinebant. Constat enim Sabbata, Pentecostas, & quinquagesimas obseruasse, vt ex Philone habetur. Nec sufficienti fundamento dici potest per Sabbata, & Pentecostas Christianorum festa intelligi posse. Secundo, nam illi non solum veterum Essenorum, qui ex Iudæa orti fuerunt, instituta obseruabant (vt dictum est) sed insuper natione Iudæi, & ex Iudæis oriundi erant, vt habent Eusebius *lib. 2. c.* 16. Sozomenus [b], Georgius Peccator [c], Cedrenus [d], Nicephorus [e], & alij. Fuisse autem in Ægypto, & Alexandria eo tempore Iudæos nullus mirari potest

Cur Philo de ipsis egerit.

Propter duas causas.

[b] *in Tripart. l. 1. c. 11.*
[c] *in chron. sub Claudio.*
[d] *ibid.*
[e] *lib. 2. c. 16.*

potest, cum constet *ex Act. Apost. 2. vers. 10.* eo anno quo Christus mortuus est, & resurrexit, conuenisse Ierosolymam pro festo Pentecostes celebrando inter Iudæos diuersarum Prouinciarum, etiam ex Ægypto. Causam porrò huius dispersionis Iudæorum assignat noster Ioannes Ierosolymitanus [a] persecutiones, quas passi sunt ab Antiocho Rege, & alijs. Possumus & nos addere iuxta dicta *n. 12.* & transmigrationem illorum cum Onia ibi relatam.

[a] *in lib. de Instit. monach. c. 30.*

Rationes roborantur.

14 Cæterum propter duas has assignatas rationes Philonem, etsi Iudæum de Christianis Essenis mira illa encomia in libro de vita contemplatiua protulisse non obscure colligitur ex Eusebio, Hieronymo, Sozomeno, Georgio Peccatore, Cedreno, & Nicephoro relatis.

Ex Eusebio.

Eusebius enim de ipso loquens, sic ait: *Diuinis laudibus extulit sui temporis Apostolicos viros ex Hebræorum, quantum intelligi datur, præcipuè genere, credentes; quandoquidem constat, quod hi qui sub Apostolis ex Israelitis credebant, Iudaicis adhuc institutionibus, & legis obseruationibus inhærebant.*

Ex S. Hieronymo.

Hieronymus sic: *Philo disertissimus Iudæorum videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc Iudaizantem quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conuersatione scripsit.* His enim verbis cuncta, quæ diximus, comprehendit Hieronymus. Fuisse namque Essenos illos Christianos satis exprimit illo verbo *Ecclesiam,* obseruasse ritus Iudaicos illo *iudaizantem,* fuisse autem Hebræos genere, illo *gentis suæ;* dicit verò *quasi in laudem,* quia Philonis astutia talis fuisse videtur, vt Christianos laudibus extollendo, quo Sancti Petri amicitiæ satisfactum putabat, simul satisfaceret Hebræis, qui illos Hebræos fuisse propterea existimarent.

Ex Sozomeno.

Ad idem est Sozomenus, inquiens: *Philo quidem hoc modo referens, videtur aperire, quia hi qui ex Hebræis secundum eum Christiani sunt facti, adhuc Iudaicè viuerent.* Similiter Georgius Peccator sic dicens de eodem Philone: *Etenim hic Asceetarum, qui ab assiduo exercitio, nomen habent, mores probans, eos quasi diuinos maximis laudibus concelebrat, virosque Apostolicos sui temporis, qui, vt videtur, ex Hebrais originem ducunt, tanquam venerandos pietatis ministros, & Essenorum moribus, ac disciplina, quæ longo post se interuallo Pharisæorum, & Scribarum iustitiam reliquit, præclara prius instituta admiratur, & prædicat.* Pariter, & Cedrenus loco etiam relato sic de eodem intento scribens:

Ex Cedreno.

Is enim (scilicet Philo) *nostrorum, quos ab exercitatione bonorum operum Ascetas vocabant, probans vitam mirum in modum laudibus extollit, ac magnificè prædicat Apostolicos suæ ætatis viros, ab Hebræis, vt videtur, oriundos, ac Essenorum moribus, & disciplina præclarè prius institutos.*

Ex Nicephoro.

Item Nicephorus relatus sic *in lib. 2. cap. 16.* principio: *Non tantum verò is grati numine afflatus prosequitur institutum eius temporis Apostolicorum ex Iudæis, vt videtur, progenitorum virorum, sed id quoque iudicio suo comprobat, quamuis etiam tum plurimos veteres Iudæorum consuetudines obtinerent.*

Alia ratio.

15 Est præterea & alia ratio, propter quam nec incongruè suspicari

cari possumus Philonem, quantumuis in Iudaica perfidia enutritum, potuisse nihilominus de Essenis Christianis laudabilia conscribere. Memoriæ enim reuocandum est id, quod tomo primo sub anno 3545. diximus ex Iosepho [a], Hermippo ab eo relato, Numanio [b], Origene [c], & Serario [d], Pythagoricos videlicet fuisse Essenorum discipulos, & ab ipsis plura suorum dogmatum mutuasse, vtpote, quia eorum Princeps Pythagoras in Carmelo, vbi Essenorum sedes erat, philosophatus fuerit, prout ex Iamblicho *in vita Pythagoræ*, Nicolao Scutellio *in Collectan. de Vita Pythagoræ*, Eugubino; & Lypomano [e], sub anno 3515. to. 1. diximus. Hac enim de causa Iosephus [f], & Munsterus [g] Essenos eundem modum viuendi apud Hebræos, quem Pythagorici apud Græcos obseruasse aiunt, & Genebrardus [h] vocat Essenos *affines* Pythagoræis. Quia ergo Philo Pythagoricus secta erat, vt testatur Sozomenus [i], & adstipulatur Sixtus Senensis [k], ideo *quasi in laudem gentis suæ*, prout Hieronymus dixit, *librum super eorum conuersatione conscripsit*, in quo etsi quoad rei veritatem Christianos monachos commendaret, ex intentione forsan ipsius suæ sectæ alumnos celebrare contendit. An verò ipse eiusdem sodalitij professor esset, cum non Græcus, aut Ethnicus, inter quos dumtaxat Pythagoræorum schola vigebat, sed Hebræus natione, vt religione, cuius propria Essenorum sodalitas erat, alibi discutietur. Nunc enim idcirco solùm hæc diximus, vt mirum nulli videatur, quod Iudæus ipse, Christianorum res, & gesta præclara tam studiosè litteris commendauerit.

[a] lib. 1. contra Apion.
[b] lib. 1. de bono.
[c] lib. 1. contra Celsum.
[d] in Trihær. l. 3. cap. 4.
[e] in ps. 4. v. Ira[?] scimini.
[f] lib. 15. Antiq. c. 13.
[g] in l. 5. Gorionid. c. 23.
[h] lib. 2 Cronol. sub Ionatha.
[i] in Tripart. l 1. c. 11.
[k] lib. 4 Bibliotecæ in ipso Pinlone.

16 Nunc iam id, quod in titulo Capitis præfiximus, ostendamus, Essenos videlicet, nedum Christianos, sed & Christianorum primitias appellari debere. Et sanè, cum verum sit id, quod diximus *t. 1. sub anno Christi* 34. *n.* 28. inter eos nempe, qui prima Petri Concione in ipso festo Pentecostes eiusdem anni mortis, & resurrectionis Christi Domini, Christiani effecti sunt, plures ex Esseni instituti cultoribus numerari, proculdubio pro explorato habebitur, ipsos primos Christianitatis fructus, seu primitias nuncupandos. Sunt namque primitiæ præproperæ fruges Deo oblatæ. Sic enim Christus [l] vocatur *Primitiæ dormientium*, & Innocentes [m] dicuntur *Primitiæ Deo, & agno*. Loquendo etiam de Ægyptijs, seu Alexandrinis eiusdem scholæ, vt vidimus, alumnis, & qui B. Marci doctrina, comministrante etiam nostro Enocho, vt suo loco dicetur, Christo nati sunt, quodammodo pariter inter primitiuos Christicolas iure censendi sunt. Primis etenim prædicationis Euangelicæ annis circa 45. Christi, vt in operis discursu ostendetur, id contigit. Est præterea & alia ratio, propter quam hi nostri Esseni Christianitatis primæ fruges potiori iure vocitari possint. Quia scilicet quemadmodum præproperæ fruges in primitijs veluti initiantur, figurantur, & demonstrantur, sic & posterioris Christianitatis sacri ritus, cæremoniæ, & obseruantiæ typicè in Essenorum moribus, & institutis deli-

Esseni ex primis Christianis.

[l] prima Corint. 15. v 20.
[m] Apocalyp. 14 v. 4.

Alexandrini etiam.

Christianorum ritus ab Essenis

delineata cernuntur, ita vt ab ipsis originem quodam modo traxisse apte dici possit, vt habet Boulducus [a], & indicat Serarius [b]. Plura diximus cap. præcedenti, quibus ipsos monachorum legis nouæ Duces, & Antesignanos appellari posse ostensum manet, reliquum modo est, vt plura quoque afferamus, quibus & Christianorum quamplures ritus ab ipsis inchoatos, vel saltem adumbratos fuisse, dignoscatur, vt propterea Christianorum primitiæ, quod promisimus, nuncupari queant, & merito ipsis primitiuorum, seu iuxta Græcum *primogenitorum* titulum, tribuat Paulus [c], vt exponit idem Boulducus [d].

a lib. de Eccles. post leg. c.12. §. ista autem loca.
b in Triher. l.3. c.17. in fin.
c ad Hebraeos 12. v. 23.
d de Eccles. ante leg. l.1 c.13. §. Alio id robustissime & c.17 §. illud est sacrosanctum, & l.2. c. 10. §. Hic est enim.

17 Et vt a primæ Sacramentorum legis nouæ ianuæ ritibus exordiamur, vestis illa candida, quæ renatis conceditur, & de qua Angelicus Doctor loquitur [e], quæ & est veluti tessera quædam puritatis, & continentiæ futuræ post baptismum illis verbis indicatæ: *Accipe vestem candidam sanctam, & immaculatam, quam perferas sine macula ante tribunal Christi, vt habeas vitam æternam.* Quibus & concinit Lactantius *in Carmine Paschali, dicens:*

Vestis candida in baptismo.
e 3.p.q.71. ar. 3. ad 4.

Candidus egreditur niueis exercitus vndis
Atque vetus vitium purgat in amne nouo;
Fulgentes animas vestis quoque candida signat
Et grege de niueo gaudia pastor habet.

Hæc, inquam, candida vestis, vt indicat Boulducus [f], inchoata videtur in Essenorum ritibus albicanti semper veste vtentium, iuxta dicta *tomo primo sub anno mundi 3515. & 3545. & supra cap.* 1. maximè cum Iosephus [g] dicat ipsos sui instituti tyronibus tradere solitos fuisse *perizoma*, & *albam vestem*. In hoc enim ipsorum ritu adumbrata videtur Ecclesiæ consuetudo similem vestem suis tyronibus imponentis.

f lib. de Eccles. post leg. c.9.
g de Bello iud. l. 2. cap.7.

Vsus olei benedicti.

18 Deinde vsum olei benedicti pro infirmis curandis ab eisdem Essenis ortum duxisse (etsi in ratione Sacramenti a Christo) astruit relatus Boulducus *c.* 10. Quod sane euidens erit legenti Rufinum [h], vbi Ægypti monachos hac vnctione vsos fuisse declarat. Hi namque monachi, videlicet Macarij duo, Isidorus, & alij, discipuli erant Antonij, qui ex Essenis prodijt, vt suo loco dicemus.

h l.2. c.24.

Signi Crucis.

19 De vsu item signi Crucis fidelium frontibus impressi tam frequenter, vt Tertullianus [i] dicat: *Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lauacra, & mensas, ad lumina, & cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conuersatio exercet, frontem Crucis signando terimus;* habet idem Boulducus [k] a priscis Enoscæis (Essenis videlicet) originem traxisse, asserens. Quod, inquit, *ostendit Ezechiel c.9. v. 4. eiusdem instituti Propheta, apud quem præcipit Deus homini vestito lineis (quibus Enoscæi, seu Nazaræi vtebantur) vt signaculum formaret litteræ Thau super frontes eorum, qui gemebant.* Congruè etiam id colligi potest ex eo, quod Philo *de vita Contemplatiua* loquens de suis Theoreticis Essenis, & ipsorum sacris conuiuijs dicit

i de Corona militis c.3.
k c. 11. §. alio modo.

dicit ad signum Præsidis sublatis in Cælum manibus, atque oculis preces fieri ante comestionem, forsan enim hæc cum Crucis signo fiebant, quamuis Philo ex inimicis Crucis Christi id dissimulauerit.

20 Vsum quoque, seu sacram consuetudinem aquæ lustralis, seu benedictæ sale mixtæ ex Enoscæorum, & nostri Elisei ritu dimanasse (etsi negari non possit Alexandro Papæ id deberi *c. aquam de Consecrat. dist. 3.*) testatur idem Boulducus [a], dicens: *Lauacri loco successit, ac remansit vasculum aqua benedictæ positum in ingressu Ecclesiæ ad expiationem leuium peccatorum, illa autem mixta sale est, adhibitis multis benedictionibus iuxta antiquum Enoscæorum ritum, qui salsis, & marinis lauari solebant aquis, ex quorum schola erat Eliseus, qui regionis Hierichuntinæ aquam in vase nouo cum sale positam benedixit, dicens: Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas.* Hæc ille. Quæ sane probabilia cuique apparebunt, si ea quæ de lustrationibus, lotionibus, & lauacris Essenorum Iosephus [b] scripsit, legerit. Aqua lustralis. *a c. 11. relato §. Atque hac de causa.* *b lib. 2. de Bello cap. 7.*

21 Templorum præterea, domorumque sacrarum, seu Oratoriorum constructio proculdubio in his primis Christianis Essenis initiata est; nam vt omittamus, quod de primi sacelli Beatissimæ Dei Genitrici in Carmelo Monte dicati fundatione per eosdem facta *sub annis Christi 38. & 83.* dicemus, expresse ex Philone habetur *in libro quod omnis probus sit liber*, habuisse practicos Essenos loca quædam sacra, quę *Synagogæ* vocabantur, ad quæ septima die conuenire solebant. Similiter de Essenis theoreticis *in libro de Vita Contemplat.* de eorum habitationibus, seu domicilijs agens, *singuli*, inquit, *habent sacras ædiculas, quæ semnea vocant, siue monasteria, vbi solitarij sanctæ vitæ dant operam.* Et infra: *Per sex dies seorsum quisque in suis illis modo dictis monasterijs philosophantur.* Et inferius, præter hæc peculiaria semnea commune aliud semneum fuisse scribit, *in quod septimo quoque die conueniunt, septo clauditur duplici, separatis virorum, & mulierum cœtibus.* Ex his porrò sacris domibus, & iuxta Essenorum ritum, vnam credit relatus Boulducus [c], eam in quam Apostoli conuenisse dicuntur [d]. Vnde illud quod *v. 46.* de eadem dicitur, *sumebant cibum cum exultatione*, refert ad ipsorum vsum de sancto illo tripudio post pastum, quem ipse Philo in eodem libro commemorat, & de quo nos supra *cap. 1.* De huiusmodi autem locis Deo sacris doctè disserit Laurentius Landmeter *de veter. cleric. monach. lib. 2. c. 58. 59. & 60.* Templa. *c cap. 12.* *d Act. 2. v. 1. & 2.*

22 De ritibus porrò, & ordine sacrorum, qui in sacris templis exercebantur, loquendo; quod illi, qui antiquitus in Ecclesiæ vsu erant, ex Essenorum institutis prodijssent, non alio clariori modo ostendi potest, quàm mutua collatione ipsorum. Ritus ergo Ecclesiastici tunc ij erant, prout ex Iustino, Tertulliano, & alijs referunt Cornelius a Lapide [e], & Laurentius Landmeter [f] sic: *Primo canebant psalmos etiam populus. Secundo legebantur prophetiæ, & scriptura sacra. Tertio Episcopus* Ritus sacrorũ *e in 1. Cor. 14.* *f lib. relato c. 81*

 pradi-

prædicabat. Quartò fiebat cœna, & sacrum, quod tunc ferè tantum oblatione, consecratione, communione, & Pater noster, ac oratione aliqua, cui populus respondebat, Amen, constabat. Quintò omnes communicabant. Sextò quidam psalmos, & hymnos in laudem Dei varijs linguis quasi afflati Spiritu dictabant, & canebant. Alij prophetabant. Septimò quidem more Iudæorum sacras Scripturas interpretabantur, vel exhortabantur, præsertim Prophetæ, vel viri spirituales: alij audiebant, & subinde interrogabant aliquid circa id, quod dicebatur. Cumque aliquid pij, vel boni pulchrè diceba-tur, simul inclamabant, Amen, Amen. Octauò claudebat omnia Agape, siue conuiuium omnibus commune in symbolum charitatis, post quod rursum succedebant hymni, & orationes. Hæc illi, quorum plura ex Paulo [a], deduci commodè possunt. His autem fermè similia reperiet lector in ritibus à Philone in libris *de viri probi libertate, & vita contemplatiua* descriptis, paucis immutatis, nec eodem loco positis, quia, vt de ipso Baronius [b] loquitur, *non expressius licuit externo homini secreta nostra mysteria prosequi.* Addimus nos, forsan nec libuit, ea verò non transcribimus, quia facilè in ipso Philone conspici possunt, & aliqua in superioribus retulimus, alia verò in sequentibus; eorum etiam collationem affert Boulducus [c].

[a] *in 1. Corinth. epist.*

Similia fermè in Philone.

[b] *sub ann. Christi 57. §. Enarrationes.*

[c] *in epist. Iudæ v. 25.*

Agape Christianorum.

23 Maximè Agape, siue conuiuium Christianorum in charitatis symbolum, quia Græcè *Agape*, idem est, quod Latinè *dilectio*, à Christianis vsitatum post sacra, & qua sacri conuentus, seù congressus Christianorum veluti termino claudebantur; siue etiam, vt aliquando contingebat, ante sacram synaxim, seu communionem Eucharisticam Christi exemplo, quod tamen reprehendit Apostolus [d] illis verbis: *Conuenientibus ergo vobis in vnum iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum,* id est, prius cœnat, & postea synaxim sumit. Hæc ergo Agape, de qua Tertullianus [e], Iustinus Martyr [f], Nazianzenus *de Vit. different.* Theodoretus [g], Augustinus [h], & alij tam clarè, & manifestè iuxta Essenorum conuiuij ritus erat, vt Baronius propterea supra §. *Cetera verò* dicat a Philone perbellè descriptum esse, *qualia esse solerent dicta conuiuia.* De illis Tertullianus loco relato sic scribit: *Cœna nostra de nomine sui rationem ostendit. Vocatur enim Agape id, quod est penes Græcos dilectio; quantiscunque sumptibus constet, lucrum est, pietatis nomine facere sumptum, siquidem inopes quoque refrigerio isto iuuamus, non qua penes vos parasiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis sub authoramento ventris inter contumelias saginandi, sed qua penes Deum maior est contemplatio mediocrium. Si honesta causa est conuiuij, reliquum ordinem disciplinæ de causa æstimare, quid sit Religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit; non prius discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt, bibitur quantum pudicis est vtile: ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse; ita fabulantur, vt qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem, & lumina, vt quisque de scripturis sanctis,* vel

[d] *1. Corinth. 11 v. 21.*

[e] *in Apolog. l. 2. c. 1. 2. & seq.*

[f] *in Apolog. 2. ad Anton in fin.*

[g] *Euang. verit. lib. 8. in fin.*

[h] *contra Faust. l. 20. c. 4 & 20.*

Qualiter fiebat.

vel de proprio ingenio potest; prouocatur in medium Deo canere; hinc probatur quomodo biberit. Æque oratio conuiuium dirimit; inde disceditur, non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciuiarum; sed ad eandem curam modestia, & pudicitia, vt qui non tam cœnam cœnauerint quàm disciplinam; Hæc coitio Christianorum. Huc vsque Tertullianus. Videamus iam quomodo hæc cohæreant cum solemnibus conuiuijs Essenorum: *Vbi verò* (inquit Philo *de vit. Contempl.*) *conuenere candidati, & læti cum summa grauitate ad signum datum à quopiam Ephemereuta (sic huiusmodi ministros nominant) priusquam discumbant stantes vna serie decenter, sublatisque ad cælum manibus, atque oculis (bis quoniam didicerunt spectare cælestia, illis vtpote incorruptis a muneribus, & à quæstu illicito) precantur vt Deo placeat conuiuium.* Et infra: *Discubitus ita distribuitur, vt seorsim viri dextrum latus, seorsim fœminæ sinistrum teneant.* Et post alia: *Remittunt tam paululum illam Laconicam disciplinæ duritiam, semper, & vbique probantes liberalem frugalitatem, totis viribus auersando voluptatis illecebras*: Inferius: *Vinum per illos dies non præbetur, sed aqua limpidissima, cæteris frigidissima, calida verò ijs, quibus inter seniores mollior, commodioreque diæta opus. Mensa pura est à cruentis dapibus. Pro cibo panis apponitur, sal pro obsonio, & pro condimento interdum apparatur hyssopus in delicatorum gratiam.* Item post alia: *Nullane sequitur competatio? Immò silentium maius quàm antea, ita vt nec mutire quidem cuiquam liceat, aut respirare vehementius. Proponit quisquam quæstionem è sacris litteris, aut etiam soluit ab alio propositam.* De fine verò conuiuij sic loquitur: *Vbi verò Præses visus est rem bene tractando satisfecisse auditorum desiderio, plausus propalam editur ab omnibus, vt qui illud quod obscurum antea, nunc verò explicatum perspiciunt simul gaudeant. Tum ille assurgens hymnum in laudem Dei primus canit, aut recens à se compositum, aut desumptum ab aliquo Vatum veterum.* Et infra: *Præsulem mox imitantur cæteri decenti ordine omnibus intente quietèque auscultantibus, præterquam in finem hymni extremaque clausula. Tunc vniuersi vocem extollunt sine sexus discrimine.* Ac tandem circa finem: *Atque ità precationibus absolutis ad suum quisque Semneum secedit, & ad negotiationem culturamque consuetæ philosophiæ.* Alia ad huiusmodi Agape spectantia dabimus infra *circa annum Christi* 100.

24 Præterea primus ille, qui in aliquibus templis olim viguit vsus, & hoc etiam tempore alicubi cernitur, quod scilicet viri, & fœminæ sacris assisterent locis separatis, cuius etiam meminisse videntur Clemens Romanus [a], Cyrillus Hierosolymitanus [b]; S. Ambrosius [c], & Augustinus [d] proculdubio inchoatus apparet in Essenorum ritibus. Etenim, eodem Philone dicto libro *de Vita contemplat.* testante: Licet in commune illud *Semneum* sabbatis tam viri, quàm fœminæ eiusdem instituti conuenirent, *medius autem*, inquit, *paries à solo surgit tribus, quatuorue cubitis in modum loriculæ, superiora vsque ad tectum patent. Vnde*

Viri & fœminæ separatim in templis.

a in Const. Apost. l. 2. c. 57.
b in præfat. Catechec.
c ad Virgin. lapsam c. 6.
d 22. de Ciuit. c. 8.

gemina prouenit commoditas; & quod pudori fœminei sexus consulitur, & quod verba Doctoris exaudiuntur facile absque vllis obstaculis, quæ vocem eius intercipiant. Hæc ille.

Laici humiliori loco, quam clerici. 25 Vetus tandem illa Ecclesiæ consuetudo, quod laici humiliora quàm clerici in Ecclesijs loca haberent, & inter ipsos clericos, inferiores sedilia inferiora, quàm superiores, de qua in Concilio Turonensi 2. Agathensi, Laodiceno, & Toletano 4. initiata videtur in Essenorum moribus. Hi namque, practici scilicet, affirmante Philone in libro *de probi viri libertate*, dum Sabbatis ad sacra sibi loca venirent, hoc ordine sedebant, vt iuniores *infra seniores*, seu *ad pedes seniorum* essent. Theoretici etiam, eodem referente *in lib. de Vita contempl.* considebant *iuxta ætatis ordinem*, id est modo relato.

Conclusio. 26 Hæc porrò omnia, etsi aliquantulum a nostro instituto aliena fusius prosecuti sumus, vt clarius innotesceret Essenos, de quibus præsertim Philo, non solum maxima ex parte Christianos fuisse, sed & plerosque Christianitatis ritus ab ipsis deriuari, accedente maximè B. Marci, & Apostolorum institutione, per quam ipsorum instituti mores perfectionem, & complementum accepere.

Prophetici, & Eliani Ordinis continuatores, & propagatores Essenos cognominandos. Cap. IV.

Essenorum nomina. 1 PRIVSQVAM proposito themati satisfaciamus, & vt ad ipsius enodationem clarior aditus patefiat, operæ pretium duximus nomina, quibus Esseni in lege noua post Christum ab Auctoribus appellari consueuerunt, sigillatim recensere. Si enim nomen iuxta Augustini sententiam [a] idem est quod notamen, quia rem *notat*, ex Essenorum nominibus, qui & quales ipsi fuerint, & quamdiù perstiterint, innotescet: eo vel maximè, quod cum plura ipsorum nomina temporis cursu perierint, vt enim Ausonius [b],

Mors etiam saxis, nominibusque venit.

ipsos veluti à tenebris, & obliuione vindicabimus, si nomina, quibus olim notati fuerunt, memoriæ reuocamus: iuxta modum sane, quo *primo tomo in Apparatu c.* 8. nomina, quibus in lege veteri nuncupati sunt, recensuimus, quæ fuerunt *Prophetæ, filij Prophetarum, Rechabitæ, Esseni, Assidæi*, & quandoque *Scribæ, & Nazaræi.*

Esseni, Essæi, vel Iessæi. 2 Primum autem, & solemnissimum ipsorum nomen etiam in lege Euangelica est *Essenorum, Essæorum*, vel *Iessæorum*, hoc enim illos communiter auctores compellant: etsi in ipsius etymologia designanda adeò differant, vt Serarius [c] duodecim de ea re coniecturas afferat. Illis tamen prætermissis, licet Iessæorum nomen à Iesu non incongruè deriuari dici possit, vel à Iesse Dauidis genitore (vtramque enim etymologiam

[a] lib. imperfect. de Genes. ad litt. c. 6.

[b] Epigr. 35.

[c] In Tribaeres. l. 3. c. 1.

mologiam tribuit Philonianis Essenis Epiphanius [a], & verè vtraque ipsis optimè quadrat, quia genere Iudæi, & religione Christiani erant, iuxta dicta) Essenorum tamen, seu Essæorum vocabulum ab Hebraico verbo *Chasid*, vel Græco *Ossius*, id est *Sanctus*, deduci, communior, & verior sententia est. Ita enim habet Philo *in lib. Quod omnis probus sit liber*, Eusebius [b], Chrysost. [c] Theophylact. & Oecumen. [d] Serarius relatus, & alij. Quanto autem tempore hoc nomine vocati fuerunt, ex dicendis in operis discursu constare poterit.

a *hæref.29.*
b *lib.8 præpar. Euang. c.4.*
c *homil. 44. in Act. Apost.*
d *in c.21. Act. Apost.*

3 Secundum ipsorum nomen erat pro viris *Therapeutæ*, pro fœminis *Therapeutides*. Ita enim eos vocat Philo *in lib. de Vita Contempl.* Dionysius [e], Eusebius [f], Nicephorus [g], Dionysius Carthusianus [h], & alij. Denotat autem hoc nomen idem quod *cultores*, & *cultrices*, seu *Curatores*, & *curatrices*; siue a curandis moribus, & animabus, siue a colendo Deo, vt ipse Philo refert, & approbant Eusebius [i], & Nicephorus relatus. Propterea Suidas *in Dionys. Areopag.* quos Dionysius *Therapeutas*, seu *monachos* appellat, scilicet Demophylum, & Caium, ipse vocat *Cultores*. Propterea etiam D. Epiphanius [k] ipsorum nomen a Iesu Saluatore deriuat, quia Iesus Hebraica lingua *Curator*, seu *medicus* dicitur, prout etiam testatur Cyrillus Ierosolym. [l]. Quandiù quoque hoc nomine appellati fuerint, suis locis dicemus.

Therapeutæ, Therapeutides.
e *de Ecclesiast. Hierarch. c.6.*
f *lib.8. de præpar Euang. c.4.*
g *lib.2. hist. c.16*
h *supr. D. Dionysium Areopag.*
i *l.2. hist. c.17.*
k *hæref. 29.*
l *Catheс. 10.*

4 Vocati tertio sunt *Asceta*, sic enim ipsos appellant Georgius Peccator, & Cedrenus *in Claudio Imper.* Suidas *verbo Essæi*, & alij, qui ab exercitatione, seu assiduo exercitio veluti pugiles tales appellatos dicunt; eo quod totum eorum officium esset virtutum quasi palæstra. Ad quod etiam reducitur titulus alius, quo ipsos compellari solitos fuisse constat, videlicet *famuli Dei*, vt videre est in Dionysio Areopag. *in epist. ad Demophylum*, Abbate Vercellensi *in Paraphrasi eiusdem Dionys. de Eccles. Hierarch. c. 6.* Dionysio Carthus. *in exposit. Dionys. Areopag. de Eccles. Hierarch. c.6.* vbi notat propterea S. Antonium Abbatem vocatum fuisse ab aliquibus *Deicolam*, quod est idem, ac *Dei famulum*. Ex hoc autem *Ascetarum* titulo oritur *Asceterium*, idest Monasterium, & *Ascetici* sermones, id est, ad exercitationem spiritualem spectantes;

Ascetæ.
Famuli Dei.

5 Quarto vocati fuerunt à Philone in dicto *libro de Vita Contempl.* *Icbetæ*, id est *supplices*, libri enim titulus est *de Vita Contemplat.* siue *de supplicum virtutibus*, dicuntur autem supplices (inquit Bellarminus [m]) à præcipuo munere, quod est orare, & laudare Deum. Quod rectè explicatur à Munozio [n] à præcipuo munere, quod est orare suppliciter, & Deo laudes submisso capite decantare. Addit Boulducus [o] vocatos *Icbetas*, id est *supplices*, *& decumbentes*, *quod à Patre suo Elia Propheta 3. Reg. 18. vers. 42. ab Henosicæis deriuatum, didicerant*. De quo inferius dicemus. Hinc monachi illi, qui [p] dicuntur *Euchitæ*, hoc est, *orantes*, & quod sine intermissione orarent, ex ijs Essenis erant.

Icbetæ.
m *to.2. l. 2. de Monachis c. 1.*
n *in Propugnaculo Eliæ l.1. sect. 1. c.2. ar.4.*
o *de Eccles. ante leg. l.1. c.3. §. Quæ gessimus.*
p *l.5. Vit. Patr. libell.12. n.9.*

6 Singulari quoque nomine *Bucolinos* appellatos fuisse Cœnobitas, Esse-

Bucolini.

a p.2.tit.15.c.1 §. 1.

Essenos, constat ex D. Antonino [a], vbi de eisdem referens, qualiter in primitiua Ecclesia sub Apostolis congregati fuerint, subiungit: *Quos sequuti sunt Bucolini, qui scilicet à Marco Euangelista conuersi ad fidem apud Alexandriam, mox quasi perfectionem perfectionis monasticæ adepti in cauernis, & speluncis centeni habitabant, orationibus, vigilijs simul incumbentes; de labore manuum victuantes.* Circa quæ Petrus Maturus eiusdem Antonini scholiastes hæc notat: *Bucolia, teste D. Hieronymo in Vita D. Hilarionis, Ægypti loca sunt feritate, & barbarie maximè horrenda, à quibus Bucolinos fortè, D. Anton. (id enim nomen apud nullum alium authorem legi) nominat eos, qui, D. Marco institutore, & auctore vitam omnino religiosis nostris similem degebant, quos* ἱκέτας *Græci, id est supplices, &* θεραπευτάς, *id est, cultores vocabant, de quibus Hebræorum disertissimus Philo Iudæus, quasi in laudem gentis suæ libros condidit, teste omni antiquitate.* Quibus etiam roborantur, ea quæ diximus de nominibus *Icetas*, & *Therapeutas*. Causam porrò cur Esseni *Bucolini* vocentur, non tradunt isti Auctores. Ea autem in propatulo est, quod scilicet S. Marcus Euangelista eorum Institutor in fide, & monachismo passus, & sepultus est in loco dicto *Bucolus*, seu *Bucolis* iuxta dicenda *sub anno 64.*

Nonni. 7 Insuper dici potest compellatos itidem fuisse *Nonnos*, sicut & ipsorum instituti fœminas *Nonnas*, hoc enim cognomine *Monachos*, & *Monachas*, seu *Moniales* vocari, diserte habet Baronius *sub anno 229.* §. *Porrò cum eius*, & in notis *ad Martyrolog. Roman. die 5. Augusti*; & Heribertus Rosvvedius *in Onomastic. ad Vit. Patr. verbo Nonnus*, & nos ex ipsis, & alijs ab eis relatis dicemus inferius *sub anno 227.* de S. Hippolyto Portuensi Episcopo loquentes. Si autem cognomen hoc *Monachos*, & *Monachas*, seu Moniales indicat, cùm *Monachorum*, & *Monacharum*, seu Monialium titulus Essenis viris, & fœminis aptetur, etiam *Nonni*, & *Nonnæ* epitheton ipsis adaptari poterit.

Monachi. 8 Appellati insuper fuerunt communissimo vocabulo Monachi, iuxta dicta *c. 2. n. 2.* similiter Duces, & Patres monachorum, iuxta ibidem, *n. 4.* adducta. Vnde & eorum habitacula appellata sunt *Monasteria* a Philone in libro relato, Eusebio [b] (qui etiam ea *Conuentus* appellare videtur *c. 17.*) Sozomeno [c], Georgio Peccatore *in Claud. Imper.* Cedreno *ibid.* qui ea *Conuentus* vocat, Photio *in Biblioth.* Nicephoro [d], & alijs passim. Immò hoc nomen monachi illis competere ex Apostolorum auctoritate satis constat ex D. Dionysio *de Eccles. Hierarch. cap. 6.* vbi loquens de Therapeutis, id est Essenis, vt dictum est, dicit *Diuini duces nostri*, scilicet Apostoli (vt Vercellensis exponit) *Monachos ipsos nominantes, &c.* Vercellensis: *Vocauerunt eos Monachos.*

b lib. 2. hist. c. 16

c in Tripart. l. 1 c. 11.

d lib. 2. hist. c. 16

e in Mineruali l. 5. c. 23. & 24.

Cœnobitæ. 9 Præterea sæpius *Cœnobitæ* dicti sunt: Immò ex Essenis clarissimi, Ægyptij videlicet, quos Philo commemorat in *lib. de Vita Contempl.* Cœnobitæ appellari debent, vt benè Serarius [e], & indicat Scherlogus [f], ac sequitur Coriolanus [g]. Etsi enim de ipsis Philo dicat: *Extra mœnia degunt*

f to. 2 in Cant. Vestigat. 21. in explanat. myst. lect. vnic.

g in Breuiario Chronolog. sub anno 64.

degunt in hortis, ac villis solitarijs amantes solitudinem. Inferius tamen subiungit eorum domicilia non esse *longè remota, quia societatem diligunt, vt sibi possint inuicem succurrere.* Vnde septima quaque die in commune *semneum*, & post septem hebdomadas in cœtum communem conuenire dicit ad festa celebranda, conuiuia solemnia, & sacra peruigilia habenda. Similiter de Essenis practicis, quos idem Philo *in libro de Viri probi libertate* describit, quosque in Syria, & Palæstina commorari dicit. *Omnibus* (ait) *vnum est promptuarium, vnde vestibus, & mensa communis sumitur.* Et infra: *Quicquid enim lucrantur è quotidianis opere mercedibus, non sibi quisque seruat, sed in medium conferendo cuique volenti fruendi potestatem faciunt.* Et inferius: *Paratum habentes è publico infirmitati subsidium.* Ex hoc autem infertur cœnobiticam vitam gessisse, ea enim à *Cœna*, quod est *communis*, & *bion*, quod est *vita* dicitur. Porrò Essenos Cœnobitas appellatos fuisse constat ex D. Hieronymo [a], qui de Monachis loquens, cum Ægyptios in Cœnobitas, Anachoritas, & Remobothas distinxisset, duobus posterioribus relictis, de Cœnobitis, quos plures esse dicit in communi habitare, sic loquitur: *Prima apud eos confœderatio est obedire maioribus, & quidquid iusserint facere, diuisi sunt per decurias, atque centurias, ita vt nouem hominibus decimus præsit, & rursus decem præpositos sub se centesimus habeat, maneant separati, sed iunctis cellulis. Vsque ad horam nonam, vt institutum est, nemo pergit ad alium, exceptis his Decanis, quos diximus, vt si cogitationibus fortè quis fluctuat, illius consoletur alloquijs. Post horam nonam in commune concurritur; psalmi resonant, scripturæ recitantur ex more. Et completis orationibus, cunctisque residentibus, medius quem Patrem vocant, incipit disputare, quo loquente tantum silentium fit, vt nemo alium respicere, nemo audeat excreare. Dicentis laus in fletu est audientium. Tacitæ voluuntur per ora lacrymæ, & ne in singultus quidem erumpit dolor. Cùm verò de regno Christi, & de futura beatitudine, & de gloria cœperit annuntiare ventura, videas cunctos moderato suspirio, & oculis ad Cælum leuatis intra se dicere: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam. Post hæc concilium soluitur, & vnaquæque decuria cum suo parente pergit ad mensas, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrant, nullus in cibo strepitus est; nemo comedens loquitur. Vescitur pane, leguminibus, & oleribus, quæ sale solo condiuntur: vinum tantum senes accipiunt, quibus & paruulis sæpè fit prandium, vt aliorum fessa sustentetur ætas; aliorum non frangatur incipiens. Dehinc consurgunt pariter; & hymno dicto ad præsepia redeunt, ibi vsque ad vesperam cum suis vnusquisque loquitur, & dicit: Vidistis illum, & illum quanta in ipso sit gratia? Quantum silentium? Quàm moderatus incessus? Si infirmum viderint, consolantur. Si in Dei amore feruentem, cohortantur ad studium, & quia nocte extra orationes publicas in suo cubili vnusquisque vigilat, circumeunt cellulas singulorum, & aure apposita, quid faciant diligenter explorant. Quem tardiorem reprehenderint, non increpant, sed dissimulato, quod norunt, eum sæ-*

Quales ex D. Hieron.

[a] *in epist. 22. ad Eustochium de Custod. Virgin.*

pius

pius visitant, & prius incipientes prouocant magis orare, quàm cogunt.

Alia ex ipso.

10 *Opus diei statum est, quod decano redditum fertur ad œconomum, qui & ipse per singulos menses patri omnium cum magno tremore reddit rationem, à quo etiam cibi cum facti fuerint pragustantur: & quia non licet dicere cuiquam: Tunicam, & sagum textaque iunciis strata non habeo; ille ita vniuersa moderatur, vt nemo quid postulet, nemo non habeat. Si quis verò cœperit ægrotare, transfertur ad exedram laxiorem, & tanto senum ministerio confouetur, vt nec delicias Vrbium, nec matris quærat affectum. Dominicis diebus orationi tantum, & lectionibus vacant; quod quidem, & omni tempore completis opusculis faciunt. Quotidie aliquid de scripturis dicitur. Ieiunium totius anni æquale est, excepta quadragesima, in qua sola conceditur districtius viuere. A Pascha ad Pentecostem cœnæ mutantur in prandia, quo & traditioni Ecclesiasticæ satisfiat, & ventrem cibo non onerent duplicato. Tales Philo Platonici sermonis imitator, tales Iosephus Græcus Liuius in secunda Iudaicæ captiuitatis historia Essenos refert.*

Esseni Cœnobitæ, & Duces Monachorum.

11 Hæc porrò ex Hieronymo fusius retulimus, non solum pro præsenti intento, quod Esseni inter Cœnobitas recensendi sint, corroborando, cum id clare ex relatis verbis deducatur, maximè cum præcipua istorum cœnobitarum dogmata Essenum institutum redoleant, vt conferenti quæ Philo, & Iosephus de Esseuis, & Hieronymus de Cœnobitis adduxit, constare poterit; sed & præcipue, vt ea quæ *cap.2.* diximus, videlicet quod ijdem Esseni Duces, & Antesignani Monachorum legis nouæ fuerint, & quod in sequentibus dicetur, scilicet quod ipsorum propagatores extiterint, clarius innotescat. Cum enim ex præallegatis Hieronymi verbis constet ipsius æuo Essenorum institutum inter hos Ægypti Cœnobitas perdurasse, cum illi fuerint omnium aliorum monachorum veluti parentes, vt suo loco ostendetur, rectè deducitur Essenos omnium illorum Patres appellari posse.

Esseni dicti Philosophi.

12 Sæpius etiam Philosophorum nomine Essenorum, & ipsorum institutum *Philosophiam* appellari cōstat. Ita enim loquitur Philo *in lib. de Viri probi libertate, & de Vita contemp.* Ioseph. [a] Eusebius [b], Sozomenus [c], Photius *in Bibliot.* Nicephorus [d]. Vnde inualuit apud Patres, vt Monachatum, seu Religionem *Philosophiam*, & Monachos, vel Religiosos *Philosophos* appellarent. Sic enim loquitur Gregorius Nyssenus [e], Chrysostomus [f] passim, & Nilus, qui librum de monastice *de Christiana Philosophia* prætitulauit. Vnde Gregorius Nazianzenus *in orat. de laudib. D. Basilij* eum *Philosophum*, ipsiusque modum viuendi *philosophiam*, atque Eliam, & Ioannem *summos Philosophos* vocat. Item *Orat. 13. post reditum* ait: *Elias in Carmelo perlubenter philosophabatur, & in solitudine Ioannes.* Plura quoque tam in ipso, quam in alijs Patribus circa hoc. Dicunt verò aliqui ideo monachos Philosophos compellari, quia quemadmodum apud Ethnicos Philosophi erant seuerioris disciplinæ homines, contemptores diuitiarum, & sapientiæ studio dediti, sic monachi inter Christianos. Sed

a in 2. de Bello c.7. & 18. Antiq. c. 2.
b in lib. 2. hist. c. 17.
c in Tripart. l. 1 c. 11.
d l. 2. c. 16.
e in orat. 7. in c. 4. Cant. Cantic.
f in lib. contra Vituperatores vitæ monasticæ.

Sed cum Philoſophi nomen a *Philo*, quod *amor*, & *Sophos*, quod eſt *ſapiens* deriuetur, ita vt idem ſit *Philoſophus*, ac *amator*, ſeu *ſectator ſapientiæ*, cum perfectiſſima ſapientia, quæ in Dei ſupernaturali cognitione, & Chriſti ſequela conſiſtit, ſolùm inter Chriſtianos monachos reperiatur, potiori iure quàm Ethnici vocari debent Philoſophi, ſi ad nominis etymologiam attendatur. Fuiſſe autem Eſſenos Dei contemplationi, & cognitioni addictiſſimos ex ijs, quæ Philo, Ioſephus, Euſebius, & alij de ipſis ſcripſerunt, manifeſtè elicitur. Vnde vocatos etiam propterea *Videntes*, ſicut & Prophetas, a quibus originem trahebant, teſtatur Cornelius [a] illis verbis: *Therapeutæ enim aſſiduè vacantes pietati, & contemplationi per eam videbant Deum; vnde & Videntes vocabantur, ſicut olim Prophetæ.*

a in Epiſt. 3. Ioan. verſ. 1.

13 Sæpius etiam, vt ex dicendis in hoc tomo pro comperto erit, Eſſeni appellati ſunt *Eremitæ*, ſeu *Anachoretæ*, eo quod aliqui ipſorum hoc vitæ genus ſectarentur. Hæc autem duo etſi ab aliquibus confunduntur, verè tamen diſtincta ſunt; nam *eremitæ* propriè illi dicuntur, qui in eremis degentes certam ſedem incolunt. *Anachoretæ* autem, qui per eremum diſcurrentes, certam ſedem non habent. Ita enim colligitur ex Iſidoro [b], & Petro Damiano [c]. Vbi propterea Anachoretarum primitias *Rechabitas* appellat, quod certas ſedes non haberent. Sequitur & Munozius [d].

Eremitæ, ſeu Anachoretæ.

b lib. 2. de offic. c. 15.

c to. 3. opuſc. 15. ad Stephanum Monach. c. 3.

14 Quandoque etiam Nazaræorum titulo appellati conſpiciuntur. Conſtat hoc ex Gregorio Nazianzeno *Orat.* 30. *in laudem Baſilij*, vbi monachos quoſdam eiuſdem, Baſilij conſortes, qui proculdubio ex Eſſenorum inſtituto erant, *Nazaræos noſtrates* appellat, vt enim notat eius Scholiaſtes *n.* 52. per Nazaræos Monachi intelliguntur. Quod etiam expreſsè notat Baronius [e]. Hinc Gregorius [f] inquit: *Quid Nazaræorum nomine, niſi abſtinentium, & continentium vita ſignatur?*

Nazaræi quandoque.

d in Propugnat. Eliæ l. 1. ſit. 3. c. 1. ar. 1.

e ſub anno 362. 9. cum Baſilio.

f 32. moral c. 23

15 Quandoque præterea Eunuchorum, ſeu Caſtratorum nomine appellatos, adinſtar illorum, qui ex filijs Prophetarum Rechabitis, & Eſſenis eo titulo decorabantur, iuxta dicta *to.* 1. *ſub anno* 3341. ex priſcorum monumentis dilucidè demonſtrari poteſt. Hinc Athenagoras antiquus Philoſophus Chriſtianus *in Apologia* pro ipſis perſeuerantiam in virginitate, quæ propria monachorum eſt, *Eunuchiſmum* appellat. Dicit enim: *Si perſeuerantia in Virginitate, & Eunuchiſmo magis Deo conciliat, &c.* In Prato Spirituali *c.* 19. mentio fit monaſterij cuiuſdam Eunuchorum appellati iuxta Iordanem, circa quod in quodam ſpelæo morabatur Abbas Elias ibi nominatus. Hinc etiam D. Hieronymus, qui in Eſſenorum Diſcipulis erat, vt ſuo loco dicemus, de ſui monachatus tempore *in Epiſt. ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis* loquens, *cum ante annos, &c.* inquit, *propter Cælorum me regna caſtraſſem.* Hinc quoque idem Hieronymus *in epiſt.* 1. *ad Heliodorum* etiam monachum ait: *Cum dereliсta militia te caſtraſti propter regnum Cælorum, quid aliud quàm perfectam ſecutus es vitam.* Vocati præterea aliquando ſunt Eliotæ; ſanè, quia

Eunuchi etiã.

Eliotæ.

ab

ab Elia Patriarcha originem ducunt. Vnde Doctor Ioannes Basilius Sanctorus Hispanus auctor *in suo Prato Spirituali par. 2. lib. 5. c. 2.* de monachis Carmeli loquens, quos Christi fuisse tempore describit, *Eliotas* cognominatos esse inquit, & quòd eorum vnus Generalis Archimandrita Concilio Chalcedonensi affuerit. Hinc *in lib. 10. Vit. Patr.* Ioanne Moscho auctore mentio fit *cap. 62.* de Abbate Stephano Monasterij Eliotarum Presbytero, de quo nonnulla ibidem, & *cap. 63. 64. & 65.* sequentibus. Eodem etiam libro *cap. 134.* refert auctor, quod quidam Anachoreta Theodoretus, qui erat in partibus sancti Iordanis, veniebat prope ipsum *in Monasterium Eliotarum.*

Esseni propagatores, & continuatores Ordinis Prophetici.

16 Ex quo iam ad id, quod in capitis titulo promisimus, gressum faciamus, & proposse probemus Essenos nominibus, & titulis relatis cognominatos continuatores, & propagatores fuisse Ordinis Eliani, & Prophetici, cuius historiam Annalibus istis prosequimur. Quod multifariè comprobari potest. Primo quidem ex dictis *to. 1. in Apparatu c. 5.* vbi ostendimus Eliam, Eliseum, ac filios Prophetarum Principes monachorum omnium extitisse, adiuncto enim eo quod supra *cap. 2.* etiam prælibatum manet, videlicet eosdem Essenos monachos, & monachorum nouæ legis Duces, & Antesignanos appellari debere, rectè sequitur illos nedum ipsorum soboles, sed continuatores, & propagatores Eliani instituti, seu monachatus, cuius Principes Prophetæ præfati extiterunt, iure compellandos. Eliam porrò, Eliseum, ac filios Prophetarum cunctorum monachorum Principes fuisse ex communi fermè, & constanti Patrum, & Doctorum consensu, ac veluti traditione, quorum alij id expreſsè, alij implicitè tradiderunt, relato *c. 5. Apparatus ad 1. tom.* demonstrauimus, ipsorum testimonia ibi retulimus, eos autem, & loca, vnde desumpta sunt, vt curioso lectori vtcumque satisfaciamus, hìc apponimus: sunt verò Martyrologium Ægyptium *sexta die mensis Tuba*, Dorotheus *in Synopsi*, Macarius Abbas *in serm. ad monach.* S. Athanasius *in vit. S. Antonij*, Auctor vitæ S. Pachomij *in eius vita*, Auctor vitæ S. Honuphrij, & Menologium Græcorum, dum de ipso agunt, S. Basilius [a], S. Ephrem [b], Gregorius Nyssenus [c], Gregorius Nazianzenus [d], clarissimè autem Ioannes Ierosolymitanus [e], inter omnes luculenter D. Hieronymus *in epist. 13. ad Paulinum, & epist. ad Rusticum*, D. Ambrosius *epist. ad Vercellens.* Auctor *sermon. ad fratr. in eremo* apud Augustinum, perspicuè Cassianus [f], S. Paulinus *in epist. ad Sebastian.* Historia Tripartit. [g] Theodoretus *in Philotheo, seu de Vit. Patr. cap. 4.* loquens de Ammiano monacho, Sollius Sidonius *carm. 16.* S. Isidorus Hispalensis [h], Metaphrastes *in vit. Pachomij*, apertè Petrus Damianus [i], egregiè Rupertus Abbas [k]. Auctor apud Bernardum epistolæ *ad fratres de monte Dei.* Hugo Victorin. *serm. 72.* Ioachim Abbas *in Apocalypsis c. 2. & 6.* ac plures, alij ibi relati quos tædiosum est vel numerare.

a hom. 48. de Gordio milite. b Paran. 1. & de vit. spirit. c. 90. c orat. 7. in c. 4. Cantic orat. 15 & vlt. in Cantica & orat. de laud. S. B. silij. d Orat. 11. aduersus Arrian. Orat. 19. & Orat. de laud. S. Basilij. e de instit. monach. c. 2. f lib. 1. instit. c. 2. g lib. 1. c. 11. h l. 2. offic. c. 15. i to. 3. opusc. 15. c. 2. & l. 5. ep. 19 k lib. 3. in Cantic. 4.

Alia probatio.

17 Idem intentum suaderi potest ex alijs etiam, quæ eodem primo tomo

tomo scripta reliquimus. Diximus enim *sub anno* 3545. *à num.* 39. Essenos, Palæstinos præsertim (de quibus maximè ibi fuit sermo) veros Ordinis Prophetici, & Eliani cultores, ac Professores; Eliæ, & Elisei, & filiorum Prophetarum posteros, ac eiusdem professionis alumnos extitisse. Cum autem iuxta dicta *supra cap.* 1. Esseni Alexandrini eiusdem quoque instituti cum Palæstinis fuerint, immò ipsorum in viuendi ritu, ac forma successores, rectè infertur, eiusdem Eliani, & Prophetici instituti homines vtrosque fuisse, ac proinde eiusdem Ordinis continuatores, & propagatores. Porrò Essenos ad Propheticum Eliæ Ordinem spectasse eo loco multipliciter ostensum est. Primò, ex eo quod ijdem cum Rechabitis, vel eorum posteri essent; sic enim demonstratum eo loco *n.* 16. & 17. ex S. Nilo *in Ascetico*, Cedreno *in Compend. histor. in Claudio Imper.* Georgio Peccatore *in chronic. in eod. Claudio*, & inter recentiores ex Villalpando, Saliano, Cornelio, Nicolao Lombardo, Iosepho Scaligero apud Serarium, & ex nostris Francisco à S. Maria ibidem relatis. Secundò, ex eo quod simili prorsus viuendi forma vtebantur, sicut filij Prophetarum, qui certi, & indubitati Eliæ, & Elisei discipuli erant (prout ex 4. *lib. Regum* historia manifestè deducitur) in obedientia videlicet; paupertate, castitate quoad aliquos, voto, seu iuramento, quo Ordinis instituta seruare astringebantur, habitatione partim in eremis, partim in vrbibus, vel suburbijs ciuitatum; orationis exercitio in locis *Seunion* appellatis; numerosis cœtibus, & collegijs; spiritu prophetiæ, quo sæpius a Deo illuminabantur; & alijs de quibus eo loco *num.* 39. & 40. fusè agimus. Tertiò, ex varijs Doctorum testimonijs, quæ Essenos ad Propheticum, & Elianum Ordinem spectasse confirmant. Hi sunt Philo, Nicephorus, Cedrenus, Porphyrius, Sozomenus, quos posteriores Scriptores secuti sunt; è nostris quidem Palæonydorus, Didacus de Coria, Thomas à Iesu, Franciscus à S. Maria, & Munozius; de exteris verò Iacobus Salianus, Adrianus Adrianius, Iacobus Boulducus, Ioannes Carthagena, Ascanius Tamburinus, Dominicus Grauina, Honuphrius Manescal, & Aubertus Miræus, locis relatis *sub eo anno* 3545. *n.* 41. Cui Miræo adeo id pro comperto est, vt *in Tract. de Origin. Carmelitar. in proœm.* pro eiusdem instituti hominibus Essenos, & filios Prophetarum habeat. Dicit enim: *Prophetarum filij, Esseniue.*

Alia.

Alia.

18 Specialiter quartò ex eo conuinci potest legis nouæ Essenos Eliani, ac Prophetici instituti asseclas, continuatores, & propagatores nuncupari debere; quia non solum in ijs, quæ iam recensuimus ex dictis *to.* 1. *eo sub anno* 3545. *n.* 39. & 40. prorsus similes filijs Prophetarum erant, sed quia in alijs quoque, etsi minoris ponderis obseruantijs, notis, aut signis, tam ipsorum, quàm aliorum eiusdem Ordinis in lege veteri Professorum veri æmulatores demonstrabantur. Id constat primò vel ex ipso nomine Essenorum, quod a sanctitate dictum autumant Philo *in Apol. Iudæorum*, & *in lib. quod omnis probus sit liber*, & alij. Hoc

Specialiter probatio.

enim nomen Aſſidæorum, quos Ordinis eiuſdem alumnos probauimus eo *tom. 1. ſub anno* 3847. veluti proprium erat. *Chaſid* enim, ſeu *Haſid* ex quo ipſorum nominis etymologia deriuatur, idem eſt quod *ſanctus, pius, &c.* Vnde de ſexaginta Aſſidæis illis, qui *1. Machabæorum* 7. opera impij Alcimi interfecti ſunt, eodem ſacro textu teſtante intelligitur illud *pſ. 78. Carnes ſanctorum tuorum, &c.* ſic enim locum expoſuere Auguſtinus, Theodoretus, Euthymius, & alij, ſpecialiter Genebrardus *ibid.* & Serarius [a]. Vocabantur etiam propterea *Congregatio ſancta*, iuxta dicta *eo primo tomo ſub anno* 3622. Immo antiquorum Prophetarum idem fuiſſe nomen videtur non ſolùm quia mulier illa Sunamitides Eliſei Patris hoſpita de eo dixit 4. Reg. 4. verſ. 9. ad virum ſuum: *Animaduerto, quod vir Dei ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos*, ſed etiam quia ita compellati videntur *ad Epheſ. 2. verſ.* 19. illis verbis; *Eſtis ciues ſanctorum*, vt enim Boluducus *in Epiſt. Iudæ verſ.* 21. §. *Sed quæret aliquis*, dixit: *Illi ſunt antiqui Prophetæ*. Vnde ea quæ de Aſſidæis diximus ibi apponit.

a 1. Machab. Harmon. ſuper c. 7. l. 1. & c. 14. lib. 2.

Præfecti filiorũ Prophetarum, & Eſſenorum vocati Patres.

19 Id etiam ſecundo conſtat ex eo, quod ſicut filiorum Prophetarum, & aliorum in veteri teſtamento Ordinis Prophetici cultorum Superiores, & Præfecti appellabantur *Patres*, prout ſæpius *primo tomo* inculcauimus, præſertim *in Apparat. cap. 3. num. 12. & ad ann. 3132. num. 3.* Ita vt Boulducus *lib. 2. de Eccleſ. ante legem c. 11. §. 1.* dixerit: *Quantum ad Prophetas nihil in ſcriptura frequentius, quam vt illi, qui animarum curam gerunt, aliiſque præſunt, à diſcipulis, & ſubditis vocitentur Patres.* Sic etiam Eſſenorum Archimandritæ, ſeu Præpoſiti Patrum titulo vocabantur. Conſtat id ex D. Hieronymi verbis ſupra *num. 9.* relatis *ex epiſt. ad Euſtochium* illis verbis: *Completis orationibus, cunctiſque reſidentibus medius, quem Patrem vocant, incipit diſputare*; & infra: *Per ſingulos menſes Patri omnium cum magno tremore reddit rationem.* Item: *Vnaquaque decuria cum ſuo Parente pergit ad menſas.* Conſtat quoque ex nomine *Abbas*, quod idem eſt quod *Pater*, vt notant Hieronym. [b] Auguſtin. [c] D. Thomas [d], Lyranus *ibid.* & alij. Vnde aliquoties coniunguntur, vt Marc. 14. *v.* 36. ibi: *Abba Pater omnia tibi poſſibilia ſunt.* Et *ad Roman. 8. v.* 15. ibi: *In quo clamamus Abba Pater*, & *ad Galat. 4. v. 6.* ibi: *clamantem Abba Pater.* Eſſenorum autem poſterorum Prælatos nuncupatos Patres, & Abbates, vulgariſſimum tum in vitis Patrum, tum in ijs, qui de ipſis ſcripſerunt. Idem dicendum de titulo filij, qui relatè ad Patrem dicitur. Quemadmodum enim Prophetarum alumni *Filij* ſunt appellati, iuxta ſæpius dicta in primo tomo, maximè *in Appar. c. 7. n. 4.* & *ad ann. 3132. n. 2. &* 3. ſic quoque Eſſenorum aſſeclæ, prout euidens erit priſcorum monumenta legenti.

b in c. 4. ep. ad Galat.
c ep. 177 & ſuper pſal. 78.
d in ep. ad Galat. c. 4. lect. 4.

De titulo Fratrum, ſeu confratrum.

20 Idem conſequenter dicendum de titulo *fratrum*, ſeu *confratrum*. Sicut enim inter Prophetici Ordinis legis veteris alumnos in vſu erat, prout videre eſt in Propheta illo occiſo a Leone 3. *Reg.* 13. plangens enim

enim eum v. 30. alter Propheta senior Bethel, qui eum ad prandium inuitauerat, dicebat: *Heu, heu mi frater*: Vtrumque autem ad Ordinem Propheticum spectasse *sub anno* 3387. *num.* 8. diximus, & in Assidæis, qui vt Serarius *in Minerual. lib. 5. c. 11.* ex Scaligero, & Drusio refert, dicebantur *confratres*, sic etiam idem conspici potest inter monachos, & Regulares, nedum posteriores, sed & primos illos Essenorum discipulos, vt legenti Patrum vitas, & historias conspicuum erit. De quo similiter Molanus *lib. 1. de Canon. c. 1.*

21 Idem pariter conijci potest de veteri in Ecclesia Dei more adorandi, & obsecrandi Deum per corporis in terra prostrationes; eæ namque primitus visæ sunt in Ordinis prophetici veteris legis professoribus Sic Elias eiusdem Ordinis Princeps [a] in vertice Carmeli positus, *pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua*, quo meruit celebrem illam nubeculæ paruulæ visionem à Deo habere: Sic Hieremias 42. *vers.* 29. referens Iudæis qualiter pro ipsis iuxta ipsorum petitionem Deum exorauerit: *Vt prosternerem*, inquit, *preces vestras in conspectu eius*. Sic etiam de Esdra [b] dicitur: *Orante Esdra, & implorante eo, & flente, & iacente ante templum Dei.* Sic quoque Daniel [c] orationem suam referens, qua a Domino hebdomadarum notitiam impetrauit, dicit: *Et prosternerem preces meas in conspectu Dei mei*. Posteriores autem Essenos hunc quoque vetustiorem morem æmulatos constat ex Philone *in lib. de Vita Contempl.* vbi eos vocat *Icbetas*, id est *supplices, & decumbentes*, quia prostrati coram Deo orare soliti erant. Quod (vt ait Boulducus [d]) *à Patre suo Elia Propheta ab Enoscais deriuatum didicerant*. Notentur hæc exteri auctoris.

De prostrationibus.

[a] 3. Reg. 18. v. 42.

[b] l. 1. c. 10. v. 1.

[c] c. 9. v. 20.

[d] de Eccles. ante leg. lib. 1. c. 3. §. Quis gestus.

22 Eadem præterea vitæ conformitas inter Eliæ discipulos in lege veteri viuentes, & Essenos, seù ipsorum posteros in nouo testamento, clarè conspicitur ex mutua collatione eorum, quæ de illis scripsit Ioannes Hierosolymitanus [e], & de istis S. Hieronym. *in epist.* 22. relata ad Eustochium *de Custodia Virginitatis*. De illis namque Ioannes ait, quod viuerent *in modicis tabernaculis, & cauernis, atque cellis continuè, & incessanter*. Et Hieronymus: *Manent separati, sed iunctis cellulis*. Ioannes: *Ad mysteria itaque diuina se disponentes omnibus contentionibus, & certaminibus priuati eum silentio, & vnanimitate, & communione animorum ad Seunion horis statutis conuenerunt celebrantes in pace cum timore, & reuerentia Creatoris, quæ ad cultum pertinent diuinitatis, & ad iustitiam Regni cælestis, quemadmodum de eis, & eorum loco dicto Isaias Propheta in sermone Domini vaticinatus fuit, dicens: Habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in Carmelo sedebit, & erit opus iustitiæ pax & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum, & sedebit populus meus in pulcbritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*. Hieronym. verò sic: *Post horam nonam in commune concurritur, psalmi resonant, scripturæ recitantur ex more. Et completis orationibus,*

Vitæ conformitas.

[e] lib. de Instit. monach. c. 21.

cunctisque residentibus, medius quem Patrem vocant, incipit disputare. Quo loquente tantum silentium fit, vt nemo alium respicere, nemo audeat excreare. Dicentis laus in fletu est audientium. Tacitæ voluuntur per ora lacrymæ, & ne in singultus quidem erumpit dolor. Cum verò de regno Christi, & futura beatitudine, & de gloria cœperit annunciare ventura; videas cunctos moderato suspirio, & oculis ad Cælum leuatis intra se dicere: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?

De Decurijs.

23 Demum id quod Hieronymus loco relato de suis Essenorum asseclis in nouo testamento dicit, videlicet: *Diuisi sunt per decurias, ita vt nouem hominibus decimus præsit*, etiam conspicitur in legis veteris Essenis, seu Assidæis Ordinis prophetici professoribus, prout vel in vno Iuda Machabæo clarè animaduerti potest. De eo enim [a] dicitur: *Iudas autem Machabæus, qui decimus fuerat.* Vox namque *decimus*, prout ex Saliano [b], & præsertim ex Serario [c] colligitur, denotat eum fuisse *Decadarchum*, *Decarchum*, *Decanum*, vel *Decurionem* aliorum nouem eiusdem instituti, prout *sub eo anno* 3887. diximus *in primo tom.* Quod maximè cohæret cum eo, quod Iosephus [d] dixit, de Essenis loquens: *Cum simul denique sederint decem, nullus vnus nouem loquitur inuitis.*

a 2. Machab. 5. v. 27.
b to. 6. Annal. sub anno mundi 3887.
c in Macab. Harmon. super c. 1. l. 1. & c. 5. & 6 l. 2. & super c. 7. lib. 1. & 14. l. 2.
d lib. 2. de Bello cap. 7.

Non defuisse hoc primææ Ecclesiæ æuo Eremitas in Carmelo commorantes. Cap. V.

Duplici via ostendi potest intentum.

1 CAPITIS huius intentum duplici via roborari potest; priori quidem speciatim referendo illos, qui hoc primo Christi, & Christianæ Ecclesiæ tempore Carmeli Montis incolæ creduntur; posteriori verò in genere ostendendo non defuisse aliquos eiusdem cultores, non determinando quinam ij fuerint. Priori quidem modo in discursu operis ostendetur de aliquibus; Præsertim *sub anno Christi* 45. & 64. de Enocho de Amathin vocato; *sub anno* 39. 40 *et* 60. de Agabo Propheta dicto; *sub anno* 69. de Basilide; ad annum 258. de Dionysio Græco Pontifice postea Romano; pro anno 292. de magno Hilarione; ad annum 352. de Basilio, & eius comite Eubolo; pro anno 354. de Eutitio Carmeli Archimandrita; item sub ann. 371. de Ioanne Ierosolymitano, & Cyrillo Alexandrino Patriarchis. Idem prudenter quidam autumant de Narcisso Ierosolymitano Antistite, vt notabimus ad *ann.* 186. de S. Romano Martyre, iuxta dicenda *sub anno* 304. & de Sanctis Martyribus Petro, *Abselamo* dicto, & Seleucio, prout dicemus *ad ann.* 308. & de S. Spiridione *ad ann.* 310. Item de Gregorio Nazianzeno, iuxta notanda *sub ann.* 324. Posteriori ergo solum sensu in præsenti demonstrare conabimur Capitis intentum, testimonijs videlicet Patrum, & Doctorum id asserentium, ab antiquioribus incipiendo. Nec nostri Ordinis auctores, grauiores quidem, & antiquiores, prætermittendi, vt enim

to. 1.

to. 1. in Apparatu cap. 10. ostendimus, cuiusque Religionis Historici pro domesticis rebus confirmandis legitimi testes iure sunt, & omninò recipiendi.

2 Et primò occurrit Ecclesiæ testimonium in Officio Commemorationis solemnis Dei Genitricis Mariæ approbato a Sac. Congregatione Rituum sub Paulo V. anno 1609. subscribente Eminentissimo Cardinali Bellarmino, & sub Vrbano VIII. anno 1628. subscribente Eminentissimo de Torres; ibi enim *lect.* 4. habetur: *Viri plurimi qui vestigijs Sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Elisei insisterant, etc.* Et infra: *Primi omnium in eo Montis Carmeli loco, vbi Elias dum ascendentem nebulam virginis typo insignem conspexerat, eidem purissimæ Virgini sacellum construxerint.* Et *lect.* 5. *Ad nouum ergo sacellum sæpè quotidie conuenientes ritibus pijs, supplicationibus, ac laudibus Sanctissimam Virginem veluti singularem Ordinis tutelam colebant. Quamobrem fratres Beatæ Mariæ de Monte Carmelo passim ab omnibus appellari cœperunt.* Ex quibus manifestè deducitur, hoc tempore non defuisse in Carmelo Eliæ successores, qui Sacellum hoc Deiparæ consecrassent, & ad illud sæpius conuenissent. Ecclesiæ testimonium.

3 Nec prætermittenda testimonia Summorum Pontificum Sixti IV. in Bulla *Dum attenta* sub anno 1476. & in alia Bulla similiter *Dum attenta* sub ann. 1477. Iulij II. in Bulla *Ad Sacrum Ordinem* sub anno 1504. Gregorio XIII. in Bulla *Vt laudes* sub anno 1577. dum asserunt Carmelitas *ab Elia, et Eliseo, et alijs Patribus, qui Montem Carmeli inhabitarunt successionem hæreditariam tenere.* Vix enim saluari potest hæreditaria successio in Carmeli incolatu, nisi ea iugis fuerit, & continua, ac proinde etiam Christi tempore perseuerans. Summorum Pontificum testimonia.

4 Ex Auctoribus porrò, primus accedit Iosephus Antiochenus vetustus auctor, vtpote, qui teste Posseuino *in Apparat. ann. Christ.* 130. vixit, hic enim *in libro Speculum perfectæ militiæ Ecclesiæ primitiuæ* appellato cap. 12. seu alijs 72. hæc dicit: *Perfectorum militum Christi Apostolorum coadiutores surrexerunt strenuissimi viri solitarij, contemplationique dediti, Sanctorum Prophetarum Eliæ, et Elisei imitatores, qui de Monte Carmelo descendentes, per Galilæam, Samariam, et Palæstinam fidem Christi constantissimè sparserunt, quique in Virginis Mariæ honorem in Montis Carmeli decliuio fabricantes oratorium Saluatoris Matri specialissime seruierunt.* Ex quibus manifestè deducitur, hoc primo Christi, & Apostolorum æuo non defuisse in Carmelo Carmelicolas. Huius Iosephi opus tempus edax rerum, sicut & alia plurima vetusta monumenta absumpsit, vel sub bibliothecarum latebris abscondit. Illud quandoque extasse constat ex Philippo Ribboti, qui ante 250. annos in viuis erat [a], grauissimo Doctore Vualdensi [b], Palæonydoro [c], & alijs tum de exteris, tum de nostris auctoribus, qui illud referunt, quorum aliquos *to. 1. in Apparatu c. 6. n. 2.* commemorauimus. Ex Iosepho Antiocheno.

a Speculo Ordinis l. 5. c. 8.
b in to. 1. doctrinal. fid. l. 4. ar. 2. cap. 7.
c lib. 2. de orig. & processu Ordin. Carmel. c. 1.

Ex Chronica vetusta Romanorum.
a in Speculo Ordinis l.5.c.8.

5 Accedit etiam peruetusta Romanorum Chronica apud præfatum Ribbotum [a], Ioannem de Cimineto in paruo alio Opusculo *Speculum Ordinis* appellato *cap.* 3. Ioannem Grossum Ordinis Generalem in Viridario *clau.*1. vbi sic: *Fuit tempore prædicationis Christi, quod fratres de Monte Carmeli in Hierusalem accesserunt, et quidam illorum anno septimo à passione Domini regnante Romano Imperio vsque ad tempus Titi, et Vespasiani Imperatorum apud Hierusalem in porta aurea religiosè consederunt, et tempore beati Petri Antiochiæ cathedrati ipsi in circumquaque regione adiacente diuersis locis catholicè pro fide insistebant.* Hoc verò testimonium clarè supponit fuisse Christi, & beati Petri tempore fratres de Monte Carmeli. Consonat & alia Romanorum Chronica Romana dicta apud Palæonydorum [b] sic dicens: *A tempore Eliæ, et Elisei Prophetarum Religiosi de numero eorum, qui morabantur in Carmeli Monte iuxta Ciuitatem Dominæ nostræ Nazareth secretius solebant inhabitare vsque ad tempora Saluatoris, qui tandem prædicantibus Apostolis in fide confirmati in vno latere ipsius Montis primo Ecclesiam in honorem Virginis Mariæ construxerunt.* Hanc autem historiam etsi forsan temporum iniuria in tenebris latentem inter fide dignas recensendam, quæ ex Armachano Hiberniæ Primate inferius referendo, qui eadem ferme, & eisdem verbis retulit, afferemus, constare potest.

Ex alia Chronica,
b lib.3.c.6.

Ex Ioanne Hierosolymitano.

6 Hac quoque in causa multus est, immò cæteris clarior, Ioannes noster Hierosolymitanus *in lib. de Instit. Monach.* a nobis *to.* 1. *in Appar. c.* 9. ab aduersarijs vindicato. Ibi enim *cap.* 29. scribit Carmeli Montis Eremitas a S. Ioanne fuisse baptizatos, & illi adhæsisse. *Cap.* 30. ad fidem Christi conuersos, & ipsius baptismate regeneratos, *et cap.* 31. visis Apostolorum signis in fide magis solidatos, & ipsorum cooperatores effectos. Ac denique *cap.* 36. qualiter titulo fratrum B. Virginis Mariæ insigniti fuerint, eidemque oratorium, seu Cappellam in Carmelo extruxerint, describit. Quæ omnia euidenter supponunt, Carmelum hoc tempore a prædictis Eremitis habitatum fuisse.

Ex Luitprando.

7 Fauet Luitprandus, seu Eutrandus vetustus auctor ante 600. annos in fragmentis illi adscriptis, quæ opera Dom. Thomæ Tamaio de Vargas Mantuæ Carpetanorum 1635. prodierunt in lucem, *nu.* 171. vbi sic dicitur: *Magna pars eorum, qui dispersi in persecutione S. Stephani ad varias partes traiecerant, & ad Hispaniam plurimi venerant, erat ex monachis Montis Carmeli prædicationibus Christi, & Apostolorum ad fidem conuersi, in quibus Elpidius, & socij Pontificis à S. Iacobo creati, & post martyres effecti.* Hoc etiam testimonium clarè probat Christi tempore Carmelum incolas habuisse. Alia ex eodem in discursu operis, quæ etiam comprobant intentum, afferemus.

Ex antiquis Ordinis statutis.
c l.1.c.6.

8 Nec prætermittendum testimonium, quod ex antiquissimis Ordinis nostri Statutis refert Palæonydorus [c], in quibus *lib.* 1. *cap.* 1. sic habebatur: *A tempore Eliæ, & Elisei Prophetarum Montem Carmeli inhabitare solito-*

solitorum, Sancti Patres, tam veteris, quàm noui testamenti in eiusdem montis solitudine pro contemplatione cælestium iuxta fontem Eliæ in sancta pœnitentia sunt laudabiliter conuersati. Quorum successores post Christi Incarnationem Ecclesiam ibidem in honore Dei Genitricis Mariæ construxerunt, &c. Hoc testimonium de iure validum esse probat idem Palæonydorus ex 14. *q.* 2. *super prudentiam*. Probauimus & nos *to.* 1. *in Apparatu c.* 10. vbi ostendimus in testes iuridicos assumi posse domesticos Religionis.

9 Item nec illud, quod idem Paleonydorus [a] ex Philippo Abbate Hieropolitano in illud Ioannis: *Miserunt Iudæi, &c.* refert his verbis: *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes, & leuitas ad Ioannem Baptistam habitantem cum Carmelitis confratribus suis prope fluenta Iordanis.* Quo Ioannis tempore Carmelitas fuisse demonstratur. Ex Philippo Abbate. a lib. 2. c. 1.

10 Pariter nec illud quod ex Sigiberto Glembacensi *in Historia Hierosolymitana* referunt idem Palæonydorus [b], & alij Ordinis Historici per hæc verba: *Cum Carmelitæ in sancta pœnitentia perseuerassent à tempore Sanctorum Eliæ, & Elisei Prophetarum, tandem Christum prædicantem audierunt. Qui Religiosi fidem Catholicam confitentes in Christo baptizati sunt; Deinde perseuerantes in doctrina Apostolorum habentes gratiam ad omnem plebem.* Ex Sigiberto. b lib. 2. c. 1.

11 Idem intentum supponunt ex nostris vetustis scriptoribus plures, quos retulimus *to.* 1. *in Apparatu ad Annales cap.* 10. vbi etiam de tempore, quo claruerunt, dictum est, specialiter Ioannes de Cimineto, seu Chiminecto, qui in opusculo paruo *Speculum Ordinis* vocato *cap.* 3. habet Carmeli eremitas primum Ioannem Baptistam, deinde Christum prædicantem audiisse, baptizatos fuisse; ac fidei Christianæ legitimos defensores effectos esse, & *cap.* 4. eos dum Christi Euangelium per totam Iudæam, & Samariam prædicabatur, Oratorium in Carmelo Dei Genitrici construxisse. Ioannes Bacco illustrissimus inter scholasticos Doctor *in Compend. Histor. partic.* 2. Ioannes de Vineta in tract. qui incipit: *Cum quidam fratres nostri*. Ioannes de Malinis *in Speculo historiarum c.* 4. & 5. vbi copiosius ea, quæ diximus, prosequitur. Ioannes Grossus Generalis Ordinis *in Viridario claui prima*. Item Venerabilis Ioannes Soreth Ordinis quoque Generalis *in exposit. paranet. regulæ Carmelit. in præfat.* Hos sequuntur Palæonydorus, & plures alij, quos quia longum esset contexere, prætermittendos duximus. Ex priscis Ordinis Scriptoribus.

12 Item Chronica compendiosa sic dicta Generalium Sacri Ordinis Prædicatorum, quæ habetur in fine Constitutionum eiusdem Ordinis, dum agitur de Magistro Ioanne Theutonico, & Hugone Cardinali, sic habet: *Fuerunt ab initio nascentis Ecclesiæ in Terra sancta, maximè in Carmelo Eremitæ multi, sicut patet ex Chronicis, & multorum Sanctorum vitis. Horum conuersationem videns felicis recordationis D. Albertus Patriarcha Hierosolymitanus multos eos spiritualiter in Domino nutriebat, et* Ex Chronica Prædicatorum.

in scriptis modum vitæ eorum redigens separatim in cellis per totum montem Carmeli antea habitantes, &c.

Ex Iacobo Suzato.

13 Extat & aliud Iacobi Suzati eiusdem Ordinis grauissimi Prædicatorum grauis auctoris circa annum 1415. testimonium, quod *in historia sui Ordinis* sic protulit; *Fuerunt à principio nascentis Ecclesiæ multi sancti viri in terra Sancta, & in monte Carmelo asperrimè degentes, qui ad Dominum Innocentium IV. venientes, &c.* Erant ergo Christi, & Apostolorum tempore Carmelitæ in Carmelo commorantes. Concinit & Ferdinandus del Castillo eiusdem Ordinis infra *n.* 21. referendus.

Ex Armachano.
a to. 3. de Sacramentalib. tit. 9. cap. 89.

14 Nobilis etiam auctor Armachanus *in serm. quodam* Auenione anno 1342. habito, qui incipit *Aue*, apud Vualdensem [a] nobile hoc pro intento nostro protulit testimonium: *Vt dicunt fide dignæ historiæ, à tempore Eliæ, & Elisei, qui sæpius morabantur in monte Carmelo iuxta Nazareth Ciuitatem Dominæ nostræ ad tria milliaria solebant homines deuoti secretius habitare vsque ad tempora Saluatoris, & tunc illi eremitæ prædicantibus Apostolis inter cæteros sunt conuersi, & in vno latere montis ipsius primò Ecclesiam, siue Oratorium in honorem B. Virginis construxerunt in loco illo, scilicet in quo didicerant, ipsum in vita sua cum sodalibus virginibus cohabitasse, & ob hoc nimirum inter omnes Religiosos Dominæ nostræ primitus sunt adscripti, vt vocarentur fratres B. Mariæ de Monte Carmelo, quia insuper in principio nascentis Ecclesiæ in partibus illis prædicando Euangelium solicitissimè laborarunt, &c.*

Ex Vualdensi.

15 Vnde consequenter prætermittendus non est ipse grauissimus auctor Vualdensis, non solùm approbans ea quæ Armachanus dixerat, sed etiam subiungens loco relato: *Tacent Carmelitæ, dum talis ac tantus testis magnus indubie, Præsul Ecclesiæ, & Vir altæ peritiæ in sacris litteris testimonium perhibeat Carmelitis. Ordinem suum dixerat, dum Virginem sacram commemorat, & primo omnium illi Virgini dicatum, & in cubiculo illo Virginis post eius obitum monasticè conuersantem, qui à Prophetis Sanctis, Elia, & Eliseo prius incepit post Saluatoris aduentum cum Apostolis in Euangelio solicitissimè laborauit.*

Ex Baptista Mantuano.

16 Nec Baptista Mantuanus inter Christianos Poetas alter Maro omittendus, cuius verba ex *lib. 3. Parthenic. Marian.* dum de Carmelo qualiter a Virgine Sanctissima quandoque inuiseretur, & alijs eius Montis Eremitarum gestis loquitur, hic damus: ex eis namque dilucidè monstratur, hoc primo Christi æuo Carmeli incolas non defuisse:

Huc igitur si quando quies vacuumque negoci
Tempus erat, veniens curas leniebat, & ipsa
Maiestate loci largè oblectata redibat:
Propterea montana viri speleæ colentes
Audito illius fato, sublime sacellum
Apricis posuere iugis primi, atque quotannis
Sacra instaurantes hymnos, & thura ferebant.

Namque

Namque ipsi sese, mox ut vulgata salutis
Fama fuit, Christi magnis iunxere ministris
Fautores operis sancti, sociosque laborum.
Propterea istorum longo seruata per annos
Posteritas iungit Mariæ cum nomine Montis
Nomina Carmeli.

17 Supra quæ Ascensius Badius Commentator ipsius Mantuani sic: *Huc igitur si quando &c.* docet Virginem Carmelitas aliquando inuisisse. Et infra. *Propterea viri &c.* hoc est, *Carmelitæ*. Inferius: *Audito f. to &c. posuere primi sacellum*, id est, *templum paruum*, vulgus *Cappellam vocat*. Adhuc inferius. *Namque ipsi iunxere sese &c.* id est: *Apostolis*. Sebastianus Murro alter etiam eiusdem Mantuani Commentator hæc: *Huc igitur si quando &c.* vult *Parthenicem sæpe oblectatam fuisse, & loci amœnitate, & cultu Religionis*. Et infra: *Viros qui speluncas Carmeli habitabant, tetricam, ac sanctam illic vitam ducentes primum sacellum in Carmelo Virgini posuisse, quotannis sacra hymnis, & thure factitasse.* Alia ad intentum habet lector ex eodem Mantuano *in Apologia pro Carmelitis.* Ex Mantuani Commentatoribus.

18 Sed de exteris audiri meretur celebris auctor Ioannes Trithemius Benedictinus Abbas, qui *in l. de laud. Carmel* quem inter opera ipsius referunt Ioannes Duraclusius, & Arnaldus Vio, & excusus est primum Maguntiæ, deinde Florentiæ apud Georgium Marescottum 1593. & postea Coloniæ anno 1624. Ioannis Busæi Societ. Iesu diligentia. In hoc ergo *libro c. 2.* sic habet clarè satis ad intentum: *A tempore siquidem Eliæ, & Elisei Prophetarum Dei vsque ad Christi natiuitatem plures montem Carmeli, amore solitudinis incoluerunt, sicut ex veterum historijs apertè demonstratur. Nam post passionem Domini prædicantibus fidem Apostolis inter multos, qui tunc conuertebantur, etiam Carmeli Montis Eremitæ conuersi sunt. Qui deinde crescente numero fidelium in Carmeli Montis latere in honorem Dei Genitricis, & Virginis Mariæ Cappellam extruxerunt. Vnde & vocabulum loci, & Religionis tempore meruerunt.* Hæc ille, satis congruè ad propositum nostrum, cum Eremitas Carmeli agnoscat tempore Natiuitatis, & post passionem Christi. Ex Trithemio.

19 Item inter Historicos celebris Vvernerus Rovvelinck Carthusianus, qui in Chronic. cui titulus est: *Fasciculus temporum*, circa annum 1284. ita loquitur: *Nobilissima Acconensium Ciuitate à Saracenis destructa, demum Deiferæ Mariæ in Carmelo monasterium ad tria milliaria Ciuitati vicinum ab eisdem igni crematur, fratribus inuentis in eo perfidorum gladijs trucidatis, & tunc, prob dolor, Ordo Carmeliticus mellifluum locum ex toto perdidit, in quo à tempore Eliæ, et Elisei Prophetarum 2221. annis perstiterat.* Quod testimonium eatenus nostro fauet intento, quatenus supponit Carmelicum Ordinem in eo loco Carmeli à tempore Eliæ continuè vsque ad annum Christi 1284. circiter permansisse, ex quo infertur etiam Christi Apostolorum tempore durasse. Ex Vvernero Rouolinck.

Ex Plato. a lib. 2. de bono stat. Relig. c. 32.

20 Fauet & grauis author Hieronymus Platus [a], sic de Carmelitarum Ordine inter alia dicens: *Certè non desunt multi, inter quos Vvaldensis vir grauis, qui existimeat iam tum ab Apostolorum tempore inchoatum in Monte Carmelo (& argumentum est nomen ipsum) in Ecclesia, quæ prima omnium B. Virgini in terrarum Orbe dicata sit, deinceps verò numero hominum, & domiciliorum per totam Palæstinam multiplicato, irruentibus Saracenis dispersum esse, &c.* Quod hic doctor innuit Vvaldensem initium Ordinis nostri ad tempus Apostolorum referre, non cohæret cum ijs, quæ ipse, vt vidimus *supra num. 15.* dixit, vbi ad Eliæ tempora ipsum vocat; quod verò adstruit de prima Ecclesia a Carmelitis Beatissimæ Virgini extructa, veritatem continet, iuxta dicenda suo loco. Ex eo autem inferimus pro præsenti intento, Eremitas hoc tempore Carmeli incolas fuisse.

Ex Ferdinando del Castillo. b par. 1. l. 2. c. 45

21 Accedit Ferdinandus del Castillo Dominicanorum Patrum celebris historicus, qui *in historia sui Ordinis* [b] Hispanè primum scripta, Italicè posteà, loquens de Carmelitis, ait, eos originem trahere a quibusdam eremitis, qui tempore primitiuæ Ecclesiæ in Carmelo, & alijs locis desertis sanctissimè vixerunt, & qui postmodum sub Aymerico certam viuendi formulam accepere, & ab Innocentio IV. Regulæ declarationem. Cuius auctoris testimonium eatenus nobis deseruit (etsi in alijs moderandum) quatenus Carmelitarum progenitores primæ Ecclesiæ æuo claruisse confirmat.

Ex Casarubio.

22 Clarè etiam idem profitetur Alfonsus Casarubius *in Compend. priuileg. Mendic. in princ.* sic dicens: *Secunda origo* (intellige Carmelitarum) *incepit à Ioanne Baptista, & post Christi passionem à multis Apostolicis viris, qui Montem Carmeli solitariam vitam ducentes inhabitare sæperunt, ibique Ecclesiam quandam ad honorem Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ, quam sibi in patronam, & protectricem elegerant, construxerunt.*

Ex Carthagena.

23 Item Ioannes Carthagena Minorita, qui *in 4. to. Homiliar.* in vna de Ordine nostro, non solùm quæ Iosephus, Ioannes Hierosolymitanus, Vvaldensis, Armachanus, Mantuanus cum eius Commentatoribus, Trithemius, Palæonydorus, & alij tum nostri, tum alieni Instituti auctores circa hoc dixerunt, approbat, & confirmat; sed de suo hæc adiungit: *Ecce illustrissimam hanc nomenclaturam Beatæ Virginis de Monte Carmelo nacti sunt Religiosi Carmelitani, quia verè illi primi fuerunt, qui Virgini Mariæ in primo Ecclesiæ sæculo Oratorium constituerunt, primi, qui eius obsequio, & amori inter cæteros Religiosos addicti sunt: primi, qui tantæ Virginis conuersationem, & familiare colloquium meruere.* Eo ergo sæculo, & Ecclesiæ primordijs Carmelitæ vigebant.

Ex Miræo. c in l. 3. de Orig. Carmel. Ord. Virginum præferum.

24 Item Aubertus Miræus nobilis huius sæculi chronologus. Cuius [c] hæc sunt verba: *Est in Syria mons Carmelus quarto lapide ab Accone, seu Ptolemaide vrbe ob triennalem olim obsidionem nobili. In eo Monte Eliam olim Prophetam, & discipulum eius Eliseum, aliosque Prophetas vitam egisse solitariam sacris ex litteris constat. Horum exemplo post Christum natum*

pluri-

plurimi exinde Anachoretæ locum illum tenuere. Qui demum Aimerici, &c. His verbis doctus hic auctor *post Christum natum* ab Anachoretis Carmelum inhabitatum confitetur. Clarius id facit *in proœmio ad tract. de Orig. Carm.* sic scribens: *Illi verò Prophetarum filij Essenæ Palæstinam incolentes (quemadmodum & Esseni postea in Ægyptum traducti) miris exemplis cœptam institutionem vsque ad Virginis partum produxerunt; neque enim Chaldæorum, aut aliorum hostium feritas, quæ vindictam spoliaque sitiebat, in honores innoxios, & nihil mortale curantes desæuijt, Deo sic agente, vt tanti Vatis eruditio ad eum, cuius typum prætulit, illæsa pertingeret.*

25 Sequitur Iacobus Salianus præclarus Annalium, & rerum in Orbe gestarum compilator, ex quo aliqua pro intento nostro habere poterimus. Primò enim *sub anno 3139. n. 14.* in monitione Eliæ ad suos posteros illa scripsit: *Credo enim fore, vt non deficiat in vobis, posterisque vestris obseruationis sanctæ propositum, donec veniat is, qui est expectatio gentium, donec surgat Propheta ille magnus, quem sanctissimus diuinæ legis promulgator Moyses audiendum esse pronuntiat.* Et infra *n. 15.* ipsos etiam alloquens: *Felices quibus Sacrosanctam illam Messiæ faciem dabitur aliquando contemplari, & diuinas auribus vsurpare voces.* Quibus sanè verbis Eliæ successores Christi attigisse tempora asseuerare videtur, sicut & eum vidisse, & audiuisse. Ex Saliano.

26 His iungitur Reuerendissimus Ægidius Camartus Minimorum quondam Generalis, qui in eruditissimo opere cui titulus *Elias Thesbites cap. 5. sect. 10.* sic loquitur pro nostra causa: *Si tot, & tam celebres Discipulorum scholas reliquit Propheta* (scilicet Elias) *in Carmelo, Bethel, Iericho, Galgalis, cur non in Galaad? Credibile certè est Eliæ discipulos dici in illa viguisse, nec defuisse donec ad Christi discipulos, Euangelicamque doctrinam confluerent, vt vbi abundauit delictum superabundet gratia.* Hæc ille; qui quamuis solùm loquatur de eremitis habitatoribus Galaad, cum sit eadem ratio de habitantibus Carmelum; ideo nostri thematis fautor existimandus. Ex Camarto.

27 Pro ipso etiam referre possumus autumantes nostrum Carmeliticum Ordinem hoc Christi, & Apostolorum æuo cœpisse. Hi enim, etsi parùm æqui iudices in hac causa propter dicta *tom. 1. in Appar. c. 6.* vbi ostendimus altius repetendum esse ipsius exordium, ab Elia videlicet; dum tamen asserunt Christi æuo originem habuisse, consequenter affirmare tenentur eo tempore eremitas nostros in Carmelo, vel alio Syriæ loco extitisse. Qui autem existimare id videntur, sunt chronica Prædicatorum, Iacobus Suzatus, Hieronymus Platus, Ferdinandus del Castillo, Alphonsus Cassarubius, & Aubertus Myræus relati; quibus Paulus Sherlogus [a] quadamtenus assentitur. Ex alijs. [a] *to. 2. in Cant. Vestig. 20 sect. 2*

28 Pariter etiam pro eodem intento referri possunt auctores dicto loco Apparatus pro primo tomo relati. Cum enim Ordinis nostri primordia ab Eliæ tempore continua successione repetant, proculdubio Item ex alijs.

etiam

etiam ipsius alumnos Christum vidisse confirmant. Idem esto iudicium de ijs, qui asserunt ipsos a Ioanne Baptista baptismum recepisse, Apostolorum prædicationibus Christo comparatos esse, vel illis in Euangelij promulgatione cooperatores associatos fuisse, quos dicto *to. 1. sub annis Christi 39. & 34.* recensuimus. Pari enim ratione nostræ causæ patroni effecti sunt.

Ex alijs quoq;

29 Demum præter allatos plures alij sunt, qui expresse asserunt Carmeli nostri eremitas Christi, Deiparæ Virginis, & Apostolorum tempus attigisse. Hi sunt Doctor Ioannes Basilius Sanctorus Hispanus auctor [a], Emanuel Rodriguez *to. 1. qq. regular. q. 2. ar. 5.* dum ait Carmelitani Ordinis alumnos Ecclesiam in Carmelo Sanctissimæ Virgini nuncupasse, quod hoc primo Christi sæculo contigisse in sequentibus dicemus. Ioannes Baptista Confettius *in Summar. mater. priuileg. mendic. c. 7.* idem affirmans. Alphonsus Cassarubius *in Compend. Priuileg. Mendicant. in princ.* idem asseuerans. Quod & supponit Hieronymus Rodriguez [b], Iodocus Clicthoueus Neoportuensis *in quadam Concione pro Carmelitis*, vbi titulum fratrum B. Mariæ Apostolorum tempore ipsis adscriptum fuisse, inquit. Quo clare supponit eo tempore viguisse. Ipsius verba habet lector inferius *cap. 6. n. 13.* Didacus Yepes Tirasoniensis Episcopus, & Philippi II. Hispaniarum Monarchæ a confessionibus *in vita S. Teresiæ c. 1.* Petrus Caluus Dominicanæ familiæ alumnus *in defension. Religion. lib. 2. c. 13.*

a in Prat. spirit. par. 2. l. 5. c. 2.

b in Compend. Quæst. Regul. Resol. 123. n. 35.

Dubitatio.

30 Emergit tamen hic dubium propter quorundam curiositatem discutiendum breuiter, an scilicet tam ij, qui ex Eliæ successoribus in Carmeli Monte hoc Christi, & Apostolorum tempore habitasse noscuntur, de quibus hoc capite diximus, quàm illi, qui ex ipsis ortum ducentes, Esseni, Monachi, Therapeutæ, Ascetæ, Anachoretæ, Eremitæ, & quandoque Philosophi, & Nazaræi, seu Eunuchi appellati sunt, de quibus *cap. præcedenti* dictum, Carmelitæ, seu Carmelitarum Ordinis Professores nuncupari possint. Et quidem, si de prioribus sit sermo, nullus, vt credimus, tanta inscitia, vel inuidiæ labe tabescet, vt ipsis Carmelitarum titulum concedi posse refragetur. Quo enim vel apparenti fundamento Carmeli colonos, & Religionis ab Elia in Carmelo inchoatæ, iuxta dicta in primo tomo, sectatores Carmelitas, seu Carmelitani Ordinis alumnos vocitare renuet? Si verò de posterioribus agatur, in rigore sermonis, & proprijssime idem dici debet, cum enim ex totius Ecclesiæ vsu constet omnes, & quoscumque quarumcumque Religionum, quæ a loco fundationis cognominantur, vt sunt Cistercienses, Carthusiani, Grandimontenses, Oliuetani, Vallisumbrosiani, & similes, ex eo solùm quod sacrum ipsarum institutum sectentur, & ab institutoribus illarum religiosæ vitæ normam acceperint, etsi nunquam, vel semel per totam vitam locum, in quo primo fundati sunt, nouerint, aut incoluerint, propriæ familiæ nomine appellari Cistercienses videlicet, Carthusianos, Grandimontentes, Oliuetanos, Vallisumbrosianos, & similes, sanè si

zelus,

zelus, & contentio absit, omninò gratis id negabitur Eliani instituti ab ipso in Carmelo primùm erecti successoribus, etiamsi nunquam, nec per diem in eo monte commorati sint; vel si oppositum aliquibus mordicus arrideat, pari iure Carmelitas nostrates Europæos, qui nunquam Syriæ Carmelum aspexerunt, simili titulo decorare dedignentur. Vt ergo semel pro semper in toto huius tomi Annalium discursu dictum maneat, omnes, & singulos præfatos Eliani instituti asseclas Carmelitas appellare licebit. Vt tamen quorundam philautiæ, qua nihil gloriosum de exteris familijs audire patiuntur, quin potius occulta quadam animi inflatione ipsas despiciunt, temnunt, vilipendunt, vtcumque parcamus, eos solùm, quos Carmeli habitatores aliquandiù fuisse ostendere poterimus, *Carmelitas* vocabimus, reliquos verò eiusdem Instituti sectatores *Prophetici, seu Eliani Ordinis asseclas*, seu *professores* dumtaxat dicemus. Alia pro hoc intento dabimus infra *cap. 7. huius Apparatus*, vbi lector agnoscet, quomodo etiam inter hos posteriores alij solum imitatione Eliæ posteri vocari possint; alij etiam successione.

31 Id autem, quod diximus de Carmelitarum titulo, seu cognognomine prædictis omnibus iure tribuendo, corroborat Arnoldus Bostius vetustus, & insignis rerum nostrarum Chronologus [a], sic dicens, & difficultatibus oppositis satisfaciens. *Miratur fortassis cogitatio audientis, cur istos dixerim Carmelitas, cum in monte Carmeli non morabantur, nec historiographorum aliquis eos sic appellat. Hi vtique non incongruè videntur Carmelitæ censeri, qui omnes huius Religionis veri sectatores tam in Monte Carmeli quàm alibi habitantes profitentur se humiliter sequi illam sanctam, & propheticam institiam vitæ monasticæ, quam Propheta Dei Elias seruauit, & instituit, & quam etiam sequendam ipse secundum formam à Deo sibi traditam verbo pariter & exemplo discipulis suis tradidit, & in eremo Montis Carmeli residendo docuit. Eodem etiam modo Cluniacenses, Carthusienses, & Cistercienses in diuersis remotibus partibus habitantes dicuntur, & appellantur à locis, in quibus eorum Religio sumpsit exordium. Quod autem historiographi eos non Carmelitas, sed simpliciter monachos nominauerunt, aut eremitas, hoc ex eo vtique factum est, quia tunc non erat tanta varietas, & distinctio Religiosorum in Dei Ecclesia, nec etiam tam diuersus eorum viuendi modus, sicut inpræsentiarum est, sed omnes fuisse imitatos præcipuè in fundamentalibus illam eremiticam vitam, quam Deus per Eliam Prophetam homines docuit in Monte Carmeli, nullus est, qui ambigit Christianus.*

Bostij corroboratio.

[a] *lib. 1. sui speculi hist. c. 2.*

32 Porrò si quæratur de Regula, quam ij primi Carmelitarum Patres eo tempore obseruarunt, pro nobis respondet Ioannes Trithemius *in lib. de laudibus Carmelitar.* relato *cap. 3.* sic: *Quamuis Elias Carmelitis Regulam scriptam non dederit, eis tamen exemplo sanctæ conuersationis viuendi norma fuit, quibus post se & locum, & habitum concessit.* Et *cap. 4.* sequenti: *Sancti enim Patres, qui in Monte Carmeli iuxta fontem Eliæ ante Christi natiuitatem habitabant, Regulam conscriptam habuisse non leguntur,*

Quæ ipsorum Regula.

sed ipsi norma, & Regula sibi fuerant, qui exemplo Eliæ conformiter viuebant. Deinde post passionem Domini multiplicata per Iudæam fide Christiana, hi qui in Monte Carmeli vitam imitatione Eliæ ducebant eremiticam, secundum Euangelium viuere cæperunt, sicut in Actibus Apostolorum scriptum est. Erant vnanimiter in oratione perseuerantes, & erat illis cor vnum, & anima vna, nec quisquam inter eos aliquid habebat proprium, sed erant eis omnia communia: *Hæc est vita Apostolica, quam fratres Carmelitæ in primitiua Ecclesia studiosissimè obseruabant, Regulam super his Euangelicam in cordibus suis habentes conscriptam.* Ex nostris verò B. Cyrillus Constantinopolitanus in Epistola ad Eusebium Montis Neroi Eremitam, quæ extat *in Speculo Ordin. lib. 8. c. 1.* quem alij sequuntur sic quæsito respondet. *Sacræ huius Religionis prisci professores institutionem suam dudum in diuina scriptura, tanquam in amæno paradiso speculabantur, vbi & fundatorum dictæ Religionis virtuosa exemplaria ab eis imitanda ipsi intuebantur à Prophetis commendata, & multis sacrorum voluminum testimonijs approbata; ex quibus dicti professores diuersos profundæ sapientiæ tractatus deducebant, quibus tanquã copiosis dapibus reficiebantur.* Accinit & Mantuanus noster *in Apologia pro Carmelitis* sic inquiens. *Ante Christi aduentum Regulam habebamus, quàm discipuli Eliæ filij Prophetarum obseruabant. Post Christi aduentum pro vitę Regula semper habuimus Christi Euangelium, Acta, & Epistolas Apostolorum. Hanc eandem Regulam habuit Basilius, habuit Augustinus: habuit Benedictus.* Eadem fermè Carolus de Tapia [a] de Carmelitis nostris agens. Nunc iam qualia fuerint eorum pecularia eo æuo gesta, diligenter quæramus.

[a] *In Authent. Ingressi c. 17.*

Eliæ posterorum, seu Carmelicolarum peculiaria gesta, primauæ Ecclesiæ sub æuo recensentur. Cap. VI.

Egregia gesta Carmelitarum.

1 INTER præcipua Eliani Ordinis magnalia non tam priuata illa ipsorum exercitia in Carmeli, & Syriæ solitudinibus recensenda, quæ B. Cyrillus relatus de ipsis refert, videlicet S. Scripturæ speculatio, ac diuersorum *profundę sapientiæ* tractatuum descriptio, etsi hæc proprijssima sint monastici, & prophetici instituti munia; sed ea quæ magis in propatulo pro Ecclesiæ obsequio, veluti soliciti administri operabantur. Inter quæ illud iure optimo veluti primatum tenet, quod ipsius alumni, fide Christi recepta, pro ipsa propaganda, sanctissimi operis fautores effecti, Apostolorum coadiutores strenuissimi fuerunt. Pro quo tum de nostris, tum de exteris egregia habemus testimonia. Et quidem de nostris historicis, qui meritò primo loco vocandi sunt, tam neoterici, quàm vetusti Chronicorum quorundam Romanorum mentionem faciunt, in quibus dicebatur; *Tempore B. Petri Antiochiæ cathedrati, ipsi* (scilicet fratres de Monte Carmeli, de quibus supra fuerat sermo) *in circumquaque regione adiacente diuersis locis Catholica pro fide insistebant.* Referunt hæc Chronica, & verba addu-

Chronica Romana.

adducta Philippus Ribbotus *in Speculo Ordinis lib. 5. c. vlt.* Ioannes de Ciminето in Tractatulo etiam *Speculum Ordinis* nuncupato *cap.* 3. Ioannes de Malinis *in Speculo historiali cap.* 4. Eadem etiam verba afferunt Ioannes de Vineta *in tract. Cum quidam fratres cap.* 2. Bernardus Olerius Generalis *in Informatione pro Ordine nostro ad Papam art.* 1. qui omnes ante 300. circiter annos in viuis erant, quos Palæonydorus [a], & alij posteriores historici non pauci numero sequuntur. *a lib. 2. cap. 1.*

2 Eam verò historiam, esto temporum iniuria, vel hominum incuria, non extet, quoad ea de quibus in præsenti fidem mereri, non solùm ex dictis in superioribus suaderi potest, cum nullus prudens refragari debeat viros probos in Essenorum schola, lege Domini, & sacris literis institutos, quales proculdubio essent ij, qui ex Ordine Prophetico fidem Christi amplexati sunt, aptos, & idoneos ministros Euangelij fuisse, vt proinde Apostolis associari meruerint; sed etiam ex dicendis in discursu huius tomi constare poterit. *Fide digna.*

3 Hinc Historici nostri, Ordinis Prophetici asseclas, Petri, & aliorum Apostolorum, tum ipsa die descensus Spiritus Sancti super illos, tum tempore missionis, & diuisionis ipsorum, doctrina instructos, eam, quam ab ipsis fidei rationem acceperant, eisdem associatos per Phœniciam, Palæstinam, & alia loca Christi dogmata prædicantes feliciter propagasse, suis scriptis commendarunt. De hoc Ioannes Hierosolymitanus [b], loquens de eisdem nuper ad Christum conuersis ait: *Denique eorum multi ea quæ ab Apostolis hauserant cæteris effundentes, fidem Christi per Phœniciam, & Palæstinam prædicabant dilatantes dogma fidei, & moribus vitæ monasticæ, conuersationem Ecclesiæ Dei insignissimam demonstrantes.* Aduertit autem perdoctus Petrus Vvastelius *in notis variarum lectionum adhuc librum Ioannis* in M. S eiusdem operis sic haberi: *Et cum eis multi eorum, qui audierant Petri verbum; quorum numerus fuit quinque millia hominum.* Ex quo ea, quæ diximus superius, maius robur accipiunt. Ioannes Grossus Generalis *in suo illo Viridario Claui* 1. sic: *Vnà cum Apostolis in multis Regionibus fidem Christi constanter prædicauerunt.* Celebris auctor Thomas Vvaldensis [c] idem confirmat testimonio Iosephi Antiocheni inferius referendi, & Ioannis Hierosolymitani relati, sic concludens: *Nec didignentur Clerici moderni monachos. Religiosos in Ecclesia Dei coadiutores habere, quos sancti Dei Apostoli dedignari nolebant; cum tamen præsentes Clerici non sint suis Patribus peritiores, sed nec sanctiores Apostolis.* Accedit Ioannes de Ciminето in tractatulo *Speculum Ordinis* vocato *cap.* 3. hæc habens: *Perseuerantes in doctrina Apostolorum habentes gratiam ad omnem plebem, veritatis Euangelicæ nuncij fideles, ac fidei Christianæ legitimi defensores effecti sunt.* Accedit & venerabilis Ioannes Soreth dignissimus Ordinis Præsul, qui *in expositione Paranetica Regulæ Carmelitarum*, de ipsis sic loquitur: *Isti etiam vitæ Apostolicæ formam prætendentes, sunt de quibus dicitur Actuum secundo, erant in Ierusalem viri Religiosi habitantes, qui se Apostolorum consortio*

Historici Ordinis. *Ioannes Ierosolymitanus. b in lib. de inst. monach. cap. 35* *Petrus Vvastelius.* *Grossus Generalis.* *Vvaldensis. c to. 1 Doctrinal. fid. l. 4. ar. 2. c. 27* *Ioannes de Ciminето.* *Ioannes Soreth*

sortio iunxerunt post Spiritus sancti repletionem, prout asserit Iosephus Antiochenus. Idem habet Baptista Mantuanus verbis inferius referendis. A quibus id quoque conformiter Palæonydorus, Petrus Lucius, Coria; Thomas a Iesu, Munozius, Cassanate, & alij Ordinis Historici acceperunt; conformiter etiam ad antiquissimas Ordinis Constitutiones, de quibus infra *n.10*.

Baptista Mantuanus, & alij.

Iosephus Antiochenus.

4 De exteris primus occurrit Iosephus Antiochenus a nostris, & alijs auctoribus, prout vidimus *to.1. in Appar: cap.6.n.2.* relatus, *in Speculo perfectæ militiæ primitiuæ Ecclesiæ cap.12.vel 72.* per hæc verba: *Perfectorum militum Christi Apostolorum Coadiutores surrexerunt viri strenuissimi, solitarij, contemplationi dediti, Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei sequaces, qui de Monte Carmeli descendentes per Galilæam, Samariam, & Palæstinam fidem Christi constantissimè sparserunt, quique in Virginis Mariæ honore in Carmeli Montis decliuio fabricantes Oratorium Saluatoris Matri specialiter seruierunt*. Item Sigibertus Gemblacensis relatus etiam a nostris *in historia Hierosolymitana* dicens: *Cum Carmelitæ in sancta pœnitentia perseuerassent à tempore Sanctorum Eliæ, & Elisei Prophetarum, tandem Christum prædicantem audierunt. Qui Religiosi fidem Catholicam confitentes in Christo baptizati sunt. Deinde perseuerantes in doctrina Apostolorum habentes gratiam ad omnem plebem veritatis Euangelicæ nuncij fideles, & Religionis Christianæ legitimi confessores effecti sunt*. Colligitur id etiam ex testimonijs Luitprandi, quæ inferius *circa annum 35.* afferemus. Item ex Armachano apud Vvaldensem [a] illis verbis: *Insuper in principio nascentis Ecclesiæ in partibus illis prædicando Euangelium sollicitissimè laborauerunt*. Idem sequuntur Iodocus Badius Ascensius, & Sebastianus Murrho Commentatores Baptistæ Mantuani circa illa eiusdem Mantuani *lib.3.Parthenices* ea de re carmina:

Sigebertus.

Luitprandus.

Armachanus. a *to.3. de Sacramentalib. tit.9. cap.89.*

Commentatores Mantuani.

Namque ipsi sese mox vt vulgata salutis
Fama fuit, Christi magnis iunxere ministris
Fautores operis sancti, sociosque laborum.

Ioannes Bonifacius. b *de Hist.Virg. lib.2. c.1.*

Ioannes Bonifacius [b] vbi post alia: *Neque solum se Apostolorum beneuolos, & dociles auditores, sed etiam adiutores præbuerunt. Et eum ex Monte Carmelo descendissent Christi fidem per Galilæam, Samariam, & Palæstinam vniuersam constantissimè prædicauerunt*. Ioannes Carthagena *to. 4. homil. homil. pro Carmelit.* ex testimonio relato Iosephi Antiocheni id confirmans, & subiungens: *Ecce quomodo Christiana militia strenui iam milites effecti, ab ijs montibus descenderunt, vt religiosæ vitæ magisteria præberent*. Idem fermè testatur Laurentius Beyerlinck *in Theatro vitæ humanæ litter. R. verb. Religiosus Religio*, dum de Ordine Carmelit. agit §. *In lege autem*. Et ante ipsos Iodocus Clithoueus Neoportuensis in sermone *de Excellentia, & Laudibus Carmelit.* inquiens: *Tertiò comprobatur huius Religionis vtilitas eam ob causam, quod adiutrix Apostolorum in disseminanda fide, & doctrina euangelica &c.*

Carthagena.

Beyerlinck.

Clithoueus.

Addunt

5 Addunt aliqui ex nostris Beatissimæ Virginis hortatu hos primos in his fidei Christianæ crepundijs Prophetici Ordinis alumnos imperterritè Sanctis Apostolis ad mortem vsque collaborasse in Euangelij primaria plantatione, & nominis Iesu promulgatione. Hi sunt Palæonydorus [a] ex quadam Romana chronica, quam videre non potui, id referens; Auctor opusculi, cui titulus *Funiculus triplex nodo* 7. Arnoldus Bostius *in lib. de Patronat. Virgin. cap. 2.* sic: *Diuinæ naturæ nuptijs in Virginalis vteri capella mirificè celebratis, mellifluii facti sunt Cæli & per vniuersam terram præ magnitudine lætitiæ proclamata sunt solemnia torneamenta. In quorum proclamatione sanctissimis Christi Apostolis adhortatu Virgineæ Dei Matris (prout Sunamitis illa magna, & honorata pro filij resuscitatione Carmelum visitans lucidè præsignarat) se iunxerunt fratres sui Carmelitæ, induti cum eis virtute ex alto.* Nec in hoc pugnaturos aliquos credam, si tamen feruentissimum Beatissimæ Deiparæ pro Filij fidei augumento zelum, & primorum illorum Prophetici Ordinis Asseclarum pietatem sedulò animaduerterint. Eo vel maximè quod ipsius Virginis consortio eo felicissimo æuo potiri potuisse, & in re potitos esse, ea, quæ præcedenti tomo *sub anno Christi* 34. diximus, & quæ in sequentibus dicemus, abundè satis corroborent. a lib. 2. cap. 1. Bostius.

6 Quinam porrò fuerint hi primi Catholicæ fidei pugiles, perduellium Ecclesiæ hostium antigonistæ, & Apostolicæ militiæ pro Euangelij promulgatione socij; quas Orbis regiones peragrarint; quæ in ipsis strenuè gesserint; a quibus missi; quibus ex Apostolis associati; quibusue mirabiliter gestis coruscarint, dicenda suis locis ostendent, quorum alibua *sub anno* 39. notabimus. Nunc iam ad celeberrimum aliud nostrorum Patrum primææ Ecclesiæ facinus progrediamur. Est enim tum nostris, tum pluribus de exteris auctoribus pro comperto, hos primos nostros in legis nouæ crepundijs Carmeli flores Virgini Deiparæ eò dicatos fuisse, vt ipsi Oratorium, Sacellum, seu Cappellam in Carmelo primi nuncupauerint. Quifuerint. Oratorium Virgini Matri nuncupant.

7 Ex quibus vnus de exteris est Iosephus Antiochenus primo seculo Christi Synchronos *in Speculo perfectæ militiæ primitiuæ Ecclesiæ cap. 12. & 72.* celebri illo relato testimonio, & a pluribus tum nostris, tum exteris commemorato: *Perfectorum militum Christi Apostolorum Coadiutores surrexerunt viri strenuissimi, solitarij, contemplationi dediti, sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei sequaces; qui de Monte Carmeli descendentes per Galilæam, Samariam, & Palæstinam fidem Christi constantissime sparserunt. Quiq; Virginis Mariæ honore in Carmeli montis decliuio fabricantes Oratorium Saluatoris Matri specialissimè seruierunt.* Secundus est Armachanus apud Vvaldensem [b] illis verbis: *Vt dicunt fide digna historia à tempore Eliæ, & Elisei, qui sæpius morabantur in Monte Carmeli, iuxta Nazareth ciuitatem Dominæ nostræ ad tria milliaria solebant homines deuoti secretius habitare vsque ad tempora Saluatoris, & tunc illi Eremitæ prædicantibus Apostolis inter* Iosephus Antiochenus. Armachanus. b to.3.tit.9.c.89

cæteros sunt conuersi, & in vno latere montis ipsius primò Ecclesiam, siue Oratorium in honorem B. Virginis construxerunt, in loco illo scilicet, in quo didicerant ipsam in vita sua cum sodalibus Virginibus habitasse. Et ob hoc nimirum inter omnes Religiosos Dominæ nostræ primitus sunt ascripti, vt vocarentur

Trithemius. *Fratres B. Mariæ de Monte Carmelo.* Tertius est Ioannes Trithemius *in libro de laudib. Carmelit. cap. 7.* sic: *Enimuerò non diù post Domini passionem crescente per Iudæam fide Christiana, fratres Montis Carmeli Cappellam in eiusdem Montis latere in Dei Genitricis honorem construxerunt, eamque in Ordinis sui Aduocatam, & Patronam elegerunt, & Fratres eius deinceps appellati*

Badius. *ti sunt.* Quartus est Ascensius Badius clarissimi Poëtæ Baptistæ Mantuani Commentator, qui super ipsius Mantuani carmina inferius afferenda hæc habet de Carmelitis: *Audito fato, id est, morte illius, scilicet Virginis, posuere primi sacellum, id est, templum paruum (vulgus Cappellam vocat) sed sublime, quia in apricis iugis, id est, sub vertice Carmeli, ac ipsi instaurantes, id est, renouantes sacra, id est, solemnitatem quotannis, id est, singulis annis ferebant, id est, offerebant ei hymnos, & thura.* Idem fermè prosequi-

Murrho. tur sextus Sebastianus Murrho alter eiusdem Mantuani scholiastes super eadem ipsius carmina sic: *Propterea dicit Beatissimæ Virgini audito eius fato, id est, excessu, viros qui speluncas Carmeli habitabant, tetricam, ac sanctam illic ducentes vitam, primum sacellum in Carmelo Virgini posuisse, quotannis sacra hymnis, & thure factitasse. Apricis posuere iugis, id est, cacuminibus, iugum montis cacumen græcè. Apricus componitur ab à & phricu frigus, quasi sine frigore, Virgilius:*

Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.

Clichtoueus. Septimus Iodocus Clichtoueus *in quadam concione pro Ordine Carmelitarum.*

Nauarrus. Hos porrò vetustiores sequuntur ex recentioribus Doctor Nauarrus *in Tractatu de Horis Canon. cap. 21. num. 27.* Mantuani mentem eius Carminibus relatis amplectens. Didacus Yepes Tirasoniensis Episcopus *in vita*

Cassarubius. *S. Theresia c. 1.* Alphonsus Cassarubius *in Compend. Priuileg. Mendicant.*

Morigia. dum de Ordine Carmelitar. Paulus Morigia [a], Baptista Confectius *de*

a de orig. Relig. lib. 1. c. 30. *Priuileg. Mendic.* dum de Ordine Carmelit. Carolus de Tapia *in Authent.*

Tapia. *Ingressi verb. Monasteria c. 17. n. 2. & 3.* Hieronymus Platus *de Bono statu*

Platus. Rodriguez. *Religioso lib. 2. c. 22.* Emmanuel Rodriguez [b], Ioannes Carthagena *to. 4. ho-*

b to. 1. qq. regul. q. 2. ar. 5. *mil. homil. pro Carmelit.* Aubertus Miræus *in tract. de Orig. Carmelit.* Thomas

Carthagena. Miræus. Ferrarius Iesuatus *in Historia Imaginis B. Virginis de la Guardia.* Alter Ro-

Ferrarius. driguez [c], Petrus Caluus Dominicanus [d].

Alter Rodrig. *c in Compend. resol. 23.* 8 De nostris autem primus id docuit Ioannes Hierosolymitanus *lib.*

d in defensione Relig. l. 2. c. 13. *de Instit. Monach. cap. 36. alias 43.* sic: *Et in memoriam visionis de ortu huius*

Ioannes Ierosolymitan. *Virginis praostensa sancto Propheta Elia sub specie nubeculæ ascendentis de mari in Carmelum, Monachi prædicti anno Incarnationis Filij Dei octogesimo tertio diruentes eorum seunion antiquum ædificauerunt ad honorem huius primæ Virginis Deo dicatæ Cappellam quandam in Monte Carmeli iuxta fontem Eliæ in situ illo, in quo Elias orans viderat nubeculam illam quasi vestigium hominis*

de

de mari ascendere in Carmelum, vbi professores prædicti seipsos huic Virgini commendantes singulis diebus in septem horis canonicis ad effundendum dictæ Virgini, & eius filio sedulas preces ex nunc semper conuenerunt, ibique de verbo diuino, culpisque vitandis, & animarum salute procuranda humili colloquio ad inuicem contulerunt. Et propterea cæteri etiam ab eorum Religione externi eos deinceps fratres B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli semper appellauerunt. Item Ioannes Bacco perillustris Doctor *in Compend. Histor.* quod habetur *in Speculo Ordinis fol. 56.* vbi *cap. 3.* dum agit de causis, propter quas Summi Pontifices titulum Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo nostræ Religioni concedunt, inquit: *Post Incarnationem quoque Oratorium in Carmelo sub titulo Beatæ Mariæ erexerunt, propter hoc ab ea rectè sunt intitulati.* Sequitur Ioannes de Malinis vetustus etiam auctor *in Speculo Historiali c. 5.* his verbis: *Post Ascensionem verò Domini Iesu Christi, quia ipsi Eremitæ in Monte Carmeli ad honorem B. Mariæ Virginis cappellam specialiter construxerant, vbi deuotè eidem Virgini gloriosæ Mariæ seruiebant, idcircò eius titulum retinère elegerunt, & ex tunc fratres B. Mariæ Virginis appellari voluerunt.* Dixerat autem in principio eiusdem capitis 5. *Post Ascensionem Domini cum in Iudæa, & Samaria, à Christifidelibus ædificaretur Ecclesia, Religiosi Eremitæ de Monte Carmeli specialem deuotionem Genitrici Dei habentes in eodem Monte Carmeli iuxta fontem Elię Cappellam quandam in honorem B. Marię Virginis primò deuotissime construxerunt: vbi singulis diebus horis statutis ad effundendum Dei preces, & eius Matri conueniebant.* Et Ioannes de Cimineto *in Tractatulo Speculum Ordinis nuncupato cap. 4.* sic: *Fratres verò tempore quo Ecclesia per totam Iudęam, & Samariam ędificabatur post ascensionem Domini in eodem monte iuxta quendam fontem, vbi habitauit Elias, Oratorium in honore B. Marię Virginis primi construxerunt.* Accinit & informatio quædam Religionis nomine iam olim Summo Pontifici oblata per Generalem Olerium, de qua supra *num. 1.* in qua *art. 1.* sic habetur: *Qui tandem per prędicationem Apostolorum fidem Christi suscipientes Oratorium in honore Beatę Virginis Marię Dei Genitricis in decliuio ipsius Montis construxerunt, & ipsam in specialem Patronam elegerunt, vt patet rubrica prima antiquarum Constitutionum Ordinis prędicti.* Præterea Ioannes de Vineta in Tractatulo, qui incipit: *Cum quidam fratres*, sic ad intentum: *Quorum successores post incarnationem Domini nostri Iesu Christi Oratorium in honorem Beatissimę Virginis Marię Matris Dei construxerunt, & ipsius titulum elegerunt, & ob hoc Fratres Ordinis B. Marię Virginis de Monte Carmeli deinceps per Apostolica priuilegia sunt vocati.* Et infra *cap. 3.* sic: *Anno Incarnationis Christi 83. Fratres Carmelitę diruentes eorum seniorum antiquum ędificauerunt primę Virgini Deo dicatę, scilicet B. Marię Genitrici Dei, Cappellam quandam in Monte Carmeli iuxta fontem Elię in situ illo, in quo Elias orans viderat nubeculam quasi vestigium hominis de mari ascendentem in Carmelum, vbi professores prędicti seipsos huic Virgini commendantes singulis diebus in septem horis canonicis ad effundendum dictę Virgini, &*

Bacco.

Malinis.

Cimineto.

Olerius Generalis.

Vineta.

eius

eius Filio sedulas preces, & supplicationes, atque laudes etiam tunc semper conuenerunt. Et propterea cęteri ab eorum Religione externi eos deinceps Fratres B. Marię de Monte Carmeli semper appellauerunt. Ioannes verò Grossus Generalis *in suo Viridario claui* 1. hæc habet: *Ipsi primi ad honorem ipsius gloriosę Virginis Cappellam fabricauerunt eius eligentes titulum.* Item Baptista Mantuanus *lib.* 3. *Parthenices* sic:

Grossus.

Baptista Mantuanus.

Propterea Montana viri spelæa colentes
Audito illius fato sublime sacellum
Apricis posuere iugis, atque quotannis
Sacra instaurantes hymnos, & thura ferebant.

Et *lib.* 2. *de patientia cap.*17. sic: *At postquam Christi Mater Maria functa est vita, ipsi sacellum in eodem Monte primi construxerunt.* Item in *Apolog. pro Carmel.* his verbis: *Sepulturę interfuerunt, ęternum vale dixerunt. Demum cum summa animi amaritudine reuersi mox sacelli fundamenta iecerunt Marię titulum imponentes, vt illuc quotidie tanquam in Mariæ domum conuenirent.* Præterea Martinus Italus apud Palæonydorum *lib.*2.*cap.*8. *Præterea quoque Prophetarum filij sacram ędem nomini Virginis postquam in Cœlo fuit assumpta primi dedicasse perhibentur.* Et ipse Palæonydorus ibidem: *Septima ratio est, primaria Ecclesię à Fratribus Elię in Monte Carmeli in Virginis honore constructio. In eo videlicet loco vbi didicerant eam cum sodalibus suis sępe moram traxisse.* Hæc ex priscis, & vetustioribus Ordinis Chronologis excepimus; recentiores, aut minus veteres prætermittentes, quod ipsi vetustiorum vestigijs insistentes eadem fermè verbis mutuatis scripserunt.

Martinus Italus.

Palæonydorus.

S. Congregatio Rituum.

9 Sed quæ Ecclesia, Sacra videlicet Rituum Congregatio, non semel, sed iterum, videlicet sub Paulo V. & Vrbano VIII. in lectionibus solemnis Commemorationis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo legenda præcepit, hìc apponere libuit, vt ea quæ historici tum nostri, tum exteri dixerunt, maioris auctoritatis veluti fulcro communita persistant: *Cum sacra Pentecosties die Apostoli cęlitus afflati varijs linguis loquerentur, & inuocato augustissimo Iesu nomine mira multa patrarent, viri plurimi, qui vestigijs Sanctorum Prophetarum Elię, ac Elisei institerant, & Ioannis Baptistę preconio ad Christi aduentum comparati fuerant, rerum veritate perspecta, atque probata, Euangelicam fidem confestim amplexati sunt, ac peculiari quodam affectu Beatissimam Virginem (cuius colloquijs, ac familiaritate feliciter frui potuere) adeo venerari cœperunt, vt primi omnium in eo Montis Carmeli loco vbi Elias olim ascendentem nebulam Virginis typo insignem conspexerat, eidem purissimæ Virgini sacellum construxerint. Ad nouum ergo sacellum sæpe quotidie conuenientes ritibus pijs, precationibus, ac laudibus Beatissimam Virginem velut singularem Ordinis tutelam colebant. Quamobrem Fratres B. Marię de Monte Carmelo passim ab omnibus appellari cœperunt, eumque titulum Summi Pontifices non modò confirmarunt, sed & indulgentias peculiares ijs, qui eo titulo vel Ordinem, vel Fratres singulos nuncuparent, concessere.*

Circa

10 Circa hæc porrò tum Ecclesiæ, tum veterum, & recentiorum, tam nostri, quam exteri Instituti Doctorum testimonia, quibus constanter, & vnanimiter asseritur priscos illos Carmelitici Montis Colonos infantis Ecclesiæ æuo florentes Virgini Matri Oratorium, Cappellam, seu Ecclesiam dedicasse, de quibusdam præmonendus Lector nostræ historiæ scopo proprijs, & internis. Illud quidem primò, hanc veritatem veluti per iugem traditionem a nostratibus semper conseruatam, & de senioribus ad iuniores inoffenso pede deriuatam fuisse. Vt enim omittamus omnes Ordinis Historicos, quorum aliquot retulimus, eam vltro acceptasse, & confirmasse, exarata inuenitur in antiquissimis Religionis nostræ Statutis, quæ circa annum Christi 1200. a B. Brocardo inter Generales Latinos secundo edita fuere, prout rectè Petrus Vvastelius *in Vindicijs libri Ioannis Ierosolymitani de Instit. Monach. ar.* 14. & de quibus Alexander IV. in diplomate ab eodem Vvastelio relato, prout etiam colligitur ex testimonio Generalis Bernardi Olerij, quod supra *num.* 8. attulimus. Horum porrò statutorum verba, quæ etiam habentur in Constitutionibus vetustis Ioannis Soreth, & in alijs Nicolai Audeth, Ioannis Caffardi de Senis, & nouissimis Gregorij Canalis Generalium *p.* 1. *cap.* 1. olim verò *rubr.* 1. sunt hæc, eò libentius a nobis relata, quo simul cum Sorethanis Constitutionibus approbata sunt a Clemente VII. sub anno 1524. sub die 2. Aprilis litteris datis, & in Constitutionibus Nicolai Audeth appositis: *Cum quidam Fratres nostri Ordinis iuniores, quærentibus à quo, vel quomodo Ordo noster sumpsit exordium, vel quare dicimur Fratres Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ de Monte Carmeli, nesciant satisfacere competenter. Hinc est quod in scriptis formam talibus respondendi volumus relinquere, & testimonium veritati perhibentes, dicimus quod à tempore Eliæ, & Elisei eius discipuli, montem Carmeli, qui non longe ab Achon distat, deuotè inhabitantium, multi Sancti Patres tam veteris, quàm noui testamenti, solitudinis Montis eiusdem pro contemplatione cælestium veri amatores, ibidem iuxta fontem Eliæ, in sancta pænitentia sanctis successoribus continuata; sunt proculdubio conuersati laudabiliter, ac religiosè, prout testatur 4. Regum Historia cap.6. Et Iosephus Antiochenus lib. de perfecta militia primitiuæ Ecclesiæ cap.12. dicens: Perfectorum militum Christi, Apostolorum Coadiutores surrexerunt strenuissimi viri solitarij contemplationi dediti, sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei sequaces, qui de Monte Carmeli descendentes per Galilæam, Samariam, & Iudæam fidem Christi constantissimè sparserunt, quique in Mariæ Virginis honorem in Montis Carmeli decliuio Oratorium fabricantes, Saluatoris Matri specialissimè seruierunt. Et hac ratione ipsius titulum elegerunt, vt dicerentur Fratres B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli: Et ita deinceps per Apostolica priuilegia sunt vocati.* Ordinis antiquissima statuta.

11 Secundò prætermittendum non vnum tantum Sacellum, seu Oratorium, aut Cappellam, sed duo, aut duas a nostris illis primæuis Carmelicolis in eo Monte Deiparæ Virgini dicata fuisse: vel potius Duplex Oratorium, seu Cappella.

vnum

vnum dumtaxat, diuersis tamen temporibus, & locis extructum, mutatum, seu translatum, ex præfatis testimonijs, alijsque congruis fundamentis elici posse. Ea enim, quæ de talis Cappellæ, Oratorij, seu Sacelli erectione referunt, proculdubio non vnum, aut vnam singulariter fuisse liquidò ostendunt. Primò quidem, quia cum Iosephus relatus, Informatio a Generali Olerio Papæ facta, quin & Constitutiones antiquissimæ; quas etiam retulimus, Oratorium illud dicant *in decliuio Montis Carmeli* eidem Virgini Carmelitas fabricasse; Armachanus etiam, & Trithemius relati *in vno latere eiusdem Montis* præfatum Oratorium, seu Cappellam constructa esse dicant, proculdubio denotare videntur se de alio Oratorio, seu Cappella loqui, quàm Ioannes Hierosolymitanus, Generalis Grossus, & (quod magis est) Sacra Congregatio Rituum in lectionibus adductis, dum dicunt tale Oratorium, Cappellam, seu Sacellum dicata Virgini a Carmelicolis fuisse in situ, loco, seu Carmeli Montis parte, qua *Elias orans viderat nubeculam illam eiusdem Virginis typo insignem de mari ascendentem*. Certum enim est ex ipso Sacro textu 3.*Regum* 18. eam nubeculam vidisse non in decliuio, aut latere Montis Carmeli, sed ipso vertice. Sic enim dicitur ibi, *vers.* 42. *Elias autem ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, & dixit ad puerum suum: Ascende, & prospice contra mare. Qui cum ascendisset, & contemplatus esset, ait: Non est quidquam. Et rursum ait illi: Reuertere septem vicibus. In septima autem vice, Ecce nubecula parua, quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Secundò id colligimus ex ijs, quæ ex veridica Carmeli Montis descriptione a diligentissimo auctore edita tom. 1. sub anno 3288. attulimus, ibi enim duo in eo sacro monte loca Deiparæ Virginis deuotione præclara recenseri videmus ab eiusdem Montis incolis celebrata. Alterum est cauerna, seu spelunca Eliæ *Kader* vocata, & a Mahometanis solitarijs, Anachoretarum instar, hoc tempore habitata in Carmeli promontorio, & angulo occidentali ipsius, qui respicit Septentrionem, & Ptolemaidam, sita, quæ vt ibi dicitur, *longa est circiter viginti passus, lata & alta decem, maximeque deuotionis tum apud Christianos, tum Iudæos, & Mahometanos*. Subiungiturque: *Intus ad læuam ingredientium est alia cauerna sex passus longa, & lata: ibi traditur fuisse multoties B. Virginem, & fuit cella S. P. N. Eliæ (nam in maiori congregabantur filij Prophetarum tanquam in Oratorio)* In qua cauerna est, vt dicitur, altare cum imagine B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo cum lampade ardente. Alterum est ædicula quædam in honorem eiusdem B. Virginis ab antiquis dicata, quæ sic describitur in prædicta Relatione: *In summitate promontorij sunt ruinæ Conuentus, in tempore quo S. Ludouicus attulit in Europam nostros Patres, vocatur ab incolis Turcis* S. Elias: *Adhuc extant aulæ, & cella integra ex lapide quadrato. Retro ad Orientem est ædicula prima in toto Orbe ædificata in honorem B. V. Mariæ distans circiter ducentos passus à dicto Conuentu*. Ex ijs autem clarè

Quibus locis.

elici

elici videtur duo loca Virgini Matri in Carmelo ab antiquis dicata, nunc etiam ibi conspici; Cappellam videlicet illam in spelunca Eliæ ad læuam ipsius existentem; & ædiculam aliam in promontorij summitate etiam consistentem. Cum autem cauerna illa, seu Eliæ spelunca in decliuio, seu latere montis, vel promontorij sita conspiciatur, proculdubio diuersa est ab ædicula alia in montis summitate extructa, ac proinde iure duo Virgini sacra nuncupata loca in Carmelo adstruenda. Quod etiam tertiò infertur ex eo quod in relatis testimonijs, vt inspicienti constare poterit, quandoque dicatur id factum post eiusdem Virginis in Cælum assumptionem, quandoque verò *non diu post Domini passionem, seu post incarnationem, aut post ascensionem*; quæ diuersitas diuersitatem quoque talis Cappellæ, seu Oratorij subindigitat. Et ita hanc sententiam amplectitur inter alios Ioannes Pintus de Victoria vir doctus & pius, ac Prouinciæ Aragoniæ Prouincialis [a]. *a In Hierarch. Carmel. tract. 5 cap. 1.*

12 Quo autem tempore, quoue Christi anno, quo loco, aut situ Carmeli Montis, quibus etiam fautoribus, & ad quem finem huius duplicis ædiculæ, Cappellæ, seu Oratorij erectio effecta, quomodo etiam cum veritate historica cohæreat, quod in relatis testimonijs affertur, videlicet, Carmeli cultores inter alios primò tam pij in Deiparam Virginem obsequij auctores fuerint, dicenda sub annis sequentibus, prout nempe occasio tulerit, præsertim sub 83. explanabunt. Interim ad aliud etiam, illudque valdè egregium Nostratum encomium, de prima videlicet Fratrum B. Mariæ Virginis nomenclatura, gradiendum. *Quo tempore.*

13 Vt enim ex prællatis testimoniorum monumentis eruitur, propter huiusmodi Cappellæ, ædiculæ, Sacelli, vel Oratorij erectionem, primi illi nostri Parentes Carmeli coloni eo Christianæ Religionis infantili æuo *Fratres B. Mariæ de Monte Carmelo passim ab omnibus appellari cæperunt*; prout eisdem verbis habetur in officio Commemorationis solemnis eiusdem Beatissimæ Virginis ab Ecclesia sæpius approbato, quod retulimus supra *num.* 9. Idem sumitur ex testimonijs Ioannis Ierosolymitani, Armachani, Trithemij, Bacconij, Vinetæ, Grossi, & aliorum, quæ recensuimus, ac communi nostrorum historicorum calculo. Accinit exterus doctor Iodocus Clichtoueus *in quadam concione*, vbi de hac nomenclatura extollenda ait: *Nomen sibi vendicant, Fratresque B. Mariæ nuncupantur. Qui quidem titulus non nouitius est, neque arbitraria recentiorum institutione Carmelitis designatus, sed Apostolorum tempore illis ascriptus.* Animaduertunt autem plures, quod etsi sequentibus seculis *Fratres Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo* Nostrates nuncupati fuerint, primæuus autem, & veluti genuinus eorum titulus Apostolorum æuo ipsis designatus, sublata illa particula *Ordinis* (quia eo seculo vbi tantum Elianus, & Propheticus Ordo vigebat, forsan veluti superflua censebatur) est *Fratres B. Mariæ de Monte Carmelo*. Quamuis autem pro illustrissimi huius stemmatis præconio grauissima plura dici possent, nos tamen, qui *Titulus Fratrū B. Mariæ.*

histo-

historiæ legibus modò obstringimur, cygneis aliorum cantibus cedentes, ad alia properamus; vnum dumtaxat præterire non possumus. Ex præclarissima nempe Fratrum B. Virginis nomenclatura maternitatem eiusdem Deiparæ erga Eliades nostros graphicè indigitari. Notum enim est matres filijs nomina imponere solitas. Sic Eua Caino suo primogenito vocabulum indidit. Sic & Iacobi Patriarchæ natos a fœminis sortitos esse nomina Doctores animaduertunt. Sic Samsonis mater; sic Anna Samuelis parens, & innumeræ aliæ fecerunt. Quid ni ergo quod

Qua de causa. Maria Sanctissima, quæ iuxta Sixti IV. diploma *Dum attenta* sub anno 1476. editum, *produxit sacrum hunc Ordinem* (ea scilicet ratione, quia vt diximus *to. 1. sub anno* 4086. *nu.* 44. Elias primus ipsius Archipatriarcha, cum in honorem tantæ Virginis excirauit) hunc gloriosum titulum eidem indiderit? Indidit sanè (vt idem Pontifex eo diploma te testatur)

Ad quem finē. *vt ob eiusdem Virginis reuerentiam Ordo ipse à Christi fidelibus meritò peramplius veneraretur, ipsique fideles propterea eiusdem Virginis Mariæ adiuti suffragijs æternæ retributionis præmia facilius consequi mererentur*. Abeat ergo infelix Zoilus, si quis est, nugetur æmulator, si adsit, dum tamen Ecclesia, summique Pastores, quos suis locis referemus, hunc titulum sæpius nobis confirmarint. Audiat interim grauissimum, & reuerendissimum Trithemium Benedictini Ordinis celebrem Doctorem in suo *de laudibus Carmelitarum lib. 1. cap. 1.* sic loquentem. *Cur inuides Fratribus Carmelitis Ordinis sui titulum, quem eis contulit Regina Cælorum?*

Trithemius. *Enimuerò si Domina mundi se Carmelitis sororem exhibere voluit, quis ei contradicere potest? An non licet ei quod vult facere? An oculus tuus nequam est, quia ipsa bona est? Noli turbari, noli irasci, noli frendere dentibus; nemo Reginam Cæli prohibere potest, quominus Carmelitas suos Fratres appellet, & filios. Non friuola loquor, non falsa; cum Summi Pontifices Romani, Petri successores, Carmelitas non aliter appellare consueuerunt; quàm Fratres Dei Genitricis*. Et pro coronide quæ idem Abbas Trithemius *in præfatione ad eum librum* sic scripsit. *Magnam huius Ordinis institutio laudem promeruit: quam Regina Cæli suo vocabulo insigniuit. O verè beata vnio, quę tantæ Parentis munita præsidio in æternum firma consistit? Sub Dei Matris protectione Carmeliticus Ordo quiescit, & idcirco nulla vnquam aduersa formidabit. Gaude decus Carmeli: te mundi Sator ob Matris honorem diligit: te Domina mundi Virgo Maria, vt oculi pupillam, custodit: te supernæ patrię ciues colunt, amant, & laudant; nomen & honorem Imperatricis suæ in te sedulo venerantes. Recti quoque diligunt te, memores pulchritudinis tuæ. Te nemo veraciter diligit, nisi bonus: nemo instructionem tuam odio habet nisi peruersus. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis Euangelij pacis, quàm venusta facies, quam elegans forma, quàm decorus aspectus. Beati cultores tui, qui ambulant in semitis veritatis, qui contemptis mundi rebus, tua præcepta deuota sinceritate custodiunt. Maior es, ò Carmeli sacrata Religio, quàm vt verbis meis valeas prædicari. Silere à tuis laudibus non*

valeo,

valeo, quoniam quod virium negat infirmitas, charitas subministrat.

14 Ex ijs porrò lucem accipiet id, quod in prædictis testimonijs asseritur, videlicet, priscos illos Carmeliticæ Familiæ alumnos Beatissimam Dei Matrem in sui Ordinis Patronam, & tutelarem elegisse. Id enim primo elicitur ex Ecclesiæ testimonio verbis relatis supra *num.9.* scilicet: *Beatissimam Virginem velut singularem Ordinis tutelam colebant.* Expressit & id Trithemius verbis *supra num. 7.* allatis: *Eamque in Ordinis sui Aduocatam, & Patronam elegerunt.* Et Generalis Olerius *supra num. 8.* adductus illis verbis: *Ipsam in specialem Patronam elegerunt.* Idque sequitur ex præmissis. Ipsa namque Fratrum B. Mariæ nomenclatura eisdem tributa ipsos eam in specialem tutelarem, & matrem selegisse, non obscurè subindicat. Notum enim apud peritos id est, vt nomina rei euentui accommodari soleant, ita vt nomina, quasi *omina* sint veritatis. Id ita esse patet in nomine Adam, Eua, Seth, Cain, Noe, Abraham, Ismael, Isaac, & Iacob, vt apud Sacræ paginæ curiosos explanatores facilè reperitur. Id ipsum imitati sunt Romani, Græci, Germani. Romani, qui Coruinum a coruo, qui eis in castris victoriæ omen dedit; Cæsarem a cæsarie cum qua natus proditur; Caligulam a caliga militari, qua sæpè vtebatur, appellarunt. Sic Pisones, quod optime pisa sererent, ita nuncupati sunt; sicut Cicerones a cicere, Fabij a faba, Lentuli a lente optimè serenda nomen acceperunt. Sic Ancus a *vitioso cubitu*, inquit Festus, nominatus est, cubitus enim Græcè *ancos* dicitur. Sic Seruius, quod è matre serua genitus esset, Paulus a parua statura, Torquatus a torque, quem Gallo in pugna detraxit, Plancus a planis pedibus vocatus est. Sic Scipio cognomen fuit Corneliorum, cui P. Cornelius auus P. Cornelij Scipionis Africani, qui Annibalem deuicit, initium dedit. Hic enim eo quod patrem vice scipionis regeret, & duceret, primus Scipio cognominatus est, illudque cognomen ad posteros transmisit. Græci, qui appellarunt Platonem quasi latum a latis humeris, cum antea Aristocles vocaretur, Chrysostomum, quasi os aureum ab eloquentia, Leonicum quasi Leonis, Stratonicum, quasi exercitus victorem; Demosthenem, quasi populi firmamentum; Aristotelem, quasi optimum finem; Gregorium quasi vigilem; Diogenem quasi Ioue genitum, Aristobulum quasi optimi consilij virum; Theodorum quasi donum Dei; Hippocratem quasi equino robore præditum; Callimachum a pulchra pugna nuncuparunt. Germani, & Belgæ, qui Fredericum quasi pacis diuitem, id est, planè pacificum; Leonardum quasi leoninæ indolis; Cunonem, quasi audacem; Cunradum, quasi audacis consilij; Adelgisium, quasi nobilis spiritus; Canutum ab exhauriendis poculis; Pharamondum, vel Framondum a venustate oris nominarunt. Sic Gulielmus a deaurata galea, Gudela, quasi bona pars, aut sors; Lotharius, quasi plumbeum cor; Leopoldus, quasi leoninus pes; Lanfrancus, quasi diuturna libertas; Vvolfgangus, quasi lupinus incessus vocatus est. Plura vide apud

Eligunt Carmelitæ Deiparam in Patronam.

Nominum variæ deriuationes.

Goropium Soriecchium, & Pontum Heutterum *in Belgio*. Pariter ergò ad intentum, Fratrum B. Mariæ nomenclatura ipsius in ipsos Patronatum denotabit, ne vacuum nomen sit.

Obiectio. 15 Si verò contra præfata vrgeat aliquis, ipsa veritati consona non videri; siquidem sæpe sæpius, vt in discursu præsentis tomi dicemus, Eliani Ordinis professores non quidem præfato titulo *Fratrum B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, sed Essenorum, Anachoretarum, monachorum*, & similium nuncupatos fuisse. Animaduertat primò, hanc nomenclaturam forsan non omnibus Eliani instituti professoribus eo primo seculo, ac insuper alijs vulgariter concessam fuisse, sed illis dumtaxat, qui veluti eiusdem sanctissimæ Matris Sacellani ipsi in Carmeli Monte Sacello, vel Sacellis deseruiebant. Et hoc præsertim ab eis, qui per id tempus in illis montanis, & circumcirca regionibus tale munus eorum notum erat, non exteris alijs. Accedit, iuxta Sacræ Scripturæ phrasim nominis noui impositionem vetusti nominis, aut etiam alterius nomenclaturæ non derogare, sed solùm permittere, vt vtroque nomine, modò vno, modo altero res nominata vocitari possit. De quo Cornelius a Lapide *in Canonibus, in Pentatheuchum Canone* 16. aptè sic scripsit: *Quando sacra Scriptura nomen nouum alicui imponit, intelligenda est non adimere nomen prius, sed posterius addere priori, vt iam vtroque nomine possit, modò vno, modò altero nuncupari. Sic Genes.* 35. 10. *dicitur: Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel, sensus est q. d. Non tantum Iacob, sed etiam Israel appellaberis; sæpè namque postea adhuc Iacob vocatur. Sic Gedeon Iudic.* 6. *v.* 32. *dicitur ex eo die vocatus Ierobaal, & nihilominus pergit Scriptura eum vocare Gedeonem. Sic Simon postquam à Domino vocatus est Cephas, non rarò post adhuc Simon appellatur.* Simili ergo iure, etsi a primo Christi æuo Fratrum B. Mariæ titulo Eliani, & Prophetici Ordinis professores appellari cœperint, nihil obstabit quominus alijs vetustioribus nomenclaturis postea sæpius etiam compellati fuerint.

Præcluditur.

Tituli corroboratio. 16 Hunc etiam gloriosum titulum valdè corroborant ea, quæ *to.* 1. *sub anno Christi* 34. de familiari commercio pijssimæ Virginis cum suis contribulibus, locoque vicinis, Carmeli eremitis, diximus, quæ etiam Ecclesiæ testimonio supra *num.* 9. relato, verbisque Armachani, & Palæonydori etiam adductis fulciuntur. Fauet Ioannes de Cimineto *in Tractatulo Speculum Ordinis dicto cap.* 4. illis verbis: *Ipsa etiam* (scilicet B. Virgo) *personaliter in ipso sancto Monte Carmeli cum sanctis Virginibus & Religiosis eiusdem loci frequenter dicitur habitasse, tum propter sanctitatem loci, & deuotionem ibidem habitantium, tum propter vicinitatem locorum.* Quæ non mediocriter testimonio quoque egregij Doctoris Baptistæ Mantuani *in Apologia pro Carmelitis* robur accipiunt; tale est, etsi lima dignum: *Quoniam Mons Carmelus erat sanctitatis nomine diffamatissimus, accedebant illuc frequenter, cum vacabant, ex vicinis locis Religionis amatores viri, ac mulieres, & præsertim cum matre Virgo paruula, & iam adulta, & cum viris illis*

An Deipara Carmelum inuiserit.

Mantuanus.

illis sanctissimis, quos auctores habuerat sancti propositi, tantam familiaritatem contraxit, vt quoties poterat, vel ad eos accederet, vel eos ad se accersiret, subministrans etiam eis secundum facultates multa necessaria; erant enim pauperes, ac mendici contemplationi diuinorum penitus addicti. Post Christi passionem, cum iam Apostoli, & præsertim Ioannes Euangelista, cui fuerat à Christo commendata, pulsi à Iudæis ad Gentes transmigrassent, domum se retraxit: Nazareth peruenit, & frequenter veniebat in Carmelum quærens medicinam suo cordolio, familiariter alloquebatur viros illos, curas eis suas explicabat, cum fiducia lamentabatur; & ipsi cum ea pariter affecti tristabantur mutuò, & collacrymabant. Restabat ei solum hoc solatium, non habebat alios cum quibus posset liberè loqui, apertè lamentari, & mitigare suspirijs mentis ardorem. His fermè similia *lib. 3. Parthenices Marian.* applaudentibus eius expositoribus Iodoco Badio Ascensio, & Sebastiano Murrhone:

In vidua deserta domo rerum indiga Virgo
Coniuge defuncto, natoque in regna recepto,
Ducebat tristi vitam mærore iacentem.
Iam caras olim comites Martham, atque sororem
Eurus ad Occiduum tulerat sine remige littus,
Propterea amissi quærens solatia Nati
Palladiæ collem dederant cui nomina sylue
Et loca, quæ curare magis quondam ille solebat
Assiduè, tanquam prolem visura petebat.
Impatiens amor est, maioraque viribus audet
Seque reperturum credit, quæ ardentius optat.

Et inferius post Carmeli nostri graphicam descriptionem de eo subiungens.

Huc igitur si quando quies vacuumque negoci
Tempus erat, veniens curas lenibat, & ipsa
Maiestate loci largè oblectata redibat.

Hæc, vt diximus, etsi a grauissimo doctore prolata, lima egere censemus. Primò enim qualiter verba illa: *Quos auctores habuerat sancti propositi* capi debeant, ne dicamus Elianos illos Anachoretas magisterium erga Virginem Apostolorum magistram exercuisse, *to. 1. sub anno Christi 11. n. 4.* diximus. Illud etiam: *Quærens medicinam suo cordolio*, sicut & illud: Quomodo intelligendus.

Ducebat tristi vitam mærore iacentem,

si ad trutinam vocentur, vix propriè intelligi possunt, cum Sanctissima Virgo Christi Resurrectione, Ascensione in Cœlum, consessuque ad dexteram Patris inspectis, adiuncta etiam perfectissima ipsius cum Dei voluntate vnione vix tanto dolore ob ipsius mortem affici posset. Etsi fatendum sanè sit, charissimi pignoris corporalem absentiam dulcissimæ Matri quandoque lacrymas eruisse. Quod forsan Mantuanus dumtaxat sensit, etsi poëtica licentia rem hyperbolicè, & iuxta vulgi sensum ampliaue-

plauerit. Quo etiam sensu duriuscula alia ex eodem Mantuano relata pie accipienda. Illud certius, iuxta eo loco dicta, Deiparæ felicissimo consortio sæpius Carmeli incolas frui potuisse, vt propterea (ad intentum nostrum) titulo clarissimo Fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli eo æuo cognominari cœperint.

Obiectio. 17 Nec dictis obuiat, quod Beatissima Virgo post Christi in Cœlum Ascensionem Ephesum cum S. Ioanne credatur contendisse, prout ex epistola Ignatij martyris ad ipsam, & ipsius ad illum responsione, Flauio Dextro circa *annum Christi* 41. Heleca Cæsaraugustano in *suis additionibus*, immo ex Patribus magni Concilij Ephesini *cap. 26. vel 27.* habetur. Nam præterquam quod de hac historia dubitare videtur Epiphanius, quem refert, nec reijcit Baronius *sub anno Christi* 44. in d. loco Concilij solùm

Solutio. habetur Ephesinorum ciuitatem Deiparam Virginem *quandoque* incoluisse. Quo admisso locus datur, vt partem aliam temporis apud Nazarethum, & Carmelum vicinum, vel ob locorum sanctitatem venerandam insumpserit, eo saltem tempore quo Ephesum, & Asiam iter faciens pergebat. Quod non obscurè elici etiam potest ex testimonio Mantuani relati ex *Apolog. pro Carmel.*

18 Quę verò pius, & grauis Auctor noster Arnoldus Bostius ex sacra huiusmodi Carmeli, Carmelicolarumque visitatione per Angelorum Reginam facta in suo libro de Patronatu Virginis *cap. 1.* eliciat, sic damus:

Bostij pia meditatio. *Felices illi & planè felices, multumque beati, quos tam sublimis superpijssimæque Matris conspectu, affatu, conuentu, beneuolentissima dignatione, tam fauorabili complacentia, familiarique contubernio frui licuit, ac moribus, virtutibus, & exemplis tam virtuosissimæ Dei cultricis institui (cuius omnis actio virtus fuit, & sermo doctrina) sua honesta, & virginali facetia formari, per quam & ipsa tacente omnis virtutis exemplaritas loquebatur; quos ab olim sibi dicatos acceptauit placidè sicut vbiquè tam inter sui titulos affixit, & tanquam sub alis cælestem illam militiam comprehendit. Quot putas gratiarum munera, quot sanctitatis exempla (cum ex conuictu formentur mores) quot flores gaudij multiplicis ex horto deliciarum tam redolentissimo, à fonte tam viuido, à Religionis magistra perfectissima, ab omnis modestiæ, virtutis, & honestatis speculo relucentissimo sacri illius temporis Carmelitæ dignoscuntur hausisse? Si vel vno ingressu Mariæ ad Elizabeth in ipso salutationis occursu tantus venit profectus gratiæ, vt infantis necdum nati anima liquefieret, in motum exultationis erumperet, eique gratanter occurreret seruitio dulciori; quem virginali substantia persensit infusum, repleretur insuper Spiritu Sancto mater infantis, à reuelatione secretorum, & actu prophetandi donaretur; quantum putamus vsu multi temporis Fratribus Carmelitis beatifica Mariæ contulisse præsentiam tam felix, & amorosum intemerata Virginis consortium, sanctificum, & diuinitus afflatum charitatis eius alloquium? cuius ipsa corporis species (teste Ambrosio) simulacrum fuit mentis, & figura probitatis:*

Lilia florebant, cum matris verba fluebant

Dum

Dum pia voce fouet quasi natos vbere nutrix
Dulcia condito cum sale mella rigans.

Cæli manat delitijs conuictus Mariæ. Sicut enim propter arcam Domini benedixit Obededum Deus, sic & Eliæ, credo, & sacrum Carmeli gregem augustissimi voti cõpotem, tantæ doctricis exemplis, ac doctrinis institutum, reuerentia suæ frontis, & suorum actuum admiratione vtique sanctiorem sæpius exclamasse, dum copiosa suæ charitatis viscera in se redundare persenserunt: Vnde hoc nobis, vt veniat Mater Domini nostri ad nos? Sicut aquila prouocat ad volandum pullos suos, & super eos volitans; quia dum verbo salutat, virtute sanctificat. Beatissima es, ô iubilosa Maria, quæ credidisti quoniam perficientur in te omnia, quæ de te sunt ex prophetali choro verbis, & figuris prænunciata; cuius saluberrima toti mundo fœcunditas integritatem non minuit, sed sacrauit. Tu legis impletio, figurarum finis, Prophetarum declaratio, exhibitio veritatis es. O mater felicissima, quam hactenus expectauimus, quæ Ordinem nostrum instituisti, ordinasti, & perfectissimè tenes. Omnes tibi solo tenus prostrati gratias agimus; Carmelitani Collegij semper colenda Parens prima: quicunque montis huius incolatu fruimur tuis corda de fontibus rigamus; tuo ducatu directos, tuis suffragijs adiutos, tuo nos lumine illustratos, & in te tuosque mores transformatos ingenuè profitemur, tuis denique auspicijs ad hanc, quantulacunque est, propositi sanctitatem nos peruenisse confitemur, dum cunctus nostræ salutis consultus in tuo sancto patrocinio respiciat. Nihil tuis præsidijs nobis melius, aut tuo consultu iucundius. Mane igitur nobiscum ô Domina nostra Maria, refugium tuo petimus in gremio; decet matrem stare cum filijs, magistram cum discipulis, Abbatissam cum subditis, dominam cum seruulis demorari: cuius humilitas gratiam, gratia gloriam, gloria dignitatem, dignitas præcelsam beatitudinem comparauit. Cui Sanctus Pater Elias se suosque dicauit, quæ Carmeli totam propaginem à stirpe tuis meritis superegregijs ornas. & nobilitas:

Vitis vt arboribus decori est, vt vitibus vuæ
Vt gregibus tauri, segetes vt pinguibus aruis
Tu decus omne tuis.
Flos redolens, & oliua virens, genimenque venustum
Virtutum speculum, clara lucerna poli es.
Tu alterum mundi Virgo pretiosa talentum
Ac aliud pretium prosperitatis ades.

19 Firmitatis quoque pondus accipiunt ea quæ diximus, simulque intenti nostri scopus propiùs attingitur, si animaduertatur, quod iuxta dicta *to. 1. sub ann. Christi* 34. tempore Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Christi, mansionem apud Hierosolymam antiqui nostri Eliades sub nomine saltem Essenorum, vel simili habebant. Si enim res sic contigit, quidni vt Beatissimæ Virginis in ea Vrbe tunc commorantis felicissimo frui possent consortio, ac proinde Fratrum B. Mariæ nomenclatura insigniri? Hoc videtur odoratus nobilis, & peruetustus auctor Mansio Eliadum Ierosolymis.

 Ordi-

Ordinis nostri, a trecentis scilicet annis, Ioannes Hildensinus S. Patriarchæ Petri Thomæ quondam discipulus, vir grandæuus, & senex secutus fidissimam Patrum memoriam *cap. 14. libri de principio Ordinis Fratrum de Monte Carmelo contra detractores*, sic inquiens: *Traditum tenemus à Patribus, quod primus Conuentus Ordinis post Montis Carmeli collegium fuit in loco, qui* Porta aurea *dicitur; in quo Ioachim, & Anna conuenerunt, & in illam coniunctionem consenserunt, ex qua gloriosa Virgo concepta fuit, & nata. Quasi beata Virgo diceret: Ibi meritò debent morari fratres mei, vbi primò tractatum est de conceptione mea.* Quibus, tametsi subobscurè, indicare videtur eam nomenclaturam Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo ex prima illa mansione Hierosolymis, adiuncta prima erectione aræ in eiusdem Virginis honorem, vt diximus, primordialiter emanasse.

Notatu digna. 20 Pro horum tamen, quæ diximus, & in sequentibus dicemus maiori firmitate præmonendus de quibusdam Lector. Primò quidem, quod *in antiquis non requiruntur exactæ probationes, sed deficientes etiam admittuntur*. Cap. *cum causam de probat.* Menoch. *cons. 147. n. 1.* Barbosa *ibid. n. 14.* Est enim, vt Plinius *in Præfat. ad Vespas. Imper.* dicebat: *Res ardua vetustis nouitatem dare, obsoletis nitorem, obscuris lucem.* Secundò, quod *præsumptio probat plenè in ijs, quæ sunt consona veritati.* Barthol. *in l. 2. in princ. in 2. col. vers. Quæritur*, Gloss. 1. *in lect.* Nicol. de Neapol. *ff. de excus. tutor.* Bertachinus *in Repert. 4. par. verb. præsumptio.* Tertiò, quod *probatio euidens dicitur etiam, quæ resultat ex coniecturis, l. si quis locuples, C. de manu. testa. not. in l. licet Imperator de leg.* Quartò, quod *præsumptiones duæ simul iunctæ plenam faciunt probationem*, Gloss. *in l. Instrumenta. C. de probat. in cap. Cum dilectus de success. ab intest.* Bertachin. *sup. ex alijs DD.* Ex ijs porrò regulis tùm iuri naturæ, tum scripto conformibus, extrahet Lector, plura tum ex dictis, tum ex dicendis in his nostris Annalibus, satis superque, & abunde comprobari, si ex coniecturis, probabilibusque præsumptionibus, aliorum præsertim vestigijs inhærendo, solummodo fulcita, ostenderimus. Antiquissima etenim hæc, & in quibus firmiora fulcra temporis iniuria non suppetunt, exactiores probationes non exigunt.

Omnes, & singuli Monachi, & Anachoretæ post Christum in quatuor primis seculis, ante Basilij præsertim institutionem viuentes, ad Propheticum, & Elianum Institutum quadamtenus spectant. Cap. VII.

Præuia anticipatio. 1 HVIVS Capitis materia clauis quædam veluti est ac cardo dicendorum in hoc secundo tomo. Præuia etiam, & anticipata responsio ad eos, qui, re minus perspecta, mirati fuerint, quod omnium fermè Monachorum, Anachoretarumue, qui post Christum Seruatorem per quadringentos circiter annos floruerunt, memoriam in ipso faciamus, veluti Eliæ posterorum, & asseclarum,

Ex

Ex ijs enim; quæ dicemus, istorum, si qui fuerint, admiratio quiescet.

2 Præmittimus autem primo, conformiter ad mentem Wastelij nostri *in vindic. lib. Ioann. Hierosolymit. de instit. prim. monachor. sect. 4. ar. 5. fere ad fin.* duplici ratione posse aliquos dici vnius cuiusdam sectatores, asseclas, aut posteros. *Imitatione* videlicet, *& successione*. Imitatione quidem, si dumtaxat eum imitari, aut æmulari studeant; quo sensu D. Hieronymus *in Epist. ad Paulin.* dixit: *Habet vnumquodque propositum principes suos. Romani Duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones. Philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem. Poëtæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium. Historici Thucydidem, Sallustium, Herodotum, Liuium. Oratores Lysiam, Gracchos, Demosthenem, Tullium. Et vt ad nostra veniamus, Episcopi, & presbyteri habeant exemplum Apostolos, & Apostolicos viros.* Et Horatius [a] inquit: *Pindarum quisque studet æmulari*, id est, imitari. *Successione* verò, si vlterius in aliqua ipsius bona substituantur. Sic enim filij dicuntur parentibus succedere §. 1. *Instit. de hered. quæ ab intest. §. fin. auth. eo.* Bald. *in auth. in succes. in princ. C. de su. & legit. Hæredes defuncto, l. nihil de verbor. signif. l. 1. ff. de hered.* & generaliter Prælati, vel officiales dicuntur succedere suis prædecessoribus, quia in eorum dignitatibus, vel officijs substituuntur.

Notandum valde.

a lib. 4. 4. Car.

3 Ex quo obiter, & perstrictim elici valet qualiter iure optimo Summi Ecclesiæ Pastores Sixtus IV. Iulius II. & Gregorius XIII. vt alios omittamus, in suis diplomatibus, quæ *to. 1. in Apparat. c. 6.* retulimus, Carmelitas vocent: *Ab Elia, & Eliseo hæreditariam successionem tenentes.* Neque enim solùm ipsorum imitatores, aut æmulatores Instituti appellarunt, sed *successionem hæreditariam* tenentes. Quia videlicet nedum ipsos æmulari studeut, sed & in eorum bonis, Carmelo nempe patrio solo: *Seunion*, vel Oratorio Eliæ eo loco erecto; habitus colore, superhumerali, & alba chlamyde; vita tum eremitica, tum cœnobiali; Prophetici, & Carmelitici Ordinis nomine, præcipuoque Instituti scopo, qui erat Deo psallere hymnos, & psalmos, substituti fuerunt. Prout latius eo to. 1. ostensum manet. Vnde in decreto Vniuersitatis Cantabrigiensis in Anglia anno 1374. pro die 23. Februarij edito, quod habetur in nostro Speculo Ordinis *fol. 81.* & refertur à Ioanne Pitseo *in lib. de illustrib. Scriptorib. Angliæ in Ioanne Stoccho*, in iudicio contradictorio declaratur, & decernitur fratres nostri Ordinis fore Eliæ, & Elisei Prophetarum *imitatores, & successores*, & additur: *Prout sufficienter apparuit per præmissa exhibita, producta, & allegata*, id est, per monimenta, scripturas antiquas, & priuilegia ex parte Ordinis proposita.

An Carmelitæ Eliæ successores.

Vniuersitas Cantabrigæ.

4 Nunc iam ad nostri capitis intentum, omnes, & singulos, qui per quatuor circiter Christi secula, ante Basilij Magni præsertim institutionem, monachos, seu Anachoretas, vixerunt, Eliæ, & Elisei Prophetarum institutum imitatos fuisse tam pro comperto doctis cunctis esse debet, vt vix in dubium reuocari possit. Nam, vt omittamus vtrorumque

vitæ

vitæ similitudinem in obedientia, paupertate, & castitate, abstinentia, silentio, oratione, solitudine, habitu, & gestis mirabilibus; id Patres, & Doctores tam concorditer astruunt, vt veluti iugi traditione res habeatur. Plura pro illa *to. 1. in Apparat. c. 6.* relato testimonia congessimus; nunc expressiora. Primum, Macarij illius celeberrimi Antonij coæui,

Macarius. ac discipuli, cuius hæc eo *cap. 6. n. 3* verba retulimus: *Eliam, & Eliseum, ac filios Prophetarum, quos constat veraciter veteris testamenti monachos imitari curare. Melius est enim cum Elia Carmelum, & cum Eliseo, ac filijs Prophetarum Iordanis ripas frequentare, quàm cum quibusdam Israeliticis Bethel, Samariam, ac Bersabeæ Ciuitates inhabitare. Melius est cum Elia in deserto subcinericium panem accipere, & vas aquæ, quàm post monachi professionem delicias desiderare carnales.* Et infra post relatos Eliam, & Baptistam: *Quorum exempla Fratres charissimi in Ordine monastico, quem sectari cœpistis, debetis solicitè curare, vt ab eorum recto tramite, id est, monastica vita, nullatenus recedatis. Hos secuti sunt Paulus, & Antonius, & multi huius propositi sectatores, qui idcirco laudibus extolluntur, quia à cœpto Ordine nullatenus leguntur deuiasse.*

Gregorius Nyssenus. 5 Secundum, Gregorij Nysseni [a] circa illa: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de Monte Galaad;* vbi postquam de Elia Propheta sermonem habuit, sic inquit: *Insignia vitæ continentis exempla præbuit forma squallidus, capillis hirsutus, pro veste molli pelle capræ tectus. Itaque omnes quotquot ad exempla vatis illius vitam suam instituunt, ornamentum Ecclesiæ fiunt gregatim, qui philosophandi mos hoc tempore in vsu cœpit, virtutem in conuersatione mutua colentes;* vbi manifestè loquitur de monachis quarti seculi, quos dicit eo tempore cœpisse, quia scilicet sub Antonio, Hilarione, Macario, & Basilio eiusdem Gregorij Fratre magnum incrementum, & splendorem habuerunt, opitulante scilicet Constantini primi Imperatoris Christianitatis propagatoris pietate. De illis etiam *Orat. 15. & vlt. in Cant. Cant.* postquam etiam Eliam commemorauerat subiungit: *Quicumque igitur ad imitationem generosi in hoc vate animi seipsos supra mundum hunc vniuersum attollunt egentes, pressi, afflicti in montibus, antris, cauernis terræ, quibus denique mundus non est dignus. Hi verò gregatim circa vniuersi huius caput conspecti Ecclesiæ gloria fiunt ad cælestem gratiam vnà cum illo Galaadita conscendentes.*

[a] orat. 7. in c. 4. Cantic. Cantic.

Hieronymus. 6 Tertium, D. Hieronymi *in Epist. ad Paulin.* vbi post verba superius relata, quibus vnumquodque propositum Ducum, Philosophorum, Poëtarum, Oratorum, & Historicorum suos Antesignanos habere dixit, quos æmulentur, subdit: *Nos autem* (scilicet monachi) *habemus propositi nostri principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios, & vt ad scripturarum auctoritatem redeam, noster Princeps Elias, noster Eliseus, nostri Duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula propè fluenta Iordanis.*

Augustinus. 7 Quartum, D. Augustini, siue pij Auctoris, qui eius nomen tenet

in

in sermonib. ad Fratres in Eremo ser. 39. vbi sic: *Pax vobis Fratres, quoniam electi estis ante mundi constitutionem in hac vasta solitudine, vt sitis cum Elia, Paulo, Hilarione, Antonio, & Ioanne sancti & immaculati in conspectu Dei &c.*

8 Quintum, Cassiani [a] sic dicentis: *Itaque monachum, vt militem Christi in procinctu belli semper positum accinctis lumbis iugiter oportet incedere, hoc enim habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri testamento huius professionis fundauere primordia, Eliam scilicet, & Eliseum, diuinarum scripturarum auctoritate demonstratur.* Clarius loquitur *collat. 18. c. 6.* quæ ruminanda lectori remittimus. Cassianus. a lib. 1. de Instit. cap. 2.

9 Sextum, Antiochi monachi Cœnobij *Lauræ* dicti, qui *homil. 89. de inopia* sic inquit: *Monachus aquila altiuola est, qui se exuit possessione facultatum. Eliæ comperitur esse imitator, & Ioannis. Item & eorum, qui dicunt: Ecce nos reliquimus omnia &c.* Item *homil. 112. de renunciatione, id est Monachismo* loquens: *Fac repræsentes Ioannem illum Christi præcursorem, verè Angelum Domini puritate vitæ.* Et post alia: *Quin Eliæ, etiamnum, & Elisei, atque aliorum, nec paucorum vitam nihil dissimilem comperies, nimirum intemeratam, nec vlli peruiam reprehensioni. Hos igitur si cupies efficaciter æmulari, imitare seniores.* Antiochus.

10 Septimum, Isidori Hispalensis [b] sic dicentis: *Vnde autem ad monachos studium defluxerit paupertatis? Vel quis huius conuersationis extiterit auctor, cuius isti habitum imitantur? Quantum enim, inquam, pertinet ad auctoritatem veterum scripturarum, huius propositi Principes Elias, & discipulus eius Eliseus fuerunt, siue alij Prophetæ, qui habitabant in solitudine, vrbibusque relictis faciebant sibi casulas prope fluenta Iordanis. Huius deinde propositi in Euangelio Ioannes auctor extitit, qui eremum solus incoluit, locusta tantum & agresti melle nutritus. Iam deinde progeniti sunt conuersationis huius nobilissimi Principes Paulus, Antonius, Hilarion, Macarius, cæterique Fratres.* Idem de eremitis agens: *Secundum genus est eremitarum, qui procul ab hominibus recedentes deserta loca, & solitudines vastas sequi, atque habitare perhibentur, ad imitationem scilicet Eliæ, & Ioannis Baptistæ, qui eremi secessus penetrauerunt.* Isidorus. b lib. 2. de offic. c. 15.

11 Octauum erit Symeonis Metaphrastis, qui in Vita S. Pachomij apud Surium [c], postquā dixerat, quod tempore S. Petri Alexandrini, *Ecclesiæ plurimæ, et templa Oratoriorum in omni loco erigebantur, adeo vt deinceps consisterent etiam monasteria, & eorum, qui se in eis exercebant castitate, & possessionum renunciatione ornarentur solitudines,* subdit postea: *Cœperunt ipsi quoque Domini gratia roborati sequi vitam Sanctorum Prophetarum. De quibus dicit Apostolus vas electionis: Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, afflicti, vexati, in solitudinibus errantes, & montibus, & speluncis, & foraminibus terræ, quibus dignus non erat mundus.* Hos verò, de quibus Apostolus his verbis loquitur, Eliam, & Eliani, ac Prophetici Instituti sectatores fuisse pro comperto omnibus est, & ipse Metaphrastes id indicat in sequentibus de Metaphrastes. c to. 3 die 14. Maij.

Antonio

Antonio Monachorum veluti Principe loquens, dum dicit: *Erat enim reuera præstantissimi exercitatoris patris nostri Antonij vita ad imitationem magni Eliæ, & Elisei, & Ioannis Baptistæ, qui erant ciues solitudinis, et amatores cælestium æternorumque bonorum.* Ex his porrò manifestè habetur Antonium Elianæ vitæ æmulum esse; ac proinde monachos cunctos, quatuor præsertim sæculorum post Christum, Eliæ, & Elisei, ac aliorum Prophetarum imitatores extitisse.

Damianus. 12 Nonum sit Petri Damiani, qui *in Opuscul.15.c.2.* vbi agit de origine vitæ monasticæ, ipsius radicem esse Eliam, & Eliseum, alios verò monachos eiusdem ramos sic diserte exprimit: *Veruntamen rei ordo postulat, vt antequam ramos conuersationis attingam, ipsam radicis originem solerter inquiram, & qui huius institutionis auctores fuerint, euidenter expediam, dignum scilicet arbitror fontem prius aspicere, vt post securius valeam riuos haurire. Huius itaque vitæ normam, vt anteriora prætercam, in veteri testamento Elias cæpit, Eliseus verò aucto discipulorum Collegio dilatauit. In nouo autem Paulus, & Antonius non dissimili ab ijs proportione creduntur.* Omnes igitur monachi, iuxta Damiani mentem, rami, & riui sunt ab Elia, & Eliseo originem trahentes.

Ioachim Abbas. 13 Decimum Ioachimi Abbatis *in cap. 2. Apocalyp.* dicentis: *Eodem tempore apertionis quartæ inuenta sunt reliquiæ in populo Græcorum, & viri probatissimi habitatores eremi, quorum alij, qui in imitatione Eliæ ante præcesserant, omninò iam arescere incipiebant. Alij verò, qui successerant in imitatione Elisei, cœperunt fieri Patres monachorum, & Virginum, quorum imitatio vsque ad Latinos peruenit.*

Alij sub compendio. 14 Omittimus ex relatis eo *cap. 6.* Ioannem Ierosolymitanum, qui totus est in hoc intento comprobando in eo suo libro de Institutione monachorum, D. Ambrosium *in epist. ad Vercellenses*, Paulinum *in Epist. ad Sebastianum*, Sollium Sydonium *carmin. 16.* Rupertum [a], Hugonem Victorinum *serm. 72.* Thomam nostrum Vvaldensem [b], & ex iunioribus plures eo loco adductos. Sed non omittendus ex antiquioribus Odilo Abbas Cluniacensis magni Benedicti filius, qui *in Vit. S. Maioli* de monastici status reformatione loquens hæc habet: *Deindè cœpit Ordo monasticus pullulare, &, vt verius dicam, reuiuiscere, quem à beato Elia, & Ioanne Baptista nouimus processisse, & ita per apostolicam conuersationem, & vitam, & incrementa virtutum, & exercitia Sanctorum, & Spiritualium patrum ad nos vsque gaudemus peruenisse.* Et de posterioribus vnus Baronius, qui *sub anno 340.* quo tempore clari erant Paulus dictus primus Eremita, Honuphrius, Antonius, Hilarion, Pachomius, & plures alij ipsorum asseclæ, & collegæ luculentum hoc protulit testimonium: *Erat quidem in Oriente summum illud viuendi genus instar Eliæ, ac Ioannis Baptistæ cunctis hominibus etiam ethnicis, & Imperatoribus ipsis venerandum, sed & impijs quoque hæreticis reuerendum, atque adeò cælestibus ciuibus admirandum, vtpote qui se in terris conciues habere lætan-*

[a] *lib. 3. in cant. 4.*
[b] *in Doctrin. fidei l. 3. ar. 1. c. 4.*

latantes cum eisdem tanquam gentilibus suis amicè assiduè versarentur.

15 Sed quid? nonne de ipsorum multis, qui eorum vitas scripserunt, id expressè protulere? Ita sanè. Nam de Paulo eremita ait Hieronymus *in Vita ipsius*, Antonium, dum eum inuisit, dixisse: *Vidi Eliam, vidi Ioannem in deserto*. Sanè quia illorum instituti æmulus erat. Et de ipso Antonio monachorum celeberrimo Archimandrita, hæc ait in ipsius vita Athanasius: *Igitur Sanctus Antonius secum reputans oportere Dei famulum ex instituto magni Eliæ exemplum capere, & ad illud exemplum vitam suam debere componere*. Et auctor vitæ S. Pachomij: *Erat per id tempus B. Antonij vita cunctis ad imitandum præclarè proposita, qui magni Eliæ, atque Elisei, nec non & S. Ioannis Baptistæ æmulator existens*. De S. Honuphrio, & monachis Hermopolitani cœnobij hæc idem Honuphrius in sui vita: *Profectò vitam B. Patris nostri Eliæ venerabiles Fratres meos audiui frequenter laudare, qui se in eremo in tanta abstinentia, & oratione studuit affligere, vt maximam virtutem à Domino meruisset accipere, & igneo curru transuectus Spiritus Sancti dona, quæ habuerat, discipulo impertiri, ac adhuc longæuus senio mortis pœnam non videre*. De S. Basilio monachorum quoque illustrissimo Patriarcha sic eius germanus frater Gregorius Nyssenus *in Orat. de laudib. ipsius* dixit: *An etiam audebimus ad sublimem Eliam sermone ascendere, & ostendere nostrum Doctorem suæ vitæ instituto illius gratia assimilari?* Et idem Basilius de Gordio milite eremita *hom. 48.* dicit, Eliæ Prophetæ exemplum secutum fuisse Anachoresim sectando. Maneat ergo, vt firma, inconcussaque veritas quatuor sæculorum post Christum monachos, seu Anachoretas æmulatores, seu imitatores dici debere sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei, ac proinde ad eorum propheticum, seu Elianum institutum spectasse, imitatione saltem. Alij.

16 An etiam successione? Ita equidem; si de pluribus (non de omnibus) ipsorum sit sermo, cum constet ipsos, nedum Eliæ institutum æmulatos fuisse, sed & in Eliadum bonis, veluti hæredes substitutos fuisse, in quo, vt diximus, ratio successionis posita est. Etenim ex ipsis multos Carmeli Eliani montis arua incoluisse pro comperto habetur. Hi sunt inter alios Agabus Propheta, Enochus de Amarim, Basilides, Hilarion, Eutitius, Basilius Magnus, Eubolus, Caprasius, Ioannes Ierosolymitanus Antistes, & Cyrillus Alexandrinus, quos in sequentibus commemorabimur. Deinde plures ex ipsis Iordanis fluenta colebant, ea præsertim parte qua lacus Asphaltites cernitur, Thecue, Engaddi, Quarentenæ, vel Ierichuntis solitudo, prout de singulis annotabitur in sequentibus. Cum autem, iuxta dicta *to. 1. ad ann. 3145. nu. 2. 3895. nu. 6. 4052. n. 13. et 4082. n. 6. ac supra c. 2* hæc loca ab Essenis culta fuerint, manifestè inde elicitur Essenorum posteros etiam quoad successionem in ipsorũ possessionibus dici debere. Idem pari iure asseri oportet de illis, qui loca Galgalæ, Bethel, Iericho, Gabaa, Cariatharim, Naioth, Maspha, Ephraim, Samanæ, & Sarephta, incoluisse noscuntur, cum in his quoque suas mansiones Quinam Eliæ successores.

ſiones habuiſſe Eliam, Eliſeum, aut filios Prophetarum ex ijs quæ *to.1.ad ann.*3154.dicta manent,pro comperto habeatur. Ac ſimiliter de illis, quæ Ægypti loca inhabitabant,quæolim Eſſenorũ,ipſorum in Monachatu Ducum,coloniæ fuerant,vtputa lacus *Mariæ* dictus,& ſimilia. Plures quoq; ex ipſis eodem veſtium genere cum Elia, & Prophetis vſos fuiſſe, videlicet ſuperhumeralibus, melotis,cappis albis,& zonis,iuxta dicta *to. 1. ſub anno* 3183. *&* 3204. ac proinde in hoc etiam cerni eorum ſucceſſores,conſtabit ex dicendis in huius operis diſcurſu. Et primò illud de ſuperhumeralibus *in Ependyte*, veſtis genere, quo vtebantur, vt patet *in Vita S. Antonij c.*23. & in vita S.Hilarionis *c.*3. & in *Lebitone*, cuius mentio fit in vita S.Pachomij *c.*14.*&* 22. ac 3.*lib. Vit. Patr.* in Apollonio Abbate, ac in Regula eiuſdem Pachomij, de qua *ſub anno* 327.*&* 341. Erat enim veſtis iſta, ſicut & *colobium*,ſuperhumerali ſimilis, quia erat oblonga, & ſine manicis, prout ex multis comprobat Heribertus Roſvvedius *in Onomaſticon. rer. & verbor. difficilium verbo* Collobium, & *verbo* Lebiton. Adde Senuphium ſanctum, & celebrem Ægypti monachum ſuum ſuperhumerale miſiſſe ad Theodoſium Imperatorem, vt eo indutus victoriam contra hoſtes obtineret; prout contigit, & refertur in actis SS. Cyri, & Ioannis apud Metaphraſtem, & Surium 31. Ianuarij. Pro omnibus ſufficiat Caſſianus *lib.1.Inſtit.c.5.* loquens de veſtimentis monachorum Ægyptiorum: *Colobijs quoque lineis induti, quæ vix ad cubitorum ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus, vt amputatos habere eos actus & opera huius mundi ſuggerat abſciſſio manicarum.* Quali etiam indumenti genere vtebantur monachi illi Ammonis diſcipuli, de quibus Ruffinus [a], & Palladius [b]. Qui numero fere trium mille fuiſſe dicuntur. Item diſcipuli Mutij monachi apud Ruffinum *eo lib.* 2.*c.*9. Item tres illi monachi mortui reperti a piſcatoribus Pharonitis, de quibus Ioannes Moſchus [c]. Hinc Auguſtinus Mamphridus, Ioannes Baptiſta Signius, & Ioſephus Mozzagrugnus, quos refert Gabriel Pennotus [d] aiunt ſcapulare (quod ſimile eſt huiuſmodi ſuperhumeralibus) fuiſſe antiquum Canonicorum, quos D. Marcus Alexandriæ inſtituit, habitum; ex quo non modò intentum præſens, ſed etiam ſpecialiùs aliud, quod ſæpius inculcauimus de origine monachorum ab Eſſenis, qui fuerunt illi a Marco inſtituti Canonici, id eſt, regulares, haurire poſſumus.

[a] lib. 2. vit. Patr. c.3.
[b] lib. 8. vit. Patr. c.48.
[c] de vit. Patr. l. 10. c.120.
[d] in Tripart. hiſt. Canonic. Regul. l.2. c.50. n. 6. & 7.

Melotæ.

18 De melotis etiam Caſſianus *ſupra c.* 8. hæc: *Vltimus eſt habitus eorum pellis caprina, quæ melotes, vel pera appellatur, & baculus, quæ geſtant ad imitationem eorum, qui profeſſionis huius præfigurauere lineas iam in veteri teſtamento. De quibus Apoſtolus: Circuierunt, inquit, in melotis, & in pellibus caprinis egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, & in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terræ.* Quo etiam veſtis genere vſus eſt Antonius, vt patet ex eius vita *c.* 58. verbis inferius referendis. Pachomius, & eius diſcipuli, vt videre eſt in eius vita *c.*22. illis verbis Angeli: *Habeant ſinguli melo-*

melotem, & patet in Regula eiusdem Pachomij relata. Paulus vocatus *Simplex*, Antonij discipulus, siquidem de eo habet Palladius [a], quod cum exorcizaret dæmoniacum quendam *Pelle sua ouilla verberabat eum in tergo*. Hæc enim ouilla pellis *melotem* denotat. Item monachi illi Ægypti, Palæstinæ, & Cœlosyriæ, quos vt magistros agnoscit D. Basilius [b], quorum indumentum erat *crassa vestis*. Discipuli etiam Mucij monachi apud Ruffinum *lib. 2. vit. Patr. c. 9.* vbi dicitur, quod melotes sit *caprina pellis*. Item monachi illi mortui reperti a piscatoribus, de quibus supra ex Ioanne Moscho Abbas Besarion [c]. Et innumeri alij.

a *lib. 8. vit. Patr. c. 28.*

b *ep. 79. ad Eustath.*

c *in lib. S. Vit. Patr. libell. 12. n. 3.*

Cappæ, seu Palliola.

19 De cappis, seu palliolis ita habet *c. 7.* idem Cassianus: *Post hæc angusto pallio tam amictus humilitatem, quam vtilitatem pretij, compendiumque sectantes, colla pariter, atque humeros tegunt; quod mafortes tam nostro, quàm ipsorum nuncupatur eloquio, & ita planeticarum, atque birrorum pretia simul ambitionemque declinant.* Quamuis tamen pallia hæc *angusta* vocet Cassianus, nihilominus Baronius *to. 8. ann. Christi 595.* etiam oblonga pallia per *mafortes*, seu *mauortes* denotari sic scribit: *Quibus intelligas, non breue fuisse palliolum, & angustum, sed laxam vestem, quæ præ latitudine expanderetur ad ventum, vti etiam in statuis sculptum videmus. Commune tamen fuit vtrique sexui, quod ad tegendum collum, & humeros, velum pallium compositum erat, ob idque communi æquè nomine mafortes diceretur.* Hæc sanè Baronij sententia gratè audiétur a nostri æui monachis, qui (plus æquo forsan) laxioribus, & latè expansis pallijs exornantur. Lege Heribertum Rosvvedium *in Onomast.* vbi plura ad intentum. Quod autem pallijs vsi essent præcipui monachorum, constat in Antonio ipsorum Archimandrita, de quo Athanasius in ipsius vita *c. 58.* referens testamentum, quod morti proximus fecit, hæc: *Vestimentorum autem meorum sit ista diuisio, melotem, & pallium tritum, cui superiaceo, Athanasio Episcopo date, quod mihi nouum ipse detulerat; Serapion Episcopus aliam accipiat melotem.* Immo hoc pallium Antonij distinctum fuisse a melote ipsius, prout diximus *to. 1. sub ann. 5264. n. 11.* appatet ex verbis, quæ Athanasius subiungit: *Legatarius autem Antonij benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio eius meruerat.* Ecce distinctionem, *pallium cum melote*. Forsan proinde Paulus primus Eremita vocatus cum morti proximus esset, a beato Antonio postulauit, prout D. Hieronym. in eiusdem Pauli Vita *cap. 10.* scribit, vt illi afferret pallium, quod ipsi Athanasius Episcopus dederat *ad obuoluendum* (inquit) *corpusculum meum*; quia scilicet Paulus monachus in morte apparere cuperet monachi tessera, scilicet pallio. Legitur etiam in historia Barlaam, & Iosaphat *cap. 18.* quod Barlaam *pallium humeris gerebat*. Pro huiusmodi autem Antonij, & aliorum monachorum habitu consulendus Bollandus [d], & pro pallio, quæ de Tertulliano pallio dicemus *sub anno 197.* Quod verò pallia hæc monachorum alba fuerint, sæpius saltem, quæ dicemus *sub anno 310.* de eiusdem Antonij *candente veste*, prout eam Athanasius vocat;

d *in vit. S. Antonij 17. Ian. §. 15. in Prolog.*

de veste Honuphrij monachi, ac aliorum, iuxta mentem etiam eiusdem Athanasij *in lib. de Virginit.* sufficienter ostendunt.

Zonæ. 20 Zonarum porrò vsum familiarissimum fuisse monachis horum sæculorum, vel vnus Cassianus pro teste sufficeret. Is enim [a] hæc habet: *Itaque monachum vt militem Christi in procinctu semper belli positum, accinctis lumbis iugiter oportet incedere. Hoc enim habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri testamento professionis huius fundauere primordia, Eliam scilicet, & Eliseum diuinarum scripturarum auctoritate monstratur, cæterosq; eiusdem Ordinis viros taliter incessisse cognoscimus.* Et c. 12. id comprobat ratione spiritualem huius assignans: *Nouerit* (monachus) *prius se ob id cinguli constrictione munitum, vt ad cunctos vsus, et opera monasterij non solùm mente promptus, sed etiam ipso habitu semper expeditus incedat.* Et infra: *Accinctio lumborum, & ambitus pellis mortua significat eum mortificationem circumferre membrorum, in quibus libidinis, atque luxuriæ seminaria continentur, euangelicum illud mandatum, quo dicitur: Sint lumbi vestri præcincti.* Subdit inferius: *Ideoque illos tantummodò legimus in scripturis sanctis cingulo fuisse præcinctos, in quibus seminaria coitus inueniuntur extincta.* Eliam, Eliseum, & Ioannem in hoc denotans. Hinc Angelus, qui Pachomio, & sectatoribus Regulam tradidit *in cap. 22.* vitæ eiusdem Pachomij dixit: *Induantur autem noctibus lebitones lineos præcincti lumbos.* Monachi etiam illi, quos in Ægypto, Palæstina, & Cœlosyria D. Basilius animaduerterat, Zona quoque, seu cingulo vtebantur, prout ipse narrat *Epist. 79.* relata. Quod etiam repetiat lector in illis, quos magnis laudibus extollit Gregorius Nazianzenus *in Orat. 8.*

Baculi. 21 Moris quoque fuisse veteris testamenti Prophetis Eliadibus baculos in manibus gestare, ex sacra Pagina 4. *Regum* 4. & ijs, quæ diximus *to. 1. sub anno* 3143. clarè elicitur. Etsi enim de vno solo Eliseo, id eo loco referatur illis verbis ad Giezi puerum suum: *Tolle baculum meum in manu tua, & vade, &c.* de omnibus tamen eiusdem Elianæ, & Propheticæ professionis id intelligunt Ioannes Ierosolymitanus *lib. de Instit. monach. c. 41.* & Ioannes Cassianus *lib. relato c. 9.* dum inquit: *Nam & baculum gestasse eosdem viros etiam Eliseus, qui vnus ex ipsis est, docet, cum dicit ad Giezi puerum suum: Tolle baculum &c.* In hoc autem religioso more etiam successisse his Prophetis monachos, qui post Christum quatuor primis sæculis floruerunt, idem Cassianus in primis testatur eo *loco c. 8. in princ.* inquiens: *Vltimus est habitus eorum pellis caprina, quæ melotes, vel pera appellatur, & baculus, quæ gestant ad imitationem eorum, qui professionis huius præfigurauera lineas iam in veteri testamento.* Id quoque constabit ex ijs, quæ dicemus in sequentibus, præsertim *sub anno* 388. de Macedonio clarissimo monacho, qui baculum gestasse dicitur, & Senuphio etiam apud Ægyptios celeberrimo, qui velut alter Eliseus suum baculum Theodosio Imperatori, vt contra hostes dimicaret, misit, quo vsus melius quam Herculis claua eos

sæpe-

[a] de Instit. l. 1. c. 1.

ſuperauit. Conſulat lector Acta SS. Cyri, & Ioannis ſupra relata.

22 Succeſſere inſuper ijdem monachi antiquis Eliæ filijs in nomine Eliotarum, quo cognominatos ſæpius fuiſſe, tradunt noſtri, ſpecialiter inter eos doctrina inſignis Thomas de Ieſu [a], ex eo quod *in Prato Spirituali* [b] mentio fit cuiuſdam Monaſterij vocati *Eliotarum*. Quod enim aliqui ſcribunt *Æliotarum*, quaſi ex Ieroſolyma hæc denominatio orta eſſet, quòd cum primum Iebus, Salem, & Ieruſalem appellata eſſet, poſtea *Ælia* ab Ælio Hadriano Imperatore excitata, fuit vocata; gratis, & ſine vllo auctoritatis fulcro loquuntur. Quorſum enim, vel ob quem finem Monaſterium in Sancta Ciuitate Chriſti, & primorum Chriſtianorum ſede ab ethnico Principe nomen ſumeret? aut cur ipſius monachi tali cognomine appellari vellent? Magis ſanè appoſitè hiſtorici noſtri *Eliotarum* ab Elia, cuius inſtitutum ſequebantur, cognominatum dicunt. De eo *in 3. tomo* plura dicturi ſumus.

Eliotæ.

[a] lib. 1. de antiquit. Ord. c. 13.
[b] lib. 10. vit. Patr. c. 62. & 66 ac 134.

23 Nec ſolùm ſucceſſio iſtorum monachorum ab Elia, Eliſeo, & Prophetis veteris teſtamenti infertur ex eo, quod in loco, ſcilicet Carmelo, patrio, & primario Eliæ ſolo, plures ſucceſſerint (quod etiam de alijs eorum manſionibus, circa Iordanem præſertim, eſſe dicendum ex operis diſcurſu conſtabit, & ſupra annotauimus) ac quòd indumenta, zonas, & baculos ipſorum more geſtauerint: ſed etiam ex ijs, quæ in ſuperioribus de Eſſenis dicta manent, efficaci argumento deducitur. Si enim, vt probauimus *to. 1. ſub ann. 3545. n. 39. 40. & 41.* Eſſeni eorundem Prophetarum proles, & ſucceſſores, medijs Rechabitis, à quibus immediatè proceſſere, erant; cum ſupra *cap. 2.* oſtenderimus eoſdem Eſſenos monachos, & monachorum Eccleſiæ Chriſti Duces, & Anteſignanos poſt Apoſtolos extitiſſe, manifeſtè deducitur, de primo ad vltimum (vt aiunt) monachos eoſdem ab ipſis Prophetis lineam ſucceſſionis traxiſſe. Quod vlterius hac illatione conuincitur. Eſſeni Palæſtini eorumdem Prophetarum ſoboles, & progenies erant, vt loco relato ex primo Tomo oſtenſum manet, & Eſſeni Alexandrini, & Palæſtini eiuſdem Inſtituti aſſeclæ; immo illi ab iſtis orti, & progeniti fuere, iuxta dicta etiam *ſupra c. 1.* cum ergo monachi cuncti Eſſæorum Alexandriæ (idem dic de Ægyptijs) ſucceſſores fuerint, vt concors fermè Patrum, & Doctorum, quos eo *c. 2.* adduximus, conſenſus tenet, vtique fatendum, originariam etiam ſucceſſionem eorumdem monachorum ab ipſis Prophetis deriuari. An verò propterea Carmelitarum cognomine appellari poſſint, iam diximus ſupra *c. 5.* quid ſentiendum. Modo dumtaxat aliquot grauium Auctorum teſtimonia, quibus monachos cunctos, ante Baſilij præſertim tempora viuentes, ad Carmeliticum ſpectaſſe Ordinem oſtendunt, in medium proferenda. Nec ea quæ Scriptores noſtri, etſi nec numero pauci, nec merito exigui fuerint, hùc interpellandi, iuri noſtro in hoc veluti cedentes, quòd lectori gratius erit exterorum teſtimonia audire.

Ex alijs principijs id oſtenditur.

H 2 Primum

Leander Granatensis. 24 Primum sit Leandri Granatensis Benedictini monachi *in Vita S. Gelrudis in princip.* qui postquam multis fusè probarat ab Elia, & Eliseo Carmelitarum Ordinem originem ducere; eundemque hunc esse, qui hodie in Ecclesia Christi viget cum illo, qui in Carmelo a dictis Sanctis Prophetis institutus est; de ingenti multitudine Sanctorum Ordinis Carmelitici, & Cœnobiorum incremento mirabili, sermonem admiscens ait: *Existimo quod optimè, & verissimè ad hanc Religionem reduci queant omnia Orientis Cœnobia, omnes Viri illustres sanctitate, & doctrina, qui ex illis prodierunt, omnes Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, qui Orientalem Ecclesiam rexerunt, hi enim quasi omnes Religiosi fuere, &c.* Expendat lector illud *optimè*, & *verissimè*.

Trithemius. 25 Haurire hæc potuit Leander ex celebri alio eiusdem Sodalitij Benedictini alumno Ioanne Trithemio Spanhemensi Abbate, qui in sæpius repetito libro *de laudib. Carmelitar. c. 12.* ad myriades Sanctorum monachorum, qui in Orientis partibus, quatuor præsertim sæculis post Christi ortum, claruere, respiciens, hæc protulit: *Quam vberes fructus, quamque suaues in Ecclesia Dei odores ager iste Carmelitici Ordinis protulerit, neminem ignorare credimus, qui veterum historias legit. Nam vt de his interim sileamus, qui monte Carmelo sub lege claruerunt tot sancti Fratres sub gratia in Ordine isto fuerunt, vt penitus numerari nequeant. Enimuerò si quis Stellas Cæli dinumeret, & huius Ordinis Sanctos numerare poterit.*

Iodocus Clichtoueus. 26 Idem scopus præintentus videtur a Iodoco Clichtoueo Neoportuensi, qui in Concione quadam de Excellentia, & laudibus Ordinis Carmelitarum, eum ait fuisse exemplar omnibus alijs monasticis institutis; proculdubio, quia Orientales illi Ascetæ toto orbe celeberrimi Eliæ fontis veluti riuuli prodierunt. En ipsius verba: *Secundò, huius Religionis vtilitas eo innotescit, quod ipsa fuerit exemplar omnibus alijs monasticè viuendi legibus. Quibus vt perfectione, ita quoque & tempore multo prior extitit: quandoquidem omnes cæterarum Religionum professiones ab hac vna suum institutum, & regulam desumpserunt. Quod luculentissimè Baptista Mantuanus in 3. Parthenices Marianæ lib. exprimit hoc carmine:*

Quidquid habent alij montes pietatis, ab isto
Ducitur; hac vna plures è vite racemi
Diffusi, latè terras, atque æquora complent.

Laurentius Beyerlinck. a in Theatro vit. human. to. 6. lib. 16. verbo Religio. 27 Ad idem nobilis auctor Laurentius Beyerlinck [a], dum de Carmelitarum Cœtu, hæc inquit; quibus monachorum numerosissimam progeniem, quæ primis 400. annis post Christum claruit, Carmeli propaginem fuisse subindicat: *Constat ex superiori titulo de antiquitate huius Ordinis, quomodo primaua sua fundamenta ad Eliam, & Eliseum referat, tandemque per filios eorum spirituales creuerit instar lucis splendentis, & ad perfectum diem paulatim deuenientis. Siquidem ab Apostolis Christi Euangelium edocti illius sectatores primordijs nascentis Ecclesiæ supra illius candelabrum etiam positi fuere, normamque ab Elia præscriptam*

& à

& à filijs Prophetarum tot sæculis obseruatam, strenuè sibi seruandam existimarunt, adiectis illis, quæ lege Euangelica addenda censuerunt viri sancti, & Apostolici. Itaque non aliam viuendi normam, quàm veterem illam amplexi fuerunt primis quadringentis annis.

28 Alludit & alius non minus nobilis quam celebris auctor Carolus de Tapia Iureconsultus Neapolitanus, qui propter hanc causam in suo Opere *super Authentic. ingressi c. 17. n. 10.* dum de Ordine Carmelitarum agit, eius Ordinis alumnis ascribit celeberrimos Patres eius æui, de quo loquimur, quòd monachi fuerint, anachoresimque sectati, quo nostri intenti propugnatorem se ostendit. His verbis: *Circa annum 320. Siluestro Pontifice Maximo, & Constantino Magno vniuersi Orbis Imperatore, plures eius montis* (Carmeli videlicet) *accolæ fuerunt, vt Hilarion Antonij magni discipulus, Magnus Basilius, S. Euthytius Prior Montis Carmeli, Gregorius Nyssenus Basilij germanus, Petrus Eubolus, Amphylochius, Gregorius Nazianzenus, et Ioannes Damascenus, et eodem tempore S. Melania vidua vigintiquinque annis in monasterio Sepulchri Domini fuit cum quinquaginta virginibus. Quo etiam tempore alij multi claruere. Et circa Honorij, et Arcadij Imperatorum tempora, qui regnare cœperunt anno 398. Romanam Ecclesiam gubernante Siricio, et postea Anastasio, et deinde Innocentio primo, produxit Carmeli vberrima vinea Cyrillum Patriarcham Ierosolymitanum 43. Ioannem item Ierosolymitanum Præsulem 44. Caprasium, qui hæreticorum Eutychianorum persecutionis tempore suos misit discipulos ob Christianæ fidei defensionem, Ioannem Chysostomum, Cyrillum Alexandrinum Patriarcham 28.* Et inferiùs *num. 13: Diuiditur in Prouincias 32. Constantini autem Magni tempore 4. in Prouincijs venerabatur. Vna erat Terra Sanctæ, alia Cypri, tertia Thebaidæ, et quarta Ægypti.* Censens profectò harum Prouinciarum colonos monachos, quales sunt maxima ex parte ij, quos censebimus, vineæ Carmeli palmites fuisse. Carolus de Tapia.

29 Alludit & Annalistarum Coriphæus Eminentissimus Baronius, qui *sub ann. 340. §. At quibusnam* dum de monachis eius æui, qui proculdubio eiusdem instituti erant cum alijs horum quatuor sæculorum, loquitur, ipsos Eliæ, & Ioannis Baptistæ æmulatores agnoscit: cum autem Carmelus noster ijs Prophetis, vt Patriarchis potiatur, profectò ipsorum asseclæ eius montis frutices existimare debemus. Baronius sic: *Erat quidem in Oriente summum illud viuendi genus instar Eliæ, ac Ioannis Baptistæ, cunctis hominibus, etiam ethnicis, & Imperatoribus ipsis venerandum, sed & impijs quoque hæreticis reuerendum; atque adeo cælestibus eiusbus admirandum, vtpote qui se in terrenis conciues habere lætantes, cum eisdem tanquam gentilibus suis amicè assiduò versarentur.* Adduximus hæc nos *supra n. 14.* sed iterum repetenda fuere; quia ad hoc etiam intentum, de quo in præsenti, deseruiunt. Baronius.

30 Nec prætermittendus Clemens Reinerus ex præclarissima Benedictinorum monachorum familia vnus, qui dum in *Disceptatione histo-* Clemens Reinerus.

rica de aduentu Benedictinor. in Anglia pag. mihi 164. de monachis, qui eas Insulas incolere cœperunt, sermonem instituerét, eos ex Ægypto, & Palæstina venisse describit, & Carmelitis iure ascribi posse. Ex eis enim lucidissimè habetur, hos Ægyptios, & Palæstinos Therapeutas, quorum vitas, & gesta hoc tomo recensemus, Elianis Carmeli annumerari debere. Reineri verba ne desideret lector, hic habebit: *Vnde constat & verisimilitudo sententiæ, quam superius de primis monachis Brittonum, & Scotorum diximus, eos ex Ægypto & Palæstina in Brittannicas Insulas monachatum detulisse; & illud etiam, quod antea disputauimus: meritò Carmelitas (cum successionem minimè interruptam ab antiquis Palæstinæ monachis deducant) earumdem Prouinciarum Sanctos antiquos suo Ordini ascribere.*

Villegas. 31 Accedit Illefonsus Villegas clari nominis auctor, qui in vita S. Romani Martyris Antiochiæ passi prope annum Christi 310. quæ extat inter Sanctorum Floriarij Extrauagantes Toleti editas anno 1587. fol. 517. Hispanè; ac in Italico idiomate Venetijs 1512. fol. 53. in fine sic habet: *Patres Carmelitani numerant inter Fratres sui Ordinis S. Romanum, qui sine dubio est hic, meo iudicio; quia tempore quo floruit* (scilicet vt ipse putat anno 310.) *non erant Alexandriæ, Antiochiæ, aut tota Syria alij monachi, quam huius sancti Instituti.* Pauca hæc ex nobili isto auctore prætermittere fas non fuit; cum ex illis dilucidè intentum huius capitis monstretur; videlicet omnes ferme monachos quatuor primorum sæculorum ad Elianum Ordinem spectare. Ex quo fundamento idem auctor approbat S. Honuphrium Eremitam eiusdem Religionis fuisse. Ita in vita eiusdem Honuphrij inter eosdem Sanctos Extrauagantes. Quod ait de martyrio huius Sancti Romani pro anno 310. prout alij etiam amplectuntur, in sequentibus reijciendum, eo quod tam ipse, quàm alij sub Gallerio Imperatore id actum dicant, qui eo anno Imperij clauum non tenebat.

Didacus Yepes. 32 Item Illustrissimus Didacus Yepes Tirasoniensis Episcopus, Hieronymiani Ordinis decus, & Catholici Regis Philippi Secundi Hispaniarum Monarchæ a confessionibus, qui in Vita S. Theresiæ c. 1. postquam dixit Carmelitarum Ordinem a Prophetis Elia, & Eliseo in Carmelo originem trahere, a Ioanne Baptista eiusdem Instituti continuationem, & a Deipara sacerrima tutelam, subiungit postea hæc: *Processit postea Religio ista noua luce prædicationis Euangelicæ perfusa eisdem passibus, quibus primitiua Ecclesia per deserta loca, cryptas, cauernas, ac remotas speluncas gradiebatur.* Ac deinde ex ea processisse Antonium, Hilarionem, Caprasium, & alios fatendo concludit: *Fuerunt hæc felicia tempora Ecclesiæ, & huius Religionis, quando Ægypti, & Palæstinæ deserta tot monachis ornata quot Cæli stellæ erant. Quæ felicitas quasi trecentis annis in Elia Propheta Ordine durauit, donec Aumar, & aliorum Tyrannorum sæua crudelitas tot Sanctorum vitis finem, & ipsorum gloriæ initium dedit.* Hæc si rectè expendantur, manifestè intentum nostrum subindigitant.

Ac

33 Ac Seraphici Minorum Ordinis auctor Illustris Ioannes Carthagena, qui inter plura alia, quibus Carmeliticum Institutum præ cæteris exteris Scriptoribus commendat, hæc ad intentum Homilia de ipsius laudibus c. 10. Trithemij Abbatis superius nominati testimonio inhærens, dicebat: *Tandem, vt vno verbo absoluam, nemo est, qui scripto, nedum coniectura assequatur, quot ab Elia in speluncis, cauernis, montibus, & desertis Ægypti, & Thebaida, & aliarum Regionum monasticam vitam professi Eliani instituti fuerint cultores, ac huius sacræ Religionis filij. Vnde Trithemius lib. 1. cap. 12. de laudibus Carmelit. ait: Tot Sancti sub Ordine Carmelitano fuerunt, vt penitus numerari nequeant. Etenim si quis stellas cæli dinumeret, & Sanctos huius Ordinis numerare poterit.* Carthagena.

34 Nec omittendus, sed potius cum laude recolendus Albertus Myreus Bruxellensis, Protonotarius Apostolicus, qui in Tractatu de Origine, & incrementis Ordinis Carmelitani, quem ab Elia deriuari, prout *Grauissimorum* (inquit) *Patrum consensio est*, hæc de ipso profert: *Nec Palæstinæ, Syriæue tantum finibus cælestis institutio circumscripta est; in Ægyptum enim temporis excursu lectissimæ gentis coloniæ, quos Essenos nuncupabant, deductæ sunt, vt Eliæ imitatione Alexandria quoque clarescerct. Quicquid enim Orientis, Austrique primores, quorum genere monachorum cætus gloriantur, tradidere; quicquid etiam ab Oriente in Occidentem extat inuectum, non minima ex parte Institutionis Eliæ quadam expolitio, & ad nationes diuersas coaptatio est; siue contemplationis studium, siue solitudinem, siue austeritatem, siue paupertatem velimus expendere.* Aubertus Myreus.

35 Liquet autem ex dictis, qualiter merito, iureque quidam ex nostris dixerint quondam in Eliano Ordine fuisse septem millia, & quinquaginta Cœnobia, & in eis centum, & octoginta millia monachorum sacris initiatorum, prout ex illis referunt Sabellicus [a], Continuator Belli Sacri [b], Petrus Maturus [c], & Azor [d]. Non enim loquuntur (vt malè Sabellicus, & alij intellexisse videntur) de tempore nouissimo, quo post Ordinis Reformationem sub B. Bertholdo primo Latinorum Generali Priore, Christi duodecimo sæculo, & Aymerico Antiocheno Antistite factam, de qua in 4. to. dicetur, Eliæ sectatores a Carmelo Carmelitæ, & è Monachis, seu Anachoretis *Mendicantes Fratres* appellati fuerunt; sed de anteriori illo, quo ante Mahumeti inuasionem, Asia, & Africa, Palæstina præsertim, ac maximè Ægyptus monachorum innumeris colonijs refertissimæ erant; ijs præcipuè quatuor Christi primis sæculis felicissimis; in quibus ante Basilij, & Augustini monasticas institutiones, monachi omnes sub vno primo monastices vexillifero Elia in lege veteri, Ioanne Baptista, & Apostolis in noua militabant. Tunc enim præfatum numerum Cœnobiorum, & monachorum huius instituti esse potuisse, in triginta Prouincijs, quas aliqui ex nostris recensent, nullus vel mediocriter doctus refragari poterit. Vnde Azorius supra relatus eo c. 21. hæc habet. *Primò quæritur an vera sint, quæ de ingenti monachorum* Monachorum numerus innumerus.

vete-

[a] Aeneid 9. l. 5.
[b] lib. 5. c. 3.
[c] in Addit. ad S. Antoninum 3. p. tit. 20. c. 5.
[d] to. 1. Instit. l. 12. c. 21.

veterum multitudine referuntur? Respondeo, verà esse, nam quamuis plerique mirentur, nonnulli dubitent, pauci quidam interrogent, qui fieri potuerit, vt tanta quanta fuisse memoratur monachorum multitudo floruerit, ea tamen ab auctoribus fide dignis describitur. Athanasius enim cum vitam, & acta Antonij commemorat: Erant, inquit, in monte monasteria tanquam tabernacula plena diuinis choris psallentium, lugentium, orantium, qui infinitam regionem quandam, & oppidum à mundana conuersatione seiunctum videbantur incolere. De Hilarione, qui eodem tempore in Palaestina, quo Antonius in Ægypto viuebat, innumera, ait Hieronymus in vita Hilarionis, monasteria fundauit; & de Macario Antonij discipulo legimus, cum suae disciplinae alumnos habuisse quamplurimos. De Charitone quoque scriptum est, eum in Palaestina plura extruxisse Coenobia; & Isidorus fertur vno in Coenobio plusquam mille, & in eodem paulò post aucto numero Apollonius plusquam quinquies mille monachis praefuisse. In Monte Nitria, qui ab Vrbe Alexandrina vnius fermè diei itinere distabat, quingenta monasteria penè contigua extitisse dicuntur; quae omnia ab vno Praeside, vnoque vitae magistro regebantur. Palladio teste oculato, in sua illa peregrinatione, quam scriptam reliquit, ciuitas quaedam fuit, in qua plura erant monasteria, quàm profanae domus; ità vt omnes vici, & omnes anguli pleni essent monachis diuinas laudes decantantibus; & idem perhibet se in vrbe Memphi, & Babylone innumerabilem vidisse multitudinem monachorum, qui omnes varijs Spiritus sancti donis fulgebant, & prope Thebas se cum Ammonio congressum patre trium millium monachorum. Item Serapionem à se visum testatur, qui decies mille monachos, plurimos tamen domicilijs, aut cellulis diuisos gubernabat. Fertur etiam Pachomius, vt scribit Nicephorus lib. 9. histor. Eccles. cap. 14. varijs in domibus modico interuallo disiunctis apud Insulam in Thebaide, quae Tabenna nominatur ad septem millia discipulorum habuisse, & in qua ipse degebat plures quàm mille; quos quidem omnes commodioris gubernationis gratia in quatuor & viginti classes pro Graecarum litterarum numero, & varietate distribuit. Scribit Theodoretus in historia Sanctorum Patrum infinita fuisse monasteria in toto Oriente, in Palaestina, in Ægypto, in Asia, in Ponto, in Cilicia, Syria; & Europa. Narrat Hieronymus in Paulae viduae epitaphio epist. 27. cum ea mulier studio sancto illos patres visendi, deserta adijsset, occurrisse ei turbas innumerabiles Dei famulorum; quo spectaculo ita delectata est, vt sui sexus oblita inter tot millia monachorum optauerit habitare. In Antinoe Ciuitate, ait Palladius in histor. SS. Patr. ad Lausum cap. 96. quadraginta annos versatus sum, eo tempore accepi etiam cognitionem eorum, quae sunt illic monasteriorum. Nam circa Ciuitatem sedent viri circiter bis mille. Et cap. 52. ait: Apollo Abbas pater erat monachorum circiter quingentorum. Et cap. 7. scribit in monte quodam habitare quinque millia monachorum. Cap. 9. ait, in monte Nitria fuit Abbas nomine Or habens monasterium mille fratrum; ad quem Abbatem postea conuenerunt tria millia monachorum. Haec Azorius.

36 His iunge quod Ruffinus [a] monachos *numero immensos* appellet: & de

[a] in Prolog. ad 2. lib. Vit. Patr.

de illis dicat: *Sunt enim alij in suburbanis locis, alij per rura, plures autem, & egregij per eremum dispersi.* In vita etiam S. Euphrosinæ numerantur in vno Monasterio 352. monachi. Apud Palladium [a] in Monte Nitriæ non procul a lacu *Maria* dicto (Essenorum mansione, vt alibi diximus) quinque millia monachorum. Et apud eundem *c.* 23. in Pherme solitudine quingenti. Et apud Ioannem Moscum [b] in Scithi quasi ter mille, & quingenti. Ac apud Theodoretum [c] in Ægypto dicuntur plusquam quinque millia virorum habuisse monasteria. Idem numerus refertur subditus Abbati Posthumio, cuius vita [d] notata habetur, & alius creditur a Pachomio, de quo suo loco dicetur. Vnde Ruffinus relatus *c.* 7. inquit, tam fertilis in monachatu erat Ægyptus, vt *quanti populi habentur in Vrbibus, tantæ penè habentur in desertis multitudines monachorum.* De his & alijs, sicut & de innumeris quoque Virginum, seu Sanctimonialium Cœnobijs, ipsarumque myriadibus ferè, in sequentibus plura.

a in Lausiaca, seu lib. 8. Vit. Patr. c. 7.
b in Prato spir. c. 113.
c lib. 9. Vit. Patr cap. 30.
d in lib. 1. Vit. Patr.

37 Liquet pariter ex dictis, quid sentiendum de ijs, quæ P. Franciscus Suarez [e] dixit: *Nihil hoc loco dicemus de monachis antiquioribus Basilio, qui dicuntur fuisse imitatores Eliæ, eiusque in professione religiosa successores. Nam de illis & res est valde incerta, & commodius de illa dicemus cap.* 10. Primò enim illud *qui dicuntur fuisse imitatores Eliæ*, satis ieiunè profertur, quasi videlicet a vulgaribus Scriptoribus dictum; non autem ab Ecclesiæ Patribus, classicis Doctoribus, & insignioribus auctoribus pronunciatum sit. Illud verò *in professione Religiosa successores* a nemine dicitur de omnibus *monachis antiquioribus Basilio*, sed de quibusdam dumtaxat. Vnde in huius capitis principio pro certo præmissimus duplici ratione posse aliquos vnius alicuius dici sectatores, asseclas, & posteros, scilicet *imitatione*, & *successione*, expresse deinde in illius discursu diximus non omnes monachos *antiquiores Basilio* Eliæ successores dici posse, sed aliquos dumtaxat, alios verò imitatores. Quod præterea hic auctor in re Theologica clarissimus subiungit: *Nam de illis & res est valde incerta, &c.* multum deuiat a veritate historica, ac reuerentia debita præfatis Patribus, & Doctoribus. Quomodo enim res incerta (iuxta materiæ capacitatem) appellari iure potest, quæ veluti per traditionem communem recepta ab omnibus censetur? Talem porro esse eam, de qua in præsenti, manifestum erit quæ supra adducta sunt recolentibus. Etenim, vt vidimus, Macarius, Nyssenus, Hieronymus, Augustinus (vel Augustini nomine insignis) Cassianus, Antiochus, Isidorus, Metaphrastes, Damianus, Odilo, Ioachimus Abbas, & alij relati, conceptis verbis agnoscunt antiquiores monachos Eliæ vti Principis, & Antesignani Ducis imitatores. Plures autem ex recentioribus omittentes, vnum, quem idem Suarez valde reuereri solet, non prætermittimus. Is est Annalistarum Princeps Baronius, qui loco relato *n.* 14. loquens de monastica olim vita, quæ in Oriente florebat, inquit fuisse *instar Eliæ, & Ioannis Baptistæ*. Monachi ergo illi Eliæ æmulatores iure compellari debent.

e 4. to. de Relig. tract. 9. l. 2. c. 1. n. 1.

debent. Prout etiam comprobant innumeri alij auctores *to. 1. in Apparatu c. 5.* à nobis relati. Deinde (quod tanti Doctoris pace dictum sit) non solum historicæ veritati, sed etiam sibimet in hoc aduersari conspicitur. Etenim c. 10. ab eodem relato hæc de Carmelitis inquit: *Est autem valdè recepta, & satis antiqua traditio Religionem hanc à temporibus Prophetarum, & signatim ab Eliæ institutione suam ducere originem, & quasi hæreditariam successionem in Monte Carmelo, à quo nomen etiam accepit: quam traditionem, vt veram suscipimus; præcipuè quia septem Summi Pontifices Sixtus IV. Ioannes XXII. Iulius III. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. in Bullis huic Ordini concessis, de professoribus huius sacri Instituti ita loquuntur: Tanquam Religionis speculum, & exemplar charitate fulgentes, sanctorumque Prophetarum Eliæ, & Elisei, & aliorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem habitarunt, successionem hæreditariam tenentes, &c.*

38 Ex quibus tale efformari potest argumentum. Si vera traditio est, vt Suarez fatetur, quod Carmelitana Religio ab Eliæ institutione suam ducat originem, & quasi (vt ipse loquitur) hæreditariam successionem; cum hæreditaria successio iugem, & continuam, non interpolatam, aut interruptam seriem postulet, vt de se patet; vtique fatendum Carmeli Ordinem iugi, & continua serie ab Elia suam duxisse originem; hæc autem continua, & iugis successionis series nullatenus consistere valet, nisi dicatur immensam illam monachorum copiam, quæ ante Basilij tempus Orbem illustrabat, Elianæ vitæ æmulatricem fuisse: si enim oppositum diceretur, inde manifestè constaret Carmelitanum Institutum suam originem, & hæreditariam successionem ab Elia non traxisse, cuius contrarium Suarez Summorum Pontificum auctoritate conuictus confitetur. Accedit præterea, quod cum ille verbis superius relatis promittat se de hac re eo *c. 10.* commodius dicturum, cum nihil prorsus de illa, præter allegata retulerit, absdubiè fatendum ibi explicasse, quæ *c. 1.* dixerat, vel, re melius perspecta, implicitè retractasse, quod non semel, sed sæpius in grauissimæ notæ Scriptoribus cerni licet. Idem porro argumentum, quod contra ipsum confecimus, æquè efformari potest ex ingenti auctorum numero, qui, vt *to. 1. in Appar. c. 6.* retulimus, Eliam agnoscunt vt primigenium Carmeli Instituti progenitorem, ac Patriarcham; ac, qui ex ipso veluti primo fonte hunc Ordinem deriuari profitentur; cum enim hæreditaria hæc successio iugis, & interrupta esse debeat, consequenter autumasse credendum, eos monachos, qui quatuor primis sæculis ante Basilium præsertim claruere, riuos fuisse, ab eo fonte scaturientes, quibus medijs Carmeliticus cœtus propagatus fuit; ac proinde ipsos Eliani Instituti posteros, successione, vel saltem imitatione, quod est huius capitis intentum, verè extitisse.

Annus

Annus Christi 34. S. Petri Summi Pontificis I. Tiberij Imp. 20.

1 DE hoc anno, & ijs, quæ in ipso contigerunt, non pauca primo Tomo scripta reliquimus. Is enim plura, ipsaque egregia Christi miracula, Passionem, Resurrectionem, Ascensionem, & Spiritus Sancti missionem videre meruit: cum alijs, quæ eodem etiam tempore ad nostri Prophetici Ordinis professores spectantia, accidisse diximus. Ex ijs quædam repetere, & ampliare, alia adiungere, communiaque in Ecclesia gesta cum ipsis, more nostro, contexere operæ pretium est. *Huius anni gesta.*

2 Hunc autem annum pro primo Summi Pontificatus S. Petri numeramus, quia etsi Romanam cathedram vsque ad annum Christi 45. postquam per septennium Antiochenam moderatus est, non ascenderit, ac proinde non nisi ab eo anno Romæ Papatus ipsius desumatur, nihilominus, quia post Christum primus ipsius Vicarius & Pastor Ecclesiæ est ab eo constitutus, Ioann. [a] dum bis ei dixit: *Pasce agnos meos*, & iterum: *Pasce oues meas*, quod hoc eodem anno post Resurrectionem contigit, ideo ab hoc anno Pontificatus ipsius in totam Ecclesiam iure desumendus, ita vt per triginta sex annos, & aliquot menses id munus peregerit. Baronius *to.* 1. *sub anno* 39. Genebrard. [b], Iacobus Gualterus *in Tabula Chronograph. secul.* 1. Hic posterior cæteris clarius S. Petrum primatum Apostolicum per 36. annos, menses quinque, & dies duodecim omnino tenuisse ex Eusebio, Hieronymo, Genebrardo, & Baronio demonstrat. Illos sic distribuens, quinque videlicet Ierosolymis ab anno isto 34. Christi vsque ad 39. septem Antiochiæ ab anno 39. vsque ad 45. & Romæ 25. seu enucleatius 24. menses quinque, & dies duodecim, sumpto initio ab anno 45. die 18. Ianuarij vsque ad annum 69. Iunij 29. *S. Petrus Christi Vicarius.* *a* 20. *v.* 15. 16. & 19. *b lib.* 3. *Chronolog. in S. Petro.*

3 Vocamus etiam hunc annum vigesimum Tiberij (etsi Baronius decimumoctauum appellat) consequenter ad id quod diximus to. primo, annum videlicet Christi 29. fuisse quintum decimum Imperatoris, & cum quo cœpit Ioannis Baptistæ prædicatio, ex hoc enim manifestè sequitur hunc Christi annum 34. fuisse etiam vigesimum eiusdem Tiberij. *Tiberij annus 20.*

4 Quo etiam anno, cum credentium in Christo numerus magis ac magis indies augeretur, inter cætera, quæ ad nascentis Ecclesiæ augmentum a Petro Apostolorum Principe, & Summo Ecclesiæ Pastore sancita sunt, Iacobus Alphæi cognomento Iustus, & frater Domini dictus, Ierosolymorum ordinatur Episcopus. Chrysost. [c] Euseb. [d] Baronius *sub hoc anno*. Eius porro ordinatio nostris Annalibus inserenda fuit, non *Iacobus primus Ierosolymorum Episcopus.* *c hom.* 87. *in Ioan.* *d l.* 2. *hist. c.* 1.

solùm

solùm quia, vt diximus *to. 1. sub an.* 4019. ex Serario [a], ac in Minerali [b], Boulduc. [c] & Munoz. [d] Essenus ipse & Rechabita erat, ac proinde Ordinis Prophetici assecla, iuxta ibidem, & *sub an.* 3159. & 3545. dicta, sed etiam, quia cum Eliæ Religio, vtpote in Carmelo primū instituta, Terræ Sanctæ semper incola fuerit, primi procul dubio abs re non erit Ierosolymorum Episcoporum, in quorum ditione degebat, historiam texere. Cum autem Iacobus Esseni instituti professor esset, dubium non erit, quin similis professionis homines præ cæteris amore, & fauore prosequeretur, & sub eius auspicijs magis indies cresceret institutum. De gestis porro ipsius aliqua dicemus *ann.* 63. quo ipsius martyrium contigit.

[a] in Triber. l. 3. c. 9. & 18.
[b] l. 5. c. 26.
[c] in lib. de Eccl. post leg. c. 7. & 8. & in exposit. Epist. Iudæ v. 1.
[d] in Propugnac. Eliæ l. 2. tit. 1. c. 2. ar. 5. n. 10.

S. Stephani lapidatio.

5 In hunc quoque annum referenda videtur mors S. Stephani Protomartyris, de qua in Actibus Apost. c. 7. fusius fit sermo, & pro 26. die Decembris, prout ex martyrologijs, & alijs monumentis deducitur, contigit. Quæ autem ex ea secuta sunt, nostrorum Annalium propriora, sub sequenti referimus.

Annus Christi 35. S. Petri Pontif. 2. Tiberij Imp. 21.

Ecclesiæ prima persecutio.

1 POST S. Stephani necem a sacro textu *Act. 7.* enumeratam, subditur *c. 8.* in principio: *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ, & Samariæ præter Apostolos.* Tanta enim ac tam sæua Iudæorum in Christianos ira efferbuit, vt pluribus eorum interemptis, prout colligitur *Act. 26.* vbi Paulus vnus eorum, qui Christianos insectabatur, ibidem dicit: *Multos sanctorum ego in carceribus inclusi à Principibus Sacerdotum potestate accepta, & cum occiderentur detuli sententiam* (de quo etiam Dorotheus *in Synops.* dum de Nicanore loquitur, & Lucianus *in Epist. de Inuent. S. Stephani*) omnes exulare cogerentur. Primum in Christianos bellum hoc fuit, vt loquitur Optatus *lib. 3.* Apostoli autem Ierosolymis permanserunt diuina prouidentia reseruati, vt vel Episcopis exemplum præberent, ne in simili occasione Ecclesias suas desolatas relinquerent.

In quas regiones dispersi Christiani.

2 Quamuis autem sacer textus relatus solùm dicat Christianos præter Apostolos *per regiones Iudææ, & Samariæ* dispersos esse, nihilominus in alias quoque externas regiones perrexisse confirmat Baronius sub hoc anno [e], vbi expressè dicitur: *Illi quidem, qui dispersi fuerunt à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano perambulauerunt vsque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam.* Qui etiam bene colligit in alias Asiæ, & Europæ quoque prouincias dispersos esse ex *1. Petr. 1. vers. 1.* ibi: *Petrus Apostolus Iesu Christi electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ.* Et ex Paul. *ad Galat. 3. v. 1.* ibi: *Insensati Galatæ quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est in vobis crucifixus.* Quibus denotatur eos præsentes fuisse

[e] in Act. 11. v. 19.

fuiſſe tum Christi crucifixioni, tum Christianorum proſcriptioni.

3 Ex quo iam maiorem credibilitatem ſumet id, quod pro noſtro intento proximius deſeruit, & refertur in Luitprandi, ſeu Eutrandi fragmentis per Thomam Tamaio de Vargas Philippi Quarti Catholici Regis Hiſtoriographum Mantuæ Carpetanorum typis editis, vbi *n.171.* ſic legitur: ***Magna pars eorum, qui diſperſi in perſecutione Sancti Stephani ad varias partes traiecerant, & ad Hiſpaniam plurimi venerant, erat ex monachis Montis Carmeli prædicationibus Christi, & Apostolorum ad fidem conuerſi. In quibus Elpidius & ſocij Pontifices à S. Iacobo creati, & poſt martyres effecti.*** Quæ veritati conformia eſſe præter ea, quæ de Sancto Elpidio, & ſocijs Sancti Iacobi Diſcipulis ſuo loco dicetur, roborari debet, oſtendendo primo in plures Orbis Regiones diſperſos fuiſſe Christianos iſtos, qui in hac Sancti Stephani perſecutione Iudæorum rabiem fugerunt, ac proinde in Hiſpaniam etiam aduenire potuiſſe: deinde ſecundò inter illos numerandos eſſe plures, vel aliquot ex Eſſenis Eliani, ac proinde Carmelitici Ordinis, iuxta ſæpius dicta, Profeſſoribus. Luitprandi teſtimonium.

4 Primum ergo oſtenditur non ſolum ex ijs, quæ pro Baronio retulimus, ſed ex Athanaſio *hom. de Semente* vbi *vniuerſum orbem* peragraſſe Christi diſcipulos quaſi ſeminatos poſt lapidatum Stephanum habet. Similiter ex Gregorio Nyſſeno *ſerm. de S. Stephano* aſſerente hac occaſione *in Orbem terrarum* Diſcipulos currere cœpiſſe, & poſt alia: *Hinc Ægyptij, Syri, Parthi, & Meſopotamitæ, Itali, Illyrici, Macedones Christum agnoſcunt, & omnes vtique gentes ſermo percurrens ad fidem adducit.* Propius accedit Flauius Lucius Dexter *in Chronic. omnimod. Hiſtor.* ſic dicens: ***Anno Christi 35. occiſo lapidibus Stephano, magna perſecutio Ieroſolymis, & in confinijs exoritur, pluſquam quindecim mille viri, qui prædicantibus Apoſtolis Christum crediderant, fugantur; alij in Aſiam, nonnulli ad Europam veniunt, ex his pluſquam quingenti naue Cypro educti ad portum Carthaginenſem Hiſpaniæ pertingunt. Diuiſi per Hiſpanias mortem Christi, reſurrectionemque renunciant, & Mariæ vitam, ad quam frequens ex Hiſpania fiebat peregrinatio, maximè poſt conuerſionem Cornelij Centurionis, totamque Prouinciam vndique mirificis, & inauditis nuncijs complent. Ex his primi à B. Iacobo eliguntur Vrbium Pontifices, & paſtores, dubium an omnes Iudæi fuerint.*** Hæc Dexter: quæ latè, & doctè proſequitur Franciſcus Biuarius Ciſtercienſis eius Commentator, & admittit Cornelius a Lapide Comment. *in Act. Apoſt. c.8. verſ.9.* Specialiter de hoc Orbis concurſu ad Virginem Deiparam inuiſendam non ſolùm Dexter, ſed & Ignatius in Epiſt. ad Ioan. Apoſtol. Amadeus Pauſaniæ Epiſcopus [a], Rupert. [b] & alij. In plures Orbis regiones diſperſi tunc Christiani.

5 Secundum verò non ſolùm Luitprandi teſtimonio adducto, ſed & ex relatis etiam *to. 1.* ſuaderi poteſt. Si enim, vt ibi ſub anno Christi 34. dictum manet, plures, vel aliqui ſaltem, ex illis, qui in primis Petri concionibus [c] Christi fidem ſuſceperunt, Eſſeni inſtituti cultores erant: quidni dicatur quoſdam ex illis hac occaſione cum alijs Chri- Inter illos fuerunt aliqui Eſſeni.

[a] *homil.7. de laud. Virg.*
[b] *lib.5. in Cant.*
[c] *Act. Apoſt. c.2. 3. & 4.*

ſtianis Iudæorum metu Ieroſolymam deſeruiſſe? Accedit quod, vt Dexter relatus, & Baronius ſub hoc anno exiſtimant, numerus credentium hoc tempore 15. millium circiter erat. Quis ergo inter tot hominum millia pleroſque Eſſenos fuiſse refragetur, cum illi præſertim inter Iudæos omnes pijſſimi, & religioſiſſimi, & Chriſto Domino poſt Euangelij euulgationem præſertim addictiſſimi eſsent? Accedit & ex noſtris priſcis auctoribus Ioannes de Cimineto in tractatulo breui *Speculum Ordinis* vocato c.3. vbi de primis Eliani Ordinis alumnis iam baptizatis ſubiungit: *Perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum habentes gratiam ad omnem plebem veritatis Euangelicæ nuncij fideles, ac fidei Chriſtianæ legitimi defenſores effecti ſunt*. Eadem ſimiliter ex Sigiberto in *Hiſtoria Ieroſolymitana* affert Palæonydorus [a]. Maximè accedit Philo *in libro de Vita Contemplat.* quem non poſt plures annos ab hoc tempore ſcripſit, cum Chriſto, & Apoſtolis coæuus fuerit; loquens enim de Eſſenis Theoreticis, ſeu contemplatiuis, quos maxima ſaltem ex parte Chriſtianos fuiſse in *Apparatu cap.* 3. ex communi DD. ſententia oſtendimus, dicit: *Hoc genus reperitur in multis Orbis regionibus, meritò, vt abſolutæ probitatis receptum à Græcis, atque Barbaris, maximè tamen in Ægypto*, ſeu vt Euſebij Interpres [b], inquit: *In multis eſt Orbis terræ partibus hoc genus hominum, oportebat namque huius perfecti boni participem fieri, omnem Græciam, omnemque Barbariam.* Ex hoc enim valde credibile redditur Luitprandi allatum teſtimonium. Si enim hoc æuo Eſſeni Chriſtiani in multis Orbis regionibus morabantur, cur non in Hiſpania famoſiſſima ſemper Orbis parte? Et cum hi Eſſeni a Philone commemorati Ordinis Eliani, & Prophetici cultores eſsent, iuxta dicta *to.1. ſub anno* 3545. & ſupra in *Apparatu c.4. à n.16.* procul dubio concinnè ſatis Luitprandus eos appellare potuit *ex Monachis Montis Carmeli*. Accedit ad intentum, quod ij, qui per Hiſpanias diuiſi fuerunt, non ſolum Chriſti mortem, & reſurrectionem denunciabant, vt ex allato Dextri teſtimonio comprobatur, ſed & Mariæ vitam etiam prædicabant, addentes videlicet eius ſacratiſſimam Matrem adhuc in viuis agere. Quo (vt Biuarius inquit) eos, ſcilicet Hiſpanos, *accenderent deſiderio viſendi ipſam*. Vt propterea ad ipſam frequens in Hiſpania fieret peregrinatio, vt Dexter ſubiungit. Hæc enim omnia ſatis denotant hos primos ex Iudæa poſt Chriſti mortem in Hiſpaniam peregrinantes Virgini Matri addictiſsimos fuiſſe, quales Eliæ filios, vel ab incunabulis comprobatos eſſe, ſæpius Annales noſtri proclamant, & Tractatus a nobis nuper editus, cui titulus *Maria Patrona*, ſufficienter demonſtrat.

a lib.2. c.1.

b lib.2. hiſt. Eccl. c.17.

Qui tales, & quo numero.

6 Qui tamen, & quo numero fuerint hi, qui hac Iudæorum perſecutione in Hiſpaniam tranſmigrarunt, quorum aliquos ex noſtri Ordinis Profeſſoribus fuiſſe ex teſtimonio Luitprandi relati habuimus, inueſtigandum nobis eſt. Et quidem pluſquam quingentos fuiſſe, Dexter citatus refert: quaſi enim Hiſpania totius Orbis trigeſima pars eſſet, ex

quin-

quindecim millibus, quingenti eidem diuina prouidentia destinati sunt: Res sanè incerta, & soli Deo cognita, graui tamen, & vetusto auctori iure acquiescendum, dum certiora non suppetant. Luitprando quoque credendum (vt alij quæsito satisfiat) dum inquit: *In quibus Elpidius, & socij Pontifices à S. Iacobo creati, & post martyres effecti*. Consentit idem Author in fragmentis *n.* 101. dicens: *Sanctus Elpidius, quem S. Iacobus præfecit Toletanis primum Pontificem, Carmelita Monachus fuit; & in prima Petri concione ad fidem cum socijs multis venit in Hispaniam.* Fauet etiam in eisdem fragmentis *n.* 100. scribens: *Sunt qui putent, quod & ego credo, S. Leocadiam monialem fuisse Ordinis Carmelitarum, quem Ordinem monachi Carmelitani ad fidem Christi conuersi in Hispaniam intulerunt. Ex quibus fuit Elpidius primus Toletanus Præses à S. Iacobo constitutus.* Ex Luitprandi ergo fragmentis clarè habemus Elpidium, & socios ex eorum numero fuisse, qui in hac Ecclesiæ Ierosolymis exorta persecutione in Hispaniam transmigrarunt, fidemque, & Carmeli monasticem detulerunt. De quo plura alio loco. Illud hic non prætermittendum, fidem meritò huic Luitprando adhiberi, quippe eiusdem Othonis ad summum Pontificem legatus, & Berengario II. Italiæ Regi a secretis: ac denique in Hispaniæ rebus versatissimus, non solum quia Ecclesiæ Toletanæ Subdiaconus, etsi postea Ticiensis Diaconus, & Cremonensis Episcopus, sed etiam quia, vt ipse testatur *in Epist. ad Tractemundum Episcopum Illiberitanum*, quam etiam præfatus Thomas Tamaio typis euulgauit, ex Hispania secum in Italiam detulit *aliquot historiæ libros, in quibus ordine erat series collecta multorum Hispaniæ Episcoporum, quos* (inquit) *in hac Bibliotheca reperi, iussu, vt creditur, S. Caroli Magni Imperatoris ex Hispania allatos*. Vnde ea, quæ ex ipso attulimus, sequuntur plures Hispanicarum rerum scriptores hoc sæculo diligentissimi, videlicet Petrus de Salazar Toletanus Canonicus *in prologo ad Chronicon Cardinalis Petri Gonzalez de Mendoza*, Rodericus Carus *in notis ad Chronicon Flauij Dextri ann.* 301. *fol.* 109. de S. Leocadia loquens, Franciscus Portocarrero Iesuita *in Vita S. Illefonsi Toletani cap.* 8. Hieronymus Higuera eiusdem Societatis *in operibus Historicis M. S.* in Bibliotheca domus Professæ Iesuitarum Toleti, & ex nostris Emmanuel Romanus *in Indic. Alphabet. antiquit. Ordin. Carmelit. verbo Elpidius, & verbo Leocadia*. Ioannes Pintus de Victoria [a], Michael Munozius [b], Ioannes de la Plata *in Defensione pro Carmelit. in Appendic. fol.* 34.

[a] *in Hierarch. Carmel. tract.* 2. *c.* 6.

[b] *in Propugnac. Eliæ l.* 2. *tit.* 2. *c.* 2. *ar.* 6.

7. Credit etiam Baronius sub hoc anno, quod (etsi sub dubio) recipit Lorinus in *Act. Apost. c.* 8. *v.* 1. hoc scilicet tempore dispersionis Christianorum ob S. Stephani martyrium, Lazarum, & sorores Mariam, & Martham, ac Marcellam pedissequam non tantum Ierosolymis pulsos esse, sed vna cum Maximino Discipulo naui absque remigio impositos, in certum naufragium mari creditos, sed diuina prouidentia reseruatos Massiliam appulisse cum Iosepho ab Arimathia, qui ex Gallia in Britan- De S. Lazari, Marthæ, & Mariæ transmigratione.

niam nauigauit. In quibus id notare libet, quod licet historia hæc a pluribus ferè communiter recipiatur, vt patet in legendis SS. Mariæ, & Marthæ, quorum aliqua referunt præfati Baronius, & Lorinus, de tempore tamen, seu anno, quo ea contigit, nihil certi habetur. Præsertim cum Dexter sub *anno* 41. asserat eo tempore Martham, & Magdalenam comitasse B. Virginem Ephesum cum Ioanne Apostolo migrantem: ex quo proculdubio sequitur hoc anno expulsas a Iudæis non fuisse, vel si pulsæ fuerunt, in Iudæam postea è Gallijs remeasse. Illud non prætermittendum a pluribus è nostris, specialiter Palæonydoro [a], & Coria [b], huiusmodi duas Lazari sorores inter Prophetici, & Eliani Ordinis cultrices reputari, quod saltem verissimum est quoad vitæ æmulationem, propter dicenda de earum sancta conuersatione *sub anno Christi* 48. vbi propterea de ipsis nonnihil dicere operæpretium nobis erit.

a lib. 2, c. 2.
b in Chron. Carmel. l. 7. c. 8

De Christianis interemptis.

8 Sunt & qui astruant sub hac Christianorum persecutione plures illorum a Iudæis interemptos fuisse iuxta dicta superius *n.* 1. Cum autem Philo *in libro quod omnis probus sit liber* de suis Essenis practicis loquens, eos dicat *in varijs temporum difficultatibus sub tyrannide potentiorum diuersis prædictorum ingenijs, &c.* perplura tormenta, cruciatus, ac neces constantissimè perpessos esse, suspicari datur de hoc etiam tempore, quo Christianorum plures ex Essenis erant (iuxta ea quę diximus *to.* 1. *sub anno Christi* 34.) & a Iudęis perimebantur, sermonem quoque fecisse, vix enim respectiuè ad tempus, quo hęc scribebat Philo, quod fuit non post plures annos ab hac Christianorum persecutione, comprobari possunt illa *in varijs temporum difficultatibus*, nisi & hoc etiam tempus ibi comprehendatur. Rem tamen sub dubio relinquimus.

Samaritanorũ conuersio.

9 Interim Samaritani ad fidem Christi conuersi Petrum, & Ioannem Apostolos videre meruerunt, quorum orationibus factum est, vt illi Spiritum Sanctum in signo aliquo sensibili reciperent. Ab eis etiam Confirmationis Sacramentum accepere, vtpote veris Episcopis, non a Philippo, qui cum solus Diaconus esset, illud administrare non poterat. Res postea illis fuit cum Simone Mago, qui a Philippo cum alijs baptizatus, cum vidisset Spiritum Sanctum ab Apostolis visibiliter dari, pecunia oblata eam facultatem emere tentauit. A Petro tamen reprehensus pœnitentiam simulauit. De quibus Sacra Scriptura *Act. Apost.* 8. & expositores *ibid.* Quæ tamen pro nostræ historiæ cursu denotare videntur, priscos illos Pseudoessenos Samaritas, de quibus *to.* 1. *sub anno* 3545. *à nu.* 45. & 3608. *num.* 11. locuti sumus, hac occasione ad bonam frugem Christianæ Religionis cum alijs redijsse. Ex quibus vnus videtur iste Simon, prout indicat Bouldueus *in exposit. Epist. Iudæ vers.* 3. §. *Sanctis* quasi ipse Sanctus vocaretur adinstar antiquorum Assidæorum, quorum hoc nomen veluti proprium erat, iuxta dicta *to.* 1. *sub anno* 3847. *n.* 3.

Anni

Anni Christi 36.37.& 38. S.Petri Sum.Pontif.3.4.& 5. Tiberij Imp. 22.23.& 24.

1 SANCTI Pauli Apostoli gesta hoc tempore solicitè nos vocant, non quia ipse Esseni, aut Eliani instituti assecla fuerit, cum potius Pharisæus secta nominetur *Actor.26.* quæ, etsi specie tenus pietatem præferret, reuera tamen omni veræ religioni aduersaria semper fuit, sed quia tanti Apostoli memoria non sine iniuria omni occurrenti occasione prætermitti potest. Accedit quod cum ipse ex Pharisæis vnus extiterit, illi autem etsi veluti adulterina proles ex Essenis progeniti fuerint, prout *to.1.sub anno.*3807.*n.*3.*&* 5. *& sub ann.*4085.*n.*2. ex plurium sententia diximus, non prorsus alienum instituto nostro videtur, si de illo aliquid, etsi succinctè, dicamus. Actorum ergo Apostolorum *cap.* 9. post enarratam cap. præcedenti Ecclesiæ persecutionem, & quod Paulus ipse, tunc *Saulus* Ecclesiam deuastaret, & viros, ac mulieres in custodiam traderet, subditur de admiranda eius conuersione, quod cum spirans minarum, & cædis in Discipulos Domini, epistolis acceptis in Damascum, vt eos persequeretur, cum ad eam Vrbem appropinquaret, luce de Cælo circumfulsum in terra prostratum audijsse: *Saule, Saule quid me persequeris?* Cum autem ipse a Iesu vocatum se nosset, prompteque respondisset: *Quid me vis facere?* Dominus quoque ei præcepisset, vt Ciuitatem ingrederetur, eò introductus, cæcitate percussus tribus diebus non vidit, manducauit, aut bibit, donec Anania ad ipsum misso visum, & baptismum recepit. Ex quo acerrimè tueri Iesum Christum cœpit, insidiantibus tamen Iudæis, vt propterea Discipuli eum per murum in sporta dimiserint. Hinc Ierosolymam venit ad Apostolos per Barnabam ductus, vnde rursus propter insidias Cæsaream, & Tarsum dimissus est. *Sac.Script.Act. Apost.cap.*9.& exposit. *ibid.* S.Pauli gesta.

2 Multo minus prętermittenda videntur, quę circa hoc tempus Maria Virgo sacratissima Dei Mater, nostręque Carmelitice familię singularissima tutelaris Patrona, nostrorum Annalium digna, egisse existimatur. Postquam enim Christus Filius in Cœlum ascenderat, Apostolique Ierosolymam redijssent, cum illis erat in Cęnaculo vnanimiter in oratione perseuerans, prout *in Act. Apost.c.*1. *à v.* 12. habetur. Refertur autem *v.* 14. vltimo loco post illos, vel ob eximiam ipsius humilitatem, vt S.Bernardus *serm.* 2. *in signum magnum* indicat, vel ad denotandum fœminas, etsi sanctissimas, ob Ordinis incapacitatem, infimo loco collocari in Ecclesiæ Hierarchia. Affuit etiam, vt communis satis sententia docet, in eodem Ierosolymorum cœnaculo die Pentecostes, cum Spiritus Sanctus super Discipulos venit. Ierosolymis quoque aderat, cum Stephanus a Iudæis lapidibus obruebatur. Ostenditur enim peregrinis lapis, super quo tamdiu B.Virgo pro Stephano Deum precata Dei Genitricis gesta.

a in Itiner. primæ primæ c. 7. §. 41.

est, quamdiu durauit lapidatio, prout referunt Brocardus [a], noster Hieronymus Gratianus *l. 1. Vit. S. Iosephi cap. 4.* & alij apud Lorinum *in Acta Apostolorum v. 58.* Nec creditur Ierosolyma discessisse saltem vsque ad Apostolorum diuisionem. Quæ enim magistra Apostolorum effecta fuit, ab illorum consortio, donec ipsi separarentur, separari non debuit. Eo tamen tempore proculdubio loca Sacra Christi Filij miraculis, Passione, Resurrectione, & Ascensione deuotissimè frequentabat, prout refert S. Antonin. [b] ex auctore *Serm. de Assumpt. Virgin.* qui D. Hieronymo tribuitur, & canit Mantuanus noster *lib. 3. Parthenices sic:*

b par. 1. tit. 6. c. 3.

Inuidua deserta domo rerum indiga Virgo
Coniuge defuncto; Natoque in regna recepto
Ducebat tristi vitam mœrore iacentem,
Iam charas olim comitis Martham, atque sororem
Eurus ad occiduum tulerat sine remige littus.
Propterea amissi quærens solatia Nati
Palladiæ collem dederant cui nomina syluæ
Et loca, quæ curare magis quondam ille solebat
Assiduè tanquam prolem visura petebat.
Impatiens amor est, maioraque viribus audet;
Seque reperturum credit quæ ardentius optat.

Per *Palladiæ syluæ Collem* intelligit Mantuanus montem Olfueti, in quo Christus sæpius fuit, prout explicant Ascensius Badius, & Sebastianus Murrho. Olea enim Palladi sacra est. Quod autem idem Mantuanus subiungit tam *in Apologia pro Carmel.* quàm in dicto loco *3. lib. Parthenices* de eadem Beatissima Virgine Carmelum quandoque inuisente, an ad hoc tempus referri possit, inferius dicemus. Illud non prætermittendum, quod Flauius Lucius Dexter *supra circa annum Christi 34.* dixit: *Sacra verò Virgo, consilio, luce doctrinæ, & mirabili vitæ exemplo præsidet collegio Apostolico; nihilque graue gerunt illi, quod non eius consilio, dictuque gerant.* Quod rectè explicat Biuarius Dextri Scholiastes non de præsidentia ex officio; quia hæc solùm Petro debebatur, *sed consilio, & luce,* vt propterea illuminatrix Apostolorum vocari mereatur a Patribus, è quorum numero sunt Rupertus, Idiota, & Antoninus.

Apostolorum diuisio.

3 Apostolorum tamen diuisionem (condito prius Symbolo Apostolico, vt in varias regiones segregati formam haberent communem, quam in docendo sequerentur) circa id tempus, de quo in præsenti, vel non multo post, esto anno secundo post Christi ascensionem non acciderit, prout Melito Sardensis apud Bedam *in retract. in Act. Apost. c. 8.* voluit contigisse, credibilius, ac probabilius est. Colligitur primò *ex Act. 1. v. 4.* dum dicitur de ipso Christo: *Et conuescens præcepit eis* (scilicet Apostolis) *ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris.* Quasi diceret, Patris promissione de Spiritus Sancti aduentu adimpleta discedere debetis, quod etiam clarius *Luc. 24. v. 49.* dictum illis erat;

Vos

Vos autem sedete in Ciuitate, quoad vsque induamini virtute ex alto: id est, vsque ad Spiritus Sancti missionem, & etiam *Act.* 1. *v.* 8. dum dicitur: *Accipietis virtutem Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Colligitur secundò ex Paulo ad *Galat.* 1. *v.* 18. vbi de tempore suæ conuersionis loquens dicit: *Deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim, alium autem Apostolorum vidi neminem nisi Iacobum fratrem Domini.* Proculdubio enim, prout ex Hieronymo, Anselmo, Altisiodorensi, & alijs in hunc Pauli locum colligitur, ex eo Ierosolymę nullum Apostolorũ præter Petrum, & Iacobum Minorem vidit, quia omnes illi per Orbem dispersi erant, excepto Iacobo, qui Ierosolymorũ Episcopus erat, & Petro, qui cum vniuersalis Ecclesiæ pastor esset, vbique, prout posset, adesse debebat. Accedit Ecclesiæ auctoritas in Antiphona ad Magnificat pro secundis Vesperis diei Pentecostes iuxta Romanum, & Carmelitanum Breuiarium, vbi dicitur: *Hodie Spiritus Sanctus in igne Discipulis apparuit, & tribuit eis charismatum dona, & misit eos in vniuersum mundum prædicare, & testificari, qui crediderit, & baptizatus fuerit &c.* quo indicatur tunc eis impositum præceptum prædicandi in vniuerso Orbe Euangelium, ac proinde non multo post illud executioni mandasse. Fauet Dexter relatus dum eodem Christi anno 34. sortitionem Prouinciarum inter Apostolos factam fuisse commemorat. Ex ea enim sortitione vsque ad actualem diuisionem non multum temporis intercedere debuit. Traditio ergo quędam, quam refert Eusebius *lib.* 5. *hist. c.* 17. de quodam Apollonio vetusto auctore, qui eam retulit ex Tharsea martyre, quod scilicet Christus Discipulis suis præcepisset, ne ante duodecimum annum a Ierosolymis discederent, incerta valde, & apocrypha iure meritoque censenda, vt propterea aliqui, qui eidem adhæserunt, quales sunt Petrus Comestor in *Act. Apost. c.* 71. Beda *in Act. c.* 13. Ioannes Belethus de diuin. offic. c. 139. & alij, in minus probabilem inciderint sententiam [illegible]

4. Merito etiam proinde S. Iacobi Zebedęi Maioris nuncupati in Hispanias aduentum pro hoc tempore referre debemus, cum pro comperto omnibus sit, eum cum cæteris Apostolis in quam sortitus erat Prouinciam simul profectum fuisse. Ipsum porro Hispaniam adijsse tam constans, & perpetua traditio semper fuit inter Hispanos ipsos, & exteros Auctores, vt si nihil pro hac causa præter eam staret, satis putaretur habere præsidij communis. Namque conspirans consensio, nullo interrupta tempore eam habet auctoritatem, quam nulla nisi magna, aut inconcussa fides conuellere, aut infirmare possit. Ipsius ergo stabilem veritatem non tam probantes, quàm supponentes, ad plures, qui pro eadem scripserunt, lectorem remittimus, ne plusquam opus est in longum nostra protrahatur historia. Si quis eos nosse volet, doctissimum adeat Franciscum Xodar de Iesu nostri Ordinis alumnum, qui hac de re luculentum satis, & eruditum edidit tractatum, in quo ad centum viginti S. Iacobi aduentus in Hispaniam.

colle-

collegit, eosque sic accuratè in centurias diuisit, vt nullam ætatem a priscis Ecclesiæ sæculis aliquo graui caruisse teste pro Hispanicæ traditionis patrocinio facile cuiuis prudenti, vel non proteruo, persuadeat. Eadem etiam pro causa videri possunt Excellentissimus, pariterque eruditissimus Comestabilis Castellæ D. Ioannes Salazar, D. Maurus de Castella, D. Bertrandus Compostellanus Archiepiscopus, Gaspar Sanchez, Biuarius, & alij plures.

De S. Elpidio. 5 Ex quo iam, vt propius ad nostra accedamus, locus nunc datur, vt ea quæ *sub anno Christi 35.* tetigimus, videlicet S. Elpidium ex Carmeli eremitis a D. Iacobo Apostolo cum socijs Episcopos in Hispania constitutos, & postea Christi martyres effectos esse, prosequamur. Sub id autem tempus aduentus eiusdem Iacobi in eas Prouincias casum referimus, annum certum quo contigit ob historiarum penuriam ignorantes. Probabiliter sanè dici posset eo anno quo Apostolus ex Hispania Ierosolymam reuersus est, eos Episcopos pro sui absentia creasse. Probabiliter etiam affirmari potest, cum primum in Hispaniæ oras appulit, id fecisse, vt eos in Euangelij prædicatione magis idoneos coadiutores haberet. In re proinde incerta hoc posterius eligimus. Quatuor ergo, quæ difficultatem quibusdam ingerent, statuenda sunt. Primum, S. Iacobum in Hispania Episcopos creasse. Secundum, inter eos præfatum Elpidium, & socios numerandos. Tertium, fuisse ex nostri Prophetici Ordinis cultoribus. Ac denique quartum, cum ipso, & post ipsius in Ierosolymam regressum Euangelium in illis Prouincijs promulgasse. Nec credimus benignum Lectorem pro illis canonicam scripturam a nobis desideraturum, cum ea quæ sola extat, Actus videlicet Apostolorum, de Petro, & Paulo plura omiserit; de Ioanne, & eius fratre Iacobo; item de Iacobo altero Ierosolymæ Episcopo vix vnum verbum; de alijs autem altum silentium habet. Non ergo curiosius a nobis Canonicæ scripturæ instrumenta exigenda sunt, quæ vix aliqua Orbis Prouincia, vel non nisi quoad paucissima proferre potest. Historicorum ergo testimonijs vtendum; ijsque paucis, cum constet Mahumetanam rabiem in Hispaniæ vastatione libros, & scripta, quæ erant, penitus fermè absumpsisse, vt docet Rodericus Toletanus *in præf. suæ Historiæ:* constat etiam Diocletiani sæuitiam, quæ in ea regione per Dacianum administrum crudelissimè grassata est in martyres, & Christianitatis monumenta, seu libros etiam efferbuisse, prout historiæ clamant.

Quatuor confirmanda.

S. Iacobus in Hispania Episcopos creauit. 6 Ergo S. Iacobum in Hispania Episcopos creasse constat ex Flauio Dextro vetusto, & nobili scriptore, vtpote S. Hieronymo coætaneo, & amico verbis relatis superius *sub anno Christi 35. n. 4.* videlicèt: *Ex his primi à B. Iacobo eliguntur Vrbium Pontifices, & Pastores.* Clarius, & expressius eos nominando sic habet idem Dexter *sub anno Christi 37. Alios etiam S. Iacobus creauit Episcopos, alterum Basilium, qui primus fuit Carthaginis Spartharia Præsul; Eugenius Valentiæ; Agathodorus Tarraconensis;* Elpi-

Elpidius Toletanus; Etherius Barcinonensis; Capito Lucensis; Ephrem Asturicensis; Nestor Paleatinus, Arcadius Iuliobrigensis: Omnes hi ex profugis sunt. Dixerat autem antea S. Iacobum more Apostolico secum in Hispaniam portasse *Episcopos Basilium, Pium, & Athanasium.* Constat etiam ex testimonijs Luitprandi, seu Eutrandi sub eo etiam anno citatis. Quibus etiam accedit aliud eiusdem Luitprandi testimonium in eisdem fragmentis *n.256.* vbi sic: *Mihi valde probabile est, & legitur in Orientis historijs, Elpidium, & reliquos Episcopos, quos traxerat Sanctus Iacobus in Hispanias, & ab ipso Sancto Iacobo baptizatos, fuisse de numero Carmelitarum, qui in Hispania, & per alias Regiones monachatum introduxerant. Istos vocat Eusebius lib.2.c.3. Prophetici Ordinis.* Hæc ibi. Quæ quidem quoad præsens intentum illud confirmant, cum Elpidius, & alij vocentur Episcopi, *quos traxerat S. Iacobus.* Non enim tales vocari possunt, quia antequam ad Hispanias venirent, Episcopi essent, sed quia in ea Regione Episcopi facti sunt ab Apostolo. Dicitur autem Iacobus eos traxisse, quia licet ipsi propter Iudæorum persecutionem fugiendum ad aliquem Hispaniæ portum, Carthaginem videlicet, vt colligitur ex Dextri testimonio supra *sub anno Christi 35.n.4.* relato, ante aduentum ipsius appulerint, postea tamen ipsi aduenienti associati per Hispaniam reliquam ducti fuerunt, vel forsan quia ipsius Iacobi suasu Hispaniam adierunt, vtpote quia filij spirituales illius erant ab eodem baptizati in prima Petri concione, iuxta dicta sub *anno 35. ex fragmento 101.* eiusdem Luitprandi. Consonant & alij auctores expressè asserentes, vel supponentes Iacobum Apostolum in Hispanijs Episcopos constituisse. Hi sunt Iulianus Toletanus Archipresbyter S.Iustæ [a], Biuarius in Commentarijs Flauij Dextri *ad ann. Christi 37.* Dom. Thom. Tamaio de Vargas *in defens. eiusdem Dextri nouit.* 11. Sanchez inferius referendus. Et ex nostris Emmanuel Romanus *in Elucidationibus pro Ordine nostro elucidat.* 14. Ioannes de la Plata [b], Michael Munozius [c], Cassanate [d], & Petrus de Quesada Canariensis *in Allegationib. pro iur. Carmelitar. ad titul. fratr. B. Mariæ fol.* 12. Et sanè vix credi potest Iacobum in Hispania commorantem, & Ierosolymam, vt dicimus suo loco, quantocius reuertentem, non reliquisse in ea Regione Episcopos aliquos, qui fidei semina ab ipso iacta fouerent, & augerent, ac pro temporum opportunitate teneræ gentis fidelitati prouiderent. Præsertim, cum Apostoli potestatem haberent fundandi Ecclesias, creandi Episcopos, & Ordinem Ecclesiasticum disponendi, vt supponunt Caietanus [e], Suarez [f], Cornelius [g], & alij.

7 Nec dictis incommodat, quod ex Breuiario Romano iussu Clementis VIII. reformato in 2. lect. Nocturni festi S.Iacobi, Innocentio III. *in Epist. ad Decentium Eugubinum Episcopum,* & Gregor. VII. *in Epist. ad Hispaniarum Reges,* habeatur, S. Petrum Apostolum ordinasse Episcopos Hispaniæ, constituisse eas Ecclesias, & Christianitatem ibi fundasse. Nam præter ea, quæ pro horum solutione affert Gaspar Sanchez [h], quæ omit-

timus

[a] in Chro. ann. 36.n.5.6. & 7.
[b] in defensione pro Carmelit. fol. 38
[c] in Propugnac. Eliæ l.2.tit.2.c.2.ar.6.
[d] in Paradis. Carmelit. decor stat. 2. ætat. 2. ann. Christ. 49.
[e] tom. 1. opusc. tract. 1. de Pont. Romano c.4.
Obiectioni occurritur.
[f] de fide disp. 10. de Summ. Pont. sect. 1. n. 1.
[g] in c. 1. Epist. ad Rom. n. 26.
[h] de prædicat. S. Iacobi in Hispaniam tract. 2.c.9.n.7. & tract. 3.c.1. & 2.

timus; quia nostram historiam vix tangunt; vno verbo dici potest, ea tribui S. Petro, quia licet proximè a Iacobo gesta fuerint, ex directione tamen, consilio, & beneplacito Petri, vti Apostolorum Principis, & cum subordinatione ad ipsum veluti Ecclesiæ caput, & Christi Vicarium, fuerunt facta: immo ab ipso Petro approbata, confirmata, aucta, & locupletata.

Secundi quæsiti solutio. 8 Iam ad secundum, videlicet inter hos Episcopos a B. Iacobo in Hispania creatos numerandum esse S. Elpidium, & socios, gressum faciamus. Illud verò supponitur in præfatis Luitprandi fragmentis 100. 101. 171. Indicatur etiam in fragmento 256. relato, & fragmento 236. vbi dicitur: *Sanctus Marcus Elpidius Iulianus S. Iacobi Discipulus primus Episcopus Toletanus.* Item fragmentis 84. & 170. vbi etiam appellatur primus Episcopus Toletanus. Ac in *chronicon ipsius Luitprandi Æra 671. & anno Christi 633.* vbi sic habet: *Hoc tempore Iustus Diaconus secularis S. Helladij Episcopi Toletani Hispaniarum Primatis (vt cæteri fuerant ab Elpidio Iuliano Saturnino, & Marco Marcello Eugenio)* qua parenthesi idem denotatur intentum. Sumere id potuit Luitprandus ex vetustiori se Dextro in verbis relatis supra *num. 6.* quo duce id sequuntur Biuarius, & Tamaio eiusdem Dextri propugnatores, Rodericus Carus *in Notat. ad Flauium Dextr. an. 301. fol. 109.* Petrus Salazar de Mendoza *in Prol. ad histor. Card. Petri Consalez de Mendoza.* Franciscus Portocarrero *in Vit. S. Ildefonsi c. 8.* ac ex nostris Emmanuel Romanus, Ioannes de la Plata, Munozius, Cassanate, & Quesada relati.

Elpidij nomina. 9 Ex prædictis autem habetur, quoad Elpidij nomen, vocatum fuisse *Marcum Iulianum Elpidium*, prout appellatur in dicto fragmento 236. Luitprandi. Videtur etiam appellatus *Saturninus*, vt colligitur ex testimonio relato ex Chronic. eiusdem Luitprandi, nisi error sit in accentuatione. Nec mirum tot nominibus nuncupatum priscorum more. Sic enim Boëthius appellatus fuit Anitius Manlius Seuerinus Boëthius. Vnde etiam obiter elici potest, non fuisse Hebræum, sed ex Gentilismo ad Christi fidem conuersum, cum illa nomina nec Græca, nec Hebraica sint, sed Itala, aut Latina; aut forsan Hispanum, cum ad eam obeundam Prouinciam venerit. Nec refert, quod in prima Petri concione dicatur a Luitprando *fragmento 101.* conuersus. Inter eos enim, qui illi adfuerunt *Act. 2.* nonnullos fuisse Gentiles habent Chrysostomus, & Oecumenius, & ex Hymno Ecclesiæ:

Ex omni gente cogniti
Græcis, Latinis, Barbaris,

& alio loco:

Linguis loquuntur omnium
Turbæ pauent Gentilium,

colligit Sanchez *in Act. Apost. c. 2. v. 6.* & loco supra relato *tract. 1. c. 5.* Recte notans tam eo loco ex Actibus Apostolorum, quàm dicto *tract. 1.*

c. 24.

c.24. & 5. licitum fuisse Apostolis prædicare Euangelium gentibus ante Cornelij conuersionem; si tamen verum est, quod ipse ibidem *c.* 10. coniectatur, & tenet Chronici Alexandrini Auctor, Cornelium scilicet conuersum ad Christum eodem anno, quo Eunuchus Æthiopiæ (videlicet secundo ab Ascensione) facilius tollitur dubitatio de prædicatione S. Iacobi in Hispania sub hoc tempore.

10 Maximè etiam ex dictis clarè habemus, hunc Elpidium primum Toletanum Antistitem fuisse. Ita enim expressè legitur in Luitprandi fragmentis 84. 100. 101. 170. & 236. *et in Chronico eiusdem Luitprandi Æra 671. & anno Christi 633.* verbis supra relatis. Circa quæ Luitprandi Scholiastes doctissimus Thomas Tamaio de Vargas loquens de Elpidio, inquit: *Primum hunc Toletanum Præsulem fuisse primi integro volumine comprobauimus, Apologia nempe pro Dextri veritate anno 1624. vulgata.* Id etiam tenet ante Luitprandum Flauius Dexter relatus, quem sequitur ipsius Commentator Biuarius. Et Petrus Salazar de Mendoza Canonicus Toletanus, & Hispaniæ antiquitatum diligens indagator *in Prolog. Historiæ Cardin. Petri Gonzalez de Mendoza.* Fauet Iulianus Petri *in suo Chronic. in princ.* quo loco diptycham, seu indicem Antistitum Toletanorum referens subdit: *In qua non ponuntur martyres, scilicet Iacobus, Elpidius, & n.*610. illis verbis: *Elpidius S. Iacobi discipulus primus Toletanorum Apostolus à S. Iacobo Toleti relictus, &c.* Idque amplexus est Petrus Vrbina grauissimus, & doctissimus Minorum Hispaniæ Generalis Commissarius in publicis thesibus Toleti anno 1633. propugnatis, ac S. Toletanæ Ecclesiæ nuncupatis, eis verbis: *S. Elpidius martyr discipulus S. Iacobi primus Episcopus Toletanus.* Item Franciscus Ruspuerta *in Historia Eccles. Iacn. sect. 1. cap. 5.* Franciscus Freire Minimita *in sermone S. Andreæ Fesulani.* Christophorus Granados Ordinis SS. Trinitatis *in Concione habita in eadem Toletana Ecclesia 25. Maij 1635.* Ac ex nostris Emmanuel Romanus dicta *Elucidat* 14. Cassanate [a], Munozius *in Propugnac. Eliæ l.2. tit.2.c.2.ar.6.* & Quesada loco relato.

S. Elpidius primus Toletanus Antistes.

a in Paradis. Carmel. dec. Stat.2.ar.2.anno Christi 49.

11 Nec huic assertioni obstat vulgata vsque ad nostrum sæculum opinio, quod S. Eugenius eiusdem Toletanæ Ecclesiæ Archipræsul primus extiterit. Tum quia nec in Missali, aut Breuiario Gothico, nec apud S. Illephonsum *in lib. de vir. Illustr.* aut in Martyrologijs Vsuardi, Adonis, Maurolyci, Molani, Galesini, aut Romano iussu Gregorij XIII. Vrbani VIII. edito, aut alijs quibuscumque, in quibus eiusdem Eugenij memoria habetur, primus Toletanæ Ecclesiæ Antistes nominatur. Tum quia esto talis vocaretur, congruentissimè exponi posset sic appellatum relatè ad duos alios posteriores eiusdem nominis, de quibus S. Illephonsus supra, & Baronius *in not. ad Martyrolog. Roman. sub die 15. Nouembris.* Idem esto argumentum de Calendarijs, Officijs, Missalibus, Breuiarijs, Historicis, & antiquis Hispaniarum monumentis. Quæ latè disquirit Tamaius in speciali de hac re opusculo edito. Si tamen fortè in aliquo, etsi

Quid de S. Eugenio.

etsi raro, antiquo monumento, sub titulo primi Archipræsulis Eugenius nominatus appareat; proculdubio id accipiendum ob amplitudinem, restaurationem, seu splendorem Eugenij sanctitate, & industria Toletanæ Ecclesiæ comparata. Familiarissimum namque tum sacris, tum prophanis litteris est, vt is primus alicuius rei auctor appelletur, qui inceptam, & inchoatam ab alio, perficit, & amplificat. Sic *Genes.* 47. *v.* 11. dicitur Ioseph dedisse patri, & fratribus suis possessionem *in Ramesse*, & tamen postea *Exod.* 1. *v.* 11. dicitur quod Hebræi in Ægypto *ædificauerunt Ramesses*, quia scilicet, vt ex Hugone Victorino ibi colligitur, eam renouarunt, & firmiorem reddiderunt. Sic etiam ab eisdem Hebræis dicitur, iuxta 70. Interpretes ædificata Heliopolis, quæ tamen *Genes.* 41. *v.* 45. prius extabat, quia scilicet, vt habetur ex Saliano [a] eandem mœnibus, aut varijs ædificijs restaurarunt. Similiter Babylon, quæ *Genes.* 10. *v.* 10. erat ædificata, nihilominus *Dan.* 4. *v.* 27. dicebat Nabuchodonosor: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui?* ex eo videlicet quia, vt præfatus Salianus *to.* 4. *Annal. sub anno* 3465. *n.* 16. ait, eam vehementer amplificasset, ornasset, locupletasset. Pariter etiam cum certissimum sit ex Diodoro, Iustino, & alijs Philippum Macedonem Alexandri patrem in Græcia regnasse, nihilominus 1. *Machab.* 1. *v.* 1. dicitur de Alexandro: *Primus regnauit in Græcia*. Proculdubio propter magnam Græci Imperij dilatationem, & propagationem, quæ sub ipso contigit. Quam etiam phrasim æmulatur Ecclesia, quæ in oratione Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli dicit: *Da Ecclesiæ tuæ eorum in omnibus sequi præceptum, per quos Religionis sumpsit exordium*. Cum certissimum nihilominus sit Christianam religionem non nisi a Christo exordium sumpsisse.

[a] *to.* 1. *Annal. sub ann. mundi* 3451. *n.* 20.

Ex Romanæ Vrbis conditione.

12 Ex prophanis quoque litteris illustre habetur exemplum in Romana Vrbe: ea enim communiter a Romulo ædificata dicitur, quia ex rudi, atque exigua, ampla, & nobilis ab eo facta est, cum tamen Euander illius primus conditor fuerit, vt patet ex Virgilio 8. *Æneid.* & notat ibi Seruius.

Arcades his oris genus à Pallante profectum
Qui Regem Euandrum comites, qui signa secuti,
Delegere locum, & posuere in montibus Vrbem
Pallantis proaui de nomine Pallanteum.

Et rursus:

Tunc Rex Euandrus Romanæ conditor arcis.

Sic ergo in præsenti quamuis Toletana Ecclesia primitus sub Elpidio erecta, & instituta fuerit, quia tamen ab Eugenio magnum splendorem postea accepit, ideo illius primus Antistes iure nominatur.

Obiectio præclusa.

13 Nec multum vrget vulgaris quædam traditio, qua asseritur in monasterio S. Dionysij Parisiensis hunc titulum repertum a Raymundo Archiepiscopo Toletano: *Hic iacet corpus B. Eugenij primi Toletani Episcopi.*

Fallax

Fallax enim, & incerta satis ipsa comprobatur; cùm apud plures, qui talis inuentionis memoriam faciunt, vt sunt Ribadeneira, Laurentius de Pedilla, & Antonius de Ribera, verbum illud *primi* desideretur. Sed habeatur. Nonne congruè, vt diximus, eo denotatur corpus illud esse S. Eugenij *primi* hoc nomine, non secundi, aut tertij? Quorsum *primi cum Toletani Episcopi* construetur? Recentiores ergo aliquot, vt sunt Mariana *cap.vlt.lib.10.Histor. Hispan.* Franciscus Pisa *lib.2.c.9 Histor.Tolet.* & Alphonsus Venerus *in Enchiridio Tempor.* ex quibus eiusdem S. Eugenij in nuperis Breuiarijs legendæ desumptæ sunt, Dextro antiquissimo rerum Hispanicarum diligentissimo scriptori, quem etiam prisci alij auctores sequuntur, cedere iure debent, nec obstinate resistere.

14 Fuisse autem prædictum Elpidium ex Ordinis Prophetici professoribus etiam habetur ex præfatis Luitprandi fragmentis 100. 101. 171. S. Elpidius Ordinis Prophetici.
& 256. Nec leui fundamento id asseritur, si, vt in dicto fragmento 101. dicitur, & indicatur *in* 171. ille fuit ex primis ad Christi fidem prima Petri concione, de qua *Actor.2.* conuersis. Vt enim *to.1. sub anno Christi* 34. ostendimus, inter illos, qui ea concione fidem recepere, qui circiter tria millia *v.41.* dicuntur, plures erant Ordinis Prophetici, & Esseni senatus alumni. Pro quo sufficiat modo Ecclesiæ testimonium in Officio Commemorationis solemnis B. Virginis Mariæ pro die 16. Iulij sæpius a Sac. Congregatione Rituum approbato. Lectione namque 4. sic dicitur: *Cum Sacra Pentecostes die Apostoli cælitus afflati varijs linguis loquerentur, & inuocato augustissimo Iesu nomine mira multa patrarent, viri plurimi, qui vestigijs Sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Elisei institerant, & Ioannis Baptistæ praconio ad Christi aduentum comparati fuerant, rerum veritate perspecta, atque probata, Euangelicam fidem confestim amplexati sunt, &c.* Et infra: *Primi omnium in eo montis Carmeli loco, vbi Elias olim, &c.* Quare ipsum inter Eliani Ordinis cultores recensent non solùm de nostris Emmanuel Romanus *d. elucidat.14.* Munozius [a], & alibi Ioannes [a] in propugn. Eliæ l.2.tit.2.c.2.ar.6.n.4.
de la Plata *in Defensorio*, dum de S. Elpidio agit. Cassanate *in Paradiso Carmelitar. stat.2.ætat.2.c.5.* & Petrus Quesada loco relato, sed de exteris Petrus Salazar de Mendoza Toletanus Canonicus *in Prolog. ad Histor. Cardinal. Petri Gonzalez de Mendoza*, Franciscus Freire Minimorum Ordinis *in quadam concione*, Franciscus Ruspuerta Biacensis *in Histor. Eccles. Giennens. sæcul.7. c. 5.* & Christophorus Granados Ordinis SS. Trinitatis *in concione supra n. 10. relata.*

15 Numerari etiam videntur inter eosdem Prophetici instituti asseclas alij eiusdem Elpidij socij, & comites, ac Iacobi Apostoli Discipuli. An ipsius etiã socij.
Sic enim dicitur *in fragmento* illo 100. Luitprandi: *Quem Ordinem Monachi Carmelitani ad fidem Christi conuersi in Hispaniam intulerunt, ex quibus fuit Elpidius, &c.* Clarius *fragmento* 101. vbi sic: *S. Elpidius quem S. Iacobus præfecit Toletanis primum Pontificem Carmelita monachus fuit, & in prima Petri concione conuersus ad fidem cum socijs multis venit in Hispaniam,*

Item *fragmento* 171. illis verbis; *in quibus Elpidius, & socij Pontifices à S. Iacobo creati, & post martyres effecti*. Et *fragm*. 256. illis: *Elpidium, & reliquos Episcopos, quos traxerat S. Iacobus in Hispanias, & ab ipso S. Iacobo baptizatos fuisse de numero Carmelitarum*. Quod sanè etiam credibile fit tum ex dictis, tum etiam ex dicendis. Idque colligitur ex Officio Missæ ipsorum a S. Isidoro edito, & quod affert Franciscus Biuarius *in Comment. ad Flauium Dextrum Chron. sub ann*. 54. *n*. 4. vbi eos vocat *Vates*, dum dicit: *Diem hunc dilectissimi fratres, in quo memoria nostrorum vatum excolitur, deuotis mentibus excolamus*. Eliani namque Ordinis asseclas *Prophetas*, seu *Vates* appellari solitos ea quæ adduximus *to*. 1. præsertim *c*. 2. & 8. *Apparatus* satis ostendunt.

Qui fuerint illi. 16 Sed quinam ij fuerint, quoue nomine vocati vix conijci potest ex prædictis Luitprandi fragmentis, cum solus in eis Episcopi, martyres, socij Elpidij, & a Iacobo baptizati, & in Hispanias ducti dicantur. Nihilominus ex Dextero relato elici videtur fuisse Basilium, Pium, Athanasium, Maximum, Chrysogonum, Theodorum, Cæcilium, Thesiphontem, Iscium, Calocerum, Torquatum, Secundum, Indalecium, & Euphrasium, quos secum asportasse S. Iacobum Apostolum, testatur. Vel saltem (quod credibilius apparet) alterum Basilium, Eugenium, Agathodorum, Etherium, Capitonem, Ephremum, Nestorem, & Arcadium; quia hos omnes a S. Iacobo in Episcopos cum Elpidio creatos, & ex profugis fuisse profitetur. Cuius signum est, quod isti omnes martyres, & Episcopi simul recensentur in Menologio Græcorũ, & Martyrologijs Romano, Vsuardi, Molani, Galesini, & alijs, vt notat Biuarius *in Dextri Chron. sub ann. Christ*. 37. *Comment*. 2. Res tamen vsque modo incomperta, & maiori indagine digna, ac proinde interim sub dubij trutina sapientibus linquenda, solùmque probabili fide affirmanda.

Ab eis Eliæ Ordinem in Hispa. nias illatum. 17 Quicumque tamen ij fuerint, & quouis nomine appellati, ab ipsis Carmeli Ordinem in Hispanias illatum ex præfato fragmento 100. Luitprandi elicitur, clarius ex 256. quod tale est: *Mihi valdè probabile est, & legitur in Orientis Historijs Elpidium, & reliquos Episcopos, quos traxerat S. Iacobus in Hispanias, & ab ipso S. Iacobo baptizatos, fuisse de numero Carmelitarum, qui in Hispania, & per alias regiones Monachatum introduxerunt. Istos vocat Eusebius lib*. 2. *cap*. 3. *Prophetici Ordinis*. Quæ sint istæ Orientis historiæ pro comperto non est, nisi dicamus eas esse quas Iosephus Antiochenus, Sigebertus, & alij inferius referendi scripserunt. Quod autem hos Carmeli monachos dicat vocatos *Ordinis Prophetici* ab Eusebio, confirmat id quod latius *to*. 1. *in Appar. c*. 2. *n*. 23. & 24. & *c*. 8. *n*. 2. de hoc titulo diximus. Quod verò per ipsos monachatus in Hispaniam, & alias regiones introductus sit, ex dictis hoc tomo *in Appar. cap*. 2. sufficienter ostenditur. Ibi enim ex plurium tum Patrum, tum Doctorum sententia scripsimus Essenos (qui eiusdem Prophetici Ordinis cultores erant, vt sæpius vidimus) Duces, & Antesignanos monachorum legis

nouæ

nouæ appellari posse. Quid ergo mirum dictu erit, quod illi in Hispaniam quoque monachatum induxerint? Accedit quod cum in Hispaniæ Prouincijs multis annis ante Basilium, & Benedictum, aliumque monachorum institutorem, monachatus inueniatur, prout ex dicendis *ad annum* 308. dum de Fabritiano, & Philiberto monachis, & Martyribus loquamur, compertum erit: proculdubio affirmari debet, per communes monachorum parentes, Essenos videlicet, ex quibus hi erant, propagatum fuisse. Constabit id quoque ex dicendis in operis discursu.

18 Ex quo iam ad quartum, quod promisimus, accedamus. Statuimus ergo S. Elpidium, & socios cum S. Iacobo Apostolo primum, deinde post eius discessum Euangelium in Hispaniarum Prouincijs propagasse. Quorsum enim illuc missi, destinati, & Episcopi creati, nisi Euangelicæ prædicationis gratia? Id etiam demonstrant Templa ab ipso constructa, de quibus suo loco dicetur. Accinunt, & dicenda *sub ann.* 45. de Torquato, Thesiphonte, Cæcilio, Iscio, Secundo, Indalescio, Euphrasio septem Apostoli Iacobi discipulis, & a Petro è Roma Hispaniarum conuersioni destinatis. S. Elpidius, & socij Euangelij propagatores in Hispania.

19 Hoc etiam tempore, quo Apostolorum diuisio, vt diximus, facta creditur, proculdubio plures alij ex Ordinis Prophetici cultoribus, maximè qui per regiones Iudçæ, & Palæstinæ in Eremis, & alijs Terræ Sanctæ locis, Carmelo etiam ipso, dispersi morabantur, fidem Christi, prædicantibus Apostolis amplexati fuerunt. Quòd ipsorum aliqui eodem Christi mortis, & resurrectionis anno ipso Pentecostes festo Petri concionibus excitati baptismum, & fidem susceperint, *to.1. sub an. Christi* 34. *à num.*28. sufficienter probauimus; quod verò alij etiam, ex ijs præcipuè, qui eo anno ad Pentecostes solemnitatem concurrere non potuerant, vel ex Iudæis, qui eorum instituto his annis forsan adhæserant; seu ex alijs Orbis partibus in Iudæam, & Palæstinam aduenerant, sub id tempus Christi Religioni, Iudaismo relicto, nomen dedisse, credibile valde est, & testimonijs plurium Auctorum corroborari potest. Ex nostris etiam, quibus veluti domesticis testibus res hæc, vel per traditionem, notior esse debuit, id indicant Ioannes Ierosolymitanus *lib. de Instit. monach. c.*31. dum dixit: *Eorum multi ea, quæ ab Apostolis hauserant, cæteris effundentes, &c.* ea enim ad hoc tempus referri posse videntur. Thomas Vvaldensis [a], Iosephi Antiocheni, & Ioannis Ierosolymitani verba referendo, Ioannes de Cimineto in tractatulo *Speculum Ordinis* dicto *cap.*3. & alij. Vnde in Informatione per Bernardum Olerium Ordinis Generalem circa annum 1376. Papæ præsentata per Cardinalem Petrum Corsinum S. Andreæ Corsini consanguineum, quæ habetur *in Speculo Ordinis fol.*53. sic dicitur ex Ordinis traditione: *Qui postmodum ad prædicationem Apostolorum fidem Catholicam suscipientes.* Et infra: *Qui tandem per prædicationem Apostolorum fidem Christi suscipientes.* Carmelitæ fidē recipiunt.

a to.1. Doctrin. fid.l.4.ar.2.c.27 in fin.

b to.3. de Sacramen. tit.9. c.89.

20 Ac de exteris Armacanus apud eundem Vvaldensem [b] illis verbis: Exterorum testimonia.

bis: *Prædicantibus Apostolis inter cæteros sunt conuersi.* Chronica quædam Romana apud Palæonydorum *lib. 1. c. 6.* vnde Armacanus ea, quæ dixit sumpsisse videtur, vbi sic ad intentum: *Qui tandem prædicantibus Apostolis in fide confirmati, &c.* Trithemius *de laudib. Carmel. c. 2.* sic: *Prædicantibus fidem Apostolis, inter multos, qui tunc conuertebantur, etiam Carmeli montis eremitæ conuersi sunt.* Carolus de Tapia [a] illis: *Hi deinde ab Apostolis ad fidem conuersi iuxta Euangelicam fidem, ac Eliæ traditiones piè, ac sanctè viuebant.* Iodocus Badius Ascensius Commentator Mantuani *in lib. 3. Parthen.* Egregiè etiam Ioannes Bonifacius [b], sic dicens: *Mirabiles quidam solitudinis amatores Eliæ, & Elisei vestigia prosecuti, rerum diuinarum attentissimè meditationi se totos dediderunt, ad quorum tamen aures, cum Apostolorum prima & Christo mundi per crucem seruatore Euangelicæ voces peruenissent, continuo veteri legi nuntium remittentes sese ad nouam transtulerunt, &c.* Hæc ergo, & alia Auctorum testimonia, quæ prætermittimus, eatenus nobis fauere credimus, quatenus indistinctè asserunt Carmeli Professores ab Apostolis euangelicam fidem suscepisse, quæ sine dubio magna saltem ex parte hoc tempore diuisionis Apostolorum factum credi fas est.

a in Authent. ingressi c. 17.

b de Histor. Virgin. l. 2. c. 1.

Apostolorum diuisionis festū.

21 Celebris propterea in Ordine nostro antiquitus fuit solemnitas hæc diuisionis (aliàs missionis) Apostolorum, duplicis enim festi ritu die 15 Iulij quotannis recolebatur: vt constat ex Missalibus vetustis anni 1509. & 1551. & 1574. Breuiarijs etiam antiquioribus anni 1495. & Ritualibus anni 1544. Causam porrò celebritatis huius festi eam tradunt Hieronymus Gratianus, vir doctrina, & probitate celebris, & Emanuel Romanus *Elucidat. 14.* Quòd cum Apostolis per Orbem dispersis etiam nostri Prophetici Ordinis asseclæ Euangelium prædicaturi associarentur, iuxta dicenda sub anno sequenti, propterea hoc diuisionis Apostolicæ festum quasi proprium celebrare studuerunt. Suspicari quoque possumus ex eo quod Apostolorum diuisionis hoc tempore plures ex nostris Christi fidem amplexati sunt, ptout supradictum manet, in tanti memoriam beneficij eiusmodi solemnitatem ab ipsis sedulò celebrari consuetam, quod etsi non prorsus certum, credibilitate tamen non caret. Præsertim quia in oratione eiusmodi festiuitatis, prout in dicto Breuiario ann. 1495. habetur, sic dicitur: *Deus, qui in tuorum diuisione Apostolorum gentium multitudinem in vnitatem fidei, & agnitionem tui nominis adunasti, quæsumus, aures tuæ pietatis Sanctæ Ecclesiæ precibus inclina, & præsta, vt quorum prædicationis instantia te cognouimus, horum obtentu in confessione veritatis tuæ feliciter, firmiterque maneamus.* Verba enim illa *cognouimus*, & *maneamus* sicut ad omnes fideles, sic etiam specialiter ad Ordinis Prophetici alumnos referri possunt.

Oratorium Mariæ Patronæ dicatum.

22 Prudenti quoque coniectura ducti sub hoc tempore contigisse credimus id, quod superius *in Appar. c. 6.* comprobatum reliquimus, videlicet nostri Instituti Eliani cultores Carmeli præsertim Montis Anachoretas,

retas, cùm primum fidem Christi ab Apostolis prædicatam suscepissent, recensentes, quòd Virgo Deipara, quam præsentem intueri merebantur, sub typo nubeculæ paruulæ de mari ascendentis suis prædecessoribus ostensa esset, quin eos in spontaneæ Virginitatis obseruantiam ipsi veluti assimilari, & eam proinde in sui patronam,& singularem tutelam elegisse; cappellamque, seu Oratorium in Carmelo ad ipsius honorem nuncupasse; vt propterea Fratres B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo, iuxta eo loco dicta, appellari primò cœperint. Colligitur id ex communi nostrorum Historicorum calculo, præsertim Ioannis Ierosolymitani *in lib.* sæpius relato *cap.* 36. vel iuxta Vvastelij diuisionem 43. Ioannis de Malinis *in Speculo historiali cap.* 5. *&* 6. Ioannis de Cimineto *in Tractatulo Speculum Ordinis cap.*3. *&* 4. Bernardi Olerij Generalis *in Informat.* sæpius relata *ar.* 1. Vinetæ *in Tract. Cum quidam Fratres.* Ioannis Grossi *in Viridario clau.* 1. & aliorum hanc doctrinam sectantium. Maximè ex ijs,quæ Mantuanus eo *cap.*6. relatus dixit, videlicet: *Post Christi passionem, cum iam Apostoli, & præsertim Ioannes Euangelista, cui fuerat à Christo commendata* (Virgo nempe Deipara) *pulsi à Iudæis ad Gentes transmigrassent, demum se retraxit, Nazareth peruenit, & frequenter veniebat in Carmelum,&c.* Quibus sanè denotatur sub hoc tempore diuisionis Apostolorum per Orbem, quo ea contigerunt, Beatissimam Deiparam suam Nazareth Ciuitatem conuenisse, ibique (vt dicebat Ciminetus relatus) *propter Sanctitatem loci, & deuotionem ibidem habitantium, tum propter vicinitatem locorum,* Carmelum frequentasse, vt propterea pij illi Carmeli incolæ eam vt Dei parentem, & suis prædecessoribus primitus demonstratam venerantes, in Patronam elegissent, Oratorio erecto honorassent, & titulo Fratrum eiusdem insigniri meruissent. Accedit quod Segerus Paulus nostræ Prouinciæ Germaniæ inferioris præclarus alumnus, & de re historica nostra optime meritus *in Vita S. Telesphori Pontif. Rom.* prudenter autumat annum Christi 83. quo ista contigisse narrat liber Ierosolymitani relatus (ex quo alij desumpserunt) per transpositionem formarum numerorum immutatum, ita vt non annus Christi 83. sed 38. legi deberet. Cuius sententiæ iampridem virum valde grauem, & doctum Congregationis Hispaniæ nostrorum Patrum Discalceatorum sectatorem vidi. Quod si ita fuit manifestè concludit nostrum intentum, videlicet sub hoc tempore, quod annum Christi 38. claudit, contigisse quæ diximus. Accedit quod vitium irrepsisse in hunc numerum libri Ioannis, & illud non ab auctore, sed ab alio, vel temporum iniuria, appositum pro anno 38. formis numerorum mutando annum 83. (vt benè animaduertit Vvastelius *in notis var. Lect. ad præfatum librum*) ex ipsius loci circumstantijs colligi videtur. Sic enim ibi habet: *Postquam tam expressam, & propriam primitiarum spontaneæ Virginitatis conformitatem inter se, & Dei Genitricem cognouerunt adimpletam, ipsi ex tunc Fratres B.Mariæ Virginis appellati fuerunt, & in memoriam visionis de ortu huius Virginis præ-*

ostensæ Sancto Prophetæ Eliæ sub specie nubeculæ ascendentis de mari in Carmelum, Monachi prædicti, anno Incarnationis Filij Dei 83. diruentes eorum Semnion antiquum, ædificauerunt ad honorem huius primæ Virginis Deo dicatæ Cappellam quandam in Monte Carmeli, iuxta fontem Eliæ, &c. Quæ profectò nullatenus conuenire videntur in annum 83. quando iam figuræ adimpletæ erant, Apostoli occisi, superstite ex eis vno tantum S. Ioanne Euangelista. Immò & per se nullam habere speciem veri apparet, quod Religio, quæ nomen habet fraternitatis cum B. Virgine, dilatura esset ædificationem Cappellæ eiusdem Virginis titulo in tempus tam longum, idque incommodissimum. Addit Vvastelius *supra:* Maiores nostros Carmelitas, siue qui librum ipsum legerunt, siue ipsius Compendium, perspecto satis numerum illum haudquaquam conuenire historiæ, maluisse nullum Domini annum adnotare, quam numerum illum agnoscere. Propterea ipse legendum putat annum 43. reparato charactere Græco, & conformiter ad opinionem ipsius de anno obitus Sanctissimæ Virginis, post quem id contigisse affert præfatus Ierosolymitanus. Simili etiam de causa Petrus Lucius Belga *in Compend. Histor. Carmel. c. 9.* præfati Ioannis Ierosolymitani verba referens, pro anno 83. annum 53. supponit, an autem ex proprio marte, an verò ex aliquo Ioannis libro autographo id desumpserit, incertum.

Oratorium duplex.

23 Sed quamuis ista sua probabilitate non careant, ne tamen communem lectionem libri Ioannis, qui disertè annum Christi 83. ostendit, & quam sequuntur Ioannes de Vineta *in suo Tractatulo*, qui incipit: *Cum quidam Fratres cap. 3.* & alij cum ipsis, deseramus; & vt propositis difficultatibus satisfiat, nobis magis arridet, quod diximus *d. cap. 6. Apparat. n. 11.* scilicet, non semel, sed bis, Cappellam, aut Oratorium Carmeli colonos suæ tutelari Mariæ nuncupasse; aut, quod idem est, non vnum, sed duplex fuisse tale Oratorium, etsi in eodem monte, diuerso tamen tempore ac loco erectum, mutatum, seu translatum. Alterum quidem in decliuio, seu latere ipsius, prout Iosephus Antiochenus, Constitutiones antiquæ Ordinis, Generalis Olerius, Armachanus, & Trithemius ibi relati, dixerunt: hoc tempore, de quo in præsenti. Alterum verò in montis summitate, vel vertice, prout Sacra Congregatio Rituum, Ioannes Ierosolymitanus, & Generalis Grossus scribunt, sub anno Christi 83. Sicque historiæ veritati, Scriptorum diuersitati, nostrorumque pietati, ac deuotioni erga communem Matrem sibi pluribus titulis specialem, satisfactum erit. Pro comperto igitur maneat Carmeli Eremitas sub hoc tempore quo fidem ab Apostolis in Galilæa, cui adiacet Carmelus, prædicatam suscipiebant, Christique Parentem, quam eorum prædecessoribus reuelatam agnouerant, præsentem, loco vicinam, & sacra eorum loca sua præsentia inuisentem, ac secum humanissimè conuersantem, intuebantur, adeo venerari cœpisse, vt ipsi Oratorium, seu Cappellam in decliuio, seu latere Montis deuotè nuncupauerint,

rint, eamque in sui Instituti Patronam, & tutelarem elegerint; vt propterea, vice ipsis a Deo reddita, Fratres eiusdem Beatissimæ Virginis tunc primò a Christicolis compellari meruissent. Hoc verò sacrum Oratorium, seu Cappellam in Eliæ spelunca, ad læuam nempe ipsius, fuisse, ea quæ adduximus *eo cap.6.n.11.* sufficienter, iuxta materiæ capacitatem, ostendunt.

24 Qui porrò fuerint tam sancti operis fautores, cum nec nostri, nec exteri auctores aliquid prodant, coniecturis potius, quàm efficacibus fundamentis in re obscura inuestigandum. Et quidem, si verum est, quod Ioannes Palæonydorus *lib.2.cap.2.* asseruit, videlicet Enoch de Amathim Carmeli Fratrum Rectorem, & Præpositum circa hoc tempus fuisse, facilè indè inferri potest, ipsum primarium cooperatorem Oratorij, seu Cappellæ prædictæ existimari debere. Qui enim vel suspicari poterit sine suo Prælato humiles Anachoretas aliquid attentasse, vel ipsum minus deuotum Christo, cuius discipulus fuit, vt ex dicendis constabit, aut eius Parenti, apparere voluisse. Inter eos etiam referendus videtur Agabus eiusdem Religionis, & Carmeli Alumnus, de quo aliqua *to.1.* dicta, aliaque in sequentibus dicentur. De ipso enim Mantuanus noster *in suis Parthenices Marian.l.3.* hæc cantabat: Qui erexerint.

Incola Carmeli vixit, tandemque voluto
Tempore cum magistro fidei mysteria Paulo
Edidicit: Mariæ primus cum Patribus ædem
Vertice Carmeli posuit, &c.

Cæterum, etsi facile credamus hunc Agabum inter primarios tam pij operis executores iure numerandum, eo præsertim quod Deiparæ Sanctissimę addictissimus credatur, prout ea, quæ *to.1. sub anno* 4051. *à nu.* 4. diximus, suadent, idque indicet Mantuanus illis verbis: *Primus cum Patribus*, offendunt tamen illa *Vertice Carmeli posuit*; quibus denotatur auctorem hunc fuisse Cappellæ, seu Oratorij (Mantuanus *ædem* dixit) *sub anno Christi* 83. eidem Virgini erecti. Illud etenim, vt indicauimus, & sub eo anno dicemus, in Carmeli vertice, vbi Elias quondam nubeculam de mari ascendentem viderat, positum fuit. Quod vix cum Chronologia stare potest. Cum enim Incarnationis Christi tempore iuuenis nubilis Agabus esset, vt ex dictis eo loco liquidò constat, si octuaginta, & tres annos vlterius adiungamus, iam tempus erectionis talis Oratorij centenarius annus eiusdem Agabi foret. Quomodo ergo in tam prouecta ætate nedum præfati Oratorij cooperator, sed & cum Apostolis prædicationis Euangelicæ coadiutor esse potuit; prout Mantuanus relatus disertè affirmat, & ea quæ in sequentibus dicemus, demonstrabunt. In re ergo dubia, in qua monumenta nulla suppetunt, ex quibus veritas eruatur, illud arridet, vt credamus hunc Patrem cum socijs, primi Oratorij, seu sacelli non in *vertice* sed in *decliuio*, aut *latere Carmeli* siti cooperatorem fuisse. Mantuanum verò *verticem Carmeli* pro parte aliqua

ipsius

ipſius poëtica licentia ſuppoſuiſſe. Qualiter autem hôc Oratorium, ſeu Sacellum Virginis ab Elianis noſtris nuncupatum primum in Orbe fuerit, dum de alio eidem Virgini erecto ſub anno 83. dicemus, commodiûs explicamus; ſimulque, quas preces, quotque orationum genera in eo Patres illi Dei Parenti obtulerint; & an id factum Icone aliqua, ſeu imagine eiuſdem, ea præſertim, quæ vſque hodie Bononiæ ſub titulo B. Virginis *del Monte della Guardia* vocatur, eo loci poſita.

Non pugnare hoc cum humilitate Virginis.

25 Illud tamen in præſentiarum omittendum non eſt, nequaquam Deiparæ Sanctiſſimæ eminentiſſimæ ſanctitati, aut profundiſſimæ humilitati repugnare, quod eidem viuenti, & forſan, vt diximus, præſenti, pij illi noſtri in Carmelo Anteſignani ſacram aram, ſeu Sacellum nuncupauerint. Cum enim ex varijs, & antiquis hiſtoriarum monumentis compertum ſit, eidem Dei Parenti, alijſque Diuis in humanis exiſtentibus ſacras ædes, ſeu Sarcophaga dicata a fidelibus fuiſſe, profectò ne tam pij filij erga communem Parentem minus deuoti eſſent, ſimile pium facinus perpetraſſe credibile ſanè eſt. Etenim primò Martham, & ſororem eius Mariam intemeratæ Deiparæ adhuc viuenti Eccleſiam apud Maſſiliam extruxiſſe Annales Francorum referunt, & notant Caniſius [a], & Vincentius Bellouacenſis [b]. Apud Antaradum etiam Inſulam in mari Phœniceo S. Petrum Apoſtolum ædificaſſe Sacellum Diuæ Virgini adhuc in humanis agenti, in quo primum idem Apoſtolus Miſſæ ſacrificium peregerit, ex incolarum fideli traditione acceperunt, qui cum Gotthifredo Bullonio in memorabilem illam Terræ Sanctæ expeditionem profecti ſunt, & litteris commendarunt Marinus Sanutus Torſellus [c], & Iacobus de Vitriaco [d]. Iam quis neſcit quàm certa, conſtanſque ſit Cæſaraugustanæ Eccleſiæ, ac totius cum primis Hiſpaniæ fidelis traditio, ſacroſanctam Dei Parentem, cum adhuc in vita ſuperſtes eſſet, Iacobo Apoſtolo Zebedæi filio in Hiſpanijs prædicanti, & ad ripas amnis Iberi Cæſarauguſtæ oranti ſuper iaſpideam columnam apparuiſſe; moxque ab eodem Apoſtolo, Mariæ monitu, ipſi Diuæ Deiparæ templum, ſeu ſacellum conſtructum, conſecratumque fuiſſe, quod nunc dicitur *Nueſtra Señora del Pilar*, ac totius Orbis veneratione celebratur, vt cuncti Hiſpaniarum Annales etiam teſtantur? Equidem conſtat omnium atteſtatione Iacobum ante Deiparam martyrio occubuiſſe, nimirum anno Chriſti 44. vt Annales Eccleſiaſtici reddunt. Legatur pius, & celebris Doctor Nauarrus [e], qui poſtquam de Sacello a Carmelitis Deiparæ dicato egerat, vt rem confirmet, non ſolum approbat ex Hieronymo Oſorio *in Vit. Regis Emmanuelis* Sacellum aliud Mariæ Virgini ab antiquiſſimis temporibus in India a Paganis cultum, & ex eodem Oſorio in Regno Calicutij aram aliam in templo a quodam trium Regum Magorum ſocio erecto cum imagine ipſius Virginis, ſed & Druides ſapientiſſimos Gallorum Carnuti eidem Virgini, antequam naſceretur, aram ſub terra foſſa ſub titulo *Virgini pariturae* dicaſſe, poſtea in Eccleſiam cathedralem cre-

Eccleſiæ Diuis viuentibus erectæ.

[a] lib. 5. de Maria c. 23.
[b] lib. 8. Speculi cap. 29.
[c] in lib. 3. p. 14. cap. 2.
[d] in Hiſt. Hieroſolymit. c. 46.
[e] de Horis Canon. c. 21. n. 28.

erectam. Deinde de Ecclesia S. Petro viuenti Senonis dicata mentionem facit Lyranus *in psal.* 18. & *Matth.* 24. & adstipulatur Adrianus Phinus [a], & Canisius *supra*. Praeterea S. Marcum primum Alexandriae Episcopum in eadem Vrbe Ecclesiam nomine S.Petri sui Magistri nondum defuncti fundasse testatur Gelasius Papa Primus *in Concil. Rom.* & Petrus etiam Damianus *Serm. de S. Marco*. Apud Clementem quoque Romanum Pontificem *lib.* 10. *recognit. cap. vlt.* legitur Theophilum nobilem quendam ciuem Antiochenum a Petro Apostolo ad fidem conuersum, domum suam Ecclesiam in honorem eiusdem Apostoli viuentis consecrari fecisse, in eaque Petri cathedram collocasse. Adhaec celebrem apud Germanos vigere traditionem, veteresque Colonienses, & Treuirenses Ecclesiae docere Annales, Maternum ex primis Petri Apostoli discipulis non procul a Molsheim prope Argentinam templum in eiusdem Petri nondum defuncti honorem extruxisse *Domum Petri* siue Germanicè *Thompeter* appellatum, Canisius testatur eo *cap.* 23. Agit de Materno Romanum Martyrologium 14. Septembris. Denique Ephesi Basilicam Ioanni Apostolo, & Euangelistae in terris adhuc viuenti erectam auctor apud Abdiam Babylonium *in Vitis Apostolorum* narrat. Ex ijs autem non leue ad intentum sumere possumus argumentum. Si enim Sanctissimę Virgini, alijsque Diuis in humanis agentibus, arę, Ecclesię, seu templa ex pręfatis historijs dicata fuisse compertum est, cur non idem a pijs eiusdem Virginis cultoribus effectum credemus?

a lib. 5. flagell. cap. 10.

26. Magis corroborat intentum, quod de Caesaraugustana ęde superius diximus. Si enim ea a B.Iacobo Deiparę constructa est, eadem ipsi apparente, cohortante, aut pręcipiente, prout constans traditio Hispaniarum tenet; nec hoc vel leuissime eiusdem Virginis ingenio, aut modestię haud conueniens iudicatur, prout inter alios a calumnia vindicat Sanchez *tract. 3. de praedicat. S. Iacobi in Hispania cap. 8.* quorsum respueret eadem Deipara, quod viri Religiosi sibi patria, & deuotione coniuncti, religiosum hunc cultum ipsi exhiberent? Vnde locus, vel minimę arrogantię suspicioni? Humilitas sanè Dei gloriam affectat, quę maximè in hoc opere elucebat, & quam ipsa Deiparens affectuosissimè prosequebatur. *Caesaraugustana Aedes.*

27. Ad hęc: Si eadem Sanctissima Virgo adhuc viuens tali, ac tanta a Christicolis deuotione colebatur, vt ad eam veluti ad Orbis miraculum gentes conuenirent, Dei Matrem, miraculorum maximum suspicere, & venerari cupientes, prout satis denotat S. Ignatius martyr *in epist.* 1. *&* 2. *ad Ioannem Apostolum*, & Flauius Dexter *in suo Chronic. sub ann. Christi* 35. illis verbis: *Ad quam* (scilicet Mariam) *frequens ex Hispania fiebat peregrinatio*; eò pręsertim quòd, vt de ipsa testatur idem Ignatius *dicta Epist.* 1. *ad Ioannem*: *Humilibus est deuota, & deuotis deuotius humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur*; quidni dicamus contribulium Elianorum deuotioni deuotiùs, & humiliùs annuisse permittendo *Deipara viuens maximè celebratur.*

ab

ab ipsis Aræ, seu Sacelli erectione magnificari? Maximè, si inenarrabilis Deiparæ Virginis modestia libens patiebatur, vt ipsa viuente, vidente, & audiente in Ecclesia nunc legendo, nunc recitando, nunc etiam cantando millies repeteretur cum Symbolo ab Apostolis in ipsorum in diuisione condito illud: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine;* & hoc ob populi instructionem; cur propter eiusdem ædificationem eximia eiusdem Virginis humilitas non similiter pateretur sibi sacellum aliquod consecrari? Abscedat hic scrupulus.

Annus Christi 39. S.Petri Pontif. 6. & Caij Imp. 1.

Caij Imperatoris successio.

1 NVNC annum morti Tiberij, & successioni Caij Caligulæ ex Germanico nepotis in Imperij iura cum Baronio tribuimus, inter varias diuersasque de ea re sententias. Qualis porrò Caius fuerit, Seneca *lib. de Consolat. ad Albium* viuis coloribus sic expressit: *Hunc mihi videtur rerum naturam edidisse, vt ostenderet quid summa vitia in summa fortuna possent.* Et rectè sanè; vitam enim non minus crudelitate immanem, quàm incontinentia dissolutam traduxit Suetonius [a], Dio [b], Eusebius [c].

a in Caligula cap. 59.
b lib. 59. histor.
c in Chron. an. 42.

Ecclesia Antiochena.

2 Constituit hoc anno S.Petrus Antiochenam Ecclesiam in ipsa personaliter per aliquod tempus sedendo, vel saltem illi Episcopatus, seu Patriarchatus dignitatem auctoritate qua fungebatur tribuendo, eamque specialiori cura gubernando. Præfuit autem ipsi septem annis vsque ad annum 45. quo Romanam Ecclesiam erexit, se ipsum & omne Summi Pontificis ius in eam transferens. Genebrardus *in Chronol. in S.Petro.* Baronius *sub hoc anno & sub 45.* Gualterius *in Tabul. Chronograph. in S.Petro.*

Quæ tunc gesta pro Elianis.

3 Petrus autem Antiochiæ cathedratus Annalibus nostris materiam præbet specialem. Communiter namque historici nostri tam neoterici, quàm vetusti chronicæ cuiusdam Romanæ antiquæ mentionem faciunt, in qua dicebatur: *Tempore B.Petri Antiochiæ cathedrati, ipsi* (scilicet Fratres de Monte Carmeli, de quibus supra fuerat sermo) *in circumquaque regione adiacente diuersis locis catholica pro fide insistebant.* Referunt hanc Chronicam, & verba adducta Philippus Ribbotus [d], Ioannes de Cimineto in Tractatulo etiam *Speculum Ordinis nuncupato c. 3.* Ioannes de Malinis *in Speculo Historiali c. 4.* Eadem etiam verba afferunt Ioannes de Vineta *in Tract. Cum quidam Fratres c. 2.* Bernardus Olerius Generalis *in informat. pro Ord. nostro ad Papam art. 1.* qui omnes ante 300. circiter annos in viuis erant, quos Palæonydorus [e], & alij posteriores historici non pauci numero sequuntur.

d in Speculo Ordinis l. 5. c. vlt.
e lib. 2. c. 1.

Qualis hæc historia.

4 Eam verò historiam, esto temporum iniuria, vel hominum incuria non extet, quoad ea, de quibus in præsenti fidem mereri, non solum ex dictis in superioribus suaderi potest (cum nullus prudens refragari debeat

debeat viros probos in Essenorum schola lege Domini, & sacris litteris institutos quales proculdubio essent ij, qui ex ordine Prophetico fidem Christi amplexati sunt, aptos, & idoneos ministros Euangelij fuisse, vt proinde Apostolis associari meruerint) sed etiam ex dicendis sub hoc anno, & seqq.

5 Pro comperto enim cunctis Historicis nostris, & pluribus exteris est, hos Ordinis Prophetici asseclas, Petri, & aliorum Apostolorum, tum ipsa die descensus Spiritus Sancti super illos, tum hoc tempore missionis; & diuisionis ipsorum, doctrina instructos, eam quam ab ipsis acceperant fidei rationem eisdem associatos per Phœniciam, Palæstinam, & alia loca Christi dogmata prædicantes feliciter propagasse. Huius placiti auctores retulimus supra in *Apparat. c. 6.* non solùm videlicet Ecclesiam in Officio Ecclesiastico ab ipsa approbato, sed etiam de exteris Iosephum Antiochenum, Sigisbertum Gemblacensem, Armachanum, Iodocum Badium Ascensium, Sebastianum Murrhonem, Ioannem Bonifacium, Ioannem Carthagenam, Iodocum Clithouæum, & Laurentium Beyerlinck, & ex nostris Ioannem Hierosolymitanum, Grossum Generalem, Vvaldensem, Ciminetum, Ioannem Soreth, Baptistam Mantuanum, Petrum Lucium, Coriam, & totam nostrorum scriptorum cohortem. Vbi etiam *n.5.* an, beatissima Virgine cohortante, tam egregium facinus ministrandi Apostolis in Euangelij prædicatione Eliani nostri aggressi fuerint. *Apostolis associati.*

6 Sed quinam ij fuerint, qui Catholicæ fidei propugnatores, perduellium Ecclesiæ hostium expugnatores, & Apostolicæ militiæ pro Euangelij promulgatione socij extiterint, ex nostris auctoribus petendum erit. Hi ergo rerum domesticarum testes idonei, de quibusdam id asserunt. De Sylla videlicet Pauli comite *Act.15.* (de quo, & Iuda ipsius socio eodem *c.15.* ab Apostolis missis aliquid dicetur infra *circa annum Christi 49.*) Martiali Petro consanguineo, & Lemonicensi Antistite, Saturnino Tolosano Episcopo, Frontono Pictagoricensi, & Nathanaele Bituricensis Ecclesiæ Præposito (de quibus etiam, & an Eliæ scholæ accensendi suis locis dicetur) ac maximè de Enoch de Amatim, de quo *supra in Apparatu cap.3.n.10.* ac circa annum Christi 36. aliqua diximus, & dicemus *sub anno 45. & 64.* Ista profitetur Palæonydorus [a], Didacus Coria [b], & alij. Adstipulatur de exteris Theatrum Vitæ Humanę *lib.16.litt.R.* dum de Carmelitis loquitur. Idem dicetur de S.Elpidio, alijsque Iacobi Apostoli in peregrinatione Hispaniarum socijs, de quibus supra *sub an. Christi 35. & 36.* diximus, aliaque in sequentibus dicemus. *Qui tales fuerint.* *a lib.2.c.2.* *b in Chron. Carmelit.lib.6. cap.vlt.*

7 Porrò siue ij siue alij ex Ordinis Eliadum alumnis Ecclesiæ Sanctæ pugiles, & operis Sancti cum Apostolis administri extiterint, aliquos tamen non defuisse, de quibus autumari id possit, non sine fundamento in Sacra pagina ab Historicis nostris traditur. Cum enim *in Actuum Apostolorum cap.15.* habeatur, quod post tribulationem Ierosolymis sub *An alij.*

Stephano ortam, ij, qui dispersi erant, Phœnicem, Cyprum, & Antiochiam peragrassent, & in ea Ciuitate adeò fructuosè verbum Dei diffamassent, vt copiosus credentium numerus ibi esset, *& vt cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani*, eò præsertim aduenientibus Paulo, & Barnaba, subiungitur: *In his autem diebus superuenerunt ab Ierosolymis Prophetæ Antiochiam*. Quo loco *Prophetæ* vox etsi ad futura prædicentes arctari posse videatur, eo quod immediatè dicitur: *Et surgens vnus ex eis nomine Agabus significabat per Spiritum Sanctum famem magnam futuram*, nihilominus ample sumendam esse, pro viris videlicet iustis, specialiter sanctis, ac Dei cultui nuncupatis, quales tunc temporis Prophetici Ordinis professores erant, ex ijs, quæ circa diuersas acceptiones nominis *Propheta to. 1. in Apparatu cap. 2. & 8.* diximus, elici potest. Hinc Cæsariensis Eusebius [a] de huiusmodi Ecclesia Antiochiæ congregata, ac Prophetis, qui Apostolis adiuncti dicuntur, sermonem instituens, eos *Prophetici Ordinis* viros perspicuè compellat. Eusebij hæc verba: *Iam inde quamplurimi, & alij ex gentibus apud Antiochiam ad fidem veniunt; eorum prædicatione pertracti, quos pro seditione aduersus Stephanum commota disseminatos esse per omnem locum superius edocuimus. Per quos, & apud Antiochiam florentissima congregatur Ecclesia, in qua erant etiam Prophetici Ordinis viri quamplurimi*. Illa enim verba *Prophetici Ordinis viri* se ipsis Eliæ alumnos indigitant, iuxta dicta loco relato *ex Apparatu 1. to.* Idque confirmat fragmentum Luitprandi 256. *supra sub an. Christi 36. n. 37.* recensitum. Ibi enim illius fragmenti auctor dum de Carmeli alumnis loquitur, sic palam profitetur: *Istos vocat Eusebius lib. 2. cap. 3. Prophetici Ordinis*. Et sanè ipsissima Eusebij verba si enucleatius inspiciantur, intentum suadent. Non enim dicit, erant *Prophetici Ordinis* viri aliquot, nec plures, aut multi, sed *viri quamplurimi*. Quo innuitur non vocari Prophetas propter futurorum prædictionem. Hi enim semper pauci fuerunt, maximè dicente Christo *Matthæi 11. Omnes Prophetæ, & Lex vsque ad Ioannem prophetauerunt*. Superlatiuum ergo nomen *quamplurimi* dubio procul, amplam nominis Prophetæ significationem ostentat. Concinit ad intentum, quod vt Gaspar Sanchez [b] rectè notauit: *Hi Prophetæ, qui venisse dicuntur ex Ierusalem* (Antiochiam) *ex illorum numero videntur, in quos Spiritus Sanctus descendit*. Atqui iuxta dicta *to. 1.* circa annum Christi 34. (quæ ibi non leuiter probata manserant) Spiritus Sanctus in die Pentecostes super plures eiusdem Ordinis Prophetici viros effusus creditur. Ex ijs ergo erant illi, qui modo Antiochiæ Euangelicæ prædicationis cooperatores cum Apostolis extiterunt.

[a] *lib. 2. cap. 3.*

[b] *in c. 11. Act. Apost. vers. 27.*

De Agabo.

8 Sed quid immoramur, cum ex ipso sacro textu id clarius elici videatur? Subiungitur enim, vt vidimus: *Et surgens vnus ex eis nomine Agabus significabat per Spiritum famem magnam*. Hunc enim Agabum Ordinis Prophetici sobolem fuisse, quæ diximus *to. 1. sub an. 4051. præsertim n. 5.* sufficienter corroborant. Vnde inter istos Euangelici præconij coope-

cooperatores eum referunt Petrus Dorlandus *in Vit. S.Annæ cap. 6.* illis verbis: *Quocirca repulsam passus ad Carmelitas se contulit, vbi Sanctam vixit vsque ad Apostolorum prædicationē, qua illis (vt eorum attestantur actus) coniunctus est*; & Honuphrius Manescal Barcionensis *tom. 1. Concion. in Concion. B.Mariæ de Monte Carmeli*. Ex nostris Historicis Coria *lib.6.c.30.* Casanate *in Paradiso Carmel.stat.2. ætat. 2. cap.7.* Indicat hoc Mantuanus *lib.2.Parthen.* illis verbis: *Tandemque voluto tempore cum magno fidei mysteria Paulo edidicit*. In hac vero famis prædictione veridicum se Prophetam demonstrasse exitus comprobauit. Contigit enim sub Claudio, etsi res incerta quo anno. Eusebius etenim *in Chronic.* Orosius, Eutropius, Historia Scholastica, Gagneius; Salmeron, & alij quarto anno putant; Onuphrius tertio; Baronius Dionem Cassium secutus secundo. De ea Iosephus [a], Eusebius [b].

9 Inter hos etiam Euangelij prædicationis cum Apostolis commilitones recensendum censent Coria supra *cap.31.* & Thomas de Iesu [c] Manachenum Herodis Tetrarchæ collactaneum, de quo in Actib. Apostol. *cap.13. vers.1.* fit mentio. Credentes præterea hunc esse Manachenum illum Essenum Herodis beneuolum, de quo plura diximus *tom.1.* præsertim *sub anno 65.* ante Christi ortum: sed errant in Chronologia. Alius enim, & diuersus valdè; multoque vetustior Manachemus ille Essenus erat; vtpotè Herodis senioris *Ascalonitæ* nuncupati magister, quam iste Manachenus Herodis *Tetrarchæ*; id est, *Antipæ*, qui fuit illius Herodis *Ascalonitæ* filius, & patruus Herodis *Agrippæ*. Notandum enim quatuor fuisse Herodes. Primus *Ascalonita*, qui infantes occidit. Secundus *Antipas*, qui Ioannem Baptistam interfecit, & Christum illusit, qui & *Tetrarcha* appellatur. Tertius *Agrippa* Antipæ ex fratre nepos. Quartus *Agrippa* iunior Agrippæ senioris filius; qui fuit tempore excidij Ierosolymitani; & cui Iosephus suam Iudæorum historiam nuncupauit. Sic ferme Cornelius *in Act. Apost. cap.13.n.1.* Ad intentum ergo; etsi propter superius dicta dici possit hunc Manachen, & quosdam alios hic *Prophetas* nuncupatos ad Ordinem Propheticum spectasse, prout & indicat Theatrum Vitæ humanæ supra relatum; eo præsertim quia Lorinus, & Sanchez per hos Prophetas scripturarum interpretes intelligunt, vel vt ipse Sanchez, eos qui diuinis laudibus vacabant, quæ duo munera Prophetici Ordinis fuisse diximus *to.1.* non propterea cum Manachemo illo vetustiori Esseno confundi deberet. De quo, & non de posteriori alio loquitur Iosephus a prædictis auctoribus relatus. Etsi Bergomensis ab ipsis etiam citatus eodem modo lapsus fuerit Herodem Ascalonitam pro Antipa vsurpans, vt notauimus *eo to.1. sub anno 4015.n.5.* De hoc Manachen sic in Martyrologio Romano pro die 24. Maij: *Antiochiæ natalis S. Manahen Herodis Tetrarchæ collactanei Doctoris, & Prophetæ, sub gratia noui testamenti in eadem Vrbe quiescentis.* Et Baronius *in Annotat. ad Martyrol. Manahen. De quo Actor. Apostolor. cap.13.* Agunt de eodem hac die

[a] *lib.20. antiq. c.2.*
[b] *lib.2. hist. c.8. & 11.*
[c] De Manachemo.
e lib.1. antiq. cap.16.

a in Cathal. l. 5 cap. 34.
b to. 1. an. 44.

Beda, Vſuardus, Ado, & Petrus [a], de eodem etiam idem Baronius [b].

Quo tempore.

10 Circa hæc verò, quæ diximus de noſtrorum Prophetici Ordinis aſſeclarum miniſterio in prædicationis Euangelicæ coopitulatione illud animaduerſione dignum putamus, quod licet id accidiſſe circa annum 47. poſt Chriſti paſſionem colligi videatur ex Ioanne Groſſo *in Viridario clau.* 1. ea tamen, quæ adduximus, & quæ in ſequentibus afferemus, ſatis ſuadent his annis anterioribus peracta fuiſſe, nec oppoſitum exiſtimaſſe Groſſum. Verba en ipſius: *Vt dicitur in Chronicis Romanis tempore prædicationis Apoſtolorum anno à Paſſione Domini 47. regnante Imperio Romano Titi, & Veſpaſiani apud Ieruſalem in Porta aurea, vbi Ioachim, & Anna progenitores B. Mariæ ſibi mutuo obuiarunt, religiosè conſederunt, & ibi ad honorem ipſius Virginis Mariæ, vbi concepta fuerat, Eccleſiam fabricauerunt, & vnà cum Apoſtolis in multis regionibus fidem Chriſti conſtanter prædicauerunt.* Hæc ergò poſteriora verba non cum illis *anno à Paſſione Domini* 47. coniungenda; ſed ſimpliciter, & enunciatiuè intelligenda. Ergo noſtrorum Eliani Inſtituti ſectatorum circa prædicationem Euangelij cum Apoſtolis miniſterium hoc præſertim tempore S. Petri Antiochiæ cathedrati, annis circiter ſeptem a 39. vſque ad 45. comprehenſo, contigiſſe credimus. Id enim ſuadet tum temporis ratio, tum Chronica quædam Romanorum a noſtris vetuſtioribus Chronologis Ribboti, Cimineto, Malinis, Vineta, Palæonydoro, & alijs ſupra *num.* 3. relatis recepta, vbi habetur: *Et tempore Petri Antiochiæ cathedrati ipſi* (ſcilicet Carmeli filij) *in circumquaque regione adiacente diuerſis locis catholicè pro fide inſiſtebant.*

Deiparæ apparitio S. Iacobo.

11 Huic eidem anno Chriſti 39. aſcribendam cenſemus toti Hiſpaniæ celeberrimam hiſtoriam de Beatiſſimæ Virginis Dei Parentis B. Iacobo apparitione facta, Cæſaraugustæ commorante Apoſtolo. Et quidem licet ipſa pro anno Chriſti 37. a Dextro referatur, approbante Biuario *in Comment.* 3 *num.* 3. probari tamen potius in hoc debet M. Maximi ſententia aſſerens ſub 39. contigiſſe. Fuit quippe Maximus iſte Cæſarauguſtanus Antiſtes, ac proindè licet Dextero recentior, maioris tamen fidei dignus in rebus ad eam Eccleſiam attinentibus. Sic autem habet in Hymno ante mille annos ab ipſo compoſito.

O grandis apparitio
Iacobo facta primitus
Anno nono trigeſimo
Natalis almi Domini.

Eſto autem ea apparitio anno 37. euenerit; erectio tamen Templi eidem Virgini Apoſtoli induſtria facta *ſub anno* 39. referenda. Quod noſtris Annalibus inſeri debuit propter dicenda *ſub anno Chriſti* 83. Hanc porrò hiſtoriam de fundatione Angelicæ domus S. Mariæ de Columna, vulgo *del Pilar* Cæſarauguſtanæ Ciuitatis, adeo firmiſſimis fundamentis ſtabilitam inter Hiſpaniæ monumenta comperiet lector, vt nihil ſacra-

tiùs, nihil venerabilius, nihilque hominum animis infixius esse, facile comprobetur. Operosum valde, nobisque veluti extraneum est ea ad amussim referre. Cui tamen id vtile, & commodum sit, adeat Vasæum, Beuterum, Goes, Garibay, Morales, Illescas, Zuritam, & plerosque Hispanicarum rerum Chronologos, remque Pontificijs diplomatibus, Regijs edictis, sanctorum testimonijs, Ecclesiarum traditione, alijsque fulcimentis, satis superque firmatam habebit. Plura ex illis congessit Biuarius relatus [a]. — [a] *in Chron. Dextri an. 37. n. 3.*

Annus Christi 40. & 41. S. Petri Sum. Pontif. 7. & 8. Caij Imp. 2. & 3.

1 PRO his duobus annis pauca suggerunt historiæ nostris Annalibus digna. Pilati tamen Christi causæ impij Iudicis mors, sicut & Herodis eiusdem Christi contemptoris, & Baptistæ interemptoris obitus a Baronio sub hoc tempore ex varijs auctoribus recensetur. Prioris quidem talis fuit, vt seipsum propria manu interfecerit, prout ex Romanis historicis Eusebio, Cassiodoro, & Adone, qui hoc Viennæ Galliarum contigisse refert, habetur. Posterioris verò tum exilium apud Lugdunum, tum animi mœror causa fuit secundum aliquos. Licet Flauius Dexter *in sua Historia sub an. Christ. 34.* sic rem describat: *Herodes Antipas cum Herodiade pellice incesta, tota Iudæa pulsus, primum ad Gallias, deinde Ilerda in Hispania exulat, ibi & infeliciter moritur. Herodias verò saltans super Sicorim flumen Ilerdæ glacie concretum submersa miserabiliter perijt.* Cui consonant Nicephorus [b], Metaphrastes *in sermone de S. Ioanne Baptista* apud Surium, & Thomas Tamayo de Bargas [c].

Huius temporis gesta.

[b] *lib. 1. c. 19.*

[c] *in defensione Dextri nonit 7.*

2 Quo etiam tempore, vel circiter Petrus Apostolus (quantum *ex Act. Apost. cap. 9. & 10.* elicitur) ad Christianos, qui Lyddæ collecti erant, venit, Saronem, quæ est Regio Cæsareæ Palæstinæ ad fides conuertit, & in Ioppe apud Simonem quendam Coriarium morabatur. Baronius *sub anno 40. §. Eodem quoque anno, & sub anno 41. §. Hoc igitur anno.* Cum autem eiusmodi loca maritima, & Carmelo propinqua essent, non incongrue Vvastelius noster *in Vindic. lib. Ioannis Ierosolymitani de Instit. Monachor. art. 10.* hæc inquit de Carmeli Eremitis: *Forsitan sicut per Philippum Samaria perceperat verbum Dei; ita etiam per supradictos Coadiutores Apostolorum fidem receperant Lidda, & Ioppe, aliaque loca monti vicina.* Nec sanè mirum, cum iuxta dicta *in Apparatu cap. 6.* ex Chronicis Romanorum, Iosepho Antiocheno, Ioanne Ierosolymitano, Ioanne Bonifacio, & alijs eo loco relatis, Carmeli professores Apostolis associati fidem Catholicam in partibus eidem monti proximis, Galilæa, Samaria, & Palæstina disseminarunt. Quod maximè explicant præfata Romanorum Chronica illis verbis: *In circumquaque Regione adiacente diuersis in locis*

S. Petri prædicatio circa Carmelum.

catholicè pro fide insistebant. Immo cum *cap. 9. Act. Apost. vers. 31.* dicatur: *Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione Spiritus Sancti replebatur*. Quod denotat (vt Sanchez ibi exponit) *quod Ecclesia in Iudæa, & Galilæa, & Samaria mirificos habuerit progressus*, colligi datur tanti boni expertes non fuisse, tum fidem recipiendo, tum simplicioribus communicando, Carmeli pios colonos. Et hoc ante aduentum Petri, cum dicatur *vers. 32.* sequenti: *Factum est autem, vt Petrus dum pertransiret vniuersos, deueniret ad Sanctos, qui habitabant Lyddæ*.

Sacellum Virgini erectum.

3 Huic tempori, cui correspondet annus septimus post Christi passionem adscribunt aliqui ex nostris celebre nostrorum Elietarum facinus, pietatisque in Sanctissimam Deiparam monimentum, quod scilicet eidem viuenti primum in Orbe Sacellum, Cappellam, seu Oratorium in latere Carmeli Montis nuncupauerint, religioseque struxerint, diuersum sanè ab eo, quod eidem Virgini post ipsius in Cælum eleuationem circa annum Christi 83. erectum esse ex grauissimorum testimonijs Auctorum circa id tempus comprobabimus. Ita Ioannes Pintus de Victoria vir doctus, & pius, ac Prouinciæ Aragoniæ Prouincialis [a]. Veruntamen etsi nobis iuxta dicta supra *sub anno Christi 36.* satis probetur non semel, sed bis, non vnum, sed duplex, seu potius vnum ex vno ad alium locum translatum Deiparæ sanctissimæ Carmeli colonos primo Christi sæculo Oratorium, seu sacellum nuncupasse, aliud in latere, seu decliuio Montis, aliud verò in apice, seù vertice ipsius; illudque prius paulo post Christi passionem, & ascensionem, prout ex aliquibus testimonijs eo loco adductis non incongruè elicitur; nihilominus quo anno contigerit incertum est, & in re incerta prudenti coniectura ducti credimus circa annum 36. vel paulo post, quo tempore Apostolorum diuisio per Orbem facta est, id accidisse, & ante tempus, de quo in præsenti.

a in Hierarchia Carmel. tract. 5 cap. 2.

De Monasterio Ierosolymitano

4 Huic etiam tempori, cui, vt diximus, correspondet annus septimus a Passione Domini, adscribendum videtur, quod Ioannes de Vineta in *suo Tractatulo* sic scripsit: *Fuit tempore prædicationis Christi, quod Fratres de Monte Carmelo in Hierusalem accesserunt, & quidam illorum anno septimo à passione Domini, regnante Romano Imperio vsque ad tempus Titi, & Vespasiani Imperatorum, apud Ierusalem in Porta Aurea religiosè consederunt*. Similia ferme Palæonydorus *lib. 2. cap. 1.* sic: *Item in Romana Chronica prædicationis Domini nostri Iesu Christi tempore Eremitæ Montis Carmeli Ierusalem accesserunt. Quorum quidam illorum anno septimo à passione Domini vsque ad tempus Titi, & Vespasiani Imperatorum apud Ierusalem in Porta Aurea religiosè consederunt*. Cui etiam concinit Petrus Lucius Belga [b], & ante ipsum Balduinus Leersius Atrebatensis *in Collect. exemplor. c. 1.* eadem fermè dicens. Aliter tamen rem describit Generalis Grossus *in suo Viridario clau. 1.* dicens: *Et vt dicitur in Chronicis Romanis tempore prædicationis Apostolorum anno à passione Domini 47. regnante Imperio Romano tempore Titi,*

b in Compend. hist. Carmel. c. 8

Titi, & Vespasiani apud Hierosolymam in Porta Aurea, vbi Ioachim, & Anna progenitores B.Mariæ sibi mutuò obuiauerunt, religiosè consiederunt, & ibi ad honorem ipsius Virginis Mariæ, vbi concepta fuerat, Ecclesiam fabricauerunt. Cæterum horum testimonia Auctorum ad trutinam vocanda; aliquibus enim difficultatibus implicata videntur. Et quidem primò illud Vinetæ, & Palæonydori, scilicet, quod tempore prædicationis Christi nostri Carmelitæ *Ierusalem accesserunt*, sic accipiendum, quod scilicet, iuxta dicta *to.1.sub ann. Christ.34.n.31. & 32.* & supra *in Apparat. cap.6.* cum eo tempore mansionem Ierosolymis habuerint, propterea adueniente Pentecostes festo, ad eam pro more sibi solito accesserint, ita vt proinde aduentus Spiritus Sancti, & prædicationis Petri testes fuerint effecti. Illud verò: *Quidam illorum anno septimo à passione Domini vsque ad tempora Titi, et Vespasiani Imperatorum apud Ierusalem in Porta Aurea religiosè consederunt*, satis denotat, hoc tempore, cui correspondet annus septimus a passione Domini haberecœpisse hanc nouam mansionem in Sancta Ciuitate, vt propterea meritò Ioannes Hildensinus B. Petri Thomæ discipulus quondam a trecentis fermè annis *in lib. de princip. Ord. Frat. B. Mariæ de Monte Carmelo contra detractores cap.*14. dixerit: *Traditum tenemus à Patribus quod primus Conuentus Ordinis post Montis Carmeli collegium, fuit in loco, qui* Porta Aurea *dicitur, in quo Ioachim, & Anna conuenerunt, & in illam coniunctionem consenserunt, ex qua gloriosa Virgo concepta fuit, & nata. Quasi B. Virgo diceret: ibi debent morari Fratres mei, vbi primò tractatum est de conceptione mea.* Potuit autem hic Pater hanc nouam mansionem primum Conuentum Ordinis post Montis Carmeli Collegium appellare, quia vel fuit primus in lege noua post receptum ab Elianis Christi Euangelium, vel quia fuit primus sub titulo forsan Fratrum B.Virginis de Monte Carmeli, prout relata ipsius indicant verba; cum sub hoc tempore primùm eo titulo cognominari cœperint iuxta dicta in *Apparatu cap. 6. & sub ann. 36.*

5 Speciali propterea Dei prouidentia factum credimus, vt inter insignes sanctorum, & sanctarum rerũ reliquias, quæ in percelebri nostri Ordinis & Vrbis Ecclesia sub titulo Sanctorum Syluestri, & Martini in Montibus in Exquilino colle sita, reseruantur, vna sit ex huiusmodi *Portæ Aureæ* memorijs, prout Ioannes Antonius Philippinus eiusdem Cœnobij Prior & Chronographus nunc totius Ordinis Reuerendiss. Generalis Antistes *in Tractatu de Antiquitate, & Veneratione eius Ecclesiæ c.16.* scribit: Voluisse namque Deum videtur, vt huiusmodi nostræ primæ mansionis Hierosolymis versus Portam Auream aliqualis memoria apud nostrates semper maneret. Vocamus autem & nos huiusmodi mansionem nostrorum in Ierusalem in loco, qui *Porta Aurea* dicitur, nouam, quia antiquiorem aliam eosdem Elianos sub Essenorum, vel alio antiquiori cognomine in eadem sancta Ciuitate habuisse, in alio videlicet eiusdem Vrbis loco, scilicet Monte Sion, expresse habemus ex Ioanne Ierosolymitano Reliquiæ Portæ Aureæ.

in sæpius relato libro *de Instit. Monachor. cap. 30. vel 35.* iuxta diuersas Capitum huius libri diuisiones, vbi sic: *Habitabant autem tunc* (scilicet anno quo Christus mortuus est) *in Ierusalem Apostoli Domini nostri Iesu Christi prope mansionem dictorum Religiosorum, scilicet in illo cœnaculo grandi, & strato, in quo Christus in die cœnæ fecit sibi parari Pascha, vbi Sacramentum Eucharistiæ instituit, & corpus suum sub Speciebus panis sumendum discipulis tradidit, eosque Sacerdotes ordinauit. Quod cœnaculum erat in Monte Sion, in parte illa Montis, qui dicitur Mello, vbi erat olim palatium, quod Rex Dauid sibi construxerat. Et ita prædicti Religiosi fuerunt in habitatione tunc Apostolorum vicini.* Et *cap.* sequenti: *Religiosi autem præfati in Monte Sion non multum remotè à prædicto cœnaculo, vt præmittitur, habitantes, &c.* Hanc porrò mansionem Ierosolymis Eliani habebant, tum, vt dispersi in varias Regiones, cum ad eam Ciuitatem pro festorum solemnitatibus venirent, hospitij locum haberent, vt ex eodem Ioanne elici videtur; tum vt loco Collegij ea esset, in quo lex a sapientissimis Scribarum doceretur, iuxta *dicta tr. 1. sub anno 3412. n. 4.* Quod aptè, & conformiter ad præfati Ierosolymitani doctrinam approbat Sanchez [a], dum de huiusmodi collegijs agit. Addit grauissimus Auctor Thomas Vvaldensis [b] hæc: *Propè hoc cœnaculum contemplatione B. Virginis Carmelitæ hospitium acceperunt, illuc ad Pentecostes festum de Carmeli vertice descendentes.* Quo tam ea, quæ diximus, quàm quæ in sequentibus dicimus, mirè dilucidantur, quæ etiam amplectuntur Historici Ordinis, vt Petrus Lucius Belga [c].

[a] *in Acta Apostol. c. 6. vers. 9. & c. 9. vers. 24.*
[b] *de Sacramentalibus tit. 9. c. 84. n. 2.*
[c] *in Compend. Hist. Carmel. c. 7*

Difficultas cōtra dicta.

6 Difficultatem porrò contra præfata ingerunt, quæ ex Generali Grosso *supra* retulimus. Ea namque quæ de huiusmodi nouæ mansionis Ierosolymitanæ diximus, non ad annum septimum, sed ad 47. post Christi passionem referre videtur. Sed credendum sanè errorem in numerum irrepsisse, pro septimo anno Typographi forsan incuria 47. apponendo. Nec hoc voluntariè, & sine fundamento a nobis asseritur, cum Vineta, Palæonydorus, & alij verba illorum Chronicorum historiæ Romanæ aliter referant. Idque contextus ipsorum expostulet, cum de tempore Apostolorum prædicationis loquatur, quæ iam veluti cessauerat eo *an.* 47. vix vno, vel altero sub eo tempore superstite, & de Ierosolyma iam pridem a Tito, & Vespasiano solo æquata. Rectius ergo nos anno septimo, non quadragesimo septimo a Christi passione rem gestam tribuimus.

Corroboratio.

7 Corroborat intentum id, quod apud Didacum Coriam [d], Grossum *in Viridario* referentem, scriptum reperimus (quod non obscurè etiam elicitur ex Hildensino relato) videlicet ipsam Deiparam sanctissimam, cū primum glorioso sui titulo Carmeli alumnos nuncupari, eorumque patrocinium suscipere benignè voluit, hanc suæ genitricis Annæ domum eisdem concessisse, vt vel sic è Carmelo Ierosolymam translati, aptius, & commodius prædicationi Euangelij cooperatores cum Apostolis esse possent. Sed cum hæc pia dumtaxat credulitate dicta fuerint, lectoris

[d] *lib. 1. c. vlt. §. La primera es.*

pieta-

pietati remittenda censemus. Eo præsertim quod nec Ioannes Ierosolymitanus aliquid de hoc asseruit, & iuxta in superioribus præiacta, antequam huiusmodi S. Annæ domum Eliani nostri habuissent, antiquiorem aliam in eadem Sancta Ciuitate iuxta montem Sion mansionem tenebant, ex qua ad fidei propagationem curandam strenui pugiles, prout factum credimus, prodire potuerunt. Corianum ergo assertum, dum maiora pro ipso firmando adminicula non subsint, piè solùm accipiendum. Id certius hanc S. Annæ mansionem, siue a Beatissima Virgine ob relatam causam concessam, prout Coria autumat, siue aliunde a nostris possessam; tempore Helenæ Sanctæ Constantini Imperatoris matris restauratam fuisse, vt habent Bostius [a], Palæonydorus [b], Coria [c], & alij. Item celebre Ordinis nostri monasterium temporibus sequentibus fuisse, vt constat ex vita S. Angeli ab Henoch Ierosolymitano Patriarcha edita, ex qua *in cap.* 3. habetur ipsum adijsse Iesse patrem eiusdem S. Angeli; cum primum ex Iudaismo baptismi recepit lauacrum, in eoque tam ipsius quàm Mariæ coniugis eiusdem Angeli matris cadauera condita fuisse: & *cap.* 4. in eo monasterio ipsum Angelum, & eiusdem fratrem Ioannem habitum Religionis suscepisse. De quibus omnibus suo loco, & tempore dicemus.

De domo S. Annæ.

a lib. 5. Oper. Hist. c. 23.
b lib. 2. c. 4.
c lib. 7. c. 21.

8 Vocant nos tamen verbá illa Grossi, *& ibi ad honorem ipsius Virginis Mariæ, vbi concepta fuerat, Ecclesiam fabricauerunt*, quibus apertissimè notat hanc etiam prærogatiuam Ordinis nostri esse, vt hanc etiam Ecclesiam eidem Virgini Deiparæ eo tempore dedicauerint. Quæ cohærent cum sequentibus.

Ecclesia Deiparæ fabricata.

9 Maximè etiam videtur huic tempori ascribendum simile aliud egregium facinus Elpidij nostri Toletani Archipræsulis, & sociorum, vt ad imitationem Apostoli Iacobi eorum magistri, qui Deiparæ sanctissimæ Sacram Cæsaraugustæ Ædem strui fecerat, ipsi quoque eidem communi Matri Sacras Ædes, vel Oratoria in sibi commissis Ciuitatibus dedicauerint. Habet hoc primus Flauius Dexter relatus in Chronicon *sub anno Christi* 38. sic inquiens: *Prima totius Orbis Ædes erecta B. Virgini Cæsaraugustana fuit. Post, Præsules Terraconensis, Hispalensis, Toletanus* (id est, Elpidius, vt ex dictis innotescit) *& alij sacras ædes, vel Oratoria Virgini dedicant.* Quod verisimillimum esse testatur Biuarius eiusdem Dextri Commentator, *cum eiusmodi Ecclesiæ in sua origine sub D. Virginis patrocinio fuerint instituta.* Idque confirmat ex Caledonio *in Vita S. Petri Ranstensis* de S. Iacobo dicente: *Bracaram venit, vbi sacrat eidem Dominæ, cum Pio Hispalensi, & Elpidio Toletano, & alijs ex primis eius discipulis aliam ædiculam in quadam crypta prope balnea, iuxta templum ab Ægyptijs Isidi quondam dicatum.* Eadem verba refert Hugo Episcopus Portugallensis *in Epist. ad Mauritium Archiepiscopum Bracarensem.* Ex quibus obiter etiam elicimus huius ædiculæ Virgini Matri a Iacobo Bracaræ sacratæ cooperatores astitisse cum Apostolo eundem Elpidium cum socijs. Vt tamen

De alijs Ecclesijs eidem nuncupatis a S. Iacobi discipulis.

tamen ad intentum regrediamur, ea de causa sub hoc tempore præfatas *sacras ædes, vel Oratoria*, vt Dexter dicebat, dicatas Virgini credimus, quod (vt ipse testatur) post erectionem Cæsaraugustani templi, quam anno Christi 39. adiudicauimus, id contigit. Huic ergo tempori adscribendum coniectari possumus.

Quænam Toleti.

10 Sed quænam hæc sacra ædes, vel Oratorium Toleti ab Elpidio dicata? Sanè quantum ex veterum monumentis eruere possumus, sacrum est hoc, & toti Orbi celeberrimum Templum, Basilica, seu Matrix Ecclesia in ea Vrbe modò consistens. Cogit ad hoc primò eiusdem Illustrissimi Templi titulus gloriosus, scilicet *S. Mariæ Virginis*, & quòd a nemine alio præter Elpidium eidem concessus cernatur. Fauet & Luitprandus *in Fragment.* vbi *num.* 11. sic: *Anno Domini 302. Constantio Cloro, & Galerio Maximino Cæsaribus, Consulatu quarto, die 3. Aprilis die Veneris S. Passionis Domini per totum Orbem, & anno 16. Melantij Toletani Pontificis ijsdem Coss. mense, & die, diruta est Ecclesia Toletana B. Mariæ Virginis Assumptioni à S. Elpidio erecta.* Item & Iulianus Perez in Chronicon *n.* 610. dicens: *Elpidius S. Iacobi discipulus primus Toletanorum Apostolus à S. Iacobo Toleti relictus ædificauit ædem sacram B. Mariæ Virgini adhuc viuenti:* In suis Aduersarijs *nu.* 24. sic: *Basilica B. V. M. quæ viuenti primum ædificata est à S. Pontifice Elpidio tempore Diocletiani anno 303. edicto publico Diocletiani, præsente P. Deciano Præside, vigesima Martij, æquata solo.* Idque admittunt ex nostris Casanate *in Paradiso Stat.* 2. *ætat.* 2. *cap.* 5. Munozius *in Propugnac. Eliæ lib.* 2. *tit.* 2. *cap.* 2. *ar.* 6. *n.* 4. & Ioannes de la Plata *in Defensor.* dum agit de Elpidio, indicans simul cum Munozio hanc templi Deiparæ dedicationem ex simili alio in Carmelo ab eisdem Elianis structo veluti exemplum traxisse. Ac de exteris Dom. Thomas Tamaius *in d. fens. Dextri non.* 17.

Obiectio soluitur.

11 Difficultatem porrò ingerit, quod hæc sacra Basilica Beatissimæ Virgini adhuc in viuis superstiti dicata videatur ex Dextro, & Iuliano relatis; cum tamen eiusdem Assumptionis titulo insignita notetur a Luitprando, quem etiam retulimus. Sed nodus facile soluitur, si dicamus; cum primum ab Elpidio extructa fuit Virgini viuenti dicatam extitisse. Etsi postea, eadem Deipara ad cælestia translata regna, eiusdem gloriosæ Assumptionis nomine tum ab Elpidio ipso, tum ab Orthodoxis, Toletanis præsertim, cognominata fuerit, seu potius a S. Eugenio, qui eam postea reparauit, iuxta dicenda *sub anno* 106.

Monasterium ab Elpidio erectum.

12 Egregium præterea aliud Elpidij nostri factum Historia nostra dignum ad ipsius enarrationem nos euocat. Ipsum etenim dum Toleti primus illius Ecclesiæ Præsul sederet, monasterium quoddam Virginum, & monachorum fundasse, præfata Luitprandi fragmenta *nu.* 101. sic testantur: *S. Elpidius, quem S. Iacobus præfecit Toletanis primum Pontificem, Carmelita monachus fuit, & in prima Petri concione conuersus ad fidem cum socijs multis venit in Hispaniam, & Toleti fundauit monasterium Virginum, et mona-*

monachorum, vbi postea fuit Agaliense, quod fuerat B. Virgini curæ Monialium harum matri. Consonat & fragmentum 100. quod tale est: *Sunt qui putent, quod & ego credo, S. Leocadiam Monialem fuisse Ordinis Carmelitani, quem Ordinem monachi Carmelitani ad fidem Christi conuersi in Hispaniam intulerunt, ex quibus fuit Elpidius primus Toletanus Præsul à S. Iacobo constitutus.* Item fragmentum 256. videlicet: *Mihi valde probabile est, & legitur in Orientis Historijs, Elpidium, & reliquos Episcopos, quos traxerat S. Iacobus in Hispanias, & ab ipso S. Iacobo baptizatos, fuisse de numero Carmelitarum, qui in Hispania, & per alias Regiones Monachatum introduxerant. Istos vocat Eusebius lib. 2. cap. 3. Prophetici Ordinis.* Hæc cum alijs Luitprandi fragmentis a Domino Thoma Tamaio Mantuæ Carpetanorum anno 1635. typis edita fuerunt. Et licet quidam de ipsorum auctoritate dubitent, humanam tamen, sicut & alias non canonicas Historias, mereri fidem, non solum suadet id quod ipse Tamaius in principio asserit, scilicet quod ex variorum exemplarium fide recensita fuerint (quo denotatur non vnum, sed plura ipsorum exemplaria extare) sed & quod plura, quæ in ipsis continentur in Dextro, Marco Maximo, Helca, & Iuliano Petri, ac in ipsius Luitprandi Chronico, cui prorsus in stylo varietate, & compendio similia sunt, comprehenduntur. Hinc a nostris recepta, qui sunt Emmanuel Romanus, Ioannes de la Plata, Munozius, Casanate, & alij. Suffragantur etiam de exteris Petrus Salazar de Mendoza in Prolog. ad Histor. Cardinal. Petri Gonzalez de Mendoza, Franciscus Portocarrero Iesuita [a], maximè idem Iulianus *in Eremitorijs n.* 15. vbi sic: *Eremitarium Toleti in suburbio S. Mariæ de Alf... à temporibus antiquissimis 3. Templa Toletanorum, quo venerunt olim monachi Carmelitæ, & tempore captiuitatis fuit Ecclesia Regis Adefonsi VI.* Vixit autem hic Iulianus circa annum Christi 1100. eiusdem Adefonsi VI. Secretarius, & S. Iustę Archipresbyter celebris. Christophorus Granados *in Concione* supra *ad ann.* 36. *n.*10. *relata.* Ex quo, & allatis testimonijs non obscurè elicitur hoc Virginum, & Monachorum monasterium ab Elpidio extructum nostri Eliani, & Prophetici Ordinis sicut & primum fundatorem, eiusque socios fuisse. De quo alia in sequentibus, maximè circa locum, in quo erectum fuit (qui, vt constat ex Luitprandi testimonio relato, fuit is, vbi postea Agaliense Cœnobium erectum, nempe in planitie Suburbij Toletani, id testante Maximo Cæsaraugustano in *suo Chronicbon*) titulum quo primùm cognominatum, & quas temporis cursu vicissitudines perpessum. Vnum in præsenti annotandum venit, quod licet ex relatis testimonijs, quatenus aiunt *Monasterium Virginum, & Monachorum ab Elpidio fundatum,* aliqui elicere velint, non vnum, sed plura fuisse monasteria; *Virginum* vnum; *monachorum* alterum; nihilominus isti animaduertisse non videntur, antiquissimis olim primæuæ Ecclesiæ temporibus, quibus simplicitate potius, quàm malitia ducebantur fideles, monasteria duplicia fuisse, id est, monachorum, & monialium, quantum honestas

[a] *in Vita S. Ild. fonsi cap.* 18.

patie-

patiebatur, simul conuiuentium, prout expressè colligitur *ex ca. Diffinimus 18. q. 2.* & diximus *to. 4. nostræ sum. qq. regular. verb. monasteria Regularium n. 13.* vbi etiam quod licet vsus iste iam pridem ab Ecclesia abrogatus fuerit eo *ca. Diffinimus, & seqq.* ac in Concilijs Romano, & Nicæno 2. nihilominus his temporibus adhuc in quibusdam Germaniæ partibus vigeat. Nomine ergo monasterij *Virginum, & monachorum.* vnum tantum Cœnobium intelligendum venit ex viris, & fœminis, quantum fas fuit modestiæ, promiscuum. Nec mirum consuetudinem hanc in Ecclesia infantuli inoluisse, exemplo forsan accepto ex Cœnaculo Hierosolymitano, vbi iuxta *cap. 1. Act. Apost.* manebant Apostoli *perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Iesu, & fratribus eius.* Essenorum quoque Institutum fœminas conuiuentes, simulque Dei laudes concinentes cum viris permisisse, ex ijs, quæ diximus *to. 1. sub anno 3545. nu. 31.* ex Philone, & alijs, clarè demonstratur. Veronicam etiam, cui Dominus faciem suam expressam dedit, cum Sancto Amatore coniuge suo in alto Galliarum monte, multis annis vitam magis cælestem, quàm terrenam eremiticam, sicut viderat propè Nazareth, Eremitas montis Carmeli, egisse, retulit Luitprandus *in fragmentis num. 209.* S. Eulogius quoque *in memor. Sanctor.* antiqua Cordubæ refert promiscua monasteria virorum, & fœminarum, quorum cultores sub Saracenis martyrij palmas suscepere. Hinc Hieronymus ad Eliodorum contra simili vsu abutentes hæc dicebat: *Quid facit Monachus in cellis fœminarum? Quid sibi volunt priuata, & sola colloquia, & arbitros fugientes oculi?* Vtilitatem porrò, quæ ex mutuo conuictu monachorum, & Virginum oriebatur D. Augustinus [a] sic describit: *Lanificio corpus exercent, atque sustentant, vestesque ipsas fratribus tradunt: ab his inuicem, quod victus opus est resumentes.* Et *in Concil. Hispal. 2. cap. 11.* statuitur, quod *monasteria Virginum monachorum administratione, ac præsidio gubernentur.* Et habetur *in cap. In decima 18. q. 2.* Hæc porrò a nobis relata, de quibus alia in sequentibus, & noster Ioannes de la Plata quædam *in defensor. antiquit. Ordin. fol. 39.* vt facilè credi possit, ostendamus, hoc primum Eliani Ordinis in Hispania structum monasterium ab Elpidio, ex monachis, & Sanctimonialibus promiscuum esse potuisse.

[a] lib. 1. de moribus Eccles. c. 31.

Agabi prædictio.

39 Ex historiæ etiam Actuum Apostolorum *cap. 11.* serie, annexa cum Iacobi Maioris Apostolorum nece, de qua in *cap. 12.* agitur, & nos dicemus in sequentibus, elicitur Agabi nostri prædictionem de fame ventura, quæ illis verbis S. Historiæ describitur: *In his autem diebus superuenerunt ab Ierosolymis Prophetæ Antiochiam, & surgens vnus ex eis nomine Agabus significabat per Spiritum famem magnam futuram in vniuerso Orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio,* hoc tempore vel circiter contigisse. Quis hic Agabus fuerit, aliqua habes circa *an. 39.* alia *to. 1.* locis ibi relatis. Nunc alia accipe. Quoad etymon *Agabus* apud Bedam interpretatur *Nuntius tribulationis*, absdubiè propter hanc famis calamitatem

ab

ab ipso præcognitam. Apud alios *Locusta*, appositè quidem, eandem ob causam. Apud quosdam *Organista*, forsan quia musicis instrumentis in Dei laudem sonandis priscorum Prophetarum more, quorum ipse progenies,& æmulator erat, vtebatur. Interpretantur alij Agabum,id est, *Enthusiastem*, vel *Amatorem*, forsan ne propter amorem in Virginem, de quo eo *10.1. sub an.4051.n.4.* ex Petro Dorlando, Baptista Mantuano, & alijs diximus? Alij Iudices sunto circa hoc punctum. Quoad alia, vnum ex 72. discipulis fuisse communiter Doctores ex Dorotheo in *Synopsi* accipiunt. Fuisse præterea primum Ordinis Christi sub lege Prælatum, etiam Comitijs Carmeli suffragantibus, ait Petrus Saracenus *in Menolog. Carmelit.in Vita S.Dionysij Papæ q.6.* Sed hoc, vt alibi dicemus, solum suspicatiuè accipiendum, cum clara non suppetant historiæ monumenta. Illud apud nostros magis pro comperto, quod instituti ipsorum assecla fuerit, prout indicat vetustum Ordinis Kalendarium Mechliniæ conseruatum, vbi Idibus Februarij dicitur: *Agabi Prophetæ noui testamenti, Carmelitæ.*

Anni Christi 42.43.&44.S.Petri Sum.Pontif.9.10.& 11. Caij Imp.4. & Claudij 1.& 2.

1 DOCTORVM varietas circa S.Iacobi Maioris Apostoli necis tempus,quorum alij (reiectis Eusebio *in Chronico*,Sabellico [a], & Casanæo [b], qui nimis proximè ad Christi ascensionem contigisse autumant) *ad ann.* 42. cum Dextero *in Chronic.* Mariana *in Histor. Hispan. latin.lib.4. c.2.* Onuphrio *in Chronic.* & Biuario *Commentar. in Dexter.* alij *ad* 43. cum Dradæo *in not. ad Eusebium* secuto Vasæum, quibus fauent Salmeronius, & Alphonsus a Castro *in Histor. de Deip. cap.18.* alij verò ad 44. rem referunt, quos communiorem veluti sententiam sectantes, amplectuntur Baronius, Gaspar Sanchez, & Cornelius *in cap.12. Act. Apost.* cogit nos, vt ab ea controuersia abstinentes, & tres hosce annos simul coniungentes, de hac Historia, ipsamque concernentibus, cum longè non absint a nostrorum Annalium, & Eliæ scholæ alumnorum proposito, discurramus. Semel pro semper illud animaduertentes, quod huiusmodi, & similium in annorum computo dissidiorum ansam sæpius chronologis præbuit, quod interdum inchoatus annus numeretur, interdum verò ab ipsis prætermitti solitum sit. De quo Salmeronius [c], & Sanchez *in cap. 1. Zachar.* cum alijs.

Iacobi Apostoli necis tēpus.

[a] *Aenead.7 l.1.*
[b] *3.p. Catalog. glor.mund Consideral. 29.*
[c] *prolegom. 9. quinquag. 1. cap.30.*

2 Ergo S.Iacobi Apostoli mors *in Actibus Apostolorum cap.12.* his verbis describitur, quorum paraphrasi res tota mirè, & aptè elucidatur. *Eodem autem tempore*, scilicet post famem ab Agabo ex nostris Prophetis prædictam, & post regressum Iacobi ex Hispanijs Ierosolymam, iuxta notata in superioribus: *Misit Herodes*, Herodes videlicet Agrippa, non Ascalonita, qui infantes Christo nato coæuos interfecit, nec Antipas, qui

Quomodo cōtigit.

qui Baptistam decollauit: *Rex* vocatus, non Thetrarcha, quia regnum, regiamque nomenclaturam a Caio Caligula amicitiæ ergo obtinuerat: *Manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia*, non quidem militares manus, cum abs re id prorsus videatur respectu inermium, & inopum Christianorum; sed contumeliosas, & iniquas satellitum, capiendo, ligando, incarcerando, & ad necem expetendo. Vel quia ipse, vt Iosephus putat, Iudaismi studiosissimus erat, vel quia a Tiberio Cæsare, a quo coniectus in vincula fuerat, crudelitatem dedicerat. *Occidit autem Iacobum* Zebedæi filium *fratrem Ioannis*; quia vnus è primarijs Christi Apostolis, & Ecclesiæ columnis, qui veluti *Boanerges*, id est, tonitrui filius, igneus, terribilis, ac formidabilis, vt fulmen Iudæis in Euangelij prædicatione conspiciebatur; ac in Hispania obita celeberrimus, rerumque gestarum gloria clarissimus, omnium oculos in se conuertebat, ac nominatim, quod duos famosos magos Philethum, & Hermogenem ad Christum conuertisset; forsan etiam quod Iudæi, qui plurimi in Hispania tunc erant, eius prædicatione, & gestis offensi litteras ad Ierosolymitas, vt eum de medio tollerent, dedissent. *Gladio*, mortis genere, quod a Romanis, quibus subiacebant, didicerant Iudæi. De ijs Lorinus, Sanchez, Cornelius, Biuarius, & alij.

Quid antea egerit Iacobus.

3 Addit Dexter 42. anni gesta recensens, Iacobum, priusquam ab Herode caperetur, interfuisse *consecrationi Ædis sacræ Nazareth, in qua Virgo Deum concepit, præsentibus nonnullis Apostolorum*. Quod minimè a nostra historia abhorret, cum in ipsius discursu, sacerrimam illam Ædem nostrorum vsui cessisse, eamque per tempora administrasse, ostensuri simus. Adfuisse quoque Iacobum, & nonnullos alios Apostolorum, vt Dexter autumat, hoc tempore Nazaretho fidem acuit sæpius inculcatis de fide à Carmelæis ex ore Apostolorum suscepta; cum Carmelo Nazareth propè iuncta Ciuitas sit. Porrò sacratissimæ illius domus consecrationis Apostolicæ meminerunt etiam Horatius Tursellinus *lib. 1. Lauret. histor.* & Biuarius *hic* post alios, quos referunt.

Apostoli Iacobi corporis translatio in Hispaniam.

4 Quid verò post S. Iacobi martyrium de eius sacro cadauere actum sit, Dexter *sub anno 42.* sic prosequitur: *Discipuli S. Iacobi Dei monitu, Virginisque consilio corpus Magistri Ioppe in naue deponentes Iriam Flauiam Galleciæ Ciuitatem felici nauigatione peruenerunt. Altare super corpus sacrum erigunt, & more sacro Basilius, Athanasius, Chrysogonus, Agathadoras, Elpidius (qui nuntio accepto de corpore sui parentis in Hispanias allato mox Iriam accurrunt) sacrant, & Apostolo dicant*. Et *sub anno 43.* hoc pacto: *Sepulto corpore sacratissimi magistri, Torquatus, Thesiphons, Catilius, Issius, Secundus, Indalecius, Euphrasius Romam petunt*. Ac *sub anno 44.* sic: *Et à B. Petro consecrati Pontifices ad meridianas Hispaniæ partes, scilicet ad Bæticam littoralem prædicaturi reuertuntur*. Ex quibus primum illud de Sancti Iacobi translatione, communi calculo historicorum, Vincentij videlicet, Antonini, Equilini, Morales, Zuritæ, Villegæ, Marianæ, Marietæ, Vasæi, &

 aliorum

aliorum firmatum subsistit; confirmantibus Leone III. Breuiarijs, & Martyrologijs Ecclesiarum. Secundum de altari super eius sacrum corpus a discipulis eius erecto, videlicet Basilio Episcopo Carthaginensi, Athanasio Cæsaraugustano, Elpidio Toletano, atque Chrysogono, & Agathodoro presbyteris, propius nostram tangit historiam, cum iuxta Luitprandi testimonia *sub anno 35. & 36.* relata Carmeli soboles fuerint. De tertio autem, & quarto commodius *sub anno 45.* dicemus; eo enim tempore Petrum Romæ cathedratum omnes suspiciunt.

5 Sed pro hoc tempore, anno videlicet 42. Seruatoris nostri, pietas, ac deuotio in ipsius Virginem Matrem clientum animum pulsat, vt sacerrimæ manus epistolam ad Messanenses missam debita veneratione recolentes ex vetustissimis clarissimæ Ciuitatis scrinijs huc transferamus. Licet verò epistolæ forma non eadem apud omnes, sed dissimilis circumferatur, quæ tamen ex antiquioribus manuscriptis frequentius teritur Latinè sic habet: *Maria Virgo Ioachim filia, humillima Dei ancilla, Christi Iesu crucifixi mater, ex tribu Iuda, stirpe Dauid, Messanensibus omnibus salutem, & Dei Patris omnipotentis benedictionem. Vos omnes fide magna legatos, ac nuntios per publicum documentum ad nos misisse constat. Filium nostrum Dei genitum, Deum & hominem esse fatemini, & in cælum post suam resurrectionem ascendisse, Pauli Apostoli electi prædicatione mediante viam veritatis agnoscentes. Ob quod vos, & ipsam Ciuitatem benedicimus, cuius perpetuam Protectricem nos esse volumus.* Plura pro ipsa vindicanda a nobis dici possent, quæ prætermittimus, non tam quia, vt ex Caio Plinio secundo *in præfat. ad Vespas. Imperat.* accepimus: *Res ardua vetustis nouitatem dare, obsoletis nitorem, &c.* nec quia propugnatores pugiles pro se plures habet; sed eo vel maximè, quod tanta sit antiquitatis religio, vt vel eam tueri lædere sit. In rebus permaximè ad Religionem spectantibus, in quibus Tertulliani *in Apologet. cap. 19.* testimonio: *Primam auctoritatem summa antiquitas vendicat, & Religionis est instar fidem de temporibus asserere.* Scio quod Baronius egregius auctor, quod Christophorus a Castro, & nobiles alij antigonistæ hac de re scrupuli habuerint. Sed scio etiam Flauium Dextrum apud ipsum Baronium conspicabilem, ex priscis scriptoribus, ac ex posterioribus Georgium Gualtherum, Thomam Tamaium, Franciscum Viuarium, & nouissimè Melchiorem Incofre (qui perdocto, & eleganti stylo negotium peregit aduersariorum ictibus acriter se opponendo) specialiter nuperrimè dum hæc scribimus Paulum Belli etiam Iesuitam *in lib. de Gloria Messanensium* (vbi doctrinæ varietate rem hanc tam neruosè concludit, vt, materiæ capacitate spectata, hærendi aditum omninò præcludat) piæ huius causæ patronos adstare. Quibus adhærendum, ne traditioni contrarij, deuotioni auersi, & pietati videamur degeneres: *Quod enim* (Leonis Papæ *sermo 9. de ieiun. 7. mens.* sunt verba) *dudum & traditio decreuit, & consuetudo firmauit, nec eruditio ignorat, nec pietas prætermittit.* Memores etiam

Epistola Deiparæ ad Messanenses.

Nicolai Papæ *dist. 12. ca. Ridiculum* dicentis: *Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, vt temporibus nostris, vel falsò insimulari sanctam Dei Ecclesiam permittamus, vel eas traditiones, quas antiquitus à Patribus suscepimus pro libito semper errantium infringi patiamur*. Et D. Hieronymi *Epist. 28. ead. dist. 12, ca. Illud* aientis: *Traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiunt, ita obseruandas, vt à maioribus tradita sunt.* Tangit hoc nostrum specialiter Carmeli Sodalitium de Messanensium Vrbe clarissima non mediocriter emeritum, vt Patronatus S. Alberti Drepanensis in ipsam, & pleraque alia testantur beneficia. Anno autem 42. id ascribimus, quia in aliquibus exemplaribus is denotatur. Consulatur Bellus relatus. Nec tepescat deuotio erga hanc sacram Epistolam, quod de ipsa & similibus alijs P. Theophilus Rainandus *in suis Dypthicis Marianis par. 1. punct. 10.* scribit.

Maria Virgo Virginum Præfecta.

6 Maximè verò Dextri illa verba, *Virginisque consilio*, cum ea referri videantur ad Deiparam sanctissimam Ierosolymis, vbi Iacobus neci datus est, eo tempore commorantem, vocant nos, vt insignem eiusdem Virginis erga Elianum, & Essenum Institutum amoris, & fauoris tesseram hoc loco commemoremur. Ea autem est, vt eadem Augustissima parens virginibus quibusdam Elianam, & cœnobiticam vitam in domo, seu Collegio quodam Superiorissæ Antistitæ instar præesse, & præfici dignata sit, vt vel sic etiam illud Psal. 44. *Adducentur Regi Virgines post eam*, quod de eadem accipiunt Thomas, Aiguanus noster, & Nicetas apud Lorinum, aptius intelligatur. Rem testibus comprobare debemus. Primus fauet S. Ambrosius *in opere de Virginib.* vbi Deiparam tanquam luculentissimum Virginitatis exemplar illis proponit. Secundus Isidorus [a] dicens: *Fœminarum Virginum caput est Maria, ipsa earum auctrix, inde agmina puellarum sanctarum, inde sectatrices perpetuæ continentiæ pullularunt*. Tertius, Honorius *in gemma animæ lib. 1. c. 239.* vbi vestem, & conuersationem Sanctimonialium a B. Virgine sumpsisse exordium profitetur. Quia tamen hæc in alium sensum quam intendimus trahi possunt, aliorum lucidiora testimonia desiderantur. Armachanus ergo Primas Hiberniæ apud Vvaldensem [b] sic inquit de Carmeli cultoribus: *In vno latere montis ipsius primò Ecclesiam, seu Oratorium in honorem B. Virginis construxisse, in loco illo scilicet, in quo didicerant ipsam in vita sua cum sodalibus Virginibus habitasse*. Hoc itaque auctore teste Beatissima Virgo in Carmelo *cum Sodalibus Virginibus* habitauit. Quæ robur accipiunt ex Ecclesiæ testimonio in officio Commemorationis solemnis eiusdem Deiparæ pro 16. Iulij sæpius a S. Congregationibus approbato; ibi enim de ijs, *qui vestigijs Sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Elisei institerant*, dicitur: *Beatissimæ Virginis colloquijs, ac familiaritate feliciter frui potuere*, proculdubio propter tale Virginis, & Virginum Sodalitium. Sed adhuc clariora ad intentum ex Dionysio Carthusiano [c] damus; *Quotidie quoque, seu tempore opportuno edocebat felicissimum illud Colle-*

a lib. 11. de offic. c. 18.

b to. 3. tit. 9. c. 89.

c in prim. sent. dist. 16. q. 2. § Verum.

Collegium centum viginti virginum, eius obsequio, ac regimini deputatum. Illum sequuntur Philippus Bergomensis *de famin.illustrib.* Eisengrenius [a], Guillelmus Spira *cent. 1. de actib. Christi, & Apost.* & Carthagena [b], vbi hæc: *Quid plura? Dionysius Carthusianus, quem sequuti sunt Bergomensis lib. de illust. famin. & Guillelmus Eisengrenius, affirmat B. Virginem monasterium instituisse centum quinquaginta monialium, cuius curam ipsa habebat: constat autem tunc nullum aliud viguisse institutum, nisi Elianum.* Horum etiam sensum assequi videtur Petrus Morales *in Matthaeum l.1.tract.1 r. de Imitat. Mariæ in Templo*, vbi hæc: *Fuit etiam, & perpetuò erit Sanctissima Virgo mirabile exemplum omnibus Religionem profitentibus, sed præcipuè monialibus, quarum sanè Maria magistra fuit, nam vt docet S.Thom. 3.p.q.28. art.4. etiam obseruatio consiliorum aliquo modo cœpit in Virgine, ex quo ortum habuit consuetudo in primitiua Ecclesia obseruata, quod Virgines cupientes se Deo consecrare promittebant in nomine Mariæ castitatem seruare, vt ex D. Basilio, Athanasio, Epiphanio, & Vvaldensi, &c.* Eadem quoque, & clarius recipit Laurentius Chrysogonus recens Author Iesuita [c], approbans ex Dionysio Carthusiano, & Petro Spinello Deiparam Virginem Collegio magistram, & Præfectam fuisse. Idem tandem recipiunt ex nostris Didacus de Coria [d], Munozius [e], Cassanate [f], Emanuel Romanus *in Indice Alphabetico*, & alij communiter. Fauet & Vvastelius *to. 1. Vindic. Ioann. Ierosolymit. lib. de instit. monachor. sect. 5. ar.* 8. §. 3. vbi Religiosum statum eidem virgini extraneum non fuisse comprobat: Quæ omnia huic tempori ascribimus propter historiarum inopiam de certiori alio minus certi. Nec quæ P.Theophilus Rainandus *in Diptycis Marianis par.1. punct. 10.n.14.* contra assertum nostrum affert, magni momenti sunt. Quod enim Carthusianus 120. Virgines, Carthagena autem 150. eius Collegij Mariani alumnas annumerent, leue est; cum Typographi error diuersitatem hanc efficere potuerit. Silentium Patrum, quod etiam obijcit, non est tam generale, vt vidimus, & testimonijs Doctorum, quos adduximus, temperatur. Alia, quæ opponit vir doctus, facilè corruunt, si ea quæ in sequentibus dicemus de Tecla, Martha, Magdalena, Flauia, Domitilla, Petronilla, Iphigenia, & filiabus Philippi consideret lector, nec velit adamussim virginum eius cui monachatum simile omnino existimare cum eo quod modo viget in Orbe. Quod si verus aliquis Monachatus eo tempore fuit, qualis potuit esse nisi primordialissimus ille Elianus, & Essenus a Christo Seruatore, eiusque discipulis promotus?

a 1 par.cent. 1. & 3. post dist. 6.

b to. 4 homiliar. homil. 3. de Ordine Carmel.

c in Mũdo Mariano par. 1. discurs 22. n. 137. & 138.

d in Cronic. l. 1. cap. 5.

e in Propugnac. Elia l. 2. tit. 2. c. 3 ar. 2. §. Quare

f in Paradiso Carmelit. stat. 2. etat. 2. c. 2.

Annus Christi 45. S. Petri Rom. Pontif. 1. Claudij Imper. 3.

Papatus S. Petri. 1 CONSPIRANT in hoc egregij Doctores, Eusebius, & Cassiodorus *in Chronic.* D. Hieronym. *de Scriptorib. Ecclesiast. in Petro.* quos Baronius, & alij sectantur, quod hic annus sit, quo Apostolorum Princeps Petrus postquam è carcere, vbi vinctus ab Herode tenebatur, liber Angeli adiutorio euasit (*Act. Apost. c. 12.*) Cæsarea, Beritho, Sidone, Tripoli, Biblo, Antandro, Cappadocia, & multis Asiæ Prouincijs peragratis, Vrbem ingressus, Romanam Cathedram die 18. Ianuarij, Ecclesia annuo ritu id testante, ritè erexit, primus Romanus Pontifex post Christum. Quod enim Petrus Romæ fuerit contra Marsilium de Padua, Vrbanum Reigers, Sebastianum Francum, & Sectarios plures, probant Sirletus, Bellarminus, & Baronius Cardinales, & doctissimi alij, adeo vt id a nobis comprobari non egeat; sed eo, vtpote certissimo, supposito, de aduentus ipsius anno differentes præsentem cum relatis auctoribus eligere. Petri autem peregrinationis ansam præbuisse videtur Simonis Magi versutia, eum namque insequendo eas Prouincias peragrauit. Quod apud Sophronium videre est *in Comment. ad peregrinat. Petri, & Pauli in Biblioth. Patr.* illis verbis: *Soluitur ab Angelo, & occasione perfidiæ Simonis Magi Syriam discurrit, ad hoc autem, & Pontum, & Asiam, & Galatiam, & vbique seminando verbum Dei Romam peruenit.* Quæ etiam recipit Biuarius *in Comment. in Flau. Dext. ad ann. 42.* id comprobans aptè cohærere cum alijs veritatibus. Meritò autem Roma eligitur in Summi Pontificis sedem, vt inde magis constet esse Catholicam, & vniuersalem Ecclesiam, quæ ex *Orbis Epitome* (sic vocat Dio Romam) toti imperat Orbi. Huius Cathedræ institutionis memoria est in Basilica S. Petri, cathedra scilicet lignea nobilitata miraculis, vt ait Gordonus *in Chronolog. sub hoc anno*, & festi ipsius in compendio M.S. actuum Consistorialium Pauli IV. vbi sic legitur: *Die 23. Ianuarij 1557. instituit festum Cathedræ in mense Ianuarij ob confutandum errorem negantium, quod S. Petrus nunquam venit Romam.* Plurium quoque testimonijs hæc cathedra commendatur, quæ refert Franciscus Maria Turrigius in libro, cui titulus: *I sacri trofei Romani c. 20.*

Discipuli S. Iacobi Romam veniunt. 2 Ad hoc etiam tempus reuocanda, quæ Dexter *ad ann.* 43. & 44. scripsit; videlicet: *Sepulto corpore Sacratissimi magistri* (Iacobi) *Torquatus, Thesiphons, Cæcilius, Isicius, Secundus, Indalecius, Euphrasius* (eius discipuli) *Romam petunt, & à Beato Petro consecrati Pontifices ad meridianas Hispaniæ partes, scilicet ad Bæticam littoralem, prædicaturi reuertuntur.* Sic etiam Einsengrenius *in Chronic. Spirens.* Horum Iacobi discipulorum nominibus sic piè S. Isidorus *in Capit. festi* lusit. *Adest Domine clara, & euidens tuorum illa septem Pontificum reuoluti temporis annua celebritas; Torquatus ex*

his

bis verbis proroget monilium ornamenta virtutum. Thesiphons à te, qui es fons vitæ, vberrimo doctrinæ gurgitis poculo satiet. Iscius sceleris nostri piacula mundet. Indalecius index bonorum operum spiritualium alimenta ministret. Secundus futuri aduentus tui gaudio electorum participio adiungat. Euphrasius quadrifluo Euangeliorum amne Catholicæ fidei dogmata firmet. Cæcilius cœtibus Angelorum nos associet. De illis etiam, hacque missione Apostolica idem Isidorus in hymno.

Vrbis Romuleæ iam toga candida
Septem Pontificum destina promicat,
Missos Hesperiæ, quos ab Apostolis
Adsignat fidei prisca relatio.
Hi sunt perspicui luminis indices.
Torquatus, Thesiphons, vt quoque Iscius,
Hinc Indalecius, siue Cæcilius,
Iuncti Euphrasio, Secundoque sunt.
Hi Euangelicæ lampade præditi
Lustrant Occiduæ partis arentia,
Quod sic catholicis ignibus ardeant,
Vt cedant facibus furna nocentia.

Alia ibi de miris ipsorum gestis, prædicatione, martyrio, & alijs, quæ vel tangi a nobis meruerunt, vt vel tantisper deferamus Eutrandi, seu Luitprandi fragmentis, quæ iuxta dicta *sub ann.36.* ipsos Prophetico Ordini adiudicant.

3. Idem de *Calocero* altero Iacobi discipulo iudicium esto, de quo per Carpetaniam prædicasse Dexter sub *anno* 44. affirmat (eò libentiùs a nobis recensito, quòd *Carpetania* vulgo *Castella noua*, seu Toletanum Regnum, patria nostra sit) ad septemtrionem Durij ripa, ab Occidente, & meridie montibus, quos Hispani *Puertos*, vocant, ab Oriente Celtiberiæ, seu Aragoniæ contermina. Prout ex Ptolemæo [a] elicitur. Socius hic fuit S. Apollinaris primi Rauennatum Episcopi apud Equilinum [b]. De quo alia in sequentibus. De Calocero.

[a] *lib.2.Geographia tabul.2. Europ.c.6.*
[b] *lib.6 c.128.*

4 Huic etiam 45. Christi anno adscribenda videtur missio S.Marci Euangelistæ Alexandriam a Petro Apostolorum Principe, prout Baronius, & eius assecla Cornelius *in Chronotaxi Actuum Apostolorum* cum alijs existimant. Res quidem grauissima, & historiæ nostræ valdè necessaria, cum tangat conuersionem Essenorum in Alexandriæ partibus commorantium, nostri Eliadum Instituti propaginum, vt propterea accuratius expendenda videatur. Res ergo sic erat. Petrus iam Romæ Orbis Theatro cathedratus, & cui totius Ecclesiæ cura demandata a Christo fuerat, ipsius propagationi, ac dilatationi animo intendens, dilectissimum, & spiritualem filium, fidelissimumque sibi comitem, qui ex Iudæa cum ipso Romam venerat, Marcum, Alexandriam, veluti alium totius Orbis Emporium amplissimum, in quo innumeræ versabantur S. Marci missio in Alexandriã.

nationes, prout ex Philone *in lib. ad Flaccum*, & Dione Chrysost. *in Orat.* 32. *ad Alexand.* habetur; mittere decreuit, vt ibi Euangelium, quod ipse Marcus Petri iussu scripserat, prædicaret, Ecclesiamque ipsius nomine erigeret; quæ propterea post Romanam aliarum Princeps esset. Sic ex Gelasio *in decret. de lib. Apocryph.* refert Baronius *sub hoc anno*, & *sub* 64.

Quæ gesserit. 5 Quæ verò Marcus Alexandriæ gesserit, ex priscis auctoribus, quos neotherici amplectuntur, sumendum. Eusebius ergo Cæsariensis [a] sic rem narrat: *Marcum tradunt primum ad Ægyptum perrexisse, atque inibi Euangelium quod ipse conscripserat, prædicasse, & ipsum primam Ecclesiam apud Alexandriam constituisse. Tanta autem refertur multitudo credentium virorum, ac mulierum primo ingressu exemplo sobrietatis eius, & continentiæ congregata, vt etiam conuersatio eorum, qui per ipsum crediderant, & vita totius abstinentiæ, ac frugi eorum, sobriaque conuiuia librorum memoriæ mandarentur à viro disertissimo Philone.* D. Hieronymus autem *in lib. de script. Eccles. in Marco* sic: *Assumpto itaque Euangelio, quod ipse confecerat, perrexit in Ægyptum, & primus Alexandriæ Christum annuncians constituit Ecclesiam tanta doctrina, & vitæ continentia, vt omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo disertissimus Iudæorum videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conuersione scripsit. Et quomodo Lucas narrat Ierosolymæ credentes omnia habuisse communia, sic & ille, quod Alexandriæ sub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit.* Item eodem libro *in Philone* sic: *Philo Iudæus, &c.* Et postea pauca: *Librum de prima Marci Euangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia in nostrorum laude versatus est, non solum eos ibi, sed in multis quoque Prouincijs esse commemorans, & habitacula eorum dicens monasteria. Ex quo apparet talem primam in Christum credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur, & cupiunt; vt nihil cuiusquam sit proprium, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur, & psalmis, doctrinæ quoque, & continentiæ, &c.* Subiungit etiam, Romæ *locutum esse cum Apostolo Petro, eiusque habuisse amicitias, & ob hanc causam etiam Marci discipuli Petri apud Alexandriam sectatores ornasse laudibus suis.* Eadem fermè apud Cedrenum [b], in Petro Damiano [c], apud Surium [d], & alijs.

Esseni coquerjuntur. 6 Maximè verò, & ad rem nostram propius, Essenos Alexandrinos ab Euangelista Marco, in Christi fide instructos fuisse, concors est, & verissima Doctorum sententia. Eam ex antiquioribus satis indigitat Eusebius relatus; dum eos quos Marcus ad fidem Alexandriæ perduxerat, a Philone commendatos esse commemorat. Compertissimum namque est Philonem *in lib. Quod omnis probus sit liber, & in lib. de Vit. Contempl. ac in Apolog.* Essenorum cum practicorum, tum Theoreticorum Ægypti, & Alexandriæ, mores, & instituta descripsisse. Comprobat id Eusebius *eo cap.* 6. ex eo quod ea scripserit Philo postquam Marcus Alexandrinam

[a] lib. 2. histor. Eccles. c. 16.
[b] in Claudio; [c] in serm. [d] in vit. S. Mar.

drinam

drinam constituerat Ecclesiam, inde veluti eliciens Marci primos discipulos a Philone commemorari potuisse. Elicitur idem ex Hieronymo relato, maximè illis verbis: *Marci discipuli Petri sectatores ornasse laudibus suis*. Cum enim ex ipsius Philonis operibus expressissimè, & nominatim constet ipsum *laudibus ornasse* Essenos, ij erunt, quos Hieronymus *Marci discipuli Petri sectatores compellat*. Indicat,& Epiphanius [a], dum de ijs a Philone commemoratis Essenis loquens dicit vocatos esse *Iessaos* prædicante Marco in illa Regione: denotans sane hoc illis cognomen attributum propter *Iesum* Marci prædicatione susceptum, qui fuit *de radice Iesse*. Item ex Cedreno [b], dum de conuersis in Alexandria Marci prædicatione loquens eos vocat *Essenorum moribus, & disciplina praclarè prius institutos*. Idem quoque colligitur ex D. Anton. inferiùs referendo, & ex Damiano [c] relato. Clarè id sequuntur Historici nostri, Palæonydorus, Thomas de Iesu, Cassanate, Franciscus a S.Maria, & Munozius inferius citandi. Et nos latius prosecuti sumus supra *in Apparat. cap.* 3. vbi etiam qualiter hi Esseni Ægyptiorum ante Marci aduentum in instituti Esseni disciplina imbuti fuerant. Et de causa quare Philo Iudæus tam studiosè, & diligenter eorum mores, & instituti rationem descripserit. Videndus etiam Genebrardus [d], Cornelius a Lapide [e], vbi per Parenthesim dicit quod *Esseni fuere primi è Iudæis Christiani*. Item [f], vbi eos vocat *primos Christianos* Alexandriæ sub Marco, & probat ex Porphyrio, & Eusebio, quod *in omni conuersatione fuerint Sancti*. Ac Dominicus Grauina auctor pius, & doctus, ex quo tam pro dictis, quam pro dicendis hoc habemus testimonium ex *lib. de voce turtur. par.* 2. *cap.* 15. postquam dixerat Prophetarum filios vsque ad tempora Apostolorum permansisse; *Successerunt enim eis illi, qui supra Eliæ institutiones alijs superogauerunt, forte ab Eliseo Propheta eorum magistro acceptas. Hi fuerunt Esseni S. Marci Euangelistæ postea legibus, & institutionibus instructi, vitæ monasticæ præcipui cultores, Apostolorum prædicatione ad fidem Christi instructi. Ab his porro Monachorum agmina in Ægyptum, & Palæstinam descendisse Doctores, & historici tradunt.*

7 Causæ autem cur promptè, & alijs celerius Esseni Alexandrini fidem Christi amplexati fuerint, plures in promptu sunt. Prima, quod ex Hebræo sanguine oriundi erant, vt ostensum est *in Apparat. cap.* 1. idcirco enim Marco facilius, vtpotè ex eodem genere, adhærere potuerunt. Secunda, propter signa, & prodigia ab Euangelista patrata, quæ melius ipsi, vtpotè in lege doctiores penetrare possent, quam rudis Ægyptiorum turba. Hæc porrò Marci sanctitate miracula effecta narrant Procopius Diaconus, & Cartophylax, ac Metaphrastes apud Surium [g]. Tertia habetur ex Baronio [h] illis verbis: *Nam si quod natura insitum est, vt habentium symbolum sit facilis communicatio, quomodo non magis ex his* (Essenis) *quàm aliarum sectarum Iudæis Christiana Religio potuerit propagari. Sanè quidem omnes sectas, quæ erant in Palæstina Christum Dominum* aliquan-

[a] hæres. 29.
[b] sup.
[c] sup.
[d] in Chronolog. sub an. Christi 139.
[e] in Epist. S. Iacobi c. 5. vers. 12. S. Sanct ea.
[f] in Epist. 1. S. Petri vers. 17.
Cur Esseni cito fidem receperint.
[g] in Vit. S. Marci.
[h] to. 1. sub an. 64. S. verum.

aliquando auersatas esse, nempe Pharisæos, Saducæos, Herodianos, & Samaritas, Euangelica attestatione exploratum habetur. De Essenis verò quod aliquando vel Domino, vel eius Apostolis, atque discipulis vel minimum negotij fecerint, nusquam legitur. Immò quo magis hi à Pharisæis, ac Saducæis dissentirent, eo facilius Christianis consensisse, quos illi vehementer auersarentur, facilè credi potest. Hæc Baronius, quæ nostro intento applicata cur alijs promptius Marco adhæserint, qui in Ægypto erant, Esseni, manifestè comprobant. Adiunctis præsertim, quæ de ipsorum pijssimis moribus, & Christianæ religioni conformibus diximus *to. 1. sub ann. 3545. & sup. in Appar. huius 2. to. c. 1.*

In monachismo instructi.

8 In monachismi quoque perfectione Alexandriæ, & Ægypti Essenos (iam olim veteris legis monachismo imbutos iuxta dicta *to. 1. sub an. 3545.* & *sup. in Apparat. c. 1. 2. & 3.*) a Marco instructos fuisse constanter, & firmiter contra Euangelici cælibatus momos tenent Doctores. Cassianus [a] sic: *Cum in primordijs fidei pauci quidem, sed probatissimi monachorum nomine censerentur, qui à B. mem. Euangelista Marco normam suscepere viuendi, &c.* Et *in præfat. ad Castor. in fin.* sic: *Nequaquam credas rationabilius, quidquam, vel perfectius in occiduis Galliarum partibus reperiri potuisse quam illa sunt instituta, quibus ab exordio prędicationis Apostolicę à Sanctis, & Spiritualibus Patribus fundata Monasteria ad nos vsque perdurant.* Hæc autem Monasteria, seu monachorum instituta *in primordijs fidei*, seu *exordio prędicationis Apostolicę* alia non esse, nisi Essenorum, qui eo tempore vigebant, nec dubitare licet. Item D. Anton. [b] vbi de Cœnobitis primitiuæ Ecclesiæ loquens, inquit: *Quos sequuti sunt Bucholini* (id est, Esseni, sic dicti a locis quibusdam Ægypti) *qui scilicet à Marco Euangelista conuersi ad fidem apud Alexandriam, mox quasi perfectionem perfectionis monasticæ adepti in cauernis, & speluncis ceu teni habitabant, orationibus, vigilijs simul incumbentes de labore manuum victitantes.* Intentum prosequitur egregius Doctor Thomas Vvaldens. [c] illis verbis: *Ne nimis quam oportet immoremur, ad B. Marcum Euangelistam properemus, qui in Alexandria Ciuitate Ægypti Conuentus Religiosorum instituit mirabilis multitudinis vtriusque sexus, viros scilicet, & mulieres seorsum positos, & regularibus subdidit disciplinis, vocans eos singulari nomine cultores, & cultrices. Et ne putaretur vulgaris fabula futuris temporibus descripsit eos antiquus doctor Philo, qui tempore Claudij Imperatoris Romæ fuit, &c.* Clarius de exteris Ascanius Tamburinus [d], & clarissimè Cornelius a Lapide [e], dicens S. Marcum instituisse Esseos, *qui primi fuere religiosi, & Religiosorum omnium prototypi.* Id etiam supponunt Bellarminus [f], Canisius [g]: Fauet Ioannes Bonifacius infra citandus, & Gordonus [h], ac Coriolanus [i]. Maximè verò Fràciscus Biuarius [k], occasione enim accepta quod Flauius Dexter eo loco mentionem fecerit Sanctorum Martyrum, & monachorum Philiberti, & Fabritiani hęc notat: *Cum monachorum, seu Abbatum audis nomen, ne quaso veniat in mentem institutum obseruasse Basilij, Augustini,*

a lib. 2. c. 5.
b p. 2. hist. tit. 15. c. 1. §. 1.
c in Doctrin. fid. to. 1. lib. 3. ar. 1. c. 7.
d de Iur. Abbat. to. 1. disp. 2. q. 2.
e in Euang. Marci in arg.
f to. 2. lib. de monach. c. 5.
g de Corrupt. verb. Dei lib. 3. c. 3.
h in Chronolog. an. 64.
i in Breuiar. Chronolog. sub an. 64.
k in Annot. ad Flauium Dext. sub an. 308.

aut

aut Benedicti, qui necdum nati erant; sed illud monachorum genus, quod à S. Marco sumpsit initium, & de quo S. Dionysius Areopagita in Gallia existens scripsit in lib. de Ecclesiast. Hierarch. Quibus præcipuè denotat Essenos Patres monachorum fuisse, ipsorumque progenitores. Ex nostris Ioannes Palæonydorus [a], Petrus Lucius Belga [b], Thomas de Iesu [c], Cassanate [d], Franciscus a S. Maria [e], & Munozius [f]. Propterea Genebrardus [g], Marcum vocat caput Anachoretarum, seu monachorum legis nouæ; *Nam apud Hebræos* (inquit) *origo reperitur ab extremis temporibus*, & Annibal Canalis Iesuita [h] eum vocat Patrem monachorum Ægypti. Quod etiam facit M. Antonius de Dominis *in sua Republica*, damnata licet.

9 In hoc verò sacro Euangelicæ prædicationis, & Christiani monachismi instructionis ministerio Marco socium fuisse Enochum Carmeli montis anachoretam, clarè habent Historici nostri. Ioannes Palæonydorus *supra* hoc modo: *Itaque Marcus assumpto Enoch Eremita montis Carmeli cum Euangelio, quod ipse confecerat, perrexit in Ægyptum; vbi constructis monasterijs, & Fratribus religiosè institutis Enoch ad Terram Sanctam post martyrium S. Marci reuersus in Monte Carmeli contemplationi, & orationibus vacans die septima mensis Iulij diem clausit extremum, vbi anno Domini 64. à Fratribus digno cum honore traditus est sepulturæ. Nam cum in primordijs fidei pauci quidem, sed probatissimi monachorum nomine censerentur, qui à B. Marco, qui primus Alexandriæ præfuit suadente Enoch Christi discipulo, normam suscepere viuendi, eo feruore lectioni, orationique ac operi manum diebus, & noctibus incumbebant, vt nec escarum quidem appetitus, vel memoria nisi altero tertioue die incideret, corporis interpellante inedia.* Similia Petrus Lucius Belga [i]. Eadem fermè Didacus de Coria [k], Saracenus [l], Cassanate [m], & alij ex nostris. Quibus de exteris fauet Ioannes Bonifacius [n] aiens: *Quidam nomine Enoch Carmelitis in Christo colendo, atque sequendo feliciter antecuerit. Qui D. Marci comes fuisse affirmatur, & fortasse concors in illis Euangelicis cœtibus, quos Alexandria omnium prima vidit, ordinandis.* Legendus & pro isto Enoch de exteris Siluester Marulus [o] dum de Carmelitarum Ordine *lib.* 4. agit.

10 Ex prædictis etiam Doctorum testimonijs id quoque elici valet, Marcum videlicet, & socium Enochum Monasteriorum, quorum examina fuerunt apud Essenos Ægypti, vt in operis discursu demonstrabitur, fundatores, vel quoad aliquot restauratores extitisse. Quod præcipuè de Alexandriæ monasterijs conceptis verbis expressit Coria [p]. Id etiam facili discursu ex dictis elicitur. Si enim Essenorum conuersatio a Philone descripta a Marci institutis promotionem, propagationemue accepit, proculdubio Monasteria, de quibus Philo agit, eundem Marcum promotorem, seu propagatorem habuerunt. Quid verò Philo de Ægyptiorum, & Alexandrinorum Monasterijs scribat ex ipso [q], sic habetur: *Singuli habent sacras ædiculas, quæ semnea vocant siue Monasteria, vbi solitarij sanctæ vitæ dant operam, nec cibi, potusue quidquam eo inferunt,*

altumue

[a] *de antiq. & fundam. Eremit. Mont. Car. lib. 2. c. 2.*
[b] *in Compend. hist. Carm. c. 8.*
[c] *in Exposit. reg. Carm. p. 1. c. 1. §. 1.*
[d] *in Paradis. Carmel stat. 2. ar. 3. c. 3.*
Enochus Anachoreta.
[e] *in Hist. Proph. Hisp. lib. 3. c. 14. n. 9. & 10. & in Apolog.*
[f] *in Propugnac. Elia l. 2. tit. 2. c. 2. ar. 3. n. 4. & 5.*
[g] *in Chronolog. sub ann. Christ. 139.*
[h] *in lib. de Vit. fundatorum Relig. Decad. 1. in Vit. S. Marci.*
[i] *in Comp. hist. Carmel. c. 9.*
[k] *in Chron. lib. Carm. l. 7. c. 1.*
[l] *in Monolog. in vit. S. Dionysij.*
[m] *in Paradiso Carmel stat. 2. ar. 2. c. 12.*
[n] *de B. Virg. l. 2. c. 2.*
[o] *in Oceano Religion.*
Monasteriorũ fundatio.
[p] *sup. l. 7. c. 21.*
[q] *in lib. de Vit. Contemplat.*

aliumue in vſum corporis, ſed legem tantum, & Prophetarum oracula diuinitus prodita, hymnoſque, & quædam alia pietati, ſcientiaq; promouenda vtilia. Et poſtea de Monaſterio, ſeu conuentu communi ſic: *Per ſex dies ſeorſum quiſque in ſuis illis modo dictis Monaſterijs philoſophantur, non progredientes foras, immo ne proſpicientes quidem, ſeptima verò conueniunt in cætum communem.* Quale verò id commune Monaſterium fuerit, ſic proſequitur: *Id commune ſemneum, in quod ſeptimo quoque die conueniunt ſepto clauditur duplici, ſeparatis virorum, & mulierum cætibus.* Erat ergo Monaſterium hoc commune vtriuſque ſexus, ſicut olim in Oriente plurima fuerunt, & modo etiam in partibus occidentalibus aliqua perſeuerant. Inter hæc ergo monachorum Eſſenorum Monaſteria illud in primis memorandum venit, de quo *in Vit. Patr. lib.* 1. agitur, in Vita ſcilicet S. Eugeniæ Virginis; illud namque Eſſenorum monachorum fuiſſe expreſsè fatetur Baronius [a], ac in eo monaſticam egiſſe vitam S. Helenum, eandem Eugeniam ſub virili habitu, & alios, eodem quoque opitulante Baronio, in ſequentibus dicemus.

a ſub an. 188.

Monachatus, & Cœlibatus.

11 Nec omittendum, in confuſionem hæreticorum, qui monachorum nomen nouitium eſſe in Eccleſia eructant, & in confirmationem eorum, quæ diximus, & dicemus; videlicet Eſſenos Marci diſcipulos monachos fuiſſe, vel eiuſdem Marci tempore monachatum, & cœlibatum, ſeu monachos, & Virgines perpetes extitiſſe; quod in Liturgia ipſius Marci, quæ extat *in to.* 6. *Biblioth. Patrum edit.* 1589. & quam referunt Marcus Patriarcha [b], & Iacobus Gualterus [c] expreſſa mentio fiat de monachis, & perpetuam virginitatem ſeruantibus. Sic enim dicitur in Memento huius Liturgiæ: *Memento etiam vbique degentium orthodoxorum Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Cantorum, Monachorum, ſemper Virginum, Viduarum, Laicorum, &c.* Erant igitur Marci Euangeliſtæ tempore iſto monachiſmum proficientes, Eſſenique Inſtituti, non ſolum ex viris, ſed etiam ex fœminis, quas ſemper Virgines, id eſt, perpetuam virginitatem ſeruantes hoc loco Marcus appellat. Nec id mirum alicui erit, ſi ea quæ diximus de Therapeutis vtriuſque ſexus ſupra *in Appar. c.* 2. *n.* 17. *& tom.* 1. *ſub an.* 3543. *n.* 31. perſpexerit. Præſertim Philonianum illud ibi relatum: *Adhibentur menſæ fœminæ quoque anus pleræque, ſed virgines, &c. ſponte continentes, &c. per totam vitam.*

b in ſuis ad Græc. interrog. pa. Grac. 238.
c in Chronogr. ſecul. 1. *verſu* 1. § 34.

Annus Chriſti 46. & 47. S. Petri Rom. Pontif. 2. & 3. Claudij Imp. 4. & 5.

Petri, & Pauli geſta.

1 DVM Romæ ſub hoc tempore Petrus diſcipulos pro Euangelij prædicatione in diuerſas Prouincias, Occidentales præſertim, Italiam videlicet, Hiſpaniam, & Galliam amandat, Paulus cum comite Barnaba, Seleucia, Cypro, Salamina, Paphoque peragratis,

Sergium

Sergium Paulum Proconſulem (a quo Pauli nomen Apoſtolus accepit) ad Chriſtum conuertunt, Elimam magum Euangelio reſiſtentem excęcando. Pergunt inde Pergen Pamphyliæ, Antiochiam, Piſidiæ, & Iconium, vbi inter multos Thecla etiam Virgo ad fidem reducitur S. Scriptur. *Act. Apoſtol. c.* 18. & 14. Expoſitores *ibid.* Baronius his annis.

2 Contigit etiam eodem tempore, vt cum relati Paulus, & Barnabas Antiochiæ morarentur verbum Domini diſſeminantes, Iudæi *Act.* 13. concitarent *mulieres religioſas, & honeſtas* contra illos, & eiecerint eos *de finibus ſuis*. Quæ mulieres Religioſæ, & honeſtæ, cum a Iudæis concitatæ eſſent, & eas Sacra Scriptura non ſolùm *honeſtas*, ſed & *religioſas* appellet, ex illis eſſe videntur, quas *to.1.in Appar. c.2.n.13. & c.8.n.4. & ſub an.mundi* 3297. commemorauimus, & diximus in veteri lege reperiri, *Prophetiſſas*, ſeu *Prophetides* nuncupatas, quandoque veras, quandoq; autem cum illis falſas; & Prophetici Eliadum inſtituti quodammodo cultrices. Similes quoque enim fœminas *Prophetides* in lege Euangelica repertas confirmat Lorinus [a], & conſtabit ex dicendis, de filiabus Philippi Diaconi ſub *an.* 57. Forſan etiam propterea Spiritus Sanctus in die Pentecoſtes non ſolum ſuper viros, ſed etiam ſuper fœminas deſcendiſſe creditur, prout ex illo *Ioelis* 2. *Et prophetabunt filij veſtri, et filiæ veſtræ*, eliciunt Lyranus, Carthuſianus, & Lorinus *ſupra, ac v. 1. eiuſdem cap.* 2. Siuè autem tales iſtæ fuerint, aut non, illud ex hac hiſtoria documentum habendum, vt etiam Apoſtolicis viris ab huiuſmodi deuotis, & ſpecie religioſis fœminis valdè ſit cauendum, quę ſub Sanctitatis ementito pallio plurimum damni afferre ſolent. Teſtantur hoc ſæcula noſtra, quæ illud experta ſunt. Teſtatur, & Anaſtaſius Nicænus [b] dicens: *Quid eſt mulier? Cordis lancea, Sanctorum calumnia, quies ſerpentis, fornax ſuccenſa, os effrenatum, dux tenebrarum, magiſtra delictorum, veſtita vipera, domus tempeſtas, viri naufragium, immitis fera, etc.* Teſtetur quoque id Hieronymus, dum ad *Cteſiphontem* docet omnes hæreſes per mulieres propagatas eſſe; ſic inquiens: *Simon magus hæreſim condidit adiutus auxilio Helenæ meretricis. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum conditor choros duxit fœmineos. Marcion quoque Romam præmiſit mulierem ad maiorem laſciuiam. Apelles Philomenem comitem habuit. Montanus Priſcam, et Maximillam primùm auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Arrius vt Orbem deciperet, ſororem Principis ante decepit. Donatus Lucillæ opibus adiutus eſt. In Hiſpania Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foueam, ſucceſſoremque ſui Priſcillianum habuit, cui iuncta Galla alterius, et vicinæ hæreſeos reliquit hæredem.*

3 Cæterum pro iſtis ſceleratis fœminis vna Thecla virgo Pauli diſcipula, & ab ipſo Chriſti ſponſa effecta felicem ſubit vicem, earum infelicitatem veluti compenſando. Huius autem Virginis hiſtoria noſtro calamo digna eſt, quod ipſa iure a noſtris Hiſtoricis inter Elianæ, & Propheticæ Scholæ alumnas, & Inſtituti æmulatrices cenſeatur. Hi ſunt

Palæo-

Mulieres Religioſæ quæ.

[a] in Act. Apoſt. c.2.v.17.

[b] to.6. Biblioth. Patr. q.62.

S. Tecla.

Palæonydorus [a], Franciſcus Sixtus Neapolitanus [b] libro ad Hiſpaniarum Catholicum Monarcā nuncupato, cui titulus *Teſſaredecades Genealogiæ Ieſu Decad.1.c.58.* Didacus Coria [c], Caſſanate [d], & alij. Fauent illis D. Ambroſius, Gregorius Nyſſenus frater S. Baſilij *Epiſt. ad Olympium monachum*, vbi ſororem ſuam Macrinam monialem comparat Teclæ. Et D. Auguſtin. infra referendus, dum eam *in amorem perpetuæ virginitatis incenſam* fatetur. Ac D. Ambroſ. [e], dum ipſam inter virgines Deo conſecratas a Paulo refert. Item Vvaldenſis noſter auctor percelebris, qui contra Vviclephum hæreſiarcham, apud quem ſolum ſeria, & ſolida deſeruiebant, dicit *to.1. Doctrin. fid. lib.3. art.1. c.7.* Paulum inſtituiſſe *S. Theclam in monacham*, & *to.3. de Sacramentalib. tit.9.c.91.n.3.* eam vocat *profeſſam ſub manu Pauli*, id confirmans ex Auguſtino *lib.30. contra Fauſtum*. Propterea etiam Laurentius Beyerlink [f] inter Carmeli alumnos eam refert. Suarez etiam [g], & Aſcanius Tamburinus [h] inter Moniales eam recenſent. Immò veram religioſam fuiſſe, & veli conſecrationem, quam a Paulo accepit, religioſi ſtatus ſignum eſſe confirmat idem Suarez [i]. Nec immeritò ſanè, quia (quod etiam deſeruiet pro dicendis in ſequentibus) Virginis, ſeu virginitatis conſecratæ nomine votum denotatur, ac proinde veluti monialium, aut Sanctimonialium ſtatus. Prout ex Vvaldenſi [k], Caniſ. [l] Bellarm. [m] Michael de Medin. [n] Baſilio Legionen. [o] Abrahamo Bzouio [p], eliciet Lector. Quibus ſi iungat quod D. Hieronymus in Epiſt. ad Demetriadem ipſi dicat: *Ex eo tempore quo Virginitati perpetuæ conſecrata es, tua non tua ſunt*, id eſt, per paupertatis votum a te abdicata fuerunt, eliciet quoque cum virginitatis voto, & paupertatis vinculum colligatum; ac proinde totam religioſam panopliam. Inſuper ſi animaduertat, quod iuxta dicta *to.1. in Apparat. c.4. n.11.* ex D. Iſidoro, & S. Aldelmo Elias auctor fuit virginitatis Deo conſecratæ, meritò quoque Theclam noſtram, aliaſque ſimiles Elianas nuncupabit.

Quæ, aut qualis Thecla.

4 Ergo Thecla (alijs Magnentia) Iconij nata, iuxta Luitprandum [q], patre Celtibero Hiſpano, matre verò Iconienſi, alijs autem è Romanorum nobilitate oriunda, deſponſa iuueni nobiliſſimo, ditiſſimo, & formoſiſſimo Tamito, ſeu Tamario, audito Paulo ardenter de virginitate diſſerente, ſponſo relicto, ad caſtum Chriſti cæleſtis ſponſi thalamum aduolauit, eique ſe voto virginitatis aſtrinxit. Hinc a matre, & ſponſo accuſata, plurima, & maxima tormentorum genera, ignes, ſerpentes, leones, vrſos, & tauros ſuperauit. Vnde Nazianzenus *in Carmin. ad Virgin.*

Quis Teclam necis eripuit, flammæque periclo?
Quis validos vngues vinxit, rabiemque ferarum?
Virginitas. O res omni mirabilis æuo.
Virginitas fuluos potuit ſuperare Leones?
Dente nec impuro generoſos virginis artus

Auſi

[a] lib.2.c.2.
[b] in libro ad Philippum II.
[c] lib.7.c.10.
[d] in Parad. Carm. ſtat. 2. ar.3.c.28.
[e] l.2. de Virgin.
[f] in Theatr. Vit. hum. l.16. to.6. verb. Religioſus.
[g] l.10. de Relig. l.3.c.3.n.12.
[h] de Iure Abbatiſſ. diſp. 27. quæſ.1.
[i] ſup. lib.2. c.4. n.2.
[k] lib.3. Doctrin. fid. ar.1. c.7.
[l] lib.2. de Virg. c.14.
[m] lib.2. de Monach. c.27.
[n] de ſac. Hom. cont. l.4.c.16.
[o] lib.2. de Imped. vot.
[p] in Theſaur. laud. B. Mar. Conc. 34.
[q] in fragm. 41.

Ausi sunt premere, et rigido discerpere morsu.

Hæc postea veluti primogenita Pauli, & Apostolica virago, diuini verbi cupida, & magistri sui auida, ipsum sequebatur. Custodem carceris, quo Paulus Iconij detinebatur, gemmis, mundo muliebri distractis, ac auro inde conflato, sibi conciliabat, vt ad magistri colloquium admitteretur. Antiochiam Pisidiæ, vt suum Paulum videret, profecta est, licet ab eo dimissa, ne aliquod offendiculum Euangelij prædicationi permitteret. Delituit quondam intra petram sibi credentem, loco, qui putatur prope Tripolim Palæstinæ, assiduis miraculis, vt dicitur, illustrato, etiam infidelibus religiosissimo. Vt vel hinc Prophetici instituti Anachoreta a nobis credi possit. Addunt ex nostris Palæonydorus, Coria, & Cassanate relati Monasterium Virginum apud Antiochiam construxisse, & aliud claustrum virorum in solitudine montis Neroi, seu Montanis nigris. Quæ valde creditu digna de Virgine primæua inter gentiles conuersas, quasi Apostola protomartyre inter fœminas, Monialium veluti vexillifera, & quam propterea Patres antiqui miris laudibus celebrarunt. Huius tamen Cœnobij erectio ab Arnoldo Bostio antiquo, & celebri Ordinis nostri historico Sancto Ignatio Antiocheno Antistiti adscribitur *lib.5.oper.Histor.c.37.* Vtrumque tamen verum autumamus, ita scilicet, vt Ignatius hoc Cœnobium ampliauerit, primitus, & rudiori methodo a clarissima Virgine Thecla fundari cœptum. In exemplum sanè Christi sponsarum, quæ si tanto amore virginitatem amplexati fuerint, hæc & maiora a Christo cælesti sponso habitura sibi promittere possunt. Patres porrò, & Doctores, qui Theclam laudibus commendant, sunt Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus relati, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Basilius Seleuciensis, Zeno Veronensis, Isidorus Pelusiota, Aldelmus, Metaphrastes, & alij, quos posteriores imitantur, Baronius præsertim.[a] Prætermittimus alias huius Virginis apocryphas historias iam olim a Gelasio damnatas, & a doctis etiam hoc tempore reiectas.

[a] *in Martyrol. 23. Septemb.*

Iphigenia Virgo.

5 Alia etiam Virgo eiusdem ac Thecla Instituti S. Iphigenia Æthiopum Regis filia circa hoc tempus commemoranda occurrit. Fuit autem a S. Matthæo Apostolo in Æthiopiæ partibus Christi fidem prædicante sacro velo Virginitatis cum alijs Virginibus Deo consecrata, prout communiter habetur ex Martyrologio Romano 21. *Septembris*, D. Antonino[b], Episcopo Equilino[c], Abdia Claudio[d], Ascanio Tamburino[e], Gualterio[f], & multis alijs. Ac propterea eiusdem, vt diximus, instituti, ac Thecla existimanda. Vnde inter Moniales eam refert Tamburinus; & fuisse veram Religiosam ob sacri veli sumptionem, ac virginitatis consecrationem colligitur ex Suarez superius relato, & inter cælibatus cultrices celebratur a Gualterio. Addit D. Antoninus supra Præfectam fuisse ab Apostolo Matthæo plusquam ducentis Virginibus, quod etiam sequitur Equilinus relatus. Eiusdem porro Iphigeniæ historiam, quæ

[b] *p.1.tit.6.c.13*
[c] *lib.8. c. 100. & 101.*
[d] *lib. 4. de continentia c.19.*
[e] *supra.*
[f] *in Tabul. Chronograph. secul.1. verit.8 §.18.*

quæ etiam causam affert martyrij Apostoli Matthæi, ex Antonino, Equilino, & alijs, accipiat Lector; vbi etiam reperiet memoriam Virginum aliarum Deo sacratarum, quod nostræ historiæ deseruit, & propterea vel sub compendio a nobis referendum; non fusè, ne volumina plus æquo crescant.

Annus Christi 48. S. Petri Pontif. Rom. 4. Claudij Imper. 6.

Deiparæ Sanctiss. mors.

1 HVIC anno, qui 63. est ætatis Augustissimæ, & supereminentissimæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ nostri Ordinis, & Annalium istorum Patronæ, adscribendam censemus, probabilibus sinè innixi fundamentis, eius sanctissimam mortem, & gloriosissimam in Cœlum assumptionem. Non quidem, quia 63. iste annus climactericus, & quasi naturalis terminus vitę humanæ sit, vt propterea multi præstantissimi, & in illis Benedictus, & Bernardus, diem clauserint extremum: cum enim sacerrima Virgo *miraculorum officina*, & *Dei gratiarum* veluti *promptuarium* fuerit, vt Patres testantur, non est cur huic naturali, & incertę regulę mortis subeundę subiacuisse dicatur; eo prętertim quod ipsius mors non ob naturalem infirmitatem, sed spiritualem accidisse credatur. Eius tamen non leue pręstat indicium, quod, iuxta hanc opinionem tantundem eadem Deipara post mortem Filij Iesu vixisse existimetur, quantum ante incarnationem. Ita vt quemadmodum 15. anni, antequam Christi Mater esset, pręterierunt, ita totidem post eius ascensum in Cœlum numerentur, quibus iunctis 33. annis, quibus in terris commoratus est, ipsos 63. complebimus. Maxime tamen id suadetur ex communi Christianorum deuotione, qua 63. vicibus orationem *Aue Maria* in memoriam annorum vitę ipsius Deiparę, *Coronam* vocatam, recitant. Neque enim mihi credibile fit, pijssimam Virginem, & veritatis summopere amatricem, permittere, vt tot fidelium myriades, qui hac deuotione feruentissime vtuntur, in ea decipiantur. Id quoque sequuntur Eusebius [a] antiquam de eo reuelationem referens, Carthusianus [b], Baptista Mantuanus infra referendus; fauet Canisius [c]. Maximè fauet Biuarius [d] ex illo, & alijs id colligens. Nec multum absunt Onuphrius Panuinus, & Hieronymus Bardus, qui *ad ann.* 47. casum referunt, & Coriolan. [e] Quamuis ergo aliqui cuiusdam S. Elisabethæ reuelatione ducti, quam referunt D. Antoninus [f], & Belletus [g] parum post Christi mortem Virginis obitum credant, quod communiter reijcitur; alij pro anno Christi 43. vel 44. prout noster Vvastelius [h], nec sine fundamento in Ierosolymitano Ioanne; alij magna cum probabilitate ad ann. Christi 58. & ætatis Deiparæ 73. cum Cedreno, Baronio, Suarez, & Castro, quos æmulatur P. Theophilus Rainaudus [i], rem trahant; alij verò sine teste, aut idoneo fundamento ad

a in Chronic.
b lib. 4. de laud. B. Virgin. ar. 6.
c lib. 5. c. 1.
d in Comment. ad Dextrum sub ann. 48.
e in Breuiar. Chronolog. qui ad ann. 49.
f 3. p. tit. 19. c. 11.
g c. 147. de diuin. offic.
h in notis ad lib. Io. Ierosolymitani c. 43.
i in Dypthic. Marian. par. 1. punct. 19. n. 8.

ad 80. vel 90. eiusdem Virginis ætatem protrahant: nobis inter tot dissidentium placita annus iste Christi 48. & Virginis 63. propter dicta magis arridet. In hac tamen sententia difficilè saluatur auctoritas S. Dionysij, qui *cap.3. de diuin.nomin.* affirmat, quod ipse cum alijs conuenisset Ierosolymam *visuri corpus illud quod vitæ Principem Deum suscepit*, prout legit Carthusianus, cui, paucis mutatis, congruit lectio Ioannis Saraceni, Marsilij Ficini, & aliorum; quod de Virginis transitu exponunt Damascenus, Iuuenalis Ierosolymitanus, Nicephorus, Glycas, Baronius, & alij. At verò Dionysius non est conuersus ad fidem, prout ex historia Actuum Apostolorum colligitur, nisi post aliquos annos ab isto 48. de quo in præsenti. Nodum tamen istum soluit Hilduinus antiquus, & grauis auctor apud Surium contendens Beatum Dionysium citato testimonio minimè agere de transitu Virginis, sed solum de sepulchro Christi, reuerentiæ, gratitudinis, ac deuotionis ergo ab ipso, & alijs, quos ibi refert, visitato. Quam etiam expositionem sequitur Biuarius *supra*, latè & doctè comprobans hunc esse germanum sensum loci Dionysij, nec congruè exponi posse de transitu, seu dormitione Virginis. Quod & sequitur Vvastelius noster *supra*, addens rectè ad id allusisse Ioannem Damascenum sua illa prosopopœia *in orat. de dormit. Virgin.* sic alloquentem cum sepulchro ipsius: *Tu verò ô sacrorum sepulchrorum sanctissimum, post Domini quidem sepulchrum, quod vitæ dedit principium, & fuit fons resurrectionis.* Quæ similia videntur verbis Dionysij, maximè, iuxta Balthasaris Corderij lectionem, quæ talis est: *Ad corpus illud quod dedit principium vitæ, Deumque susceperat continendum.* Addendum prætereà, & congruentius forsan, cum Vercellensi, quem refert, nec impugnat Carthusianus *super hunc locum Dionysij*, verba illa intelligi solùm de conuentione præfatorum Sanctorum non ad videndum Virginis corpus antè transitum, prout communiter exponuntur, sed ad disputandum, & conferendum de mysterio Incarnationis in eadem Virgine, ipsiusque corpore sanctissimo facto; quemadmodum Paulus ad *Galat.* 2. dixit: *Ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumpto, & Tito, &c. & contuli cum eis Euangelium.* Cui expositioni adstipulari videtur B. Maximus ab Vvastelio relatus locum interpretans de Oeconomia Christi vsque ad eius sepulturam. Et sanè pro profundissimi Dionysij obscuris verbis explanandis, quæ etiam diuersas habent versiones, hæc expositio probabilis valde est.

2 Siuè autem hoc anno, siuè 58. & ætatis Virginis 73. vt plures existimant, felicissimus transitus eiusdem contigerit, eius tamen memoriam historia nostra dignam esse pro comperto est. Tradunt namque historici nostri, etiam vetustiores, sacerrimæ ipsius dormitioni testes, ab eadem quoque vocatos, astitisse plures ex Eliani, & Prophetici instituti asseclas, qui Carmelum, vel alia Ierosolymæ vicina loca tunc incolebant. Id astruit celebris in Orbe Christiano Auctor Baptista *Quid pro nostra historia.*

Mantuanus, qui *in Apologia pro Carmelitis*, quam Sigismundo Gonzagæ Ordinis Cardinali Protectori nuncupauit, sic habet de ipsis: *Tandem moritura eos aduocauit, & in medio eorum tradidit Spiritum*. Deinde: *Sepulturæ interfuerunt æternum vale dixerunt*. Ac in *Vita S. Dionysij Areopagitæ*, quam Iafredo Carolo Mediolani Vicecancellario, & Delphinatus Præsidi libris tribus digestam nuncupauit *lib. 1.* his versibus.

Ergo simul carpsere viam videre beatum
Ante necem; cui guttur adhuc spiraret anhelum
Virginis os pompa funus duxere frequenti
Cum lacrymis.

Sequitur Didacus Coria [a], Mantuani verbis mutuatis; Emmanuel Romanus [b] id quoque varijs comprobans argumentis; Cassanate [c] conformiter etiam ad aliorum sententiam. Quæ ex eo dilucidè demonstratur, quod, iuxta Glicæ mentem, quem Romanus affert, Virginis funeri non solum Apostoli, sed & Christi alij discipuli astiterunt. Inter hos autem Agabus, & Enoch ex nostris superius relati numerantur. Idem colligitur ex Damasceno [d], vbi nonnullos *Apostolorum sectatores* etiam interfuisse fatetur; & ex S. Vincentio Ferrerio [e] dicente: *Multi Sancti, & Sanctæ fuerunt in obitu Virginis Mariæ congregata*. Hæc enim aptè Carmelicolis eius temporis adaptantur. Corroboratur etiam intentum ex traditis supra in *Apparat. c. 6. & sub ann. Christi 40. & 41.* antiqua namque satis Eliæ sectatorum mansio Ierosolymis, vbi B. Virgo tempore suæ mortis morabatur, fuit, vt propterea mirabile esset, quod ipsius spectatores non essent; quod verisimilius omnino est de Virginibus illis, quibus eadem Sanctissima Virgo Præfecta fuisse dicitur, & Eliæ instituti imitatrices vocantur. De qua historia ex pluribus, qui ipsam referunt auctoribus dictum manet supra circa *an. 42. 43. & 44.*

[a] in Chron. Carmel. l. 7. c. 5.
[b] in Indice Alphabetico.
[c] in Parad. Carmel. stat. 2. art. 2. c. 1.
[d] Orat. 2. de dormit. Virg.
[e] Serm. 2. de Assumpt.

Alia remissiuè.

3 Alia, quæ spectant ad Gloriosissimam Virginis dormitionem, & transitum, ac in Cœlum cum corpore assumptionem, ad grauissimos, & pijssimos Patres, & Doctores ea de re diligentissimè tractantes Lectorem remittimus, imbecillitatis nostræ, ac pusillitatis non immemores, & quod tantæ Virginis encomia, eiusque sublimitatem celsissimam, & immensarum gratiarum abyssum contemplari metuentes veneremur. Illud porro Carmelitis intimandum quod Baptista Mantuanus *in Apologia relata* tempore dormitionis Deiparæ contigisse narrat, eam videlicet Eliæ posteris sibi astantibus præcepisse, vt haberent æternam sui memoriam. Ergo, carissimi, tantum documentum alta mente reponite mentibus vestris, Mariæ nomen, & vitam recondite, quia nihil vobis iucundius, aut vtilius Virginis memoria, & imitatione esse poterit. Etenim cum Chrysostomo [f], dicimus: *Non Propheta, non Apostoli, non Martyres, non Patriarcha, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubim, non Seraphim, non aliud deinde quidpiam inter creatas res visibiles, vna hac maius, aut excellentius inueniri potest*. Qui autem mysteria

[f] in Hypap. Dom.

Virgi-

Virgineæ in Cœlum Assumptionis meditari desiderat, euoluat Damascenum, Andream Cretensem, Symeonem Metaphrastem, Bernardum, Anselmum, Iustinianum, & plures alios de ea re scribentes, & inter ipsos Mantuanum nostrum, qui *in suis Parthenicis l.3.* (etsi poëtica facultate vtens) hæc canit, Christum sic ad Patrem loquentem introducendo:

Magne Pater, qui me terræ ne regna perirent,
Corpus, & humanos iussisti assumere vultus, Mantuanus de Virginis assumptione.
Aspicis annoso Genitrix, vt frigeat æuo.
Iam satis ærumnas, inopisque incommoda vitæ
Pertulit; assiduo satis est attrita labore.
Matrisque eximiæ ratio virtutis habenda est.
Da sceptrum cæleste mea promissaque Matri
Regna Pater; longæque diem succedere nocti
Iam videat, mutetque suos in gaudia luctus.
Et quia nec vitæ labem, nec originis vllam
Nouit, & antiquum retinet sincera pudorem;
Maiestate tua dignum non arbitror istud
Tam sanctum tellure pati putrescere corpus.
Sic ait. Et placido postquam Pater annuit ore
In diuersa leues præmisit regna ministras.
Qui comites olim vitæ mortalis in vnum
Colligerent, Matrisque illos ad limina ferrent.
Obsequium dominæ, tumuloque extrema daturos
Officia, & celebri ducturos funera ritu.
Ipse ferens textam Phœbi de lumine vestem
Claraque bissenis Matri diademata flammis
Nazaret ex alto petijt non solus Olympo.
Nam Regem comitata suum cælestia passim
Agmina solemnes fecere per aera pompas,
Et festam duxere diem, veterisque, nouæque
Legis, & ex omni volitabant ordine turmæ.

Post alia ad intentum, qualiter Christus ipse ad Matrem in Cœlum subuehendam accesserit, sicque loquentem inducit.

Alma Parens mecum diuturna pericula quondam
Et sine me perpessa tribus mala plurima lustris, Christus ad Matrem.
Crediderasforsan citius me nostra daturum
Regna tibi, quia Mater eras; humana volebat
Hoc pietas, & amor præceps: Lex altera Cælo est.
Nos etenim lento pœnas, & præmia semper
Cogimus ire gradu, meritis vt præmia crescant.
Et vitare grauem nedum solertia possit,
Verum & segnities pœnam. Clementia Summi
Tanta Patris tali humanum genus arte gubernat:

Hae mora longa fuit pietas, & gratia maior:
Semper enim tibi creuit honor; tua gloria semper
Aucta magis; iam prima sibi loca vendicat inter
Spirituum Sanctos cœtus in vertice mundi.

Et infra sic;

----- Iam tempus adest, vt inertia vitæ
Pondera deijciens Cœlum supremaque mundi
Regna petas, & promisso potiaris Olympo.

Quod Mantuanus credit de Virginis obitu Nazarethi, si verum id esset, faueret valde dictis in superioribus de iugi ipsius Virginis cum Carmeli Anachoretis Nazaretho vicinis consortio, & de ipsorum concursu ad gloriosam illius dormitionem. Quod verò asserit de *tribus Lustris* vitæ eiusdem Virginis post Christi passionem, cùm Lustrum spatium importet quinque annorum, opitulatur sanè sententiæ asserenti solum quindecim annis post Christum superstitem fuisse, ac proinde huic tempori ipsius transitum adscribendum.

4 Alia præterea, quæ idem Mantuanus *in opere de sacris diebus in festo Assumptionis B. Virginis*, de eadem Virgine assumpta dixit, ac colloquio cum Elia in Paradiso terrestri, etsi solum pietate, ac facultate Christiani Poëtæ asserta fuerint, hìc apponenda in nostrorum gratiam; Colloquium cum Elia.

Spiritus vt membris liber fuit, astitit illi
Michael, & Diuum Chorus innumerabilis omnes
Vestibus in niueis fuluo radiantibus auro
Terga per alba comis, & eum duxere volantes
Per liquidas nubes verni Titanij ad Ortum.
Quatuor ex vno manant vbi flumina fonte
Hic pater Elias riguo qui præsidet horto
Affuit exultans, & adhuc florenta senecta
Per varios frutices, & per florentia prata
Duxit, & ostendit sceleri loca conscia primo.
Fluminaque, & syluas nunquam sine fruge virentes;
Mox memor antiqui generis, quod habebat in alti
Rupe iugi per Phœnices, Syriamque per omnem
Diua Parens, dixit, scio te cognoscere gentem
In patria tellure meam, tu mœnia propter
Hanc cuperem superesse diù, largire fauorem
Tu quæ tanta potes, mea te custode supersit
Posteritas, & eat supremi in secula mundi.
Sic senior. Contra Mater sic orsa Tonantis:
Nil opus est cuiquam sua commendare propago;
O Vates præclare, tua hæc, dum vita manebat
Se mihi deuouit; decet illi incumbere toto

Pectore

Pectore me; Pater Elia tua vota secundo.
Hae tua progenies nostro titulabitur olim
Nomine, & in nostrum decus albo vtetur amictu,
Me vexasse putet quisquis vexauerit illam,
Me seruasse putet quisquis seruauerit illam:
Ne affligare, mihi curam hanc, onus hocque relinque.

Hæc vt diximus, piè solum, ac poëticè a clarissimo Poëta in gratiam suorum dicta credendum; licet id quod ait de transitu per Paradisum terrestrem inuisura Eliam ibi commorantem etiam affirmetur ab B.Amadeo *in sua Apocalyp. rapt.*8. Alia ex Rainaudo relato *eo punct.* 10.*n.*8. *vsque ad* 12. accipiat Lector.

5 Eidem Christi anno 48. adscribit Dexter [a], quem sequuntur Episcopus Equilinus, & Biuarius Dextri commentator, exilium Lazari, Magdalenæ, Marthæ, Marcellæ, Maximini, Iosephi ab Arimathæa, & aliorum, de quibus diximus *sub anno Christi* 35. Ex præclara namque exequiarum Virginis solemnitate, ac publicitate, ira succensos Iudæos verisimile videtur (quod & Melito Sardicensis asserit *in libello de Transitu Virginis*, si ipsius est Auctor) & propterea manus in hos Virginis, & Christi sodales iniecisse, ipsos naui impositos, & pelagi periculo sine remo, vel remige dantes a Iudææ finibus propellendo. Licet autem, iuxta dicta *sub eo anno* 35. incertum sit tempus talis expulsionis, nihilominus quia Baronius, & alij eo anno accidisse commemorant, & alij sub hoc tempore, ideo vtramque sententiam in medium proferre placuit, vt Lector quam sibi magis arridet, accipiat. Illud certius, Martham, & Magdalenam aliquo modo æmulatas fuisse nostrum Eliæ Prophetæ institutum, ac idcirco ab hac historia alienas non esse. Concinunt historici nostri, & nominatim Palæonydorus [b], loquens enim de fœminis Sanctissimæ Virginis sodalibus, & Prophetici instituti asseclis, sic scribit: *Inter istas erant illa beatissima Maria soror Lazari, & Martha. Hæ postquam fuissent in Terra sancta cum gloriosissima Virgine Maria, & Carmelitis religione conuersatæ, venientes in territorium Aquense eandem vitam continuarunt. Maria solitaria annis triginta eremum incoluit. Martha verò duo construxit Monasteria, vnum virorum, aliud virginum. De quo Vincentius lib.*10. *Historiarum cap.* 100. Subscribunt Coria [c], Cassanate [d], Emmanuel Romanus [e], Palæonydorum sequentes. Subscribunt & de extraneis Laurentius Beyerlinck [f], dum de Ordine Carmelitarum agit inter sanctas eius Ordinis Martham, & Magdalenam referens. Et fauet Suarez [g], dum Martham ipsiusque Virginum Collegium Monialium numero ascribit. De quo etiam legendus *eo to.*3. *lib.*2.*c.*4.*n.*2.

6 Ex ijs autem, qui historiam Marthæ, & Magdalenæ scripserunt non solum quam egerint vitæ normam, sed quomodo Elianum saperet institutum, non difficile elici potest. Etenim de Marthæ conuersatione hæc habet S. Antoninus [h] post alia: *Exinde de consilio sui magistri S.Maximi-*

De Lazaro, & Sororibus.

a in Chron.

b lib.2.c.3.

c in Chronic. Carmel.l.7.c.5.

d in Parad.Carmel.stat.2.cl.2.c.19 20. & 21.

e in Indic. Alphab.

f in Theat.vitæ hum.l.16 to.6. verb.Relig. Religiosus.

De Martha, & Magdalena.

g 3.to. de Relig. l.3.c.3 n.12.

h 1.p.tit.6.c.20

ximiui magnam Ecclesiam fieri ibi precepit, & habitationem suam iuxta eam, vbi congregata ad eam magna multitudine mulierum, ad seruiendum Deo asperam vitam duxit, carnem non comedens, nec oua, vel caseum; vinum non bibens; semel in die comedens, centies in die, totidem nocte genua in Oratione flectebat. Mirabilia sanè, & pijs religiosis fœminis, etiam maribus, imitanda; cum Martha sui religiosi instituti sociam credant. De illis etiam noster celebris Baptista Mantuanus *in opere de Sac. Dieb. in fest. S. Martha*, sic canit:

——————— collegit in vnum
Virgineos secum fœtus, statuitque pudori
Grande gynæceum, quo se, sociasque reclusit,
Traductura dies tranquilla in pace quietos.

Similia fermè, etsi breuius, ex Petro de Natalibus Episcopo Equilino *in eiusdem Martha vita* sic damus: *Ibi igitur Martha de licentia S. Maximini, & sororis remansit, & sororum multarum congregato conuentu Ecclesiam in honorem Dei Genitricis ædificauit, Monasteriumque construxit, ibique orationibus, & ieiunijs quotidie vacabat, & mira se pœnitentia affligebat.* Quibus etiam similia habentur in Breuiario Carmelitano antiquo in festo eiusdem Marthæ. De Magdalena verò Marthæ sorore hæc Antoninus [a] in historia relata; *Denique B. Maria Magdalena diuinæ contemplationis auida asperrimam eremum petijt, & in loco diuinitus præparato 30. annorum spatio hominibus incognita mansit. Qualibet autem die septem horis Canonicis ab Angelis in æthera leuabatur, & cælestium agminum gloriosos concentus corporalibus etiam auribus percipiebat, quibus tanquam suauissimis dapibus quotidie saginata, & inde per Angelos ad proprium locum restituta, corporeis cibis non egebat.* Similia habentur in præfato Carmelitarum vetusto Breuiario per Octauam eiusdem Magdalenæ. Additur etiam ibi de Sacerdote quodam solitario vitam eremiticam cupiente cellulam sibi propè illum locum fabricasse, & quadam die Magdalenam in aëre eleuatam vidisse. Quod (vt obiter id dicamus) innuit alios etiam eo tempore hanc eremiticam, & Elianam vitam coluisse. De loco autem, quem Magdalena incolebat, audiatur Syluester Prierates apud Surium, eò libentius a nobis relatus, quod prope ipsum locum antiquus valde sit Ordinis nostri Conuentus *Aqualatarum* nuncupatus, prout ex Guillelmo de Samuco, & alijs Auctoribus *sub anno* 1238. dicetur, & notat Cassanate relatus. Legatur etiam Franciscus Petrarcha *in Carmin.* de eadem Magdalena apud eundem Surium. Similia in legendis, alijsque harum Sanctarum historijs reperiet Lector, maximè in Carmelitarum vetusto Breuiario, non absona pietati, & instituto nostro consona.

[a] *c. 19. in 1. p.*

Marcella.

7 De Marcella quoque Marthæ pedissequa, eo quod, vt ait Æquilinus Episcopus [b], ipsa Mattham *vsque ad eius obitum non dimisit*, ipsius quoque instituti monastici comparticipem fuisse coniectari possumus, & ex illis Virginibus, quas Mattha in monachas instituit, prout ex Coria, ac maxi-

[b] *lib. 6. de Sanct. in mense Iulij cap. 152.*

maxime ex Cassanate supra allegatis, elicitur; Hæc eodem Equilino teste, *Martha vitam, & gesta conscripsit. Quæ post eius vita finem in Sclauoniam pergens, & ibidem Christi Euangelium prædicans post 10. annum à dormitione Martha in pace quieuit.* Similia etiam in Breuiario Carmelitano vetusto relato *in fest. S. Martha.* Pergit Equilinus: *Corpus eius Aquis translatum iuxta corpora B. Mariæ Magdalenæ, & S. Maximini, ac S. Cedonis sepultum est.* Hæc est illa celebris mulier, de qua in Euangelio *Luc. 11.* dicitur contra Iudæorum turbas in Christi encomia succlamasse, dicendo: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Vt propterea laudibus PP. commendetur, a Beda dicatur *magnæ fidei, ac deuotionis*, & quia Virginem Matrem prædicauit inter Marthæ socias eidem Deiparenti in Monasterio dicatis Virginibus iure annumeretur.

Annus Christi 49.50.& 51. S. Petri Rom. Pontif. 5.6.&7. Claudij Imp. 7. 8.& 9.

1 TRES istos annos in vnum colligimus, quia pauca suppeditant historiæ nostræ propria. Quoad communem Ecclesiasticam eo tempore accidisse videntur, quæ de Paulo, & Barnaba, Lycaoniæ, Lystræ, Derben, & circumuicina Regione Euangelium prædicantibus, suum iter relegentibus, ac Antiochiam reuertentibus narrant Acta Apostol. *c.* 14. Et quod Petrus Romæ sedem habens per Vrbes, & Prouincias totius Orbis quaquauersum Episcopos Apostolicos mitteret, qui Christi fidem Gentes docerent, Ecclesiasque fundarent, & regerent. Quia tamen Claudius Imperator Roma expellebat Iudæos, compulsus est Petrus Ierosolymam venire; nec sine Dei speciali consilio. Orta enim Antiochiæ controuersia de seruanda a Christianis lege Mosis, & Paulo cum Barnaba ad eam decidendam Ierosolymam veniente, habitum est primum Concilium in ea vrbe, Petro præsidente, ac decidente in Epistola ad Christianos Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis nihil vltra* (intellige ex lege Mosaica) *imponere vobis oneris quàm hæc necessaria; Vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Acta Apost. *c.* 15. Expositores *ibid.* Baronius, Gordonus, & Chronologi sub his annis. Huius temporis gesta.

2 Illud hic non prætermittendum quoad nostri Prophetici Instituti cultores, non abs iure inter ipsos referri posse *Iudam*, qui cognominabatur Barsabas, & *Silam*, qui ab Apostolis mittuntur Antiochiam delaturi Epistolam Concilij; & quos sacer textus vocat *Primos ex Fratribus*, ac de quibus *vers.* 32. dicitur: *Iudas autem, & Silas, & ipsi cum essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt Fratres, & confirmauerunt.* Vox enim *Prophetæ*, perquam sæpissimè tum in veteri, tum in nouo testamento non tam significat futurorum præscium hominem, quam Dei cultui specialiter dedicatum, diuinarum laudum cantorem, doctorem, prædicatorem, De Iuda, & Sila.

rem, &c. iuxta ea, quæ *to.1.* præsertim *in Apparat.c.2.* inculcauimus; ac proinde Ordinis Prophetici cultorem, qualem eo tempore fuisse eodem *Apparat.c.2. à n.14.* ostensum manet. Eò vel maximè, quod non constat huiusmodi Iudam, & Silam propheticè aliqua absentia prænunciasse, aut futurorum præsagos fuisse. Et ita inter instituti Prophetalis asseclas hunc Silam (est quoque eadem ratio de Iuda) recenset Palæonydorus noster [a], quem etiam Ioannis Baptistæ discipulum nominat. De vtroque id etiam fatetur Munozius [b], & ante ipsum Coria [c], & Emmanuel Romanus [d]. Nec dissentit Cornelius [e], dum eos vocat Prophetas, id est, *Doctores, Prædicatores*, & *exhortatores*; etsi etiam non renuat concedere eos tales appellari ob futurorum præscientiam, quod indicare videtur Melciades apud Eusebium [f]. Clarius id tenet Lorinus *ibid.* dum eos Prophetas dici putat, quia de sacris Litteris, & mysterijs disserebant, & docendi munus exercebant, non tam quia futura prænunciabant. Ergo ab Apostolis hi duo missi Antiochiam illuc peruenientes tradiderunt Epistolam Concilij, quam ferebant, & *verbo plurimo* (inquit textus) id est, vehementi, & *efficaci, consolati sunt Fratres, & confirmauerunt. Facto autem ibi aliquanto tempore dimissi sunt cum pace à Fratribus ad eos, qui miserant illos*, id est, Apostolos in Ierusalem. *Visum est autem Silæ ibi remanere, Iudas autem solus abijt in Ierusalem.* Additur autem eodem *c.15.* quòd *Paulus electo Sila profectus est traditus gratia Dei à Fratribus*, id est, Spiritus Sancti directioni, vel Apostolatus muneris executioni, vel Deo commendatus, iuxta varias DD. expositiones huius loci: *Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum.* Subiungitur etiam *c.16.* qualiter Paulus cum nostro Sila peruenerit Derben, & Lystram, transiret Phrygiam, & Galatiæ regionem, Mysiam, Troadem, Samothraciam, Neapolim, & appulerit Philippos, quæ est in Macedonia; & quod ibi post conuersionem Lydiæ purpurariæ, & pythonissæ sanitatem restitutam, virgis vterque cæsus fuerit, & in carcerem trusus, ac ex eo miraculo terræmotus excitati, libertati donatus; eo præsertim quod Paulus se, & Silam vocasset *homines Romanos*. Ex ijs porro collige ad intentum historiæ nostræ hunc Silam (sicut & alium Iudam Barsabam) ex cooperatoribus Euangelicæ prædicationis esse, ac propterea ex illis, qui ex Prophetico Eliæ instituto in id munus incumbebant, iuxta scripta *supra in Apparat.c.6. & sub anno Christi 39.* Nec minus aptè id conijci potest ex eo quod eodem *c.16. Actor. Apost.* habetur de Paulo, & Sila in carcere positis, scilicet: *Media autem nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Deum*; id est, hymnizabant, aut hymnos dicebant: hunc enim morem media nocte hymnizandi in vsu erat non solum Christianorum primæ Ecclesiæ, iuxta Lactantium [g], Clementem Alexand. [h], Plinium [i], & alios, sed maximè Essenorum, conformiter ad dicta supra *in Apparat. cap.1. & 2.* Ergo religiosi, qui eorum veluti soboles æstimantur in mente habeant, quæ Sanctus Hieronymus ad Eustochium scribebat

[a] lib.2.c.3.
[b] in propugnac. Eliæ l.1.tit.1.c.2.ar.2.n.1.
[c] in Chron.l.6.c.vlt.
[d] in Additionib.
[e] Act.15.v.32.
[f] in Hist.Eccles. lib.5.c.16.
[g] lib.7.c.19.
[h] 2.pedag.c.9.
[i] lib.10.Epist.97.ad Traian.

bebat dicens: *Esto Cicada noctium.* Noctu enim cicada canere dicitur.

3 De Iuda Silæ socio illud non omittendum, quòd Ierosolymam adiens, Petro ibi Concilio assistenti socius factus est, illumque Hispaniam adeuntem comitatus. Sic enim ex Dextro [a], eiusque scholiaste Biuario rem apprimè confirmante habetur. Porrò Sanctum Petrum in Hispania prædicasse conuenit inter omnes, qui res Hispanicas descripserunt, Morales, Pinedam, Marietam, Ciacconium, Romanum, & alios, & inter exteros Honuphrium Panuinum [b], Lipomanum, Surium, Aaræum, & Lipoloum [c], qui omnes id mutuarunt ex Metaphraste [d], quem Surius habet *to.* 3. Inter Petri socios Hispaniam vsque numeratur a Dextro Calocerus ille S. Iacobi discipulus, de quo *sub anno* 45. dictum manet; licet postea scribat Apollinarem Rauennatem Italiam redeuntem consecutum fuisse.

Iudas Silæ socius.

a in Chronic. an. Christi quinquagesimo.

b in Chronico Ecclesiast.

c in Vit. S. Petr.

d in relatione de peregrinationibus Petri, & Pauli.

4 Nec etiam hoc loco prætermittendum, quod cùm, iuxta dicta superius *in Apparat. c. 6. & sub anno* 36. 37. *&* 38. cum de duplici Oratorio, seu Sacello Virgini communi Parenti a nostris dicato loqueremur, aliqui sint, qui velint id factum fuisse post ipsius in Cœlum Assumptionem gloriosam, huic tempori idcirco ascribendum tale opus videtur, ne dicamus nimis morosos in tam pio opere exequendo ipsius deuotos clientes extitisse. Cæterum, cum iuxta eis locis a nobis dicta, duplicis tantum Oratorij, seu Sacelli a nostratibus Virgini Deiparæ erecti, seu potius vnius dumtaxat ad alium locum diuerso tempore translati memoria inter historicos nostros reperiri queat, quorum alterum prædictis circiter annis in Carmeli montis latere, seu decliuio extructum credatur, alterum verò in ipsius summitate, vel vertice circa *ann. Christi* 83. ideò locus non datur alteri tertio Sacello his annis Sanctissimę Virginis Assumptioni proximis erecto. Credendum igitur hoc tempore illud inchoare cœpisse, prout indicat Mantuanus [e] illis verbis: *Mox Sacelli fundamenta iecerunt*, non tamen perfecisse vsque ad dictum *an.* 83. a Iudęis, vel Gentilibus, aliaue de causa prępeditos; interimque contentos priori illa in Montis decliuio Cappella erecta. Id certius eo loco hymnos, laudes, & Cantica in tantę Virginis Matris honorem crebrius decantare solitos fuisse, prout ex testimonijs, & auctoribus illis locis relatis clarè elicitur. Nec mirum solemnia hęc in Deiparę Assumptę Commemorationem nostrates peregisse, cum post ipsius gloriosissimam mortem, etiam antequam corpore in Cœlum veheretur, simili honore Apostoli, Sancti, & pij alij funeri adstantes ipsam decorarint, prout ex Damasceno, Metaphraste, Andrea Cretensi, & alijs colligitur.

Oratorium Virginis.

e in Apolog.

5 Quę autem pius Auctor Arnoldus Bostius [f] de huiusmodi Virginei Sacelli constructione scripsit post Beatissimę Virginis Assumptionem, nulla anni, seu temporis ratione habita, appositè quidem, vt locus detur nostrę sententię, hìc placuit attexere: *Incolæ Sacri Montis Carmeli post plenissimam integralem, totalem ac gloriosissimam Assumptionem incomparabilis, ac præstan-*

Quæ Bostius de Sacello Virginis.

f in lib. de Patronat. Virg. c. 4

tissi-

tissimæ Dei Genitricis Mariæ ab omnipotente, et superoptimo Filio suo præ omni creatura pura honoratæ, impletæ, et glorificatæ (in cuius mysterio contemplationi vacantes Paradisi delicijs interfuerant) beneuolentissimæ suæ pietatis, amorosissimæ familiaritatis, ac dignissimæ Communionis eius memores; recolentes quoque Sareptanam viduam, quæ pijssimę Marię typum gessit, Patriarchę eorum non sine diuina ordinatione peculiariter hospitium prębuisse; diruto antiquo suo Semnion, seu Monasterio, quod à Patris Elię tempore durarat, penes Virginum Primicerij Fonticulum in honorem Virgineę Matris primi construxerunt Oratorium, quam ab olim in peculiarem Matrem, Patronam, et Aduocatam inducti Spiraculo Pneumatis almi, Prophetarum oraculo, et diuino, dulcique desiderio pręelegerant.

Anni Christi 52.53.54.55.& 56. S.Petri Pont.8.9.10.11.& 12. Claudij Imp. 10.11.12.13.& 14.

De Claudio Imperatore.

1 IMPERABAT his quinque annis, sicut & nouem præcedentibus Claudius, accepta in vxorem Agrippina Germanici Fratris filia post interitum Messalinæ. Mortuo autem Claudio circa annum Christi 56. ob venenum illi propinatum ab Agrippina vxore successit in imperium Nero filius Agrippinæ, excluso Britannico puero Messalinæ filio; ideoque legitimo Imperij hærede, quem proinde paulo post Nero veneno sustulit. Talia initia similes progressus Neronis præsagiebant, Suetonius [a], Dio [b], Iosephus [c], & alij.

a in Vit. Claudij c.45. b lib. 60. c 20. Antiq. c. 5.

Conuersio S. Dionysij.

2 De Ecclesiastica historia Actuum Apostolorum id habetur hoc tempore nobis non omnino alienum, quod Paulus Athenis in Areopago prædicans Dionysium Areopagitam ad fidem conuertit, & insignem matronam Damarim. Qualiter enim hic Dionysius illius æui monachatum, & Essenorum, seu Therapeutarum institutum suis scriptis commendauerit, & an ipsum æmulatus fuerit *sub ann.* 93. dicetur. De alijs gestis Pauli, & Apollo pro hoc tempore S.Scriptura *Act. Apost. c.*17.18. *et* 19. Expositores *ibid.* Baronius, Gordonus, & alij *sub his annis*.

Silas cum Paulo.

3 Inter nostræ historiæ propriora illud primum est, quod Silas ille, de quo, veluti Prophetici instituti cultore, aliqua cœpimus dicere in præcedentibus, hoc tempore comitabatur Paulum Thessalonicæ prædicantem, & Beræam Macedoniæ Vrbem adeuntem, & Synagogam Iudæorum intrantem. Magnæ sane virtutis indicia, cum a Iudæis male tractati ad eos rursus ingrediuntur. Præclarè enim Bernardus [d] ait: *Legi apud quendam sapientem: Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. Ego autem dico: fideli homini magis est inter flagella fidendum.* Paulo deinde Berça discedente, Silas cum Timotheo remanent ibi, vt scilicet Berçensibus fidem annunciarent, & iam credentes confirmarent, licet postea ad Pauli pręceptum Athenas conuenerint, seu

d Epist. 156. ad Eugenium.

potius

potius Corinthum eum adiuturi in prædicationis munere. S. Scriptura *Act.Apost.c.17.& 18.* Expositores *ibid.*

4 Vocat nos etiam Apollo ille, de quo *cap.18.Act.Apost. vers.24. & sequentib.* fit sermo, dum de eo dicitur: *Iudæus autem quidam Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Ephesum, potens in scripturis. Hic erat edoctus viam Domini, & feruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ erant Iesu, sciens tantum baptisma Ioannis. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in Synagoga. Quem cum audissent Priscilla, & Aquila, assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini. Cum autem vellet ire Achaiam, exhortati Fratres, scripserunt discipulis, vt susciperent eum. Qui cum venisset, contulit multum his, qui crediderant. Vehementer enim Iudæos reuincebat publicè, ostendens per Scripturas esse Christum Iesum.* Postea verò *cap.19.v.1.* dicitur esse Corinthi. Hic ergo Apollo quis fuerit inuestigandum, quia ad nostræ historiæ seriem maximè seruiet. Apollo.

5 Asserendum porrò eum fuisse ex Essenis Alexandrinis, quibus Marcus hoc tempore in Ægypto fidei, & monachismi dogmata præbebat, iuxta dicta in superioribus. Sic enim tenent aliqui, quos refert Cornelius *in Act.Apost.c.18. vers.24.* maximè Lorinus *hic*. Nec aliquid, vel minimum etiam obstat, vt obijcit ipse Cornelius, quòd dicatur *sciens tantum baptisma Ioannis*. Quid enim id obest? Potuit enim nondum esse baptismo Christi ablutus, & nihilominus quia catechumenus, catechizatus, seu initiatus a Marco sicut alij Esseni, *esse edoctus viam Domini*, & docere *diligenter ea quæ erant Iesu*. Quod clarius euincitur ex illis: *Quem cum audissent Priscilla, & Aquila, assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini*, illum scilicet instruentes, erudientes, & baptizari facientes. Propterea namque commendatus est discipulis, dum in Achaiam pergeret, & vtilis valdè fuit pro Euangelij prædicatione, vt ex testimonio relato habetur. Potius ex eo quod appelletur *sciens baptisma Ioannis* confirmatur intentum, cum, iuxta dicta *to.1. sub ann.4081.* Esseni fuerint Ioannis baptismo primitus diluti, & ad Christi fidem ab ipso præparati. Minus deuiat quod vocetur *Potens in scripturis*, id est, *doctissimus librorum veteris testamenti*, prout Vatablus vertit, seu *versatus, & efficax in ijs citandis, explicandis, vrgendis, ad reuincendos aduersarios*; sicut alij exponunt; cum ea potius sit Essenorum nota, qui erant doctissimi, & versatissimi in legis doctrina, vtpote multi eorum Scribæ, quibus hoc veluti ex officio incumbebat. Pro quo consule Lorinum [a] ex Hieronymo, Epiphanio, Cassiano, Chrysostomo, Eusebio, Beda, Porphyrio, & alijs afferentem Essenos in perscrutandis Prophetis intentos fuisse, & dicta eo *to.1. sub ann.3230. & 4034.* Congruit & quod Lyranus de illo dicit, scilicet vocari Alexandrinum, id est, *Alexandriæ natum per dispersionem Iudæorum factam per Antiochum*. Tempore namque huius dispersionis plures ex Essenis Ægyptum transmigrarunt, prout dictum *eodem to. 1. sub anno 3889. n.11. & sub ann.3920. n.9.* Consonat quoque quod Oecumenius Ex Essenis Alexandriæ. a supra.

de ipso ait, scilicet fuisse ex illis centum viginti, super quos in die Pentecostes venit Spiritus Sanctus. Etenim, iuxta dicta *to. 1. sub an. 4086. n. 26.* plures ex illis Esseni erant.

Quis hic Apollo. 6 Hic ergo Apollo Græcè *Apollos* indeclinabile (vt vel in hoc ab Apolline Gentium deo secernatur) diuersus ab Apelle Pauli discipulo, de quo idem scribit *ad Rom. 16. v. 10. Salutate Apellem probum in Domino*, vocatur loco relato *vir eloquens*, id est, vt Vatablus vertit, *Eruditus*: alijs *Prudens*: alijs *Disertus*: alijs *Historiæ, & antiquitatis peritus*. Appellatur etiam *feruens spiritu*, vel quia ardens, & efficax in sermone, vel quia Christum, quem conceperat, ferventer diligebat. *Propterea enim docebat ea quæ sunt Iesu*, scilicet esse Messiam, Dei Filium, Christum, &c. Et hoc *fiducialiter*, id est, liberè, & intrepidè confutans Iudæos. Nihilominus quia nondum Christi baptismo renatus erat, ab Aquila, & Priscilla Iudæis *scenofactoriæ* artis, id est, tabernaculorum, conopæorum, seu aulæorum factoribus, vir tam doctus erudiri se permisit: ea enim humilitate, & docilitate præditus erat. Sanè in exemplum etiam Religiosorum, vt ab alijs edificant, quæ ipsi non capiunt, prout fecit Hieronymus Constantinopolim, vt audiret Gregorium Nazianzenum, adiens; Damasus, & Augustinus Hieronymum consulentes, pluresque alij. Exercitium autem litterarium Religiosis valdè vtile esse, non solum, quæ adduximus *in lib. de Reformat. Regular. cap. 11.* ostendunt, sed ex oraculi responso apud Laertium [a] habetur in Zenone, qui illud consulens: *Quo pacto optimè vitam institueret*, audiuit, *si mortuis concolor sis*, id est, si studio, ac victus parsimonia maciem, & pallorem mortui instar comparaueris. Apollo deinde (vt ad ipsum reuertamur) Ephesi baptismo Ioannis intinxit aliquos, prout Caietanus putat, nec dissentit Sanchez, vt vel in hoc magis innotescat ipsum è discipulis Baptistæ, ac proinde Essenum, fuisse. Hos verò postea Ephesum rediens *Act. 19.* in nomine Iesu baptizauit, ac confirmauit. Apollo verò Corinthi manens adeò egregiè in Euangelij prædicatione se gessit, vtpote *vir eloquens, potens in scripturis, edoctus, & feruens*, prout loco relato vocatur, vt propterea Corinthij ipsum Paulo præferentes, quasi in sermone minus eleganti, aut eloquenti, veluti in schisma distracti *1. Corinth. 3.* essent, vno dicente: *Ego quidem sum Pauli*, alio autem, *Ego Apollo*. Ad eorum ergo contentionem Crucis Christi humilitate componendam ad ipsos scripsit Apostolus *primam ad Corinth.* Epistolam, in qua per quatuor priora capita ab inani magistrorum suorum Pauli, vel Apollo venditatione abducere conatur, & ad solum Christum Crucifixum deducere, illis *cap. 1.* verbis: *Obsecro autem vos Fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: Sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. Significatum est enim mihi de vobis Fratres mei ab ijs, qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi. Diuisus est Christus?* Et

[a] *l. 7. c. 1.*

cap. 3.

cap. 3. illis: *Cum enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli, alius autem, Ego Apollo: nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? Quid verò Paulus? ministri eius cui credidistis, & vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui; Apollo rigauit; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.* Apollo præterea (ait Cornelius *Act.Apost.*18.*v*.24.) ascriptus est sanctis in Martyrolog. die 22. April. Cæterum ea die 22. nihil extat de illo. Die tamen 21. April. habetur memoria cuiusdam Apollinis Martyris sub Diocletiano, qui sanè diuersus est ab hoc nostro, tum nomine, quia hic de quo in præsenti Apollo indeclinabiliter vocatur, ille autem declinabili nomine gaudet; tum tempore, quia Diocletianus imperare non cœpit, nisi post ducentos, & plures annos. Nihilominus apud Episcopum Equilinum [a] inter sanctos 72. Christi discipulos numeratur hic Apollo, & vocatur Episcopus Comme. *a lib.6.c.100.*

7 Ne tamen propter Corinthiorum schisma, aliquam, vel leuem notam Apollo incurrisse existimetur, quasi ipse Paulo se præponens schismati causam dederit; audiendus Baronius [b] sic dicens: *Non hac Paulus agebat scribens ad Corinthios, vt qui se profiterentur Apollo, vel Cephæ esse discipulos, eos ab illis auerteret, ac sibi petulanter asciseret, sed potius id curabat, vt dissensione, ac diuisione omni reiecta, omnes, vt par erat, in vnum Christum Dominum, ac Deum Patrem vniret, à quo & nomen acceperant Christianum: Vnde ait: nemo itaque glorietur in hominibus, omnia enim vestra sunt siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Nec insuper quod Apollo aliam iniisset in prædicatione Euangelij rationem, eum contemptibilem reddit, aut sugillat; sed æque commendat, ac laudat, quem & sicut seipsum eisdem imitandum proponit, cum ait: Hæc autem Fratres transfiguraui in me, & Apollo propter vos, vt in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, vnus aduersus alterum infletur pro alio. Quibus quidem verbis magnam fuisse inter eos animorum coniunctionem, nec æmulationem aliquam intercessisse, sed pari consensione, licet diuerso modo, Christi fidem prædicasse, declarat.* *Vindicatur.* *b an.Christ.57.*

8 Occasione etiam prædicationis Pauli Athenis: *Quidam* (ait S. textus *Act.Apost.cap.*17.*v*.34.) *viri adhærentes ei crediderunt, in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.* Inter quos multi censent fuisse Hierotheum famosissimum illum illius temporis Theologum, & eiusdem Dionysij Areopagitæ magistrum ab eodem sæpius, & grauissimè commendatum. Eum enim Atheniensem fuisse tradunt Græci, prout & nomen indicat. Hierotheus enim Græcè idem est quod *Sacer* seu *Consecratus Deo*. Huius autem excellentissimi post Apostolos viri historia, vel breui calamo a nostris perstringenda, cum non desint, qui illum Eliani, & Prophetici Instituti sectatorem credant, prout autumat Cassanate [c], dicens: *Monachus fuit ex Essenis, vnusquoque ex viris illis plurimis, qui vestigijs Prophetarum Eliæ, & Elisei insisterant,* *Hierotheus.* *c in Paradis. Carmel. Stat. a. at. 3 post Christ. c. 6.*

O 2 fauea-

fau eatque Græcorum menologium 4. Octobris de eo dicens: *Cumque religiosè vixisset*, nec deuiet ab intento, quod mysticæ Theologiæ, & contemplationi diuinorum addictissimus fuerit, cum hoc maximè proprium Essenorum scholæ fuerit, iuxta dicta *in Appar. c. 1. & 2.* adeo, vt de illis Philo [a], dixerit: *Totam vitam dedicarunt cognitioni naturæ, contemplationique*, & Suidas [b] dicat Essæorum nomine significari *Contemplatores*. Esto autem Hierotheus nullatenus ad Elianam Scholam pertineret, iure tamen a nobis commemorandus, vt Religiosos omnes ad eum imitandum prouocemus, qui teste ipsius discipulo Dionysio [c] ad tam sublime diuinæ Theologiæ fastigium ascendit, *Artificiosa sacrarum litterarum indagatione, frequenti circa illas exercitatione, studioque diuturno, non solum discens diuina, sed patiens, atque ex quadam ad illa compassione ad indocibilem, secretamque eorum vnionem, ac fidem denique consummatus*. Hæc, Patres, via qua itur ad astra.

a in lib. de Vit. Contempl.
b verb. Essai.
c cap. 2. de diu. nom.

Quis fuerit.

9 Quod attinet autem ad vitæ eius historiam, licet cum Græcis conueniamus a Paulo Apostolo fuisse conuersum ad fidem, prout ipsorum Menologium, & alij Doctores communiter testantur; ab eis tamen discedendum, dum autumant, Græcum, seu Atheniensem natione. Communi namque Hispaniæ auctorum calculo receptum est eum Hispanum fuisse, prout firmant Dexter [d], & post ipsum Pineda, Hieronymus Romanus, Villegas, Marieta, Fraxillus, & Morales referens in Bibliotheca Regia S. Laurentij Excurialis veteres Græcos reperisse eiusdem sententiæ; quibus omnibus relatis eam tuetur Biuarius [e]. Nec illi incommodat Hierothei Græcum nomen; nam & mutare potuit cum Religione antiquum, vt accidit Paulo, & alijs; vel illud cognomen potius quàm nomen fuit, vt Chrysostomus, Chrysogonus, Chrysologus, Thaumaturgus, & similia. Nec etiam releuat, quod a multis Hispaniæ Gubernator existimatus fuerit, vt Metaphrastes, & Sophronius existimant, quia non rarò Romani nationales viros strenuos in eorum Prouincijs Iudices creabant. Morales [f], Gaspar Sanchez [g]. Patria Astigitanus creditur, prout Cassanate [h] ex alijs comprobat, seu potius Empuritanus, prout Luitprandi testimonio referendo comprobatur. Et Athenas perrexisse philosophandi gratia, non aliter quam Seneca, aut Quintilianus Romam adiere. Ibi cum esset vnus ex Areopagitarum numero, a D. Paulo ad fidem adductus Episcopus Atheniensis factus est, sed inde Dionysio in eius locum suffecto in patriam migrauit, Conciuibus cælestem scientiæ thesaurum communicaturus. Biuarius [i] ex alijs. Ex Luitprandi autem inferius citandis verbis, in Cypro a Paulo conuersum fuisse, habetur, quæ cum dictis cohærere possunt, si dicamus primò apud Cyprum, deinde Athenis Pauli auditorem extitisse. Postea Segouiæ in Arenacis Episcopus creatur, prout scribit Dexter. Cui magis fidendum, qui res Hispanicas præ cæteris calluit. Non Græcis, qui sicut hallucinati sunt in Episcopatu Parisiensi Dionysij, sic & in Segouiensi Hierothei. Sanctitate

d in Chron. sub an. 71.
e in Comment. in Dext.
f lib. 9. de reb. Hispan. c. 12.
g tract. 4. de præd. Pauli in Hisp. n. 19. c. 1.
h sup.
i sup.

quo-

quoque mirandus extitit, eodem attestante Dextro, eiusquè caput apud monachos Cistercienses Monasterij Sandoualis Dioec. Legion. reseruari scribit idem Biuarius. Quæ scripsit tam alta sunt, vt nihil tam compendiosè, aut supernè de mysterijs diuinitatis, & aptè ad posteriores hæreses Nestorij, Euthychetis, Arrij, & aliorum conuincendas ab alijs Doctoribus dictum sit. Disputauit de *bono*, de *lumine*, de *pulchro*, de *amore*, *ecstasi*, *& zelo*. Hymnos quoque amatorios diuina patiens composuit, in quibus de amoris definitione, speciebus, vnione, & vi vltra humanum captum disserere videtur. Quantus tandem is heros fuerit, ex D.Dionysio eius discipulo, qui ipsum *diuinum*, & *supremum* post Apostolos præceptorem vocat, innumerisque titulis decorat, colligitur. Apud quem aliqua Hierothei fragmenta capiet Lector; & ex ipsorum lectione, quæ altissimum Dei amorem veluti imbibunt, non modicum fructum; prout etsi aridus, insipiens, & indeuotus testis, ego asseuerare possum. De ipso non solùm vetusti plurimi, sed & inter Neotericos Tamaius [a], & *in lib Nouitatum*, ac Biuarius *supra*. Ea verò, quæ dicta sunt de nomine, patria, & gubernatoris munere in Hispania gesto, & alia, de quibus supra, sic habentur ex Luitprando *in fragm. n.209. Macer Hierotheus Hispanus Empuritanus olim sub Imperatore Tiberio Tarraconensis Gubernator perrexit anno 45. Cyprum, vbi Paulum audiens, conuersus est ad fidem, & eum secutus est*.

[a] *in not. ad Chronic.* F*Luitj Dex.*

10 Ad hoc etiam tempus referri debent, quæ Dexter [b], de discipulis S.Iacobi gesta refert, non omninò nostris extranea, propter dicta superius *circa annum 36. & 45*. De Iscio ergo sic inquit Dexter: *Iscius Carteiæ propè fretum prædicat, totamque oram maris interni percurrit, & Alone, & Carteiæ alteri in mediterraneo mari non procul Carthagine Spartaria prædicat*. Quæ verò sint hæc loca, maximè his temporibus, quibus nomina, & situs Vrbium variata sunt, res est incerta. De Torquato autem sic scribit Dexter: *S.Torquatus domo Romanus P. Nonij Aspernatis filius, vir clarissimus, Acci, Malacæ, & vsque ad fines freti prædicasse dicitur*. Est autem *Acci*, idem Hispanis quòd *Guadix*, & Malacæ nunc *Malaga*. De Indalecio sic idem Dexter: *S. Indalecius Vrci Illiberri, Carthagine Spartaria, & Eliotroca prædicans in illis partibus celeberrimus habetur*. Creditur *Vrci* esse eam, quæ modò vocatur *Vera* iuxta Carthaginem nouam; *Illiberri* alijs *Iliberi* nunc voce mutata *Elbira* duas leucas a Granata distantem; Carthaginem Spartariam esse *Carthagenam*; at verò *Eliotrocam*, seu *Eliocrotam* incognitam nunc esse, licet proximam *Valladolid*. De Euphrasio verò sic Dexter: *Euphrasius Illiturgi, non procul Carthagine Spartaria, populis, qui dicuntur contestani ad Vrbem Asotum, totoque agro Carthaginensi prædicans feruenter discurrit*. Quæ sit *Illiturgi* non conuenit inter Hispanos, forsan *Andujar* erit, vt peritioribus placet. *Asotum* autem apud Plinium, & Ptolemæum *Asso*, olim etiam *Erotus* in *Basetanis* populis erat. De Cæcilio hæc: *Cæcilius Iliberi, & circumquaque prædicat, & mirabilem se præbet, doctrinaque populos sibi commissos in timore Dei, ac fide*

Discipuli S.Iacobi.

[b] *in Chron. sub his annis.*

promouet. Vnde Illiberritanum Episcopum omnia Martyrologia profitentur, & auctorem esse librorum, qui in Granatensi monte nostris fermè diebus reperti dicuntur, a multis creditur, de quo S. Apostolicæ iudicium, sub cuius trutina res modo manet, expectandum. Demum de Thesiphonte sic: *Thesiphon in Bœtica Vrbe Vergilia, Basta, Osca, in alijsque Vrbibus prima iecit Religionis Christianæ fundamenta*. In quibus licet constet *Bastam*, & *Oscam* nunc Baza, & *Huescar* esse in Bœtico, seu Granatensi Regno constitutas, de *Vergilia* verò dubium esse potest an sit *Vergi*. De quo, & dictis Ambrosius de Morales [a], & Biuarius [b].

a in Hist. Hisp.
b super Dextrũ his annis.

S. Martialis.

11 Dictis adde, antequam a Dextri historia recedamus, eum hoc loco mentionem facere de S. Martiale sic: *Martialis Lemouicensium, Cadurcorum, & Tolosatium Apostolus, Hispanias adijt, & prædicando fideles inuisit*. Quæ iuxta Palæonydori, & aliorum ex nostris placitum nostram tangit historiam, cum hunc Martialem credant Ioannis Baptistæ discipulum, & Elianæ scholæ sectatorem. Cui placito fauere videtur, quod olim pro die 7. Iulij de ipso in antiquis Ordinis Breuiarijs Officium fieret. Quia tamen circa hoc non maius aliud fundamentum vsque modo reperimus, ideo sub ambiguitatis vmbra relinquendum, donec clarior lucifer illucescat. Ne verò ab heroicis huius sancti gestis lector maneat ieiunus, præter notata in Martyrologijs Bedæ, Vsuardi, Adonis, Baronij, & aliorum, ac ea, quæ de ipso habent Dexter [c], ac ipsius Commentatores Biuarius, & Carus, Gregorius Turonensis [d] (licèt erret ad tempora Decij eum referens) Petrus Cluniacensis [e], Episcopus Equilinus [f], Chronicon Antisiodorense [g], Claudius Robertus [h], & alij, vlterius notet hunc Martialem credi puerum illum, qui panes quinque hordeaceos obtulit Christo in deserto *Ioan.* 6. & ille, de quo *Matth.* 18. & *Marc.* 10. dicitur: *Qui non humiliauerit se sicut paruulus iste, &c.* vt notant Comestor [i], Blesensij [k], vetera Breuiaria, Lemouicense, Burdegalense, Bituricense, Suessionense, & Chronicon magnum Belgicum. Alia verò accipiat ex Martyrologio Lemouicensi apud Claudium Robertum [l].

c sub an. 52. n. 5
d lib. 1. hist. c. 30 & de glor. Confessor. c. 27.
e lib. 1. epist. 2.
f in Catal. lib. 6 c. 29.
g pag. 33.
h in Gallia Christiana inter Episcopos Lemouicenses.
i in histor. Eccl. c. 90.
k serm. 3. in festo S. Nicolai.
l supra.

S. Martialis Epistolæ.

12 His addendum, veluti pro Coronide, huic Martiali attribui Epistolas duas, vnam ad Burdegalenses, aliam ad Tolosanos, quæ extant in Bibliotheca SS. Patrum. Quod si verum est (Bellarminus enim [m] dubitat) colligi datur Monachatus Sanctimonialium propagatorem extitisse; siquidem ex *cap.* 8. Epistolæ ad Tolosanos habetur, eum Virgini Valeriæ auctorem extitisse, vt suam Deo Virginitatem consecraret. Expendit hoc Gualterius [n]. Et ex eo forsan nostri auctores superius relati sumere potuerunt eum fuisse Elianæ scholæ sectatorem, vbi hæc vitæ ratio agebatur.

m de Scriptor. Ecclesiast.
n in Chronogr. in prim. secul. verit. 8. c. 18.

Annus

Annus Christi 57.58.& 59.S.Petri Rom.Pontif.13.14.& 15. Neronis Imp. 1.2. & 3.

1 TRES isti anni sunt Imperij Neronis, in quibus laudabiliter satis se gessit, vt propterea *Nero* quasi *Neruo* appellatus dicatur, id est, *sine ira, placidus, mitis, tranquillus*. Gellius [a], & consonant Tacitus [b], & Seneca [c]. Hoc sane a Deo ordinatum, vt Iudæos a Claudio prædecessore Roma pulsos redire permitteret, & sic S.Petrus, qui ex Vrbe discesserat ob Claudij edictum, reuerti posset, prout fecit postea, & Paulus Ephesi agens Romam cogitaret, & vterque Orbis Vrbem, ipsumque cum ea Orbem fidei iugo subdere posset. Vterque autem Regiones plures lustrabant, prout ex *Actis Apostolor. cap.*19. vsque ad 28. elicitur; maximè Paulus, qui post varias peregrinationes, ac persecutiones, circa nostrum Carmelum perambulabat, proximas videlicet illi vrbes, Ptolemaidem, & Cæsaream, vbi Agabus Prophetalis instituti vnus vincula Ierosolymitana, quæ ei postea euenerunt, cum mortis etiam dispendio, flagellationis ad minus prædixit. Tandem Cæsarem appellans Romam mittitur, & cum Centurione nauigat Cyprum, inde Lystriam, ac post naufragium Melitam peruenit. Inde Syracusas, Rhegium, Puteolos lustrans Romam ingreditur. Vbi in vinculis manens, & prædicans Christum litteras etiam scribebat ad Philippenses, & Ephesios. Hæc *ex Act. Apostol.* locis relatis, Expositoribus eius historiæ, Baronio, Gordono, & alijs *sub his annis*. Eò libentius a nobis relata, vt Religiosi, propter quos præcipuè hoc opus scribimus, Paulum Apostolum tot ærumnas patientem, carceres sustinentem, charitate erga Deum, & proximos ardentem, terrena despicientem, *& qui* (vt dicit Chrysostom. [d]) *nobis demonstrauit quomodo in calos ascendere oporteat*, pro viribus æmulari satagant. Ipse enim, vt Augustinus [e] inquit; *Magister factus est Gentium, forma martyrum, formido dæmonum, indultor criminum, fonsque virtutum*.

Neronis Imperium.

[a] *lib.13.c.22.*
[b] *lib.13.*
[c] *lib.2 de Clemens. ad ipsum.*
[d] *homil. 22. ad Populum.*
[e] *in serm.1. de Apost. Petr. & Paul.*

2 Ex illis etiam ad nostræ historiæ propriora deuenientes expendamus primò, an Scriba ille, de quo *Act. Apostolor. cap.*19. *vers.*35. habetur sedasse turbas volentes Pauli perditionem, fuerit ex illis veteris legis Scribis, quos Prophetici instituti asseclas probauimus *to.* 1. *sub ann.* 3230. *&* 4034. *nu.*5. cum præcipuè Græcè vocetur *legis doctor*, & Baronius putet esse Alexandrum Iudæum, de quo eo *cap.*19. *vers.*33. Quia tamen alijs videtur Gentilis, idque demonstret dum Dianam commendat titulo *Magnæ Dianæ Iouisque prolis*, ideo non Scriba legis, sed politicus minister Ciuitatis esse creditur, ac propterea nihil nos cum illo commune.

Scriba.

3 Expendendum præterea, quòd cum Paulus hoc tempore Ptolemaidem, & Cæsaream venisse describatur *Act. Apostol. cap.*21. *vers.*7. *&* 8. ex Ptolemaide videlicet Cæsaream adiens, proculdubio Carmelum nostrum

ſtrum Ordinis primarium ſolum ſua pręſentia illuſtrauit. Eſt enim Carmelus mons inter has duas Ciuitates medius, prout ex dictis *to. 1. ſub ann.* 3236. ac ex omnibus Coſmographię ſcriptoribus liquet, & de Ptolemaidis ad Carmelum propinquitate notat Gordonus [a]. Si autem Carmelum noſtrum Paulus pertranſijt; quis non credat illis Eremitis Montis incolis (qui nunquam eam reliquerunt patriam ſedem iuxta dicta *in Apparat. c. 9.*) cęleſtis doctrinę Euangelicæ rorem diſtillaſſe? Quod nunquam prætermiſit etiam in vinculis, & carceribus: Aut *mundi piſcatorem* ſic vt eum Chryſoſtom. *homil. 6. de pœnit.* vocat, retia ſua eo loco non expandiſſe? Glorientur ergo Eliæ filij Paulum quoque *Chriſti Rethorem*, vt eum idem Chryſoſtomus compellat, vel ad tempus per ipſos tranſeuntem audijſſe, ac ſuſpexiſſe.

a ſub anno 58.

De filiabus Philippi.

3 Eſt & aliud, quod notabiliter hiſtoriam noſtram tangit in Actibus Apoſtolorum *cap. 21. verſ. 8. & 9.* annotatum. Cum enim Paulus, & ſocij Cæſaream Carmelo noſtro proximam Ciuitatem attigiſſent: *Intrantes* (inquit Textus) *domum Philippi Euangeliſtæ*, id eſt, Philippi non Apoſtoli, ſed Diaconi, de quo *Act. Apoſt. cap. 6. v. 5.* fit mentio inter Stephanum, Procorum, Nicanorem, Timonem, Parmenam, & Nicolaum Antiochenum, *qui erat vnus de ſeptem*, id eſt, Diaconis; iſti enim ſeptem Diaconi fuerunt ab Apoſtolis creati: *manſimus apud eum*, hoſpitij videlicet gratia. Subditur: *Huic autem erant quatuor filiæ Virgines Prophetantes*. Has enim quatuor Philippi filias certum videtur Elianæ & Propheticæ ſcholæ alumnas fuiſſe. Aliqualiter id ſuadetur ex Ceſareæ Ciuitatis cum Carmelo Eliæ propinquitate. Quæ enim ſcire poterant Eliam eo loco Propheticum inſtitutum in Religionem, prout in veteri lege eſſe poterat, primò promouiſſe, quod nos oſtendimus *to. 1. Apparat. cap. 4. & ſub anno* 3127. *nu.* 10. profectò tanti Prophetæ exemplo, & vicini loci ſanctitate ad idem inſtitutum ſectandum animarentur. Maximè ex eo quod Virgines Prophetantes appellentur, id eſt, *Propheticæ*, vt Martyrologium Rom. *6. Iunij:* Caius antiquus Theologus apud Euſebium [b], Gloſſa Ordinaria, & DD. communiter. Hoc enim, & ſimilia epitheta, etſi quampluries in Sacris litteris perſonas Spiritum Propheticum habentes & futurorum præſcias deſignent, perſæpius tamen denotat eas, quæ ſpecialiori modo Dei cultui, & diuinis laudibus ſunt conſecratæ, adinſtar Monialium Chriſtianæ Religionis; prout de hoc nomine *Propheta*, & ſimilibus latè probatum manet *to. 1. in Apparat. cap. 2.* & de fœminis Propheti̇ſſis *eo Apparat. cap. 8. n. 4. & ſub anno* 3297. Quod maximè procedit, ſi tales *Prophetæ*, vel *Propheti̇ſſæ* non legantur aliquid abſconditum, vel futurum præſagiſſe; prout de his quatuor Virginibus dici poteſt. Ex eo enim clarè elici videtur hæc nomina ſolùm denotare eſſe perſonas Dei cultui ſpecialiori dicatas. Vnde Ioannes de Alba [c], Virgines iſtas *Prophetantes*, id eſt, diuinas *laudes celebrantes*, vti modò faciunt Moniales, interpretatur. Et Cornelius ſuper hunc locum Ioannis Albæ teſtimonio relato, ſubdit:

b lib. 3. c. 25.

c c. 58. Elian.

Sic

Sic in libris Regum vocantur filij Prophetarum, qui psalmis, & diuinis laudibus vacabant. Quo sanè denotat intentum nostrum, scilicet has virgines æmulatas fuisse Propheticum Elianum institutum, quod & Filij Prophetarum Eliæ, & Elisei discipuli sectabantur. Subdit etiam: *Gaudeant Virgines tam sanctis, & antiquis suis ducibus.* Quibus, siuè ad filios Prophetarum, siue ad Moniales respectu harum Virginum referantur, robur accipit nostra sententia. Fauet etiam D. Hieronymus, dum aduersus Iouinianum Virginitatis Monialium hostem iuratum [a] disputat; has enim quatuor Virgines *post Crucem Christi consecratas* (vt loquitur Baronius) commemorat. Et [b] Demetriadem Deo sacram Virginem, & Sanctimonialem commendans dicit: *Quatuor Virginum filiarum Philippi desiderabat chorum, & vnam se illarum esse cupiebat.* Expendat Lector *Virginum chorum*, quod denotat ipsarum institutum. Ipsas etiam *Virgines sacratissimas* appellat Episcopus Equilinus Petrus de Natalibus vocatus [c], quo similiter illas particulariori modo dicatas fuisse diuino cultui indigitat. Quod autem subdit: *Per quas Deus multitudinem Virginum lucratus est*, non abs re nostra putamus, cum constet inter veteris legis Prophetides, quibus in noua istę successerant, fuisse aliquas, quæ Magistrarum, & Doctricum instar alias eiusdem instituti docerent, prout de Holda Prophetissa diximus *to.1. sub ann.3412.* & de Maria sorore Mosis, & Aaron probat Iacobus Boulducus [d], maximè ex illo *Mich.6. Misi ante faciem tuam Moysen, Aaron, & Mariam.* Illud enim exponit Chaldæus: *Misi ante te tres Prophetas Moisen, vt doceret iudiciorum traditionem, Aaron vt expiaret populum, & Mariam, vt instrueret mulieres.* Propterea etiam *Matres* vocabantur, vt etiam probat idem Boulducus *sup.* [e]. Fortè etiam suspicabitur aliquis huiusmodi Philippum harum Virginum patrem appellatum fuisse Euangelistam, quia ipsius filiæ *Euangelizatrices* dici possent, sicut & similes Prophetides, de quibus id probat relatus Boulduchus *sup.* [f] ex *Psalm.67.* ibi: *Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa*, iuxta Hebræum: *Dominus dabat sermonem annunciatricum militiam multam.* Cæterum communius tenetur hunc Philippum nuncupatum fuisse *Euangelistam*, quia Euangelium prædicauerat circumiendo Regiones. Vnde propterea etiam vocatur *Apostolus* a Tertulliano [g], S. Augustino [h], ac alijs. Probabilius dici potest Virgines istas ipsius filias, & alias earum Institutum postea in Ecclesia sectantes appellatas fuisse *Diaconissas*, quia scilicet filiæ erant Philippi *Diaconi* celeberrimi, vtpote, qui vnus è septem Apostolicis erat. Maximè istas *Diaconissas* cælibatum seruasse (aliquas saltem) adeò certum est, vt Caluinus iuratus hostis monastices dixerit [i] eas vouisse continentiam, vt Diaconissarum muneri expeditius vacarent. Igitur fœminæ religiosæ erant, prout probat Basilius Pontius [k], & ex ipso Barbosa [l], & Tamburinus [m]. Nec deuiat ab intento istarum *Diaconissarum* munus, quod satis simile sit, vel proportionatum cum eo quod Prophetissæ gerebant. Vnde *Diaconissas* successisse

a lib.1.
b epist. 8.
c lib.5.c.91.
d de Ecclesi. ante leg. l.2. c.10.
e lib. 1. c. 5.5. iuxta hanc.
f 5. Ad hanc.
g lib. de Baptis. c 8.
h l.3. de Doctr. Chr. in proœm.
i lib.4. Inst. c.13
k in Tract. de Imped. matrim. c. 10
l de Iur. Eccl. l.1. c. 36.
m de Iur. Abbatiss. disp. 7. q. 8. n.12.

fiſſe Propheti ſſis tenet Boulducus [a]. Quale verò fuerit Diaconiſſarum munus, & inſtitutum, non ſolum tractant Pontius, Barboſa, & Tamburinus relati, ſed etiam ex Patribus Clemens [b], Tertullian. [c] & Epiphanius [d], & ex neothericis Campanile [e], Vaſquez [f], Iulius Lauorius [g], conformiter ad Canones, & Concilia. Nec videtur a veritate deuium aſſerere has Diaconiſſas eſſe illas, quas Paulus [h] vocat *Sorores*, & dicit circumduci ſolitas a Petro, & alijs Apoſtolis, prout putat Boulducus [i].

a ſup. de Eccleſ. ante leg. c. 11. 9. Quibus Prophetiſſis.
b lib. 6. Conſtit. c. 17. & lib. c. 26
c lib. de exhort. ad Caſtit.
d ad calcem libr. contr. har.
e in diuerſ. Iur. rub. 11. c. 2.

Earum geſta.

4 Harum porrò Virginum Philippi Diaconi filiarum pauca geſta habentur. Epiſcopus tamen Equilinus ſupra relatus, de ipſis ex Papia Ioannis auditore, inquit, obtuliſſe patri mortuum quendam, quem ipſum rediuiuum fecit. Item Baronius [k] ex eodem Papia, & Euſebio refert mirandum aliud de quodam venenum mortiferum ebibente ſine damno tamen, aut moleſtia. Addit eidem Euſebius [l], ex Caio antiquo Doctore Philippum cum ſuis filiabus ſepulchrum habere apud Ieropolim Aſiæ vrbem. Cæterum Equilinus inquit, hunc Philippum Cæſareæ in pace dormijſſe 8. Idus Iunij, ibique ſepultum, & iuxta ipſum tres ex prædictis filiabus, quartam verò Epheſi. In Menologio autem Græcorum habetur vnam ex quatuor filiabus Philippi *Hermionem* dictam ſub Traiano Imperatore grauiſſima paſſam in Domino quieuiſſe pridie Nonas Septembris. Extabant quoque D. Hieronymi æuo Cæſareæ domunculæ, ſeu cubicula harum Virginum, quæ S. Paula Ieroſolymam itura pio inuiſit affectu, vt ipſe teſtatur *in Epitaphio Paulæ*.

f in 3. p. to. 3. d. ſp. 245. c. 3.
g var. lucubr. to 1. tit. 4. c. 34. n. 28.
h 1. Cor. 9. v. 5.
i d. 4. Quibus Prophetiſſis.
k anno 58.
l lib. 3. c. 25.

De Agabo.

5 Redit iterum hoc tempore ſæpius ille commemoratus Agabus Paulum conueniens, & cum eo ea quæ Act. Apoſt. *cap.* 21. *v.* 10. & 11. referuntur, gerens. Sic enim ibi: *Et cum moraremur*, Paulus ſcilicet, & ſocij, *per dies aliquot*, intellige Cæſareæ; *ſuperuenit quidam à Iudæa Propheta nomine Agabus. Is cum veniſſet ad nos tulit Zonam Pauli, & alligans ſibi pedes, & manus dixit: Hæc dicit Spiritus Sanctus: Virum cuius eſt Zona hæc, ſic alligabunt in Ieruſalem Iudæi, & tradent in manus gentium.* In quo facto illud primum notandum occurrit, per ipſum indicari Agabum ex antiquorum Prophetarum Ordine fuiſſe, quibus illud familiare fuit, vt ea quæ prænunciabant futura, non verbis tantum, ſed & ſignis exrernè factis repræſentarent, vt patet in Iſaia *cap.* 20. nudo, & diſcalceato, Ieremia *cap.* 13. lumbari lineo indnto, & *cap.* 27. vinculato, & catenato, ac in Ezechiele *cap.* 4. laterem aſſumente, & *cap.* 12. vaſa tranſmigrationis. Ex eo etiam quod Pauli Zonam ad id ſignificandum tulerit magis confirmantur ea quæ *to.* 1. *ſub ann.* 3183. de Zonarum vſu diximus pro Propheticæ diſciplinæ cultoribus. Præſertim cum Paulus Phariſæus fuerit, vt ipſe teſtatur *Act. Apoſt. cap.* 23. *v.* 6. Phariſæorum autem ſecta ex Eſſena, & Prophetica, etſi non vt legitima, ſed adulterina proles prodijt, iuxta dicta *to.* 1. *ſub anno* 3807. *n.* 3. & 5.

Paulus vinctus viſitatus à diſcipulis Iacobi.

6 Cum autem poſtea Paulus Romam anno 59. perueniſſet (prout Euſebius [m], S. Hieronymus *de Scriptor. Eccleſiaſt. in Paulo*, Baronius, & alij putant

m in Chron.

putant) permissum est illi a Centurione Præfecto reorum, seu vinctorum, aut Barzello *manere sibimet cum custodiente se milite*, vt habetur *Act. Apost. cap.28.v.16.* id est, in suo hospitio, aut domo, non in publico carcere, cum milite tamen ipsum custodiente, ne fugeret. Quo loco, & tempore ab Athanasio, Basilio, & Elpidio Iacobi in Hispania discipulis visitatus est, ab eis quoque munera, & consolationes recipiens. Iulianus Petri [a]. Quod & indicare videtur idem Apostolus *ad Hebræos 10.v.34.* illis verbis: *Nam & vinctis compassi estis*, seu vt alij, *vinculis meis*. Quibus fauent Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius. *a in Aduersar. n.6.*

7 Quia tamen de Agabo superius commemorato nulla alia extat memoria, ideo circa hoc tempus diem vltimum clausisse autumari potest. De quo præter dicta *to.1.* & *sub anno 39.* & *41.* solum superest dicendum sanctè obijsse, vt propterea eius mors Ecclesiæ Tabulis, Martyrologijs scilicet, scripta consistat pro die 13. Februarij in Martyrologio Romano, Beda, Vsuardo, Adone, Episcopo Equilino, Baronio, & alijs. Quo etiam die in antiquo Kalendario Mechliniensi his verbis describitur: *Agabi Prophetæ noui testamenti Carmel.* Antiochiæ quieuisse communis assertio est, sicut eam fuisse ipsius patriam. De quo tamen diximus *to.1. sub an.4051. n.5.* Vterum de Agabo.

Annus Christi 60. S. Petri Pontif. Rom. 16. Neron. Imper. 4.

1 ERAT hoc anno Paulus Romæ adhuc in vinculis detentus, sui tamen muneris non excors Epistolas ad Colossenses, & Philemonem scribebat, ac pro conuersione infidelium, prout *Act. Apost. cap.28.n.30.* & *31.* habetur: *Suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Domino Iesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione.* Id est, cum libertate, & audacia, vel quia Nero adhuc lenitatem qua regnare cœpit, non exuerat, prout Eusebius [b] autumat, vel quia Paulus Neronis familiam sibi conciliauerat, vt colligi potest ex *ad Philipp. 4. v.22.* & Chrysost. hic [c]. Domus præterea, in qua Paulus Romæ vinctus detinebatur, Ecclesia est modò *S. Mariæ in Via lata*, dicta, digna certè, vt vel tanto hospite omnibus in veneratione sit. Cornel. [d] *Paulus Romæ vinctus.* *b lib.2. histor. c.22.* *c homil.14.* *d in Act. Apost. c.28.v.30.*

2 Interea etiam de Iacobi Apostoli in Hispanijs discipulis, Historiæ nostræ, vt diximus, non omninò extraneis, hæc habet [e] Flauius Dexter: *Horum S. Iacobi discipulorum nonnulli sub Aloto Neronis iudice, dum ad Concilium Illiberi conueniunt, flammis exusti, spoliati suis, suorumque bonis omnibus generosè morientes pro Christi fide coronati sunt.* *Iacobi discipuli.* *e sub an. 57.*

3 Prosequitur Dexter suam anni 60. historiam de alijs Iacobi discipulis ista subiungens: *Eodem tempore cum conuenissent in Cherronensi Vrbe propè Valentiam in Hispania Concilij causa, sancti Pontifices discipuli quoque* *Alij.*

S. Iaco-

de ipso ait, scilicet fuisse ex illis centum viginti, super quos in die Pentecostes venit Spiritus Sanctus. Etenim, iuxta dicta *to. 1. sub an.* 4086. *n.*26. plures ex illis Esseni erant.

Quis hic Apollo. 6 Hic ergo Apollo Græcè *Apollos* indeclinabile (vt vel in hoc ab Apolline Gentium deo secernatur) diuersus ab Apelle Pauli discipulo, de quo idem scribit *ad Rom.* 16. *v.*10. *Salutate Apellem probum in Domino*, vocatur loco relato *vir eloquens*, id est, vt Vatablus vertit, *Eruditus*: alijs *Prudens*: alijs *Disertus*: alijs *Historiæ; & antiquitatis peritus*. Appellatur etiam *feruens spiritu*, vel quia ardens, & efficax in sermone, vel quia Christum, quem conceperat, feruenter diligebat. *Propterea enim docebat ea quæ sunt Iesu*, scilicet esse Messiam, Dei Filium, Christum, &c. Et hoc *fiducialiter*, id est, liberè, & intrepidè confutans Iudæos. Nihilominus quia nondum Christi baptismo renatus erat, ab Aquila, & Priscilla Iudæis *scenofactoriæ* artis, id est, tabernaculorum, conopæorum, seu aulæorum factoribus, vir tam doctus erudiri se permisit: ea enim humilitate, & docilitate præditus erat. Sanè in exemplum etiam Religiosorum, vt ab alijs edisceant, quæ ipsi non capiunt, prout fecit Hieronymus Constantinopolim, vt audiret Gregorium Nazianzenum, adiens; Damasus, & Augustinus Hieronymum consulentes, pluresque alij. Exercitium autem litterarium Religiosis valdè vtile esse, non solum, quæ adduximus *in lib. de Reformat. Regular. cap.* 11. ostendunt, sed ex oraculi responso apud Laertium [a] habetur in Zenone, qui illud consulens: *Quo pacto optimè vitam institueret*, audiuit, *si mortuis concolor sis*, id est, si studio, ac victus parsimonia maciem, & pallorem mortui instar comparaueris. Apollo deinde (vt ad ipsum reuertamur) Ephesi baptismo Ioannis intinxit aliquos; prout Caietanus putat, nec dissentit Sanchez, vt vel in hoc magis innotescat ipsum è discipulis Baptistæ, ac proinde Essenum, fuisse. Hos verò postea Ephesum rediens *Act.* 19. in nomine Iesu baptizauit, ac confirmauit. Apollo verò Corinthi manens adeò egregiè in Euangelij prædicatione se gessit, vtpote *vir eloquens, potens in scripturis, edoctus, & feruens*, prout loco relato vocatur, vt propterea Corinthij ipsum Paulo præferentes, quasi in sermone minus eleganti, aut eloquenti, veluti in schisma distracti 1. *Corinth.* 3. essent, vno dicente: *Ego quidem sum Pauli*, alio autem, *Ego Apollo*. Ad eorum ergo contentionem Crucis Christi humilitate componendam ad ipsos scripsit Apostolus *primam ad Corinth.* Epistolam in qua per quatuor priora capita ab inani magistrorum suorum Pauli, vel Apollo venditatione abducere conatur, & ad solum Christum Crucifixum deducere, illis *cap.* 1. verbis; *Obsecro autem vos Fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: Sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. Significatum est enim mihi de vobis Fratres mei ab ijs, qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi. Diuisus est Christus?* Et

a lib. 7. c. 1.

cap. 3.

cap. 3. illis: *Cum enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli, alius autem, Ego Apollo: nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? Quid verò Paulus? ministri eius cui credidistis, & vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.* Apollo prætereà (ait Cornelius *Act.Apost.*18.*v.*24.) ascriptus est sanctis in Martyrolog. die 22. April. Cæterum ea die 22. nihil extat de illo. Die tamen 21. April. habetur memoria cuiusdam Apollinis Martyris sub Diocletiano, qui sanè diuersus est ab hoc nostro, tum nomine, quia hic de quo in præsenti Apollo indeclinabiliter vocatur, ille autem declinabili nomine gaudet; tum tempore, quia Diocletianus imperare non cœpit, nisi post ducentos, & plures annos. Nihilominus apud Episcopum Equilinum [a] inter sanctos 72. Christi discipulos numeratur hic Apollo, & vocatur Episcopus Comme. *a lib.6.c.100.*

7 Ne tamen propter Corinthiorum schisma, aliquam, vel leuem notam Apollo incurrisse existimetur, quasi ipse Paulo se præponens schismati causam dederit; audiendus Baronius [b] sic dicens: *Non hæc Paulus agebat scribens ad Corinthios, vt qui se profiterentur Apollo, vel Cephæ esse discipulos, eos ab illis auerteret, ac sibi petulanter asciscceret, sed potius id curabat, vt dissensione, ac diuisione omni reiecta, omnes, vt par erat, in vnum Christum Dominum, ac Deum Patrem vniret, à quo & nomen acceperant Christianum. Vnde ait: nemo itaque glorietur in hominibus, omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Nec insuper quod Apollo aliam iniisset in prædicatione Euangelij rationem, eum contemptibilem reddit, aut sugillat; sed æque commendat, ac laudat, quem & sicut seipsum eisdem imitandum proponit, cum ait: Hæc autem Fratres transfiguraui in me, & Apollo propter vos, vt in vobis discatis, ne supra quam scriptum est, vnus aduersus alterum infletur pro alio. Quibus quidem verbis magnam fuisse inter eos animorum coniunctionem, nec æmulationem aliquam intercessisse, sed pari consensione, licet diuerso modo, Christi fidem prædicasse, declarat.* Vindicatur. *b an.Christ.57.*

8 Occasione etiam prædicationis Pauli Athenis: *Quidam* (ait S. textus *Act. Apost. cap.*17. *v.*34.) *viri adhærentes ei crediderunt, in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.* Inter quos multi censent fuisse Hierotheum famosissimum illum illius temporis Theologum, & eiusdem Dionysij Areopagitæ magistrum ab eodem sæpius, & grauissimè commendatum. Eum enim Atheniensem fuisse tradunt Græci, prout & nomen indicat. Hierotheus enim Græcè idem est quod *Sacer* seu *Consecratus Deo*. Huius autem excellentissimi post Apostolos viri historia, vel breui calamo a nostris perstringenda, cum non desint, qui illum Eliani, & Prophetici Instituti sectatorem credant, prout autumat Cassanate [c], dicens: *Monachus fuit ex Essenis, vnusquoque ex viris illis plurimis, qui vestigijs Prophetarum Eliæ, & Elisei institerant;* Hierotheus. *c in Paradis. Carmel. Stat.2. at.2 post Christ c.6.*

O 2 faueat-

fauetque Græcorum menologium 4. Octobris de eo dicens: *Cumque religiose vixisset*, nec deuiet ab intento, quod mysticæ Theologiæ, & contemplationi diuinorum addictissimus fuerit, cum hoc maximè proprium Essenorum scholæ fuerit, iuxta dicta *in Appar. c. 1. & 2.* adeo, vt de illis Philo [a], dixerit: *Totam vitam dedicarunt cognitioni naturæ, contemplationique*, & Suidas [b] dicat Essæorum nomine significari *Contemplatores*. Esto autem Hierotheus nullatenus ad Elianam Scholam pertineret, iure tamen a nobis commemorandus, vt Religiosos omnes ad eum imitandum prouocemus, qui teste ipsius discipulo Dionysio [c] ad tam sublime diuinæ Theologiæ fastigium ascendit, *Artificiosa sacrarum litterarum indagatione, frequenti circa illas exercitatione, studioque diuturno, non solum discens diuina, sed patiens, atque ex quadam ad illa compassione ad indocibilem, secretamque eorum vnionem, ac fidem denique consummatus*. Hæc, Patres, via qua itur ad astra.

a in lib. de Vit. Contempl.
b verb. Essæi.
c cap. 2. de diu. nom.

Quis fuerit.

9 Quod attinet autem ad vitæ eius historiam, licet cum Græcis conueniamus a Paulo Apostolo fuisse conuersum ad fidem, prout ipsorum Menologium, & alij Doctores communiter testantur; ab eis tamen discedendum, dum autumant, Græcum, seu Atheniensem natione. Communi namque Hispaniæ auctorum calculo receptum est eum Hispanum fuisse, prout firmant Dexter [d], & post ipsum Pineda, Hieronymus Romanus, Villegas, Marieta, Fraxillus, & Morales referens in Bibliotheca Regia S. Laurentij Excurialis veteres Græcos reperisse eiusdem sententiæ; quibus omnibus relatis eam tuetur Biuarius [e]. Nec illi incommodat Hierothei Græcum nomen; nam & mutare potuit cum Religione antiquum, vt accidit Paulo, & alijs; vel illud cognomen potius quàm nomen fuit, vt Chrysostomus, Chrysogonus, Chrysologus, Thaumaturgus, & similia. Nec etiam releuat, quod a multis Hispaniæ Gubernator existimatus fuerit, vt Metaphrastes, & Sophronius existimant, quia non rarò Romani nationales viros strenuos in eorum Prouincijs Iudices creabant. Morales [f], Gaspar Sanchez [g]. Patria Astigitanus creditur, prout Cassanate [h] ex alijs comprobat, seu potius Empuritanus, prout Luitprandi testimonio referendo comprobatur. Et Athenas perrexisse philosophandi gratia, non aliter quam Seneca, aut Quintilianus Romam adiere. Ibi cum esset vnus ex Areopagitarum numero, a D. Paulo ad fidem adductus Episcopus Atheniensis factus est, sed inde Dionysio in eius locum suffecto in patriam migrauit, Conciuibus cælestem scientiæ thesaurum communicaturus. Biuarius [i] ex alijs. Ex Luitprandi autem inferius citandis verbis, in Cypro a Paulo conuersum fuisse, habetur, quæ cum dictis cohærere possunt, si dicamus primò apud Cyprum, deinde Athenis Pauli auditorem extitisse. Postea Segouiæ in Arenacis Episcopus creatur, prout scribit Dexter. Cui magis fidendum, qui res Hispanicas præ cæteris calluit. Non Græcis, qui sicut hallucinati sunt in Episcopatu Parisiensi Dionysij, sic & in Segouiensi Hierothei. Sanctitate

d in Chron. sub an. 71.
e in Comment. in Dext.
f lib. 9. de reb. Hispan. c. 12.
g tract. 4. de præd. Pauli in Hisp. n. 19. col.
h sup.
i sup.

quo-

quoque mirandus extitit, eodem attestante Dextro, eiusque caput apud monachos Cistercienses Monasterij Sandoualis Diœc. Legion. reseruari scribit idem Biuarius. Quæ scripsit tam alta sunt, vt nihil tam compendiosè, aut supernè de mysterijs diuinitatis, & aptè ad posteriores hæreses Nestorij, Euthychetis, Arrij, & aliorum conuincendas ab alijs Doctoribus dictum sit. Disputauit de *bono*, de *lumine*, de *pulchro*, de *amore*, *ecstasi*, & *zelo*. Hymnos quoque amatorios diuina patiens composuit, in quibus de amoris definitione, speciebus, vnione, & vi vltra humanum captum disserere videtur. Quantus tandem is heros fuerit, ex D. Dionysio eius discipulo, qui ipsum *diuinum*, & *supremum* post Apostolos præceptorem vocat, innumerisque titulis decorat, colligitur. Apud quem aliqua Hierothei fragmenta capiet Lector; & ex ipsorum lectione, quæ altissimum Dei amorem veluti imbibunt, non modicum fructum; prout etsi aridus, insipiens, & indeuotus testis, ego asseuerare possum. De ipso non solùm vetusti plurimi, sed & inter Neotericos Tamaius [a], & *in lib Nouitatum*, ac Biuarius *supra*. Ea verò, quæ dicta sunt de nomine, patria, & gubernatoris munere in Hispania gesto, & alia, de quibus supra, sic habentur ex Luitprando *in fragm. n. 209. Macer Hierotheus Hispanus Emporitanus olim sub Imperatore Tiberio Tarraconensis Gubernator perrexit anno 45. Cyprum, vbi Paulum audiens, conuersus est ad fidem, & eum secutus est.*

a in not. ad Chronic. F. Lucij Dex.

10 Ad hoc etiam tempus referri debent, quæ Dexter [b], de discipulis S. Iacobi gesta refert, non omninò nostris extranea, propter dicta superius *circa annum 36. & 45.* De Iscio ergo sic inquit Dexter: *Iscius Carteiæ propè fretum prædicat, totamque oram maris interni percurrit, & Alone, & Carteiæ alteri in mediterraneo mari non procul Carthagine Spartaria prædicat.* Quæ verò sint hæc loca, maximè his temporibus, quibus nomina, & situs Vrbium variata sunt, res est incerta. De Torquato autem sic scribit Dexter: *S. Torquatus domo Romanus P. Nonij Aspernatis filius, vir clarissimus, Acci, Malacæ, & vsque ad fines freti prædicasse dicitur.* Est autem *Acci*, idem Hispanis quòd *Guadix*, & Malacæ nunc *Malaga*. De Indalecio sic idem Dexter: *S. Indalecius Vrci Illiberri, Carthagine Spartaria, & Eliotroca prædicans in illis partibus celeberrimus habetur.* Creditur *Vrci* esse eam, quæ modò vocatur *Vera* iuxta Carthaginem nouam; *Illiberri* alijs *Iliberi* nunc voce mutata *Elbira* duas leucas a Granata distantem; Carthaginem Spartariam esse *Carthagenam*; at verò *Eliotrocam*, seu *Eliocrotam* incognitam nunc esse, licet proximam *Valladolid*. De Euphrasio verò sic Dexter: *Euphrasius Illiturgi, non procul Carthagine Spartaria, populis, qui dicuntur contestani ad Vrbem Asotum, totoque agro Carthaginensi prædicans feruenter discurrit.* Quæ sit *Illiturgi* non conuenit inter Hispanos, forsan *Andujar* erit, vt peritioribus placet. *Asotum* autem apud Plinium, & Ptolemæum *Asso*, olim etiam *Erotus* in *Batestanis populis* erat. De Cæcilio hæc: *Cæcilius Iliberi, & circumquaque prædicat, & mirabilem se præbet, doctrinaque populos sibi commissos in timore Dei, ac fide*

Discipuli S. Iacobi.

b in Chron. sub his annis.

promouet. Vnde Illiberritanum Episcopum omnia Martyrologia profitentur, & auctorem esse librorum, qui in Granatensi monte nostris fermè diebus reperti dicuntur, a multis creditur, de quo S. Apostolicæ iudicium, sub cuius trutina res modo manet, expectandum. Demum de Thesiphonte sic: *Thesiphon in Bætica Vrbe Vergilia, Basta, Osca, in alijsque Vrbibus prima iecit Religionis Christianæ fundamenta*. In quibus licet constet *Bastam*, & *Oscam* nunc Baza, & *Huescar* esse in Bœtico, seu Granatensi Regno constitutas, de *Vergilia* verò dubium esse potest an sit *Vergi*. De quo, & dictis Ambrosius de Morales [a], & Biuarius [b].

a in Hist. Hisp.
b super Dextri his annis.

S. Martialis.

11 Dictis adde, antequam a Dextri historia recedamus, eum hoc loco mentionem facere de S. Martiale sic: *Martialis Lemouicensium, Cadurcorum, & Tolosatium Apostolus, Hispanias adijt, & prædicando fideles inuisit*. Quæ iuxta Palæonydori, & aliorum ex nostris placitum nostram tangit historiam, cum hunc Martialem credant Ioannis Baptistæ discipulum, & Elianæ scholæ sectatorem. Cui placito fauere videtur, quod olim pro die 7. Iulij de ipso in antiquis Ordinis Breuiarijs Officium fieret. Quia tamen circa hoc non maius aliud fundamentum vsque modo reperimus, ideo sub ambiguitatis vmbra relinquendum, donec clarior lucifer illucescat. Ne verò ab heroicis huius sancti gestis lector maneat ieiunus, præter notata in Martyrologijs Bedæ, Vsuardi, Adonis, Baronij, & aliorum, ac ea, quæ de ipso habent Dexter [c], ac ipsius Commentatores Biuarius, & Carus, Gregorius Turonensis [d] (licèt erret ad tempora Decij eum referens) Petrus Cluniacensis [e], Episcopus Equilinus [f], Chronicon Antisiodorense [g], Claudius Robertus [h], & alij, vlterius notet hunc Martialem credi puerum illum, qui panes quinque hordeaceos obtulit Christo in deserto *Ioan*. 6. & ille, de quo *Matth*. 18. & *Marc*. 10. dicitur: *Qui non humiliauerit se sicut paruulus iste, &c.* vt notant Comestor [i], Blesensij [k], vetera Breuiaria, Lemouicense, Burdegalense, Bituricense, Suessionense, & Chronicon magnum Belgicum. Alia verò accipiat ex Martyrologio Lemouicensi apud Claudium Robertum [l].

c sub an. 52. n. 5.
d lib. 1. hist. c. 30. & de glor. Confessor. c. 27.
e lib. 1. epist. 2.
f in Catal. lib. 6. c. 29.
g pag. 33.
h in Gallia Christiana inter Episcopos Lemouicenses.
i in histor. Eccl. c. 90.
k serm. 3. in festo S. Nicolai.
l supra.

S. Martialis Epistolæ.

12 His addendum, veluti pro Coronide, huic Martiali attribui Epistolas duas, vnam ad Burdegalenses, aliam ad Tolosanos, quæ extant in Bibliotheca SS. Patrum. Quod si verum est (Bellarminus enim [m] dubitat) colligi datur Monachatus Sanctimonialium propagatorem extitisse; siquidem ex *cap*. 8. Epistolæ ad Tolosanos habetur, eum Virgini Valeriæ auctorem extitisse, vt suam Deo Virginitatem consecraret. Expendit hoc Gualterius [n]. Et ex eo forsan nostri auctores superius relati sumere potuerunt eum fuisse Elianæ scholæ sectatorem, vbi hæc vitæ ratio agebatur.

m de Scriptor. Ecclesiast.
n in Chronogr. in prim. sæcul. verit. 8. c. 18.

Annus

Annus Christi 57.58.& 59.S.Petri Rom.Pontif.13.14.& 15. Neronis Imp. 1.2. & 3.

1 TRES isti anni sunt Imperij Neronis, in quibus laudabiliter satis se gessit, vt propterea *Nero* quasi *Neirio* appellatus dicatur, id est, *sine ira, placidus, mitis, tranquillus*. Gellius [a], & consonant Tacitus [b], & Seneca [c]. Hoc sane a Deo ordinatum, vt Iudæos a Claudio prædecessore Roma pulsos redire permitteret, & sic S. Petrus, qui ex Vrbe discesserat ob Claudij edictum, reuerti posset, prout fecit postea, & Paulus Ephesi agens Romam cogitaret, & vterque Orbis Vrbem, ipsumque cum ea Orbem fidei iugo subdere posset. Vterque autem Regiones plures lustrabant, prout ex *Actis Apostolor. cap.* 19. vsque ad 28. elicitur; maximè Paulus, qui post varias peregrinationes, ac persecutiones, circa nostrum Carmelum perambulabat, proximas videlicet illi vrbes, Ptolemaidem, & Cæsaream, vbi Agabus Prophetalis instituti vnus vincula Ierosolymitana, quæ ei postea euenerunt, cum mortis etiam dispendio, flagellationis ad minus prædixit. Tandem Cæsarem appellans Romam mittitur, & cum Centurione nauigat Cyprum, inde Lystriam, ac post naufragium Melitam peruenit. Inde Syracusas, Rhegium, Puteolos lustrans Romam ingreditur. Vbi in vinculis manens, & prædicans Christum litteras etiam scribebat ad Philippenses, & Ephesios. Hæc *ex Act. Apostol.* locis relatis, Expositoribus eius historiæ, Baronio, Gordono, & alijs *sub his annis*. Eò libentius a nobis relata, vt Religiosi, propter quos præcipuè hoc opus scribimus, Paulum Apostolum tot ærumnas patientem, carceres sustinentem, charitate erga Deum, & proximos ardentem, terrena despicientem, & *qui* (vt dicit Chrysostom. [d]) *nobis demonstrauit quomodo in cælos ascendere oporteat*, pro viribus æmulari satagant. Ipse enim, vt Augustinus [e] inquit; *Magister factus est Gentium, forma martyrum, formido dæmonum, indultor criminum, fonsque virtutum*.

Neronis Imperium.

a lib.13.c.22.
b lib.13.
c lib.2 de Clemens.ad ipsum.
d homil. 22. ad Populum.
e in serm.1. de Apost. Petr. & Paul.

2 Ex illis etiam ad nostræ historiæ propriora deuenientes expendamus primò, an Scriba ille, de quo *Act. Apostolor. cap.* 19. *vers.* 35. habetur sedasse turbas volentes Pauli perditionem, fuerit ex illis veteris legis Scribis, quos Prophetici instituti asseclas probauimus *to. 1. sub ann.* 3230. & 4034. *nu.* 5. cum præcipuè Græcè vocetur *legis doctor*, & Baronius putet esse Alexandrum Iudæum, de quo eo *cap.* 19. *vers.* 33. Quia tamen alijs videtur Gentilis, idque demonstret dum Dianam commendat titulo *Magnæ Dianæ Iouisque prolis*, ideo non Scriba legis, sed politicus minister Ciuitatis esse creditur, ac propterea nihil nos cum illo commune.

Scriba.

3 Expendendum præterea, quòd cum Paulus hoc tempore Ptolemaidem, & Cæsaream venisse describatur *Act. Apostol. cap.* 21. *vers.* 7. & 8. ex Ptolemaide videlicet Cæsaream adiens, proculdubio Carmelum no-

strum

ſtrum Ordinis primarium ſolum ſua præſentia illuſtrauit. Eſt enim Carmelus mons inter has duas Ciuitates medius, prout ex dictis *to. 1. ſub ann.* 3236. ac ex omnibus Coſmographiæ ſcriptoribus liquet, & de Ptolemaidis ad Carmelum propinquitate notat Gordonus [a]. Si autem Carmelum noſtrum Paulus pertranſijt; quis non credat illis Eremitis Montis incolis (qui nunquam eam reliquerunt patriam ſedem iuxta dicta *in Apparat. c. 9.*) cęleſtis doctrinę Euangelicæ rorem diſtillaſſe? Quod nunquam prætermiſit etiam in vinculis, & carceribus: Aut *mundi piſcatorem* ſic vt eum Chryſoſtom. *homil. 6. de pænit.* vocat, retia ſua eo loco non expandiſſe? Glorientur ergo Eliæ filij Paulum quoque *Christi Rethorem*, vt eum idem Chryſoſtomus compellat, vel ad tempus per ipſos tranſeuntem audijſſe, ac ſuſpexiſſe.

a *ſub ann. 58.*

De filiabus Philippi.

3 Eſt & aliud, quod notabiliter hiſtoriam noſtram tangit in Actibus Apoſtolorum *cap. 21. verſ. 8. & 9.* annotatum. Cum enim Paulus, & ſocij Cæſaream Carmelo noſtro proximam Ciuitatem attigiſſent: *Intrantes* (inquit Textus) *domum Philippi Euangeliſtæ*, id eſt, Philippi non Apoſtoli, ſed Diaconi, de quo *Act. Apoſt. cap. 6. v. 5.* fit mentio inter Stephanum, Procorum, Nicanorem, Timonem, Parmenam, & Nicolaum Antiochenum, *qui erat vnus de ſeptem*, id eſt, Diaconis; iſti enim ſeptem Diaconi fuerunt ab Apoſtolis creati: *manſimus apud eum*, hoſpitij videlicet gratia. Subditur: *Huic autem erant quatuor filiæ Virgines Prophetantes*. Has enim quatuor Philippi filias certum videtur Elianæ & Propheticæ ſcholæ alumnas fuiſſe. Aliqualiter id ſuadetur ex Cęſareæ Ciuitatis cum Carmelo Eliæ propinquitate. Quæ enim ſcire poterant Eliam eo loco Propheticum inſtitutum in Religionem, prout in veteri lege eſſe poterat, primò promouiſſe, quod nos oſtendimus *to. 1. Apparat. cap. 4. & ſub anno* 3127. *nu.* 10. profectò tanti Prophetæ exemplo, & vicini loci ſanctitate ad idem inſtitutum ſectandum animarentur. Maximè ex eo quod Virgines Prophetantes appellentur, id eſt, *Propheticæ*, vt Martyrologium Rom. *6. Iunij*; Caius antiquus Theologus apud Euſebium [b], Gloſſa Ordinaria, & DD. communiter. Hoc enim, & ſimilia epitheta, etſi quampluries in Sacris litteris perſonas Spiritum Propheticum habentes & futurorum præſcias deſignent, perſæpius tamen denotat eas, quæ ſpecialiori modo Dei cultui, & diuinis laudibus ſunt conſecratæ, adinſtar Monialium Chriſtianæ Religionis; prout de hoc nomine *Propheta*, & ſimilibus latè probatum manet *to. 1. in Apparat. cap. 2.* & de fœminis Propheti ſſis *eo Apparat. cap. 8. n. 4. & ſub anno* 3297. Quod maximè procedit, ſi tales *Prophetæ*, vel *Propheti ſſæ* non legantur aliquid abſconditum, vel futurum præſagiſſe; prout de his quatuor Virginibus dici poteſt. Ex eo enim clarè elici videtur hæc nomina ſolùm denotare eſſe perſonas Dei cultui ſpecialiori dicatas. Vnde Ioannes de Alba [c], Virgines iſtas *Prophetantes*, id eſt, diuinas *laudes celebrantes*, vti modò faciunt Moniales, interpretatur. Et Cornelius ſuper hunc locum Ioannis Albæ teſtimonio relato, ſubdit:

b *lib. 3. c. 25.*

c *c. 58. Eliſ.*

Sic

Sic in libris Regum vocantur filij Prophetarum, qui psalmis, & diuinis laudibus vacabant. Quo sanè denotat intentum nostrum, scilicet has virgines æmulatas fuisse Propheticum Elianum institutum, quod & Filij Prophetarum Eliæ, & Elisei discipuli sectabantur. Subdit etiam: *Gaudeant Virgines tam sanctis, & antiquis suis ducibus.* Quibus, siuè ad filios Prophetarum, siue ad Moniales respectu harum Virginum referantur, robur accipit nostra sententia. Fauet etiam D. Hieronymus, dum aduersus Iouinianum Virginitatis Monialium hostem iuratum [a] disputat; has enim quatuor Virgines *post Crucem Christi consecratas* (vt loquitur Baronius) commemorat. Et [b] Demetriadem Deo sacram Virginem, & Sanctimonialem commendans dicit: *Quatuor Virginum filiarum Philippi desiderabat chorum, & vnam se illarum esse cupiebat.* Expendat Lector *Virginum chorum*, quod denotat ipsarum institutum. Ipsas etiam *Virgines sacratissimas* appellat Episcopus Equilinus Petrus de Natalibus vocatus [c], quo similiter illas particulariori modo dicatas fuisse diuino cultui indigitat. Quod autem subdit: *Per quas Deus multitudinem Virginum lucratus est*, non abs re nostra putamus, cum constet inter veteris legis Prophetides, quibus in noua istę successerant, fuisse aliquas, quæ Magistrarum, & Doctricum instar alias eiusdem instituti docerent, prout de Holda Prophetissa diximus *to.1. sub ann.* 3412. & de Maria sorore Mosis, & Aaron probat Iacobus Boulducus [d], maximè ex illo *Mich.6. Misi ante faciem tuam Moysen, Aaron, & Mariam.* Illud enim exponit Chaldæus: *Misi ante te tres Prophetas Moisen, vt doceret iudiciorum traditionem, Aaron vt expiaret populum, & Mariam, vt instrueret mulieres.* Propterea etiam *Matres* vocabantur, vt etiam probat idem Boulducus *sup.* [e]. Fortè etiam suspicabitur aliquis huiusmodi Philippum harum Virginum patrem appellatum fuisse Euangelistam, quia ipsius filiæ *Euangelizatrices* dici possent, sicut & similes Prophetides, de quibus id probat relatus Boulduchus *sup.* [f] ex *Psalm.* 67. ibi: *Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa*, iuxta Hebræum: *Dominus dabat sermonem annunciatricum militiam multam.* Cæterum communius tenetur hunc Philippum nuncupatum fuisse *Euangelistam*, quia Euangelium prædicauerat circumiendo Regiones. Vnde propterea etiam vocatur *Apostolus* a Tertulliano [g], S. Augustino [h], ac alijs. Probabilius dici potest Virgines istas ipsius filias, & alias earum Institutum postea in Ecclesia sectantes appellatas fuisse *Diaconissas*, quia scilicet filiæ erant Philippi *Diaconi* celeberrimi, vtpote, qui vnus è septem Apostolicis erat. Maximè istas *Diaconissas* cælibatum seruasse (aliquas saltem) adeò certum est, vt Caluinus iuratus hostis monastices dixerit [i] eas vouisse continentiam, vt Diaconissarum muneri expeditius vacarent. Igitur fœminæ religiosæ erant, prout probat Basilius Pontius [k], & ex ipso Barbosa [l], & Tamburinus [m]. Nec deuiat ab intento istarum *Diaconissarum* munus, quod satis simile sit, vel proportionatum cum eo quod Prophetissæ gerebant. Vnde *Diaconissas* successisse

a lib.1.
b epist. 8.
c lib.5.c.91.
d de Ecclesf.ante leg. l.2. c.10.
e lib. 1. c. 5.9. iuxta hanc.
f S. Ad hanc.
g lib. de Baptis. c 8.
h l.1. de Doctr. Chr. in proœm.
i lib.4. Inst. c.13
k in Tract. de Imped. matrim. c. 10
l de Iur. Eccl. l.1. c. 36.
m de Iur. Abbatiss. disp. 7. q. 8. n.12.

fisse Prophetissis tenet Boulducus [a]. Quale verò fuerit Diaconissarum munus, & institutum, non solum tractant Pontius, Barbosa, & Tamburinus relati, sed etiam ex Patribus Clemens [b], Tertullian. [c] & Epiphanius [d], & ex neothericis Campanile [e], Vasquez [f], Iulius Lauorius [g], conformiter ad Canones, & Concilia. Nec videtur a veritate deuium asserere has Diaconissas esse illas, quas Paulus [h] vocat *Sorores*, & dicit circumduci solitas a Petro, & alijs Apostolis, prout putat Boulducus [i].

Earum gesta.

4 Harum porrò Virginum Philippi Diaconi filiarum pauca gesta habentur. Episcopus tamen Equilinus supra relatus, de ipsis ex Papia Ioannis auditore, inquit, obtulisse patri mortuum quendam, quem ipsum rediuiuum fecit. Item Baronius [k] ex eodem Papia, & Eusebio refert mirandum aliud de quodam venenum mortiferum ebibente sine damno tamen, aut molestia. Addit eidem Eusebius [l], ex Caio antiquo Doctore Philippum cum suis filiabus sepulchrum habere apud Ieropolim Asiæ vrbem. Cæterum Equilinus inquit, hunc Philippum Cæsareæ in pace dormijsse 8. Idus Iunij, ibique sepultum, & iuxta ipsum tres ex prædictis filiabus, quartam verò Ephesi. In Menologio autem Græcorum habetur vnam ex quatuor filiabus Philippi *Hermionem* dictam sub Traiano Imperatore grauissima passam in Domino quieuisse pridie Nonas Septembris. Extabant quoque D. Hieronymi æuo Cæsareæ domunculæ, seu cubicula harum Virginum, quæ S. Paula Ierosolymam itura pio inuisit affectu, vt ipse testatur *in Epitaphio Paulæ*.

De Agabo.

5 Redit iterum hoc tempore sæpius ille commemoratus Agabus Paulum conueniens, & cum eo ea quæ Act. Apost. *cap.* 21. *v.* 10. & 11. referuntur, gerens. Sic enim ibi: *Et cum moraremur*, Paulus scilicet, & socij, *per dies aliquot*, intellige Cæsareæ; *superuenit quidam à Iudæa Propheta nomine Agabus. Is cum venisset ad nos tulit Zonam Pauli, & alligans sibi pedes, & manus dixit: Hæc dicit Spiritus Sanctus: Virum cuius est Zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent in manus gentium*. In quo facto illud primum notandum occurrit, per ipsum indicari Agabum ex antiquorum Prophetarum Ordine fuisse, quibus illud familiare fuit, vt ea quæ prænunciabant futura, non verbis tantum, sed & signis externè factis repræsentarent, vt patet in Isaia *cap.* 20. nudo, & discalceato, Ieremia *cap.* 13. lumbari lineo induto, & *cap.* 27. vinculato, & catenato, ac in Ezechiele *cap.* 4. laterem assumente, & *cap.* 12. vasa transmigrationis. Ex eo etiam quod Pauli Zonam ad id significandum tulerit magis confirmantur ea quæ *to.* 1. *sub ann.* 3183. de Zonarum vsu diximus pro Propheticæ disciplinæ cultoribus. Præsertim cum Paulus Pharisæus fuerit, vt ipse testatur *Act. Apost. cap.* 23. *v.* 6. Pharisæorum autem secta ex Essena, & Prophetica, etsi non vt legitima, sed adulterina proles prodijt, iuxta dicta *to.* 1. *sub anno* 3807. *n.* 3. & 5.

Paulus vinctus visitatus à discipulis Iacobi.

6 Cum autem postea Paulus Romam anno 59. peruenisset (prout Eusebius [m], S. Hieronymus *de Scriptor. Ecclesiast. in Paulo*, Baronius, & alij putant

a sup. de Eccles. ante leg. c. 11. §. Quibus Prophetissis.
b lib. 6. Constit. c. 17. & lib. c. 26
c lib. de exhort. ad Castit.
d ad calcem libr. contr. hær.
e in diuers. Iur. vnb. 11. c. 2.
f in 3. p. to. 3. disp. 245. c. 3.
g var. lucubr. to. 1. tit. 4. c. 24. n. 28.
h 1. Cor. 9. v. 5.
i d. §. Quibus Prophetissis.
k anno 58.
l lib. 3. c. 25.
m in Chron.

putant) permissum est illi a Centurione Præfecto reorum, seu vinctorum, aut Barzello *manere sibimet cum custodiente se milite*, vt habetur *Act. Apost. cap.28.v.16.* id est, in suo hospitio, aut domo, non in publico carcere, cum milite tamen ipsum custodiente, ne fugeret. Quo loco, & tempore ab Athanasio, Basilio, & Elpidio Iacobi in Hispania discipulis visitatus est, ab eis quoque munera, & consolationes recipiens. Iulianus Petri [a]. Quod & indicare videtur idem Apostolus *ad Hebræos 10.v.34.* illis verbis: *Nam & vinctis compassi estis*, seu vt alij, *vinculis meis*. Quibus fauent Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius. [a in Aduersar. n.6.]

7 Quia tamen de Agabo superius commemorato nulla alia extat memoria, ideo circa hoc tempus diem vltimum clausisse autumari potest. De quo præter dicta *to.1. & sub anno 39. & 41.* solum superest dicendum sanctè obijsse, vt propterea eius mors Ecclesiæ Tabulis, Martyrologijs scilicet, scripta consistat pro die 13. Februarij in Martyrologio Romano, Beda, Vsuardo, Adone, Episcopo Equilino, Baronio, & alijs. Quo etiam die in antiquo Kalendario Mechliniensi his verbis describitur: *Agabi Prophetæ noui testamenti Carmel.* Antiochiæ quieuisse communis assertio est, sicut eam fuisse ipsius patriam. De quo tamen diximus *to.1. sub an.4051.n.5.* [Vterum de Agabo.]

Annus Christi 60. S. Petri Pontif. Rom. 16. Neron. Imper. 4.

1 ERAT hoc anno Paulus Romæ adhuc in vinculis detentus, sui tamen muneris non excors Epistolas ad Colossenses, & Philemonem scribebat, ac pro conuersione infidelium, prout *Act. Apost. cap.28.n.30. & 31.* habetur: *Suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Domino Iesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione.* Id est, cum libertate, & audacia, vel quia Nero adhuc lenitatem qua regnare cœpit, non exuerat, prout Eusebius [b] autumat, vel quia Paulus Neronis familiam sibi conciliauerat, vt colligi potest ex *ad Philipp.4. v.22.* & Chrysost. hic [c]. Domus præterea, in qua Paulus Romæ vinctus detinebatur, Ecclesia est modò *S. Mariæ in Via lata*, dicta, digna certè, vt vel tanto hospite omnibus in veneratione sit. Cornel. [d] [Paulus Romæ vinctus.] [b lib.2. histor. c.22.] [c homil.54.] [d in Act. Apost. c.58.v.30.]

2 Interea etiam de Iacobi Apostoli in Hispanijs discipulis, Historiæ nostræ, vt diximus, non omninò extraneis, hæc habet [e] Flauius Dexter: *Horum S. Iacobi discipulorum nonnulli sub Aloto Neronis iudice, dum ad Concilium Illiberi conueniunt, flammis exusti, spoliati suis, suorumque bonis omnibus generosè morientes pro Christi fide coronati sunt.* [Iacobi discipuli.] [e sub an.59.]

3 Prosequitur Dexter suam anni 60. historiam de alijs Iacobi discipulis ista subiungens: *Eodem tempore cum conuenissent in Cherronensi Vrbe propè Valentiam in Hispania Concilij causa, sancti Pontifices discipuli quoque* [Alij.]

S.Iaco-

S. Iacobi Apostoli, Basilius Carthaginis Spartariæ discipulus eius primus, Eugenius Valentinus, Pius Hispalensis, Agathodorus Tarraconensis, Elpidius Toletanus, Ætherius Barcinonensis, Capito Lucensis, Ephrem Asturigensis, Nestor Palentinus, Arcadius Iuliobrigensis sub eodem Iudice (id est, Aloto, de quo supra dixerat) *bonis spoliati necati sunt.* Concinit Martyrologium Romanum 4. Martij sic: *Apud Chersonesum passio Sanctorum Episcoporum Basilij, Eugenij, Agathodori, Elpidij, Capitonis, Ephrem, Nestoris, & Arcadij.* Accinit etsi truncatè Græcorum Menologium 7. Martij hoc pacto: *In Græcia Sanctorum Episcoporum martyrum Basilei, Ephraim, Caritonis, Eugenij Ætherij, & cæterorum, qui in Chersone cruciati, sanguine denique perfuso, illustre fidei Christianæ testimonium dederunt.* Circa quæ illud annotandum, Cherronensem hanc Vrbem, alijs Chersonensem esse Hispanis *Peniscola* vulgatum habitaculum Benedicti 13. Pseudopontificis schismatis tempore; non aliam in Græcia, vt in Græcorum Menologio per errorem dicitur, nec aliquam ex 17. quas hoc nomine appellatas esse Ptolemæus dicit in Sicilia, Sardinia, Creta, Peloponneso, & alibi. Cuius euidens signum, quod dicatur *propè Valentiam in Hispania*, cui proxima est *Peniscola.* Ad hæc quamuis in Martyrologio Romano deficiat nomen S. Pij Episcopi Hispalensis, & martyris, non tamen debere excludi probat Biuarius *in hunc locum Dextri* ex Pelagio Ouetensi, Hugone Portugalensi, & Calcedonio Bracarensi. Cum quo maximè notandum, Toletanos, Hispalenses, & alios cæterarum Vrbium, quibus hi Pontifices sancti præfuerunt, meritò exhortandos esse, vt eorum memoriam (consulta sanè Apostolica Sede) quotannis celebrare non pigeat, sicut nec Compostellanos, & Guadixenses S. Torquati Maij 15. Granatenses S. Cæcilij 1. Februarij; Martij 1. S. Iscij, & 1. Aprilis S. Thesiphontis; Burgenses 30. April. Indalecij, Abulenses 2. Maij Secundi, ac Giennenses Maij 18. S. Euphrasij, cum de eorum sanctitate ex Martyrologijs Romano, & Græco, Dextro, & alijs sufficiens habeatur notitia. Nec mirentur quod ipsorum memoria in Hispania perierit. Id enim Barbarorum, & Maurorum eam inundantium, sanctaque cuncta vastantium excursionibus, & euersionibus tribuendum. Quod dolet Rodericus [a]. Præsertim, quia Diocletiani, aliorumque Tyrannorum sæuitia Sacræ historiæ libri ignibus comburendi tradebantur, vt habent Eusebius [b], Arnobius [c], & ex Augustino *contra Cresconium lib. 3. cap. 27.* Martyrolog. Roman. *die 2. Ianuar.* Prudentio [d], ac S. Isidoro [e], infert Gaspar Sanchez [f]. Quia tamen, Deo prouidente, historia Dextri lucem aspiciens veritatem veluti postliminio reducem facit, acquiescamus, & Dextro pij Hispani, & dicamus illud Tullij [g] ad Varronem: *Nos in nostra Vrbe peregrinantes, errantesque tanquam hospites, tui libri quasi domum reduxerunt, vt possemus aliquando, qui & vbi essemus cognoscere. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu Sacerdotum, tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu sedes Regionum, tu locorum, tu omnium diuinarum, humanarumq; rerum nomina, officia, causas aperuisti.*

[a] in Præfat. Histor. Hispan.
[b] lib. 8. hist. c. 3.
[c] lib. 4.
[d] in Hymn. de Hemeterio, & Chelidonio.
[e] in Missal. Gothico.
[f] tract. 2. de prædic. S. Iacobi in Hispan. c. 5.
[g] lib. 1. Academ. quæst.

Quia

4 Quia etiam sperandum, quod S. Toletana Ecclesia Hispaniarum Primas, & inter totius Christiani Orbis Ecclesias post Romanam fulgentissimum iubar, sui primi Antistitis Elpidij Officium, solemniaque resumptura sit, nec obuiet S. Eugenij Archipræsulatus vsque ad hæc tempora creditus, iuxta dicta *sub anno 36.* ideo in tantæ Metropolitanæ & Archiepiscopalis Sedis obsequium sequentes tres lectiones pro dicto Elpidij Officio recitando hic offerimus, conformes sanè historiæ ipsius, iuxta dicta in superioribus, & quoad corporis translationem, ijs, quæ habentur in fragmentis Luitprandi [a], vbi sic: *Sunt qui dicant ex Cheronesso Hispaniæ delatum corpus S. Elpidij primi Toletani Episcopi, dicti Confessoris more Græcorum (verùm ille martyr fuit) in Marsiam Italiæ; inde verò à Theodorico Metensium Episcopi eo tempore, cum hæc scriberem, Metim delatum cum alijs corporibus sanctis anno 969.*

Pro S. Elpidio obsecratio ad Ecclesiam Toletanam.

[a] n. 170.

Pro S. Elpidio Carmelita primo Toletano Archiepiscopo, & Martyre. Lectio IV.

Elpidius, qui & Marcus Elpidius Iulianus dicebatur, de primis Iacobi Apostoli Discipulis Carmelita monachus fuit, & in prima Petri concione in die Pentecostes Hierosolymis facta, ex fide in fidem Christi conuersus est. Verum orta persecutione magna in Ecclesia, qua omnes Discipuli per regiones Iudææ, & Samariæ dispersi sunt, profugus factus cum socijs multis in Hispaniam perrexit, & tandem Toletum perueniens ibi monasterium Virginum monialium, & monachorum fundauit. Cum autem Iacobus Apostolus veniret Toletum, ibique Euangelium Iudæis, et Gentibus prædicaret, Elpidius Apostolo adhærens, et discipulus eius factus, ab eodem Apostolo primus Toletanorum Episcopus creatus fuit.

Eutrandus, seu Luitprandus in fragmentis.

Flauius Dexter, an Christ. 37.
Eutrandus vbi sup.

Lectio V.

Cum autem esset sacratissimæ Mariæ Virgini deuotissimus, eidem adhuc viuenti sacram Toleti Basilicam construxit, & dicauit. Nuncio autem accepto de corpore Sancti Iacobi sui parentis Iriam Flauiam Ciuitatem Gallecie allato, mox illuc accurrit, vt altare super corpus Apostoli erectum cum Basilio, Athanasio, Chrysogono, & Agathodoro eiusdem Iacobi discipulis sacrat, & more sacro Apostolo dedicat. Postmodum autem cum eisdem Athanasio, & Basilio, alijsque ex Iudaismo, & Gentilismo ab Ecclesijs Hispaniæ electus est, vt omnes Paulum Apostolum vinctum Romæ visitarent, ipsique munera, & refectiones deferentes consolationem afferrent.

Flauius an. Christ. 38.
Iulianus Petri in aduersarijs n. 387.
Eutrandus in fragm.
Flauius ann. Christ. 42.
Iulianus Petri in Aduer. n. 6.
Paulus ad Hebræos 10. *Et vinculis meis.*

Lectio VI.

Flauius ann. Christ. 60. Iulianus Petri in Aduers.n.74 Eutrandus in Fragmen.

MOta denique prima persecutione Neronis, Aloteque Iudice eius ipsam crudeliter in Hispania exercente, Elpidius Pontifex cum Pontificibus alijs, discipulis quoque S. Iacobi in Chersonesum Vrbem prope Valentiam Concilij causa conuenit, vbi tandem cum eisdem Pontificibus sub eodem Aloto Iudice spoliatus omnibus bonis propter confessionem Christi necatus est. Corpus eius ex Chersoneso in Marsiam Italiæ primò delatum, deinde à Theoderico Metensium Episcopo cum alijs corporibus Sanctis Metem anno nonagesimo sexagesimo nono translatum fuit. Passus est anno Domini sexagesimo, cuius festiuitas in Chersoneso 3. Nonas Iulij celebratur, in Martyrologio tamen Romano 4. nonas Martij.

Anni Christi 61. & 62. S. Petri Pontif. 17. & 18. Neronis Imp. 5. & 6.

Prodigia huius temporis.

a lib. 14.
b in Epist.

1 DVO isti anni de prophana historia vix afferunt nisi prodigia in Orbe secuta. Romæ enim recens Cometa apparuit, & fulmen illapsum est in mensam Neronis. Tacitus [a]. Lugdunum in Gallia incendio penè perijt. Seneca [b]. Puer octo annorum circa hoc tempus septuaginta quinque millia passuum confecit a meridie vsque ad vesperam, Plin. [c] Laodicea Vrbs terræmotu collapsa prosternitur. Et quod maius forsan censeri debet, Nero filius Imperator matrem Agrippinam enecat, etsi congrua, & iusta Dei vindicta permissum, vt quæ maritum mariticida interemit, a filio matricida interficeretur. *Hanc illi gratiam non pro natiuitate solùm referens, verùm etiam quod eius artibus ad Imperium prouectus fuisset*, vt ait Iosephus [d]. Sic enim sæpius Deus iustissimus facere solet, vt qui indignos promouent, ab eis postea pessundentur.

c lib. . nat. hist. . 20.
d 20. Antiq. c. 5

Ecclesiastica historia.

2 De historia autem Ecclesiastica: Cum S. Lucas hoc tempore Acta Apostolorum finierit, & imaginibus Christi, & B. Virginis, quæ Romæ visuntur depinctis, Vrbe discesserit, vix aliud habetur, nisi S. Paulum post biennij vincula a Nerone dimissum varias Prouincias Euangelizando peragrasse. Quia tamen inter eas Hispania refertur, & id tangit aliqualiter historiam S. Iacobi discipulorum ex Prophetico Ordine ea Prouincia relictorum operæpretium erit enucleatius rem examinare.

Paulus pergit in Hispaniam.

3 Pro patria ergo religiosissima, re, & nomine Catholica dimicantes, certum omnino pijs, & doctis viris fore dicimus S. Paulum Gentium Prædicatorem in Hispania quoque Euangelium prædicasse. Ita enim tradit tota Patrũ antiquitas tam constanti asseueratione, vt locus ambigendi non relinquatur. Hi sunt D. Dionysius Areopagita [e] in Epistola, quam in libro vetusto habet Complutensis Bibliotheca, & quam commemorat Tri-

e in Epist. quadam de morte Pauli ad Timotheum.

themius [a], Posseuinus [b], & Gaspar Sanchez [c]. Secundo loco est Hippolytus martyr ferè coæuus Apostolis [d], quem refert Baronius [e], & seruatur in Bibliotheca Cardinalis Sirleti. Tertius est S. Athanasius [f], vbi clarius id tuetur. Quartus est D. Hieronymus [g], etsi alijs locis subobscuris locutus sit verbis. Quintus Epiphanius [h]. Sextus Cyrillus Ierosolymitanus [i]. Septimus Chrysostomus Paulo studiosissimus *in serm. de Pentec. hom. 7. de laudib. Paul. & hom. 76. in Matth.* Vnde veritas hæc septemplici istorum Patrum suffulta columna, aliorum etiam Patrum, & DD. calculo firmatur. Videlicet Theodoreti [k], Flauij Dextri [l], Sophronij [m], Metaphr. [n] Gregorij Magni *lib. 31. Moral. cap. 22.* Anselmi *in cap. 15. epist. ad Rom.* Isidori [o], & aliorum innumerabilium fermè, quos referunt, & sequuntur ex nouis Doctoribus Baronius *supra*, Antonius Richlicius [p], Serarius [q], Salmeron, [r] Gaspar Sanchez [s], & Biuarius [t].

4 Id primò suadetur ex eiusdem Pauli verbis *ad Rom. 15. v. 24.* scilicet: *Cum in Hispaniam proficisci cæpero, spero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.* Et rursus *v. 28.* eiusdem capitis: *Per vos proficiscar in Hispaniam.* Hæc enim eodem loco replicata verba indicant maximè in corde Pauli fuisse Hispaniam visitare. Immò ex eo quod Romanos, qui medij sunt inter Hispanos, & Achaiam, aut Corinthum, vnde ista Epistola existimatur scripta, solùm in transcursu videre velit, vt colligitur ex illis *præteriens, ex parte, per vos,* rectè infertur magis ipsi in animi votis fuisse Hispaniam quam Romam; ea de causa, vt Salmeron, & Sanchez bene coniectant, quia Roma Petri curæ commissa specialiter erat, Hispania autem suo viduata Iacobo magni alicuius Apostoli opem expectabat. Doctor ergo omnium gentium Paulus suarum esse partium existimabat desertam Prouinciam sua prædicatione fœcundare. Hoc autem desiderium vehemens quando congruentius adimpleri potuit, nisi hoc tempore, cum, Oriente peragrato, Roma, & Italiæ parte visitata, discipulis Iacobi Apostoli in Hispania interemptis, ipse Paulus vinculis solutus erat? Quid si dicamus ad id solicitatum a Iacobi discipulis, qui eum catenatum Romæ, muneribus etiam consolatorijs datis, inuiserunt, iuxta dicta superius? Certe nulla ratio dubitandi relinqui videtur.

5 Tollitur autem scrupulus, si animaduertatur, hanc esse constantem Hispaniæ Scriptorum traditionem, pro qua omnes ipsius historici (vno excepto Theologo Dominico Soto) clamant; prout faciunt Lucas Tudensis [u], Abulensis *in Capit. 33. Genesis, & in cap. 2. Matth.* Morales [x], Mariana [y] Marieta, Villegas, & cæteri, qui res Hispanicas, vel Sanctorum eius scripsere, & multis prosequitur Trugillus [z]. Cui etiã subscribunt Galliç scriptores, constanter etiam affirmantes Paulum alium Narbonæ Episcopum a Beato Paulo Baptizatum, & cum in Hispaniam peteret ea in Vrbe constitutum fuisse. Quorum omnium indubitatam fidem facit Romanum Martyrologium 22. Martij sic legens: *Narbonæ in Gallia na-*

Marginal notes: *a de Scriptor. Ecclesiast. b in Appar. sacr. c 4. Tract. de de prædic. SS. Petri, & Pauli in Hisp. n. 8. d in lib. de 12. Apostol. e in Addit. ad Martyrolog. 22. Maij, & 1. to. Annal. sub an. 61. f in epist. ad Dracontium Episc. g in c. 2. Isa. & cap. 5. Amos Proph. h hæres. 27. i catech. 17.* — Suadetur. — *k in cap. 1. ad Philippens. & 2. ad Timoth. c. vlt. & in ps. 116. l in Chron. an. 64. m in serm. de nat. Apost. n in vit. S. Paul. o lib. de vit. & obit. sanct. c. 71. p in Paulo p. 3. n. 62. q Opusc. de Paul. c. 60. r in Epist. ad Rom. & in Act. Apost. tract. 59. s supra. t in Dextrum ann. 64.* — Hispaniæ traditur. — *u in Chron. x lib. 9. c. 11. y in hist. Hisp. lib. 4. c. 3. z Tom. 2. Thesaur. Concion.*

tale S. Pauli Episcopi, Apostolorum discipuli, quem tradunt fuisse Sergium Paulum Proconsulem, qui à Beato Paulo baptizatus, & cum Hispaniam pergeret, apud Narbonam relictus est. Quibus similia Martyrologia Bedæ, Adonis, & Vsuardi. Illisque cohærent historia de Rufo Simonis Cyrinensis filio Dertosæ, seu Tortosæ in Cathalonia primo a D. Paulo Episcopo creato, quod eadem Ecclesia in Officio Matutino canit, & de conuersione Probi, & Xantippe coniugum Ciuium Astigitanorum, quam non solum referunt Hispanorum monumenta, sed & Græcum Menologium 21. Septembris, & Metaphrastes apud Lippomanum, & Surium; ac alia, quæ apud aliquos præualet, de Hierotheo in Hispania a Paulo baptizato. Vnde mirum sane est, non tam quòd Lorinus [a], & Gordonus [b], auctores externi, de re tam clara dubitauerint, quam quod Sotus refragari voluerit; eo præsertim fundamento ductus, quod crediderit Sanctum Thomam [c] patronum habere; cum tamen sententia hæc Dionysium, Hippolytum, Athanasium, Hieronymum, Chrysostomum, & alios antiquiores tutelares recipiat, & ipsemet Angelicus Doctor inter eos *in cap. 2. ad Galatas* numeretur, dum de Paulo dicit: *In modico tempore à Hierusalem vsque ad Illyricum, & vsque in Hispaniam prædicauit Euangelium.* Sunt propterea aliqui, qui historiæ ignorantiam Soto appingant. Sed de viro doctissimo modestius loquentes dicimus: *Quandoque bonus dormitat Homerus.* Quæ porro difficultatem contra dicta facere videntur, aptè, & doctè a relatis Auctoribus enodantur, quæ nobis omittenda, cum nostræ historiæ seriem proximè non tangant.

[a] *in Act. Apost. cap. 17.*
[b] *sub ann. 61.*
[c] *in cap. 15. ad Rom.*

Monachi Galilæi in Hispania & Britannia.

6 Illud non omitendum propius concernens, quòd circa hoc tempus (certum enim ignoratur) monachi quidam Galilæi, vel ipso nomine nostris adiungendi, cum Galilææ confinis Mons Carmeli sit, ex discipulis sancti Matthæi Apostoli, Hispaniam peragrantes, Christi Euangelium ibi prædicarunt, & inde Britanniæ littora percurrentes Ecclesiam eidem Apostolo dicatam tenuere, Christiana dogmata illi Regioni impartiendo. Rem fusius, & metro concinnatam ex historia reperta in ea Ecclesia S. Matthæi Apostoli refert Gotfridus Viterbiensis [d], quam consulat lector. Nos pauca hæc excerpsimus.

[d] *in sua Chron. p. 2. Germaniæ scriptorum to. 2.*

Ecclesiam Sancti sub ea Regione Mathæi
Sanctifici tenuere viri Monachi Galilæi;

Et rursus:

Quærentes qui sint, quid sibi turba velit,
Respondere viri Regione sumus Galilæi,
Discipuli Christi sumus, Sanctique Mathæi,
Hispanis dedimus dogmata sancta Dei.
Venimus hanc patriam, &c.

Rursus item:

Littora Britanniæ locus ille tenet Monachorum,
Vnde mouet cursum sanctissima turba virorum.

Fit

Fit etiam mentio in ea historia Imaginis Deiparæ Sanctissimæ, Sanctorumque Eliæ, & Enoch, quæ in re incerta, & multis ignota (forsan nec satis comprobata) nostrorum Eliadum gesta concernunt.

Annus Christi 63. S. Petri Rom. Pontif. 19. Neronis Imp. 7.

1 COMMVNIS assertio DD. est, Diuum Iacobum minorem, fratrem Domini appellatum, hoc anno è templo præcipitem, & lapibus obrutum gloriosum martyrium subiisse. Sic enim moderniores Chronologi eliciunt ex Iosepho [a], Eusebio [b], Diuo Hieronymo [c], & aliis. Consonant, quæ dicta a nobis *to.1. anno* 4019. *nu.*1. Quia tamen, iuxta dicta eo loco *nu.* 3. ex Serario, Boulduco, & Munozio, Sanctus hic Apostolus Rechabitici, & Esseni, ac perinde Prophetici Ordinis assecla fuit, ideò operosius de ipso agendum, & hic apponenda, quæ ex Clement. Alexandrino, & Hegesippo narrat Eusebius [d] his verbis, aliquibus tamen more nostro relictis, quia parum nostro deseruiunt intento: *Iacobus ab vtero matris suæ sanctus fuit, vinum & siceram non bibit, animalium carnibus se abstinuit: nouacula caput eius nunquam rasum fuit, neque corpus oleo perunctum, aut balneis lotum. Huic vni licebat in Sancta Sanctorum ingredi; vestibus enim vtebatur non laneis, sed linteis dumtaxat. In templum solus intrare solitus erat, atque ibi genibus humi positus pro populi peccatis veniam postulare: cuius genua, quòd tam assiduè tum ad Deum augustè sanctèque adorandum, tum ad veniam precibus populo exposcendam procumbebat, cameli instar tuberculis contractis obduruerunt. Qui propter singularem iustitiæ præstantiam, Iusti, & Obliæ (quod Latinè populi præsidium dici potest, & Iustitia) nomen, sicut Prophetæ de eo memorant, inuenit.* Et post alia quæ omittimus: *Proinde Scribæ, & Pharisæi, quos supra posuimus, Iacobo supra pinnam templi collocato cœperunt exclamare, & dicere: O Iuste, cui meritò omnes debemus fidem adiungere: quoniam populus Iesum crucifixum imitando aberrauit: tu idcirco nobis commonstra, quod sit ostium Iesu crucifixi. Qui clara voce sic respondit: Quid me interrogatis de Iesu filio hominis? Ipse sedet in cælo à dextris magnæ virtutis, & potentiæ Dei, & in nubibus cæli venturus est.* Hæc expressa, & publica Christi professio causa fuit eius martyrii, quod proinde euidens fuit, & illustre. Subdit enim Euseb. *Atque cùm multi plenè essent persuasi, & ob Iacobi testimonium Deum laudibus in cælum ferrent, dicerentque: Osanna filio Dauid; Scribæ, & Pharisæi de integro cœperunt primum ita inter se colloqui: Malè certè, & infeliciter cecidit, vt istud testimonium nostra opera Iesu tribueretur. At conscensis gradibus illum deiiciamus præcipitem, vt homines inde perterrefacti, nullam fidem eius doctrinæ adhibeant. Tandem ergo adolescentes Iustum præcipitem dederunt, dixeruntque ipsi inter se, Iacobum Iustum obruere oportere lapidibus. Et quoniam deiectus in præceps non statim mortem*

D. Iacobus Minor.

[a] lib.20. antiq.
[b] in Chron.
[c] in Iacobo.
[d] lib. 2. hist. c. 22. vel 23.

obijt, sed vultu sursum sublato, genibusque flexis dixit: Obsecro Domine Pater, da illis veniam: nesciunt enim quid faciant; cœperunt saxa in eum conijcere: cùmque lapidibus illum obruere pergerent, vnus ex sacerdotibus ex filijs Rhecab, filij Rhecabim, qui sunt Hieremiæ testimonio commendati, voce emissa contentiùs dixit: Quid agitis? Iustus pro vobis Deum deprecatur. Hominem verò, qui hæc dixit, fuisse Symeonem eius nepotem ex sorore, filium Cleophæ, tradit Epiphanius. Prosequitur Eusebius: *Attamen vnus ex illis, qui fullo erat, arrepto vecte quo vestes solebat premere, in caput Iusti impegit: ita vitam beato, & felici martyrij cruciatu affectus, afflictusque amisit. In quo loco prope templum, vbi columella eius nomine inscripta adhuc manet, corpus tumulo mandatum est.* Ex quibus, & alijs plures ipsius excellentias colligit Cornelius [a], de quibus etiam nos aliqua diximus loco relato ex *1. to.* & habentur ex Actibus Apostolorum, & Epistolis Pauli apud Metaphrastem, & alios.

[a] *in Proœmio epist. S. Iacobi.*

Rechabita, seu Essenus.

2 Qualiter autem ea, quæ hoc loco de S. Iacobo referuntur, abstinentia videlicet, orationis continuitas, continentia, linea vestis, & *Iusti* nomen suadeant ipsum Rechabitici; Assidæi, seu Esseni instituti æmulatorem fuisse, prout Serarius, Boulducus, & Munozius loco relato ex *1. to.* confirmant, ibi dicta satis corroborant. Vlterius robur sumunt ex Ioanne Ierosolymitano nostro [b], dum de eo ait: *Apostolus Iacobus nunquam bibit vinum, & alias abstinentias grandes similes Rechabitarum obseruantijs, secutus fuit.* Nec incongruè ad intentum expendemus, quæ Eusebius relato loco de ipso inquit. Primùm quidem, quòd esset *Religiosæ, & continentissimæ vitæ*, quod etiam redolet præfatum Institutum Essenum. Item quod esset appellatus *Iustus, & Oblias, quod Latinè populi præsidium dici potest, & iustitia, sicut* (inquit) *Prophetæ de eo memorant.* Qui enim sunt isti *Prophetæ*, de quibus Eusebius? Num veteris testamenti? Qui tales? Sanè credibilius apparet per hos Prophetas intellexisse Eusebium, eos quos ipsemet [c] vocat *Ordinis Prophetici*, ita vt huius loci sensus sit, huius Ordinis viros melius iudicasse de Iacobi Apostoli nomine, vtpote ipsius quasi collegas, & scholæ consocios. Nec deuiat ab intento, quod veluti Protoparens Essenorum Prophetarum Elias pluuias de Cælo oratione sua Iacobus dederit, magna terræ siccitate vrgente, vt de ipso testatur S. Epiphanius [d]. Fauet huic intento, quod nouus auctor, etsi non doctrina Ioannes Caramuel [e] adstruit, videlicet Rechabitas non distingui a filijs Prophetarum, prout etiam nos fusè *to. 1.* ostendimus.

[b] *in lib. de Inst. Monachor c. 27. seu 30. in fin.*

[c] *lib. 2. c. 3.*

[d] *hæres. 78.*

[e] *in Reg. D. Benedicti disp 15. n 170.*

Iacobi Epist.

3 Illud præterea expendendum, quod quamuis communior sententia Eusebij, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, & aliorum verius teneat hunc Iacobum Minorem auctorem esse Epistolæ, quæ sub Iacobi nomine inter Canonicas Scripturas numeratur; id tamen de fide certum non est; cum plura, & grauia suppetant monumenta rationum, quibus eam ab alio Iacobo Zebedæi filio scriptam suaderi videatur. Id enim docuit Heleca Episcopus Cæsaraugustanus, qui circa an. Dom. 800. clarissimus

erat.

erat [a]. Et credidit Alphonsus Rex Hispaniæ cognomento *Sapiens* [b], vt refert Mariana [c]. Ac profitentur Syri [d], apud Tremellium, & Vvastadium. Dexter [e], Iulianus [f], & (quod magni ponderis est) S. Isidorus non solùm vno loco [g], sed & in Missa S. Iacobi Zebedæi, quæ habetur in Officio Gothico, seu Mozarabum. Item auctor sub nomine Sixti III. *in Epist. de mal. doctorib. in to. 5. Biblioth. Patr.* Quos ex recentioribus sequuntur Gaspar Sanchez [h], Biuarius [i], & Ioannes de Salazar *in Apologet. de aduent. S. Iacobi*, apud ipsum Biuarium. Nec desunt congruentiæ. Prima, quod Iacobus Zebedæi vnus ex tribus præcipuis Christi discipulis cum Petro, & Ioanne fuit, ac perinde cum illis erat cum Archisynagogi filiam ad vitam excitauit; cum ad montem Tabor transfigurauit se; cum ante passionem orationis causa in hortum secessit. Cum autem duo alij assidui Christi socij Epistolas Canonicas ediderint, verisimile fit Iacobum fratrem Ioannis Epistolam quoque scripsisse Canonicam. Secunda, quod auctor huius Epistolæ in principio dicat: *Iacobus Dei, & Domini Nostri Iesu Christi seruus duodecim Tribubus, quæ sunt in dispersione salutem*; solus enim Iacobus Zebedæi duodecim Tribubus scripsisse videtur, vt habent Sophronius [k], Dorotheus *in Synopsi cap. 3.* Isidorus [l], & Iulianus *supra*, eo quod Apostoli scribebant illis, quos prædicauerant, Iacobus autem Minor vocatus nunquam alibi, quam Ierosolymis prædicauit. Nec obstat, quod Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 1.* dicat, Sacramentum Extremæ Vnctionis promulgatum fuisse per Iacobum Apostolum *fratrem Domini*, quod denotare videtur Epistolam hanc a Iacobo Minori scriptam fuisse, cum in illa Extremæ vnctionis mentio fiat. Nam cum catalogi omnes Bibliorum Canonicorum tam Gelasij Papæ Iati in Concilio Romano, qui habentur *distinct. 15. cap. Sancta Romana*, quam Conciliorum Nicæni, Mileuitani, Laodiceni, Carthaginensis, Florentini, & etiam ipsius Concilij Tridentini, qui habentur *sess. 4.* non addant verbum illud *fratrem Domini*, nec hoc definire fuerit de mente Tridentini, præsertim cum etiam Iacobus Zebedæi *frater Domini* aliquoties appelletur *Matth. 12. Marc. 3. Luc. 8.* & alijs locis, ideò, vt diximus, hoc non pertinet ad fidem, nec credendum a Tridentino obiter id affirmante definitum.

4 De Sepultura Iacobi præter notata ab Eusebio, vlterius addit Hieronymus: *Eius sepultura titulum vsque ad obsidionem Titi, & vltimam Hadriani, notissimum habuit. Quidam è nostris in monte Oliueti eum putarunt conditum: sed falsa eorum opinio est.* Restat ergo, vt cum Eusebio, cui non contradicit Hieronymus, asseramus ipsum iuxta Ierosolymitanum Templum sepulturæ traditum fuisse. Eius tamen reliquias in Vrbe, ac Templo duodecim Apostolorum veneratur hoc tempore populus Christianus. Iacobi sepultura.

5 Eidem Iacobo in Ierosolymitano Pontificatu successit Simeon filius Cleophæ, prout communiter post Epiphanium, Eusebium, & vetustiores DD. tenent ex recentioribus Genebrardus, Baronius, Gualterius, Gordonus, Simeon Iacobi successor.

a in addit. ad M. Maxim.
b in l. 6. Thes.
c in Tract. de B. Iacobo.
d in edit. Syriaca noui Test.
e in Chron. sub ann. Christ. 37.
f in Chron. ad ann. 66.
g in lib. de ortu & obitu PP. c. 73.
h Tract. 3. de Aduent. S. Iac. in Hisp. c. 12.
i Comment. in Dextr. loc. relat.
k de script. Eccles.
l lib. relat.

donus, & alij Chronologi. Quia tamen plures ex illis existimare videntur hunc eundem esse eiusdem Iacobi nepotem, qui necem ipsius impedire conabatur, & qui Sacerdos *Rechabita*, seu ex Rechabitis nuncupatur ab Eusebio verbis superius relatis ex Clemente Alexandrino, & Hegesippo, ideo consequenter asserendum videtur hunc Simeonem Rechabitam fuisse, ac perinde ipsius historiam nostris Annalibus propriam, cum Rechabitarum institutum a Prophetis Elia, & Eliseo ortum habuisse *to.1.circa ann.3159.n.2.& 3.& in Appar.eiusdem 1.to.cap.7.n.6.& cap.8. n.7.* ostensum maneat. Quia tamen S. Iacobi genealogia incerta valde est inter DD. iuxta dicta *eo to.1. ann.4019.* ac proinde dubitabile an iste Simeon eius nepos esse potuerit, ideo hanc controuersiam omittentes, solum dicimus Sacerdotem illum filium Rechab ab Eusebio, & alijs commemoratum, quod S. Iacobi internecioni obuiare vellet, huius nostri instituti asseclam existimandum. Id enim Ioannes Ierosolymitanus noster [a] superius relato satis notat dicens: *Quamuis carnalis stirps Rechabitarum perdurauerit vsque in ruinam Ciuitatis Ierusalem à Tito, & Vespasiano patratam. Nam dum beatum Iacobum Alphaei, qui paulo ante ruinam praedictae Ciuitatis decessit, Iudaei in dicta Vrbe lapidibus obruerunt, Sacerdos quidam ex his Rechabitis nitebatur eum à morte eruere.* Clarius id habet Nicolaus Serarius diligens auctor [b], inquiens, hunc appellatum fuisse Rechabitam, *non quod is genere, ac sanguine à Rechab oriretur*, sed quòd in Rechabitarum sese disciplinam, sectamque contulisset. Quae notanda propter Baronium. Alia de ipso *sub anno 109.* dicentur.

a in lib. de Inst. Monachor.

b in Triheresio lib.3.c.9.

Annus Christi 64. S. Petri Rom. Pontif. 20. Neronis Imp. 8.

S. Marci Martyrium.

1 MARCI Euangelistae nostrorum Alexandriae, & Aegypti Essenorum egregij Institutoris Martyrium gloriosum hoc anno contigisse habent Eusebius [c], & Hieronymus [d], quos iuniores cuncti sequuntur. Etsi autem non omnes Martyrij ipsius memoriam fecerint, obitus solum contenti historiam enarrasse, sic tamen contigit. Cum quadam die Dominica Missam celebraret, in eum irruentes fidei hostes, fune in collum iniecto raptantes eum per saxa, carnes eius dilacerauerunt, vnde penitus spiritum redditurus, in carcerem detrusus, apparente sibi Domino vna cum Angelis, ad futurum certamen instauratur. Mane autem facto rursum è carcere eductus, & per scabra loca raptatus a caterua dicente: *Trahamus bubalum in bubulci stabulum*, agens Deo gratias, dicensque: *In manus tuas commendo spiritum meum*, impollutum eum Deo reddidit, sepultusque est honorificè a discipulis. Menologium Graecorum, Beda, Ado, & Martyrologium Romanum die 25. April. Quibus fauent Gelasius Pontifex [e], Nicephorus, Metaphrastes, Procopius, & alij. Corpus ipsius a mercatoribus translatum

c lib.2.c.23.seu 24.

d in Marco.

e in Conc.Rom. de lib. Authent. & Apocryph.

est

est Venetias ann. 827. vbi summa religione a clarissima Republica colitur. Quia autem concorditer authores in eo conueniunt, vt a Discipulis sepulturæ traditus sit, cum ij fuerint Esseni, iuxta dicta *sub ann.* 45. Propheticæ scholæ sectatores; ideo ipsos tam pij operis cooperatores extitisse non ambigimus. Eò etiam quod Metaphrastes a Surio recitatus a viris Religiosis dicat ipsius cineres (dicitur enim igni traditus post mortem) tumulo traditos; qui absdubiè relatos Iessæos indicant. Alia de ipso apud relatos Authores, & Euangelij Marci Commentatores. Illud tamen nobis non prætermittendum; locum vbi passus est Martyrium *Bucoli*, seu *Bucolum* appellatum fuisse, a bucolis, seu bubulcis; quibus olim fuerat traditus habitandus, vt habet Strabo [a]; propterea enim caterua eum trahens ad Martyrium dicebat illa: *Trahamus bubalum in bubulci stabulum*, id est, in locum vbi sunt bubulci. Fuit etiam eo loco sepultus, vt habet Episcopus Equilinus [b]. Quia ergo Esseni ipsius discipuli eum in hoc eodem loco *Bucoli*, seu *Bucolo* sepelierunt, & coluerunt; Ecclesia ibi dicata, vt colligitur ex Actis S. Petri Alexandrini, & Baronio [c], ideo proculdubio *Bucolini* appellati sunt a D. Antonino, & Petro Maturo eius scholiaste relatis *in Appar. c. 4.* Quod verò hic locus apud Alexandriam, iuxta mare fuerit sub rupibus; & de Ecclesia ibi ædificata, consulendus Heribertus Rosvvedius [d]. Ad eum locum pergere volens Antonius, vt Essenus cum Essenis habitaret, prohibitus est a Deo; prout ex eius vita *c. 24.* elicitur.

[a] *lib. 17.*
[b] *lib. 4. c. 86.*
[c] *to. 3. sub ann. 310. 9. Hæc produo.*
[d] *in vit. Patr. in annotat. ad vit. S. Antonij n. 60. & in Onomastico verbo Bucolia.*

Enoch S. Marci comes.

2 Propriora autem nos vocant, de Enoch videlicet S. Marci comite, & consorte in Euangelicis cœnobitis instruendis, eorumque Cœnobijs construendis, iuxta dicta *sub ann.* 45. Hic enim noster Carmeli primitus Anachoreta, post martyrium S. Marci suum Carmelum reuersus, contemplationi, & orationibus vacans hoc eodem anno 64. pro septima die Iulij, paucis scilicet mensibus a sui Magistri nece, diem clausit extremum; a fratribus digno honore sepulturæ traditus. Palæonydorus, Petrus Lucius, Coria, Saracenus, Casanate, & alij eo loco relati. Episcopus Nicopolitanus ab Apostolis & Monasterij eo loco constructor, sed ibi tantum per triennium mansisse a nostris historicis scribitur. De quo relatus Palæonydorus [e]. Illud pro comperto omnibus Carmeli incolam fuisse. Nam præter relata ex historicis, habemus ad hoc testimonia Sixti IV. in Bulla *Dum attenta* ann. 1477. & Gregorij XIII. in Bulla *Vt laudes* ann. 1577. vbi illis verbis: *Sanctorumque Prophetarum Eliæ, Elisæi, & Enoch, necnon & aliorum SS. PP. qui Montem Sanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem inhabitarunt successionem hæreditariam tenentes*, id fatentur. Quòd vnus è 72. Christi discipulis a Palæonydoro, & alijs asseratur non facilè impugnari potest, esto in Catalogis discipulorum non conspiciatur relatus; nomina enim ipsorum incerta sunt, vt habet Eusebius *lib. 1. histor. c. 14.* & alij plures, alij pauciores recenseant, & forsan aliqui binomij fuerunt, vt propterea inter ipsos etsi alio nomine

[e] *lib. 4. c. 4.*

Enoch esse potuerit, imo & inter illos septimus, vt ijdem authores scribunt.

Baronij opinio de Essenis.

3 Occasione autem Essenorum scholæ a B. Marco in Ægypti partibus in Monachismi Christiani perfectione imbutæ, administrante etiam Enocho nostro, vt vidimus, plura *sub hoc anno* tractat Baronius de Essenorum nomine, discrimine, vetustate, vnione cum Rechabitis, & alijs. Sed quia illorum quædam a veritatis tramite declinare argutissimis alijs Doctoribus visa sunt, ad trutinam eorum, quæ *to.* 1. præsertim *sub anno 3545.* & in hoc 2. *to. in Apparat. c.* 1. 2. 3. & 4. scripsimus, reuocanda videntur. Etenim Essenorum nomen quas Etymologias præferat eo *ann.* 3545. *n.* 33. dictum manet. De ipsorum diuersitate, qualiter scilicet alij in Ægypto, alij in Palæstina commorati fuerint, etsi eiusdem instituti, & illi ab istis procedentes, alij etiam Theoretici, alij verò Practici, *in Appar. c.* 1. & 2. Quomodo etiam aliqui ipsorum non Orthodoxi fuerint, Samaritæ videlicet, eo *ann.* 3545. *n.* 43. & *sequentib.* diximus. De ipsorum quoque vetustate, satis superque eo loco *a num.* 6. Vbi contra eundem Baronium probauimus multo tempore ante Christi aduentum Essenorum institutum, etsi sub nomine alio Assidæorum, Rechabitarum, vel Prophetarum extitisse. Specialiter præterea quomodo Rechabitarum proles fuerint, ab ipsis & Prophetis filijs Prophetarum nuncupatis, ortum ducentes, eo loco *n.* 16. *et sequentib.* De illorum tandem ritibus, formaque viuendi, vt propterea Monachorum legis nouæ post Christum, & Apostolos, Duces, & Antesignani compellari queant, eisdem locis abundè dictum. Quæ maximè præ oculis habenda pro dicendis in toto hoc opere. Et pro illis legendus Iacobus Boulducus [a], ac Ioannes Caramuel [b], vbi multa ex prædictis.

a in opere & Ecclesia ante legem, præcipuè lib. 1. *c.* 14. *§. Ex quibus inferens & c.* 17. *§. Illud est sacrificium.*

b in Regul. D. Benedicti lib. 4 *diss.* 24.

Exsuuius Marci discipulus.

4 Huic tempori post S. Marci Euangelistæ Martyrium accensenda videntur, quæ in fragmentis Luitprandi *n.* 255. de Exsuuio eiusdem Marci discipulo scripta reperiuntur. Nostræ historiæ non extranea, cum de eo dubitari possit an ex Essenis vnus fuerit, cum constet ex dictis *sub anno* 45. illos in fide, & monachismo Marcum instruxisse. *Est author qui credat Exsuuium discipulum S. Marci post eius mortem prædicasse Euangelium Centumcellis in Lusitania*; (in margine habetur aliàs Caurasoliæ) *postque rediisse solum in Cyprum, vbi constitutus est Archiepiscopus, maximorum patrator miraculorum dictus est propter eius opera.* Fauet huic coniecturæ, quod idem author [c] subiungat, quasi de eadem re tractans. *Mihi valde probabile est, & legitur in Orientis historijs, Elpidium, & reliquos Episcopos, quos traxerat S. Iacobus in Hispanias, & ab ipso S. Iacobo baptizatos, fuisse de numero Carmelitarum, qui in Hispania, & per alias Regiones monachatum introduxerant. Istos vocat Eusebius lib.* 2. *c.* 3. *Prophetici Ordinis.* Huiusmodi autem Luitprandi testimonium, sicut & aliud ex *n.* 171. quod habet lector supra *sub ann.* 35. *n.* 3. nouissimè video recepta ab extero authore Ægidio Gelenio historiographo, & Canonico Coloniensi in

c fragmento 256, *sequenti.*

Opere

Opere de Coloniæ Agrippinæ magnitudine *lib. 3. symagmate 43. §. 1.* dum de Ordine Carmelitarum; ex quo tum dicta eo loco de Carmelitis in Hispaniam monachismi introductoribus, tum ea quæ in præsenti diximus, maius robur accipiunt.

Annus Christi 65.66.67.& 68. S.Petri Pont.Rom.21.22.23.& 24. Neron. Imper. 9. 10. 11. & 12.

1 HVIVS temporis historia Ecclesiastica, & prophana in vnum veluti coniungi debent, propter vtriusque inter se connexionem. Nero ergo Romæ Citharœdum, & Histrionem agens, adeo vt cum similibus in agone contendens, superaret, & simul crudelissimè in omnes sæuiens, non solum Octauiam vxorem balnei calore in Insula relegatam mori compulit, sed & occasione accepta Romani iucendij, fortè, aut ipsius dolo excitati, in Christianos tanquam in incendiarios decreto edito calumniosè inuehens, plures ex illis diuersis mortis generibus interimi fecit. Vnde factum, *vt ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque vbi defecisset dies, in vsum nocturni luminis vterentur*, ait Tacitus. Hinc illæ Gentilium Christianos subsannantium derisiones, de quibus Critias apud Lucianum Phy, *Phy, Phy, Phy: Heu, Heu, Heu: Va, Va, Va, Va*. Occasione etiam necis contra eum intentatæ plures Senatores, ac inter eos Hispanum Senecam, nepotem eiusdem Lucanum, atque Lateranum Consulem (a quo Basilica Lateranensis nomen accepit) interfici Nero iussit. Vxorem quoque aliam Poppæam Sabinam ira percitus ictu calcis percussam occidit. Sancti ergo Petrus & Paulus collabentem penè Ecclesiam ob immanem Neronis persecutionem formidantes, ei succursum præstituri, Petrus scilicet ex Britannia, vel Africa, Paulus ex Hispania, vt boni Pastores animâ pro ouibus posituri ad Vrbem accurrunt. Vbi cum Simone Mago certandum illis fuit, & eo deuicto & interfecto ob irritum volandi conatum, cum Apollonio Thyanæo Simonis assecla. Interim monstra Ierosolymis, scilicet lux clarissima intempesta nocte; bos pariens agnum; orientalis portæ Templi spontanea apertio; currus ferrei, & armatæ acies in aere; ac vox in Templo *Migremus hinc*. Maximè quod quidam Iesus vir plebeius Anani filius repente clamare cœpit: *Vox ab Oriente, Vox ab Occidente, Vox a quatuor ventis, Vox in Ierosolymam & Templum, Vox in omnem hunc populum*. Nec acriter flagellatus veniam deprecatus, aut illacrymans, ab incepto destitit, sed quotidie clamabat: *Veh, Veh Ierosolymis*, & tandem *Veh, Veh ciuitati, templo, populo, ac mihi*. Videant ergo Iudæi innocentem Iesum nostrum, quem crucifixerunt, in hoc homine, nomine, & omine repræsentatum, & quomodo ex eo quod ipsum interfecerint, a Romanis, Ciuitate, Templo, & libertate priuati fuerint, in quo eundem Christum verum Prophetam fuisse cognoscere possent.

Historia huius temporis.

possent. De his Chronologi Ecclesiastici ex Tacito, Iosepho, Eusebio, & alijs.

Torquatus.

2 Pertinet autem aliqualiter ad Historiam nostram, quod de Torquato vno ex discipulis Iacobi (quos ex Eliadum familia aliqui prudenter autumant, iuxta dicta *sub anno 35. & 36.*) ait Dexter [a] sic: *S. Iacobi, caeterorumque discipulorum eius vitas scripsit Torquatus Sanctus discipulus Iacobi, post quos etiam passus est.* Ergo hic Torquatus veluti Chronologus gestorum a Magistro & condiscipulis fuit, vt etiam Iulianus Petri [b] meminit. Licet vsque modo tale monumentum nullibi repertum. Martyrem fuisse habetur ex testimonio Dextri relato. Exorcistam ab eodem Iacobo constitutum, ex eodem Dextro *ann. 37.* habetur. De miraculis ad tumulum ipsius, de eo praesertim celebri, scilicet de oliua quotannis florente, die qua eius festum celebratur, videlicet 15. Maij, Ado [c], Episcopus Aquilin. [d], & alij apud Biuarium [e] agunt. Qui etiam de translatione, suffuratione, & conseruatione reliquiarum Torquati disserit.

Frontonius.

3 Ad nostram etiam historiam spectare videbatur, quòd idem Dexter *eod. ann. 66.* de Frontone Petragoricensi tractat dicens: *S. Fronto Petragoricus patitur, frater Frontonis Consulis*; siquidem Palaeonydorus noster hunc Frontonium nostris Eliadibus adscribit [f], aiens: *Quartus Fronto Episcopus Pictagoricensis, qui sanctam Martham sepeliuit. Iste postquam cooperatus fuisset fratribus in constructione Ecclesiae in honore Virginis gloriosae in sancto Monte Carmeli, fuit in praedicto loco suae natiuitatis Episcopus constitutus. Construxit igitur illic Monasterium 70. secum habens discipulos, teste Vincentio in Speculo. Vide ibi. Huius festum colitur octauo Kalend. Nouemb. id est, 25. die Octobris.* Haec Palaeonydorus, quem alij sequuntur ex nostris, ac de exteris Laurentius Beyerlinck [g]. Caeterum non solum hic author, & eius sectatores, sed etiam D. Antoninus [h], & Petrus de Natalibus [i] valde lapsi sunt duos Frontonios per homonymiam, seu similitudinem nominis in vnum confundentes, cum tamen valde inter se diuersi fuerint. Vnus enim est Episcopus Petragoricensis in Gallijs a S. Petro creatus, qui & S. Marthae agoni assistere potuit, & esse, de quo Dexter hoc loco, & Martyrologium Romanum post Bedam, & Vsuardum die 25. Octobris; de quo etiam ex varijs monumentis Claudius Robertus [k]. Alter verò Abbas est in Aegypto sub Antonino Imperatore, de quo *in Vit. Patrum lib. 1.* & in Martyrologio Rom. post Vsuardum, Adonem, & Bedam 14. Aprilis. Animaduerterunt autem hanc aequiuocationem Heribertus Rosvvedius [l], Petrus Vvastelius [m], & Cassanate [n]. Ex his ergo duobus Frontonij nomine claris posterior nostris adscribendus, iuxta dicenda *sub ann. 151.* Prior ille, licet eiusdem instituti aestimetur a Palaeonydoro, & sectatoribus, quia tamen de hoc non afferunt fundamentum aliud praeter domestica dubia testimonia, a nobis non admittitur, sicut in simili de S. Martiali dictum est supra *sub an. 52. n. 11.* Tertius alius Frontonius Martyr Caesaraugustae habetur in Martyro-

a ann. 66.
b in Chronic. ad ann. 36.
c in Martyrolog.
d lib. 5. c. 3.
e in comment. ad Dextrum ann. 66.
f lib. 2. c. 2.
g in Theatro vit. hum. lib. 16 to. 6. verbo Religiosus Religio, num. de Ordine Carmelit.
h in chron. p. 1. tit. 6. c. 26. §. 1.
i lib. 9. c. 109.
k in Gallia Christiana inter Episcopos Petragoricenses.
l in Annotat. ad Vit. Patr.
m in Vindic. ad Ioan. Ierosolymit. lib. 1. art. 11. 12. & 13.
n in Paradis. Carmelitar. Aet. 2. at. 3. c. 27.

tyrologio Romano 16. Aprilis inter 18. Martyres, etiam ex Beda, Vsuardo, Adone, Petro de Natalibus, Prudentio *in Peristephano*, & Baronio ea die; de quo tamen nihil pro nostra historia. Item de alio Frontone agit S. Ignatius [a], qui eum in vinculis visitauit, cum alijs viris Ephesijs. De quo etiam nihil ad intentum. Quod Emmanuel Romanus *in Additionib.* contendit, scilicet primum illum Frontonem Petragoricensem Episcopum eundem esse cum alio Frontonio Monachorum Patre, de quo secundo loco egimus, omnino videtur fundamento carere, aliàs enim 150. annos circiter valide vixisse conuincetur.

[a] *in Epist. ad Ephesios.*

4 Pertinet etiam ad historiam nostram, & huius temporis, quod cum Iudæi tunc a Romanis defecissent, Præsidum, & maximè Flori oppressionibus prouocati, Iudaici belli originem inchoantes (de quo Iosephus [b]) inter Duces, seu Toparchas a Iudæis designatos vnus erat Ioannes Essæus, vt ex cognomine constat, Esseni instituti alumnus. Ita enim habet Iosephus [c] libro relato. *In Ierichuntem Iosephus filius Simeonis, & trans flumen Manassæ, & Tamnam Ioannes Essæus, Toparchias administraturi missi sunt.* Et *lib. 3. c. 1.* sic: *Tres autem viros aggressionis Duces habebant, & corporibus, & prudentia præstantissimos: Nigrum Peraitam, & Silam Babylonium, & Ioannem Essenum.* De quo inferius dicit occisum fuisse a Romanis cum Sila, & decem millibus Iudæorum, Nigro restante. Nihil ergo aliud de hoc Esseno Ioanne nobis dicendum restat. Alius enim Ioannes Giscaleus, de quo idem Iosephus plura, ipsaque mala, dicit eo *2. lib. c. 26. & 27.* diuersus videtur ab hoc nostro Esseno Ioanne. Illud tamen pro iunioribus aduertendum, mirum non esse hunc Ioannem Essenum belli Præfectum a Iudæis constitutum esse, cum constet ex S. Scriptura *2. Machab. 14. v. 6.* & dictis *to. 1. sub ann.* 3887. *& sequentib.* quòd Assidæi Essenorum proles iuxta dicta *ibid. an.* 3847. belli Duces fuerint, maximè contra Ethnicos, quales Romani erant.

Ioannes Essenus.

[b] *lib. 2. belli Iudaic. c. 13. & 14.*
[c] *c. 25.*

5 Ad idem etiam tempus historia S. Petronillæ Virginis spectare videtur. Nec abs re nostra, cum inter primas Virgines Deo sacratas, & velatas, Monialium, & Religiosarum instar, quæ proinde Elianum, & Essenum monachatum sapiebant, referatur. A B. Petro Apostolorum Principe hanc consecrationem accepisse testantur Suarez [d], & Ascanius Tamburinus [e], eam propterea inter Moniales referentes. Tale enim velum consecrationis signum fuisse religiosi status, & Virgines illud suscipientes veras religiosas fuisse verbis expressis tradit idem Suarez [f]. Quamuis autem communis sententia teneat, Martyrologijs, Romano etiam firmata, hanc Petronillam filiam S. Petri ex legitimo matrimonio cum vxore, quibusdam *Concordia*, alijs *Maria*, alijs *Perpetua* nominata contracto, quod Vvandelbertus *in suo martyrologio Pridie Kalend. Iunij* metricè sic expressit.

S. Petronilla.

[d] *3. to. de Relig. lib. 3. c. 3. n. 12.*
[e] *de iur. Abbatiss. disp. 27. q. 1.*
[f] *supr. lib. 2. c. 4. n. 2.*

Tum pridiè Petronilla Petri de germine sancto
Fulgida virgo micat Christi trabeata decore.

[a] *to. 1. sub an. 69.*

Nihilominus Baronius [a] satis probabiliter tuetur eam solum fuisse spiritualem filiam S. Petri, id est, discipulam ipsius; iuxta modum, quo idem Petrus vocat Marcum in sua *Epist. 1.* filium suum, id est, discipulum; neque enim historia istius Petronillæ aliam filiationem postulare videtur. Quod si ita est, manifestius denotatur hanc Virginis consecrationem, Essenum, vt diximus, redoluisse institutum, quod cum a filijs Prophetarum ortum duxerit, eorum etiam more discipulos appellabant *filios*. Eos porrò, qui in sacra Scriptura filios Prophetarum nuncupatos videmus, ipsorum discipulos fuisse, & propterea tales vocatos diximus *to. 1. sub ann. 3132. n. 2.* Huius denique Virginis vitam, historiam, mortem & venerationem, quæ Romæ ab antiquis etiam temporibus habuit, quia nostræ historiæ veluti extranea sunt, apud Antoninū, Episcopum Equilinum, Baronium, & alios, qui sanctorum vitas scripserunt, inueniet Lector.

Annus Christi 69. S. Petri Rom. Pontif. 25.
Neronis Imp. 13.

Martyrium Petri & Pauli.

[b] *in Chron.*

[c] *lib. 9. histor. Hispan. c. 19.*

[d] *in Comment. 1. ad ann. 68.*

1 INTER varias DD. opiniones de anno passionis Apostolorum Petri, & Pauli, quorum aliqui cum Eusebio [b] *ad an. 70.* Christi eam reijciunt, alij cum Cassiodoro ad 71. alij accuratius cum Flauio Dextro ad annum 68. quem sequuntur Morales [c], & Biuarius Dextri Commentator [d]: credamus cum Baronio, & sectatoribus hunc 69. ab Incarnatione Christi, 36. ab eius morte, & ascensione in cælum, & 25. Pontificatus S. Petri Romæ esse, in quo occasione casus, & ruinæ Simonis Magi, iubente Nerone, SS. Petrus, & Paulus die 29. Iunij è carcere Mamertino (vbi Processum, & Martinianum custodes suos cum alijs 47. ad Christum conuerterant, & miraculosa aqua ex carcere subito scaturiente baptizatant) educti, gloriosum obiere martyrium. Petrus quidem in Vaticano, seù potius Ianiculo, *Monteaureo* nuncupato crucifixus, capite deorsum vergente, ita enim ipse petierat, ne Christo assimilaretur; Paulus verò ad aquas Saluias capite truncato, & ceruice recisa lac pro sanguine emanante, & capite terno saltu tres fontes eliciente, qui etiam nunc, multorum saluti, videntur. Hæc omnia tum traditione, tum Authorum testimonijs confirmata, omnibus obuia sunt.

Apostolorum trophæa.

2 Extant porrò huius gloriosissimi Apostolorum Principum victoriæ pleraque Romæ trophæa, & inter ea nobilia aliquot in nostra Carmelitarum insigni Ecclesia dicta *S. Maria Transpontina*, olim *Transpadina*, seu *in Capite Pontis*, aut *in capite Porticus*, quæ vtpotè nostræ historiæ nullatenus prætermittenda. Primò enim in Cappella eiusdem Ecclesiæ vulgò *Columnarum* a Ioanne Baptista Riccio de Nouara pulchrè depicta ab vtroque latere altaris duæ extant columnæ lapideæ tabulis ex ligno nucis circumuestitæ, in quibus beatissimos hos Apostolos Petrum, & Paulum

lum flagellatos esse traditur; conformiter ad legem 12. tabularum, in qua grauissimorum delictorum rei (quales iniquitas putabat hos Apostolos Petrum, & Paulum) ante necem flagellis cedebantur. Has porrò columnas cómemorati sunt non solum summi Pontifices Cælestinus III. & Paulus V. ad altare dictæ Cappellæ celebrantibus indulgentias pro animabus defunctorum concedentes; sed Baronius [a], Thomas Massutius [b], Biondus [c], Siluagius [d], Andreas Scottus [e], Gallonius [f], Ioannes Baptista Paulianus [g], etsi nomine *columnarum* errans *columnam* dixerit. Andreas Fuluius [h], Valerius Doricus [i], Ioannes Lupardus [k], Guillelmus Fontanetus [l], Ioannes Henricus [m], Gretserus [n], licet erret nomine *Transpontina* scribens *Transtyberim*, & maximè antiqua eiusdem Cappellæ descriptio his versibus:

Hic sunt lucentes Petri, Paulique columnæ
Sanguine tantorum nunc monumenta virùm.

Et liber S. Visitarionis Apostolicæ sub ann. 1628. die 4. Februarij, in quo idem habetur. Quæ omnia diligenter collegit Franciscus Maria Torrigius Romanus in lib. cui titulus: *I sacri trofei Romani del trionfante Prencipe degli Apostoli c. 15.*

a *sub hoc anno.*
b *in Vit. S. Pauli lib. 13. c. 11.*
c *de Rom. illustr.*
d *de Trib. peregr.*
e *in Itiner.*
f *de instrum. martyr.*
g *lib. 3. de Iubileo.*
h *de antiq. Rom. lib 2.*
i *in tract. Eccles. Rom.*
k *de mirabilib. Vrbis.*
l *in lib. de Rom.*
m *in Mercurio Italico.*
n *de Cruce lib. 1. c. 8.*

3 Extat ibi & aliud insigne trophæum horum Sanctorum, scilicet, *Imago Sanctissimi Crucifixi, quæ sanctos Apostolos, dum flagellarentur, allocuta est*, prout habetur in relato libro S. Visitationis Apostolicæ, & testantur Ioannes Lupardus *supra*, & Torrigius etiam *supra* afferens ex D. Augustino [o]. Per hoc notans nihil derogari huic de allocutione Crucifixi traditioni, quòd alijs in historijs non commemoretur: eam etiam recipit descriptio, de qua supra, sic metricè dicens: Imago Crucifixi.

Hic Saluatoris facies, ibi fertur imago
Hæc ostensa oculis, illa locuta diu.

Et Petrus Martyr [p]. Ac deuotione fidelium feria 6. in Parasceue (qua die populo Romano ostenditur hæc Crucifixi imago) eiusque concursu, satis declaratur veritas, & antiquitas ipsius. At ex eo, quod prædicta simul cum duobus dentibus S. Petri sub altari dictæ Cappellæ reconditis, ibi asseruentur religiosè, non sine causa insignis hæc Transpontinæ Ecclesia inter clariores Vrbis habetur tantorum Apostolorum ditata trophæis. Quomodo autem dicti duo dentes Petri, aliorumque Sanctorum reliquiæ ibi conditæ maneant, sic habet memoria eo loco scripta: *Sacræ Reliquiæ diuersorum Sanctorum, & inter cæteras, duo dentes B. Petri Apostoli a Cælestino III. sub altare columnarum SS. Petri, & Pauli veteris Ecclesiæ D. Mariæ Transpontinæ 1194. die 15. Maij reconditæ, mox sub Sixto V. die 29. Iunij 1588. ad Ecclesiam nouam translatæ in hac marmorea arcula conseruantur.*

o *serm. 5. de Assumpt. B. Virg. illa: sunt quædam, quæ quamuis commemorari omissa sunt, vera tamen ratione creduntur.*
p *in lib. de mirabilib. Rom in S. Mar. Transpont.*

4 Hoc eodem anno, ob Dei iustissimi iudicium, impijssima Iudæorum piacula, ob necem præsertim innocentissimi Iesu, ipsiusque discipulorum, ab eisdem procuratam, Vespasianus cum exercitu a Nerone Vespasianus in Ierosolymam.

missus, eos grauissimis cladibus affecit, Galilæam occupauit, & alia fecit, quæ Iosephus Iudæus refert [a], ipseque interficiendus esset, nisi Vespasiano prænunciaret mortem Neronis, & eum in Imperio illi successurum, vt propterea vitam dono acciperet. Eusebius [b].

5 Hæc porrò Galilææ inuasio a Vespasiano facta, & quod a Ptolemaide eam inceperit, prout Iosephus [c] testis est, excitant nos, vt credamus quòd Carmeli nostri incolæ, eis locis vicini, & qui nunquam ab eo Monte abfuerunt, iuxta dicta *in Appar. c. 5. & to. 1. in Appar. c. 8.* ac *sub ann. 3128. n. 4. & 5.* plurima incommoda tunc temporis passi fuerint. Tollitur autem difficultas, si animaduertamus constanter a doctoribus receptum esse, quod Vespasianus exercitus Romanorum Princeps Carmeli iuga penetrauerit, ibique per aliquod tempus commoratus fuerit oracula consulens. Sic enim habet Cornelius Tacitus [d] de Vespasiano agens: *Est Iudæam inter, Syriamque Carmelus, ita vocant montem, Deumque, nec simulacrum Deo, aut Templum, sic tradidere maiores, aram tantum, & reuerentiam, illic sacrificante Vespasiano, cum spes occulta versaretur animo, Basilides Sacerdos inspectis extis, quidquid est (inquit) Vespasiane, quod paras, seu domum extruere, seu prolatare agros, siue ampliare seruitia, datur tibi magna sedes, ingentes termines, multum hominum.* Sic etiam Suetonius Tranquillus [e] de Vespasiano eodem: *Apud Iudæam Carmeli Dei oraculum consulentem, ita confirmauere sortes, vt quidquid Vespasianus cogitaret, volueretque animo, quantumlibet magnum, id esse prouenturum pollicerentur.* Eadem etiam mutuatus videtur Petrus Apollonius Collatius [f] sic:

——————— *Amalthaidemque locutum*
Vera tibi vatem, & Corneli oracula disces.

Seù potius, vt locum corruptum restituit Thomas Dempsterus Scotus [g].

Vera tibi Vatem, & Carmeli oracula disces.

Pacificus ergo, & Religionis prætextu fuit ingressus Vespasiani in Carmelum.

6 Quamuis autem ex nostris Authoribus Petrus Lucius [h], Didacus de Coria [i], Petrus Saracenus [k], Cassanate [l], Michael Munozius [m], & alij hunc *Basilidem* a Tacito nominatum, Christianum, imo Eliani instituti in Carmelo cultorem verè suspicentur, adeò tamen quorundam iuniorum bilem propterea excitarunt, ac si rem magni momenti, aut sanæ doctrinæ contrariam effutire aggressi essent. Quomodo enim (inquiunt) Christianus erat, qui ab Ethnico consultus, *exta* (id est, animalium interna) inspiceret, vt Cornelius scribit, vel *sortes*, vt Suetonius? Sanè, boni isti trepidantes timore, vbi non est timor, nodum in scirpo quærunt, & difficultatem, vbi non est, exsuscitant. O' mirus genius! Basilidem hunc Carmeli cultorem christicolam nostri autumant, illi idololatram: quibus adhærendum? Rem inuitè agimus, & necessitate coacti. Carmelum vulgatum Eliæ, Elisæi, & Prophetarum veteris legis habitaculum nunquam successoribus eiusdem disciplinæ caruisse dicta locis

[a] in lib. de Bell. Iudaic.
[b] in Chronic.
Galilæam inuadit.
[c] in 3. lib. de Bello Iudaic. c. 5.
[d] lib. 2. histor.
[e] c. 5.
[f] de Ierosolymitano excidio lib. 4.
[g] in not. lib. 4. Benedicti Accolti de Bello sacro. n. 15.
Basilides quis sit.
[h] in Compend. c. 10.
[i] in Chron. Carmel. lib. 7. c. 3.
[k] in Menolog. Carmelit. in Vit. S. Dionysij Papæ.
[l] in Paradiso Carmelit. stat. 2. ar. 2. c. 15.
[m] in Propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 2. c. 2. ar. 5.

locis relatis sufficienter confirmant. Quid ergo æquius, & rationabilius? Num dicere hunc Basilidem vnum ex Elianis eisdem esse, an Idololatram, Ethnicum, Augurem, Genethliaticum? Videant ipsi. Ad hæc, eo in monte falsi Dei cultum, vel ad modicum tempus extitisse, postquam sacrificuli Belialis ab Elia ibi victi, & iuxta ipsum interempti sunt, in historijs inauditum. Quinimò tempore etiam quo Israeliticus populus, ad quem is spectabat Mons, captiuitatibus, gentium inuasionibus, & alijs calamitatibus premebatur, Dei veri cultum non reiecisse, quæ *in 1. tom.* varijs locis diximus, sufficienter monstrant. Ethnici quoque ipsi agnoscebant in Carmelo Dei veri cultum haberi, prout exprimit Abulensis 3. *Reg.* 20. *q.* 10. Lyrani vestigia sequens. Quod forsan autumabant Syri, qui 3. *Reg.* 20. dicebant de Israelitis: *Dij montiū sunt dij eorum*, vt rectè Ioannes de la Plata noster [a]. Quorsum ergo intrusus hic idolorum cultor Basilides credetur? Maximè; si iuxta dicta superius *in Apparatu c. 6. & sub an. Christi* 38. ab inchoatæ Christi Ecclesiæ exordio Virginis Deiparæ cultores in eo loco Sacellum ipsi dicarunt, vbi iugiter Dei laudibus, & Virginis eiusdem deuotioni vacarent. Nonne congruentius diceretur istos Deiparæ Sacellanos ibi a Vespasiano repertos, & ab ipso consultos, fuisse, quos credere poterat in Scripturis versatissimos, Danielem præcipuè, qui de ampliatione Romani Imperij plura scripserat; quam Idolorum ignotum sacrificum? Sed accedat Gilberti Genebrardi testimonium. Is enim Author [b] sic habet: *Et (scilicet Eliæ) post mortem* (intellige post raptum) *Synagoga, siue sacellum in Carmelo monte vulgatô ipsius habitaculo dicatum est, in quo vigebat Oraculum, de quo Suetonius in Vespasiano c. 5. Apud Iudæam Carmeli Dei oraculum consulentem Vespasianum, ita confirmauere sortes, vt quidquid cogitaret pollicerentur*. Ergo ex Genebrardo oraculum hoc Vespasiani in Eliæ sacello vigebat. Quomodo ergo non aptius erit dicere hunc Basilidem, Eliæ sectatorem, eorum successorem, qui vera prædixerant, eodem etiam loco, quam diaboli ministrum fuisse? Sed obstare videntur Cornelij, & Suetonij verba relata. At nihil minus, cum enim Ethnici authores essent, Christiani nominis infensi hostes, sicut innumera alia miracula ab Apostolis, & Martyribus gesta, tam ipsi, quàm alij Gentiles, nec commemorari, sed omnino occultare, aut ad fabulas, facetias, nugas, vel scurrilia conuertere satagebant; sic & hanc a Christiano Carmeli Eremita habitam precibus, & orationibus ad Deum fusis prædictionem Gentilitatis fucis, & nænijs abscondere potuerunt. Simili enim genio ducti ijdem Tacitus, & Suetonius, immò & Iosephus, quæ de Messia in Sacris litteris continentur mirabilia, Vespasiano tribuebant, vt tractat Baronius [c]. Nunquid nouum est Ethnicos authores in rebus ad veri Dei cultum, Christianitatemue spectantibus, mentiri? De illis idem Baronius [d] hæc dixit: *Nec mirari quis debet, si subobscure, neque adeò dilucidè Ethnicus scriptor mysteria nostra sit prosecutus; cum idipsum sit obseruare in cæteris scriptoribus Gentilibus omnibus,*

[a] *in Defensor. antiquit. Ordinis fol. 24.*

[b] *in Chron. log. lib. 2. an. 3184.*

[c] *sub ann. 71.*

[d] *sub an. 328. §. quibus.*

nibus, qui rerum Christianarum meminerunt: nam eadem obscurè, concisè, dubiè, & haud vsquequaque fideliter in omnibus, quæ verè referre consueuerunt, vt Suetonius, Tacitus, Lucianus, & alij. Mendaces porrò istos extitisse, vel ex contradictione testimoniorum conuincitur. Cornelius enim dixit, *inspectu extis*, Suetonius verò, *fortes*, cùm tamen diuersæ litandi apud eos formæ fuerint. Vnde rectè perdoctus Petrus Vvâstelius [a] notat Collatium relatum, & Casaubonum [b] reiecisse *exta* Cornelij, & *fortes* Suetonij, vt merum figmentum natum Ethnicismo, ac mutasse in Dei veri vatem. Et Læuinus Torrentius *Commentis in Sueton.* per Deum *Carmelum* ab Ethnicis istis vocatum intelligit eum, *qui regnat in æternum*, id est, Deum verum. Hic ergo consultus fuit ea occasione, & non Gentilitium aliquod Idolum. Quod si pius aliquis in impios authores esse velit a mendacio eos excusando, animaduertere poterit, quod cum ipsi tempore, & loco a re quam solum ex aliorum relatu scribunt, distantes fuissent, mirum non sit a veritate aberrasse. Hæc pro ipsa, non pro contentione dicta fuerint.

a in Vindic. Ioannis Ierosolymit. ad lib. de Instit. Monach. ar. 10.
b in animaduers. ad lib. 8. Suetonij.

Ethnici falsarij.

7 Sed pro coronide, maiorique rei firmitate exempla aliquot hic inserenda; quibus dilucidè in propatulo est Ethnicos homines sacra Christianorum gesta, ad impia, & sacrilega Gentilitatis figmenta retorsisse. Hinc, vt vidimus, ijdem Tacitus, & Suetonius, quæ de Messia in Sacris litteris miraculosa prædicantur, suo Vespasiano tribuebant. De quo Baronius [c]. Hinc & illa ineptissima calumnia, qua dicebant Christicolas Sacerdotum genitalia coluisse, eo videlicet, quia supplicis reuerentiæ gratia ad eorum pedes procumbebant. Rem hanc notant Minutius Felix Romæ insignis causidicus in Dialogo, qui *Octauius* dicitur, & ex ipso Baronius [d]. Hinc pariter illud de clauis cruce inuolutis aut sparteis crucibus collo appensis pro infirmitatibus curandis (de quibus Spartianus [e], & Plinius [f]) hæc enim ex Martyrum reliquijs sumpta, vt suspicatur idem Baronius [g], vel forsan ex cruce, & clauis Christi crucifixi, in prophana vertebant, prout fecit Antoninus Caracalla Imperator apud Spartianum *supra* ipsa improbando. Omittimus calumnias de capitis asinini adoratione, infanticidio, esu carnium humanarum, & similes, de quibus Tertullianus [h], quas tamen ex sacerrima Eucharistiæ synaxi, pijs, & sacris Christianorum cærimonijs malè interpretatis ad prædicta figmenta retorquendo extraxerunt. Non tamen prætermittendum, quod cum Sozimus Ethnicus similiter scriptor sciuisset [i] opera magni illius Osij Cordubensis Episcopi Constantinum Magnum suasum fuisse Baptisma suscipere, prout de facto a Syluestro Papa suscepit, dicit nihilominus: *Quidam Hispanus genere, cui nomen esset Ægyptius Romam delatus &c. sententiam doctrinæ Christianæ habere vim abolendi quodcunque peccatum confirmauit &c.* Quibus clarissimum eo æuo Episcopum, *Ægyptium*, idest *Magum* appellat, prout rectè Gordonus [k] ex Baronio [l]. Qui etiam annotat (quo nihil ad intentum aptius afferri potest) *meris fuisse Gentilibus Christianorum*

c sub an. 71.
d sub an. 112.
e in Caracallo.
f lib. 28. c. 4.
g sub an. 218.
h in Apologet.
i lib. 2. in Constantino.
k sub an. 324.
l eod. ann. 9. Vides ergo.

rum sacrificos appellare Magos. Si enim hoc ita est, vt reuera sic se habet, quis vel mediocriter doctus mirari poterit, quod Tacitus, & Suetonius Basilidem Christianum Sacrificum pro Ethnico genethliaco, aut Mago reputent? Rem lector habeat ex Segeto Paulo [a] apud Bollandum [b].

8 Alia porrò, quæ de hoc Basilide a nostris Chronologis notantur, facilius enodentur. Primò enim quod quidam ipsorum cum Saraceno dicunt, scilicet eum fuisse tertium Carmeli Generalem, quia non solidò nititur fundamento, a nobis omittitur. Quod alij cum Coria addunt, nempè quod is non sit ille Basilides libertus, de quo Suetonius [c], cum de miraculis (sic loquitur ipse) Vespasiani, vel ex ipso nomine liberti, quod illi tribuit innotescit; præsertim, cum iste Alexandrinus videatur, ille autem noster ex Iudæa, vel Galilæa oriundus. Idem dicit de Basilide alio hæretico (vt notat idem Saracenus) valde enim ab hoc nostro diuersus erat. De ipso autem Epiphanius [d]. Vide Eusebium [e], Adonem Viennensem [f], Onuphrium [g], & Gualterium [h]. Melius censet Casanate hunc Basilidem virum fuisse Religione præclarum, forsan spiritu prophetico illustrem, quem Vespasianus propterea consulendum putauit, & cuius dictis exitus fidem præstari debuisse comprobarunt. Occasione forsan huius fausti ominis ab hoc Basilide Vespasiano prænunciati filius ipsius Titus cum postea Ierosolymã carperet, Carmeli filios honoratos muneribus, & illæsos dimisit. Prout Palæonydorus *lib.2.c.3.* inquit.

9 Ad eundem Christi annum 69. referunt aliqui S. Andreæ Apostoli passionem, & mortem, Achaiæ Presbyterorum vestigijs inhærentes, pro quorum historiæ veritate pugnat Bellarminus [i]. Hic ergo Beatissimus Apostolus multis itineribus, conuersionibusque adlaborans, cum Patris in Achaia a Proconsule Ægea iuberetur Christi prædicationem relinquere, ac Dijs sacrificare, respondit: *Ego omnipotenti Deo, qui vnus est, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in Altari: cuius carnem posteaquam omnis populus credentium manducauerit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat, & viuus.* Quamobrem in crucem actus est, Beda, Vsuardus, & Martyrologia 30. Nouemb. Baronius *ibid.* Gualterius [k], & alij. Hæc vel perstrictim de hoc Apostolo omitti a nobis non debuerunt, eo quod ipsum inter Eliades Essenos numerent plures ex nostris, & exteris, nec sine fundamento, quia, vt inquit Sophronius [l], quem ad ann. 31. sequitur Baronius. Andreas cœlibem vitam ducens, præcursoris Domini factus est discipulus. Cælibatus enim veluti propria Essenorum tessera fuit, (quoad aliquos saltem) iuxta dicta *to. 1. sub anno 3545. n. 20.* & supra *in Appar. c. 1.* & Ioannis Baptistæ discipulos Esseni instituti cultores fuisse ex traditis *to. 1. sub ann. 4052. n. 14. 15. & 16. & 4081. n. 2. & 4082. n. 2.* constat. Andream autem ex discipulis Ioannis fuisse ex ipso textu *Ioan. 1.* vbi dicitur: *Altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo. Et respiciens Iesum ambulantem dicit: Ecce agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem,*

a in Annotationib. ad Vit. S. Telesphori.
b in Actis Sanctorum die 5. Ianuarij.
Alia de Basilide.
c sup. c. 8.
d hæres. 23.
e ann. 136.
f post ann. 120.
g ann. 105.
h in chronolog. in collat. veter. error. secundo. secul. cum recentiorib. c. 3.
S. Andreas.
i in lib. de Scriptor. Ecclesiast. sect. 1. fin.
k in chronograph. secul. 1.
l hom. de error. SS Petr. & Paul.

quentem, & secuti sunt Iesum. Et postea: *Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant a Ioanne, & secuti fuerant eum*. Vnde *agnus Dei* nomen quod a Ioanne Magistro didicerat Christo aptari, alta mente reseruasse videtur, dum Proconsuli Ægeæ verbis relatis se quotidie immolasse *immaculatum agnum* respondit. De hoc clarissimo Apostolo plura Metaphrastes, Lipomanus, Surius, & Baronius *supra*, ac de sanctis fœminis Polyxena, & Sarra, ipsius discipulis, quæ cum S. Onesimo Pauli discipulo in Hispanijs Euangelium prædicarunt, Flauius Dexter [a], & Biuarius *ibid.* Qui verò Andream Essenis Elianis annumerant non solum sunt Palæonydorus, Coria, & Beyerlinck, quos *to. 1. sub anno* 4065. *n.* 12. retulimus, sed & Casanate [b] in sui fauorem afferens Graninam Dominicanum, & Franciscum Freire Minimitam.

[a] *in Chronic. sub ann. 71.*
[b] *in Carmelit. Paradis. Stat. 2. stat. 2. c. 17.*

Annus Christi 70. 71. & 72. Lini Pontif. Rom. 1. 2. & 3. Imperatoribus Seruio Sulpitio Galba, Siluio Othone, Vitellio, & Vespasiano.

S. Linus Papa.

1 HOC tempore, quod ad Historiam Ecclesiasticam spectat, S. Linus Pontifex Romanus post S. Petri necem, succedit. Ita enim ex Tertulliano [c], Irenæo [d], Epiphanio [e], Augustino [f], Baronius, & maior pars recentiorum elicit. Contra Metaphrastem, & Panuinum volentes Linum obijsse ante mortem Petri: & alios, qui in hoc Pontifice, ob historiarum eius temporis penuriam, hallucinantur. De quo Baronius, & Biuarius Dextri Commentator *sub anno* 70.

[c] *lib. 3. Carmin. in Marcion.*
[d] *lib. 3. c. 3.*
[e] *hæres. 27.*
[f] *epist. 161.*

Prophana historia.

2 Quoad historiam prophanam huius temporis, illud compertum, Deum iustissimum tunc maximè de inimicis suis Iudæis, & Gentilibus vindictam reportasse. Quod sic accidit pro Iudæis. Vespasianus diuinæ iustitiæ veluti carnifex contra ipsos, exagitata Galilæa, multisque Iudææ vrbibus, sibi, Imperioque Romano subactis, obsidionem contra Ierosolymam Iudæorum Principatus Regiam Vrbem parat. Cæterum a militibus creatus Romanorum Imperator Romam nauigans Titum filium ad conficiendum bellum Ierosolymitanum destinat. Qui Ierosolymam obsidens in paschate, (quo tempore eò Iudæi ad festum confluxerant, vt omnes ab eo mactarentur, vel caperentur, sicut ipsi eodem festo Iesum innocentissimum ceperant, & crucifixerant,) in vltionem Christi sanguinis, vtriusque Iacobi, Stephani, & aliorum, Vrbem cepit, cum Templo incendit, & funditus euertit, iuxta Christi prædictionem, Iudæorumque vndecies centena millia interfecit, nonaginta septem millia in captiuitatem redegit, & Ioui Capitolino Iudæam tributariam coegit. Sic sic enim Iesu Filij Dei mortem vindicare cœpit patiens reditor ipse Deus. De quo Iosephus *lib. 7. de bello Iudaico*, & alij post ipsum.

Neronis mors.

3 De gentilitate porro Christiani nominis inimica, & Roma Principe

Nerone

Nerone, sic Deus. Gallia contra ipsum rebellata, Hispania etiam (quod magis illum torsit) deficiente, idem Nero a Senatu damnatus, anno necdum elapso ab Apostolorum nece (vt vel sic ostenderetur in ipsorum sanguinis vltionem id contingere) fugiens ex Vrbe in speluncam pauidus, & sui dignus carnifex, sibi manus intulit, & ægrè moriens ab Epaphrodito liberto interfectus est, simul cum ipso omni Augusti familia, & stirpe Regia extincta. Ei successit Seruius Sulpitius Galba citerioris Hispaniæ Præfectus, a militibus, quibus præerat Imperator acclamatus, sed solum per septem menses; occisus namque in foro fuit. Post ipsum Otho imperat per tres menses. Veniente tamen ex Germania Vitellio, ille sibi mortem infert, & Vitellius menses octo regnat. Quem tandem Vespasianus Romam veniens, & Italiam occupans occidit. En quatuor Imperatorum tragœdia ob Apostolorum, & Martyrum internecionem a Deo prouisa. De his Suetonius, Tacitus, Iosephus, & alij.

4 In tanta rerum confusione Christiani in Ierosolyma, & Iudæa existentes, turbines fugientes, ea præsertim voce, quæ de Templo exijt audita *Migremus hinc*, Pellam oppidum transmigrarunt. Sic enim Eusebius [a]. Mansio etiam illa nostrorum Carmeli filiorum, quæ Ierosolymis erat iuxta portam *Auream* dictam, de qua *sub anno* 40. dictum manet, hoc tempore euersionis Ierosolymorum Vrbis deperdita est, prout etiam ex testimonijs eo loco relatis habetur, dum solum vsque ad tempora Titi, & Vespasiani perseuerasse dicitur. Christianitas Iudææ. [a] *lib. 3. c. 3. vel 4.*

5 Nihilominus Elianos nostros ab Imperatoribus muneribus honoratos, illæsos fuisse dimissos sic testatur Arnoldus Bostius [b], quem Paleonydorus [c], & alij nostri Chronologi sequuntur: *Anno verò a passione Domini 42. Titus & Vespasianus Imperatores cum ingenti exercitu Ierosolymam ob vindictam mortis Christi debellantes, & populum Iudaicum captiuitantes, prædictos Carmelitas filios Prophetarum honoratos muneribus propter reuerentiam Christi illæsos dimiserunt, sicut in historia Ierosolymitana apertissimè declaratur.* Hæc porrò fide digna esse, ea, quæ *sub anno* 69. de Basilide Carmeli Eremicola Vespasiano fausta prænunciante dicta sunt, suadent. Illud: *Ob reuerentiam Christi* non denotat hos Ethnicos Imperatores Christum reueritos, sed solùm vel in gratiam boni ominis a Basilide Christiano prænunciati sic se gessisse cum Sodalibus. Illud verò *anno a passione Dom.* 42. licet tribui posset opinioni huius authoris in Chronologiæ varietate, forsan tamen non pro hoc tempore, sed annis sequentibus actam rem esse denunciat, prout etiam ibidem notabimus. Eliani illæsi. [b] *lib.1.Specul. histor.c.2.* [c] *lib.2.c.3.*

6 Ad hoc tempus, annum scilicet 71. refert Flauius Dexter [d], historiam famosissimi illius Hierothei, de quo supra *sub ann.* 52. dictum est, dicens eum ad Hispaniam se contulisse, & post Episcopatum Atheniensem, Segouiæ in Areuacis sanctitate mirandum haberi. Vide alia de ipso loco relato. Hierotheus. [d] *in suo chron.*

Nathanael.

7 Ad idem etiam tempus referendus videtur commendatissimus ille Christi discipulus, vtpote ab ipso commendatus, Nathanael *Ioan.* 1. dum de eo dixit Saluator: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est*. Cuius memoria Annalibus nostris indigna non est, propter dicenda. Fuit hic ex primarijs Christi asseclis, & ab ipso valde dilectus, vt constat ex commendatione relata, & ex colloquio cum ipso *Ioan.* 1. Imò ipsius Apostolus, & idem cum Bartholomæo, iuxta sententiam Ruperti, Iansenij, Montani, Feri, Salmeronis, & Boulduci, quos retulimus *to.* 1. *sub ann.* 4065. *n.* 10. quibus adstipulari videtur sex coniecturis rem comprobans Cornelius *in Ioan. c.* 1. *v.* 45. Esto autem non fuerit Apostolus, aut idem cum Bartholomæo, prout D. Augustinus [a], & ex ipso Toletus, Ribera, Maldonatus, & Baronius tenent, inter Christi tamen discipulos annumerandum omnes concorditer tenent. Nominis *Nathanael* etymologia idem est, quod *donum Dei*, vel *dedit Deus*, vel *da Deus*, ait Pagninus, siue *a Deo datus*, forsan propter eximias ipsius dotes, quo sensu S. Augustinus, vt fatetur [b], filium suum *Adeodatum* appellauit. Videtur fuisse legis Doctor, cum de lege disserat cum Philippo *Ioan.* 1. *v.* 46. propter quam caussam D. Augustinus [c], & alij relati eum ab Apostolorum numero excludunt, qui erant rudes, & idiotæ. Saltem legis studiosum fuisse ex eo facto infert Cornelius. Vnus fuit ex discipulis Ioannis Baptistæ Christo adiunctus, prout ex nostris tenent Palæonydorus [d], & Casanate [e], & de exteris Cornelius *supra*. In vltima Cœna, quando Christus Pascha celebrauit, Lectoris munus gessit, prout ex Martyrologio quodam edito Parisijs ann. 1537. & ex Codicibus manuscriptis refert Claudius Robertus [f], dum agit de Archiepiscopis Bituricensibus. Fuit etenim primus illius Ecclesiæ Antistes, & idem ac Vrsinus, seu Vrsicinus, testantibus non solùm Palæonydoro, & Casanate relatis, sed etiam Claudio Roberto supra, ex varijs monumentis, historijs, & authoribus. Ministerio Lini, Cleti, & Clementis virorum Apostolicorum designatus. Quam ob caussam in hoc tempus ipsius gesta referenda censuimus. De eius tumulo dicertant Biturica ipsius Episcopalis sedes, & *Treuga*, seu *Trigundum* in Hispania, propter authoritatem Flauij Dextri [g]. Vnde eius Commentator Biuarius difficultate victus negat Nathanaelem eundem esse ac Vrsinum, & hunc fatetur Bituricæ, illum verò in Hispania sepultum. Cæterum eundem virum fuisse satis comprobare videntur, quæ ex Claudio Roberto adduximus. Quod attinet autem ad ipsius sepulchrum, alibi, scilicet *sub anno* 105. discutietur. Illud nostrorum Annalium proprius, quod hic Nathanael Elianorum, ac Essenorum collegio ascribatur a Palæonydoro, & Casanate relatis, & de exteris a Laurentio Beyerlinck [h], quibus fauet & Iacobus Boulducus [i], maximè verò Anonymus quidam Guilielmitanus Vallis S. Antonij Brugis, quem refert, & commendat noster Vvastelius [k]. Hic enim Anonymus in lib. Episcopatuum, & Episcopor. Ecclesf. Dei eum *Carmelitam* appellat. Nec sanè abs re, cum esse disci-

a Tract. 17. in Ioann.

b lib. de vit. beat. post initium.

c eo Tract. 17.

d lib. 2. c. 2.

e in Paradis. Carmelit. stat. 2. ætat. 2. c. 17.

f in Gallia Christiana.

g in Chronic. sub ann. 105. n. 5.

h in Theatro vit. hum. lib. 16. to. 6 verbo Religiosus Relogio.

i de Eccles. post legem c. 7. præsertim §. ex dictis quoque.

k in 2 endic. lib. Ioann. Ierosolymit. de instit. Monachor sect. 4 ar 1 §. 6.

discipulum Ioannis, & legis Doctorem, seu peritum id non dissuadeant, iuxta dicta *nu.1. Annalium*. Nec deuiet ab intento munus lectoris ab ipso exercitum tempore vltimæ Cœnæ, cum tale exercitium in more fuerit antiquissimis nedum monachis, vt habetur ex S. Basilio [a], & Cassiano [b], sed & eorum in lege noua propagatoribus Essenis, vt constat ex Philone [c]. Qua de re Ioannes Sauaro [d], & Claudius Robertus *supra*.

8 Peruenisse ad hoc tempus Galbæ,& Othonis Imperatorum S.Euodium primum post Petrum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum, ex Eusebio [e] tenent Baronius, & alij. Eius verò gesta vel perstrictim a nobis referenda, eo quòd ex illis inferant aliqui Elianæ scholæ alumnum extitisse. Hi sunt de exteris Laurentius Beyerlinck [f]. De nostris verò Coria [g], Petrus Thomas Saracenus [h], eum quartum Ordinis Generalem Archimandritam vocans, Casanate [i], & alij. Fuit etenim Virginitatis perpetuæ cultor, sicut Elias, Eliseus, & Ioannes Baptista, prout habet S. Ignatius [k], eum inter ipsos referens. Quod maximè roboratur ex eo quòd Ignatius ea Epistola inquit, *Saluto collegium Virginum*, quo denotat Virgines: de quibus ibi loquitur esse tales veluti ex instituto, & Ordine. Id quoque confirmat, quod curam gesserit Monasterij non longè ab Antiochia in solitudine Montis Neroi, seu Montana nigra a S. Tecla erecti, iuxta dicta *sub anno 46.* prout tenet Palæonydorus [l], & ex illo Coria, & alij posteriores. Deuotissimus etiam Virginis Matris Dei fuisse videtur, prout ex Epistola ipsius vocata *lumen*, cuius fragmentum habetur apud Nicephorum [m] inferunt Coria, & Casanate. Virginitatem præterea Martyrio coronauit, prout ex Beda, Martyrologio Romano, & Latinis constat pridie nonas Maij, licet Græci in suo Menologio ad septimum Idus Septembris referant. De causa porrò Martyrij agit Baronius [n]. De eo etiam *sub anno 39.& 45.* Ipsi successit Ignatius, de quo *sub anno 102.* dicetur, vbi etiam quid sentiendum de illis, qui eum Elianæ, & Propheticæ familiæ adscribunt.

a *Interrogat. 180.*
b *lib.4. c.17.*
c *in lib. de vit. contemplat.*
d *in Sedon. lib. 4. epist. 9.*
S. Euodius.
e *in Chron.*
f *in Theatr. vit. hum. lib. 16. to.6. verbo Religiosas Religio dum de Ordin. Carmelit.*
g *in chronic. Carmelit. lib. 7. c.8.*
h *in Menolog. Carmelit. in vit. S. Dionys. Papæ.*
i *in Paradis. Carmelit. stat. 2. ætat. 3. c. 23.*
k *Epist. ad Philadelphienses.*
l *lib.2. c. 2.*
m *lib.2. c.3.*
n *sub ann. 71.*

Anni Christi 73.&74. Lini Pontif. Rom. 4.& 5. Vespasiani Imp. 2.& 3.

1 TRIVMPHANT hoc tempore de perfidis Iudæis Imperator Vespasianus, & filius eius Titus, in vindictam sane sanguinis Filij Dei ab ipsis scelestissimè effusi; cuius triumphi memoria, arcus videlicet triumphalis, in quo Candelabrum Templi, quod in triumphum duxerunt, vsque hodie cernitur Romæ; nec Ierosolymæ, & Templi Ierosolymitani euersione contenti, Dauid posteritatem vndequaque extirpare quærunt, & Iudæam destitutam cultoribus diuendunt, binasque drachmas, quæ Templo olim ab ipsis offerebantur singulis annis, in Capitolium Romanum nuper post incendium renouatum afferri iubent. *Res quidem Iudaeorum illo tempore* (inquit Iosephus

Iudæorum euersio.

a *lib. 7. belli c. 26.* ſephus [a] hunc ſtatum habeant. Curauit etiam Veſpaſianus Imp. inquietū Iudæorum circa res nouas ſtudium veritus, ac ne rurſus in vnum congregarentur, & alios ſibi adiungerent formidans, vt Templum etiam aliud ipſorum in Ægypto ab Onia conſtructum, de quo *to. 1. ſub an. 3889.* dictum manet, omnino etiam de medio tolleretur, prout factum eſt per Lupum Alexandriæ Rectorem, & Paulinum ipſius ſucceſſorem, clauſis enim foribus ita inacceſſum factum fuit, *vt ne veſtigium quidem diuini cultus in eo reſideret*, inquit idem Ioſephus [b].

b *ſup. c. 30.*

Onianim templi euerſio.

2 Huius autem Templi Oniani deſolatio aliquid præbere poteſt pro noſtræ hiſtoriæ Eſſenis. Cum enim ipſi, iuxta dicta *ſub eo ann. 3889. n. 11.* ad ipſum confugerint, ſi eo ſpoliati ſunt, proculdubio non mediocria propterea paſſi. Sed pro ipſis alia extant. Poſt hanc Iudæ, & Ieroſolymæ cladem ſicarij plures ex Iudæa in Alexandriam, & Thebas profugi, Iudæis ibi exiſtentibus varijs modis infenſi erant. Prout relatus Ioſephus *c. 29.* refert. Ex quo etiam incommoda præfatos Eſſenos ex Palæſtina oriundos, & in Ægypto commorantes perpeſſos fuiſſe intelligi datur.

Gordonus reiectus.

c *ſub ann. 74.*

3 Occurrit tamen ex aduerſo contra Eſſenorum inſtitutum hoc tempore florentiſſimum Gordonus [c] ſic dicens: *Poſt illud excidium Ieroſolymorum heretici emerſerunt plurimi, & fere ex Iudæis, vt Nazareni, Eſſeni, Menander, & Ebion, de quo Epiphanius hæreſ.* 30. Sed bone Deus, quantum a vero aberrat hic author Eſſenos cum Nazarenis, Menandro, & Ebione confundens, aut coniungens, a quibus toto cælo diſcrepabant. Valde etiam labitur dum putare videtur Eſſenos emerſiſſe poſt excidium Ieroſolymitanum; cum luce clarius ſit eos annis multis ante Chriſti ortum extitiſſe; prout ex Plinio, Solino, Ioſepho, & multis alijs oſtenſum manet *to. 1. ſub anno 3545.* Iunge Genebrardum [d] dicentem: *Erant ergo ante Machabæos, & Phariſæos Eſſeni, de quibus Plinius lib. 5.* Plinius autem, qui primo ſæculo Chriſti vixit, eo loco dicit Eſſenos duraſſe *Per ſæculorum millia*. Quomodo ergo poſt excidium Ieroſolymorum emerſerunt? Peius eſt, quòd ipſos inter hæreticos recenſeat, cum loquendo de Alexandrinis a S. Marco, iuxta in ſuperioribus dicta, in Chriſtianitate, & Monachiſmo inſtitutis, nedum hæreticos, ſed perfectos Chriſticolas, Chriſtianorum, & Monachorum primitias, & Apoſtolicæ vitæ ſectatores extitiſſe, quæ eo loco diximus ex Philone, Euſebio, Sozomeno, Nicephoro, Hieronymo, & alijs, quos ex modernis ſequuntur Baronius [e], Nicolaus Serarius [f] contra Scaligerum, & Nouantes, & Cornelius [g] manifeſtè comprobent. Loquendo etiam de Eſſenis Palæſtinis, nulla hæreſis labe infectos fuiſſe eo loco ſufficienter oſtendimus, & latè probat Serarius relatus, & ſupponunt communiter Doctores. Excipiendi quoad hoc Eſſeni Samaritæ, prauæ namque nationi coniuncti, mores quoque æmulabantur ipſius, iuxta eo loco dicta ex S. Epiphanio, & alijs. Adhuc peius videtur, quòd Gordonus referat Epiphanium [h], quaſi ipſe Eſſenis no-

d *in Chron. lib. 2. circ. ann. mund. 3911.*

e *ſub anno 64.*

f *in Tribæreſio.*

g *in Act. Apoſt. c. 4.*

h *hæreſ. 30.*

tam

tam aliquam erroris appinxerit eo loco. Ibi enim solum loquitur de *Ossenis*, non de *Essenis*. Hos autem *Ossenos* (de quibus idem Epiphanius etiam *hæres.* 19. agit) nihil commune habuisse cum Essenis nullus doctus vel dubitare poterit; si enim vtrorumque dogmata, ritusque viuendi conspexerit, vix dissimiliores homines reperire poterit. Quod clarè probat Serarius *supra*, confirmat VVastelius [a]; & approbant Drusius, & Scaliger, quos ad hoc intentum *sub eo ann.* 3545.*n.*46. retulimus. Ecclesia ergo hoc tempore per Essenos, Alexandrinos maximè, ædificabatur. Grauabatur tamen, imò vexabatur ab Ebionistis, Cherinthianis, & alijs, quos adeò insectabatur Ioannes Apostolus, vt cum ipsorum vnus in balneo quodam esset, diceret discipulis: *Fratres, egrediamur hinc, ne cadat balneum, & pereamus cum eo, qui intus est*. Epiphan. [b], Irenæus [c], Euseb. [d], Theodoretus [e]. Vtinam mente recolerent hanc Ioannis doctrinam Prnicipes Catholici cum hæreticis consortia, & pacta coeuntes.

a in vindic. lib. de instit. monach. Ioan. Ierosolymit. c. 8 §. 8.

b hæres. 30.
c lib. 1. c. 4.
d lib. 3. c. 22.
e lib. 2. hæret. fabul.

4 Melius de Essenis sentit author modernus, qui nuper *in Tabula Chronologica* Romæ impressa per Franciscum Rosinum, & ad Reuerendiss. S. Palatij Apostolici Magistrum nuncupata, loquens de ijs temporibus circa ann. Christi 70. dicit: *Esseni Alexandriæ florent*. Vtique enim eo tempore florebant, & sequentibus quoque flores, & fructus sanctitatis, & doctrinæ mundo dabant. Melius alij.

5 Forsan etiam illud quod *sub an.* 70. dictum ex Bostio, Palæonydoro, & alijs nostris Chronologis de Prophetarum, & Eliæ filijs ab Imperatoribus hac tempestate illæsis dimissis, & muneribus decoratis, ad hoc tempus magis aptè accommodari potest; præsertim, cum anno post passionem Christi 42. qui huic tempori, vel paulo post correspondet, Bostius dicat contigisse. Eliæ filii bene ab Imperatoribus tractati.

Anni Christi 75. & 76. S. Lini Pontif. Rom. 6. & 7. Vespasiani Imperat. 5. & 6.

1 SVB hoc tempore magna philosophorum turba, cum Christum plures post se discipulos reliquisse viderent, simiarum instar ipsum æmulari cupientes, Orbem circumiebant suam falsam doctrinam seminantes. Tales fuere Apollonius Thyaneus, Euphrates, Demetrius, Musonius, Damis Pythagoreus, Epictetus Stoicus, Lucianus Epicureus, Diogenes iunior, qui ob maledicentiam a Vespasiano capite mulctatus est. Hos tamen omnes sua Euangelica doctrina contriuit, & prostrauit S. Ioannes Euangelista Ecclesiæ columna, cum suis socijs, & discipulis Dionysio Areopagita, Ignatio, Herma, Polycarpo, Clemente, & alijs. Quibus proinde Deus vitam longæuam, & in multos annos prorogatam concessisse videtur. Vt vel hinc discant amatores vitę pręsentis eam maximè a Deo prorogari, si ipsi studijs, vigilijs, & laboribus pro Dei Ecclesię exantlandis incumbant, è contra autem Philosophi prostrati a sanctis viris.

Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos. Baronius sub his annis.

Saturninus.

2 Lustrabant Hispaniam per id tempus Euangelij doctrinam in ipsa confirmantes plures Apostolici viri, & inter eos non solum Paulus Sergius B. Pauli Apostoli discipulus, & Narbonensis Episcopus, prout ex Flauio Dextro [a], & ex Episcopo Equilino [b] probat Biuarius [c]; sed etiam Saturninus Tholosanus Antistes, & S. Petri discipulus. Toleti prę sertim. Dexter [d], Morales [e], Marieta [f], & alij apud Biuarium *supra*. Hęc a nobis omitti non debuerunt, quia aliqui ex nostris Saturninum hunc Essenis, seu Ioannis discipulis, ac perinde Elianis accensent. Hi sunt Palęonydorus [g], Coria [h], Emmanuel Romanus [i], & Casanate [k]. Nec sine fundamento, quia ex Ioannis discipulis fuisse tenet S. Antoninus [l] sic: *Saturninus audita fama Ioannis Baptistæ de Ciuitate Patara, relictis parentibus venit ad videndum Ioannem Baptistam. Et visa auctoritate vitæ eius, & audita prædicatione de regno calorum, & aduentu Messiæ Saluatoris remansit cum eo ad tempus, vt Christum videre posset. Et hic fuit ille, qui cum Andrea Apostolo cum audisset ab eorum magistro Ioanne:* Ecce agnus Dei, *scilicet demonstrante Iesum illac transeuntem, secutus est Iesum cum Andrea.* Discipulos autem Ioannis Essenæ scholæ adiudicari posse dicta *to. 1. sub anno 4052. n. 14. & 15.* probabiliter suadent. Addit S. Antoninus, ignorari an iste Saturninus sit idem cum illo alio Tholosano Antistite. Cæterum eundem esse Palæonydorus, Coria, & alij supponunt, & ea quæ de vtroque Saturnino dicuntur vni soli applicari posse. Obstat tamen, quòd de Saturnino Tholosate Episcopo habeatur in Martyrologio Romano, & alijs vetustioribus pro 29. Nouembris, quòd tempore Decij passus sit: Decius autem Imperator non fuit ante tertium Christi sæculum post ducentos, & plures annos ab ipso, ad quod tempus Saturninus ille Ioannis Baptistæ discipulus peruenisse non est credendum. Sed huic obstaculo animosè respondet Biuarius errorem irrepsisse in Martyrologium Romanum. At Baronius ibi, etsi ad aliud intentum, sic opponitur: *Ab antiqua lectione Romani Martyrologij haud facilè recedendum existimamus.* Præsertim, cum in antiquioribus Martyrologijs, & legendis huius Saturnini eadem habeantur. Dicendum ergo alij credent, quibus suffragatur idem Biuarius, Decij nomine non Imperatorem Decium, sed Iudicem alium intelligendum. Ita enim colligitur ex vita eiusdem Saturnini a Surio [m] data, ex *peruetustis M.S. Codicibus*, vt ipse ait, vbi dicitur id accidisse *Decio, & Grato consulibus*. Sed non propterea euacuatur difficultas, isti enim Decius, & Gratus Consules erant anno Christi 254. sub Decio Imperatore, vt Baronius *ibi*. Quomodo ergo sub his Consulibus pati potuit Saturninus Ioannis, & Petri discipulus? Proculdubio ergo tenendum illum Saturninum nostris annumeratum non fuisse eum, qui martyrium passus est sub Decio Imperatore, aut sub Decio, & Grato Consulibus; de quo Martyrologia sub prædi-

a in chronic. ad ann. 66 & 76.
b lib. 2. c. 60.
c comment. in Dextrum ad ann. 76.
d supra.
e lib. 9. c. 14.
f 1. p. lib. 1. c. 15.
g lib. 2. c. 2.
h in Chronic. Carmelit. lib. 7. c. 6.
i in Additionibus.
k in Paradis. Carmelit. stat. 2. ar. 2. c. 11.
l 1. p. hist. tit. 6. c. 25. §. 5.
m to. 6.

prædicta die 29. Nouembris, Baronius sub anno 254. Genebrardus, & Gualterius sub Fabiano, vel Cornelio Papa, ac Gordonus sub anno 253. cum tempora non cohæreant; potuisse tamen esse de ciuitate Patara, vt Antoninus scribit; filium Regis Achaiæ, vt Palæonydorus, & alij ex nostris volunt; Ioannis primùm, deinde Christi discipulum, vt ipsi autumant; postea Petri, vt S. Braulius [a], & Codex alius M.S. de quo Biuarius *supra*, testantur; item esse primum Tolosæ Antistitem, vt plures ex adductis authoribus confirmant, & recipit Claudius Robertus [b] ex alijs, maximè ex Breuiario Bituricensi; ac prædicasse Pampilonæ, vt in dicto M.S. & apud Calanate supra habetur; imò esse socium S. Dionysij Areopagitæ, vt scribunt Methodius, vel Metrodorus antiquissimus rerum S. Dionysij scriptor, & Episcopus Equilinus [c], ac tandem Toleti prædicasse Euangelium, & ibi M. Pelagium, & Aulum Altimum Paternum Toletanos Ciues, vt Dexter existimat, illustrasse. Cætera vero, quæ de Martyrio ipsius apud Antoninum, & alios authores relatos habentur, non ipsi, sed alij longè posteriori ascribenda censemus. Quod autem Dexter [d] de Saturnino refert, scilicet eum secundò Toletum inuisisse, maiorem difficultatem ingerit, cum hoc nec de Saturnino Christi discipulo, & Tolosæ Antistite primo verificari posse videatur ob distantiam temporum; & multo minus de alio Saturnino Martyre sub Decio Imperatore circa annum 254. Christi, propter eandem rationem. Quadamtenus tamen hoc dubium tollitur, si, quod pij Authores animaduerterunt, mente recolatur, primos videlicet huius primi sæculi Euangelij satores longæuitate a Deo donatos, vt tanto operi fructuosius incumbere possent, vt supra tactum est, & in Euangelista Ioanne, Dionysio, Herma, Polycarpo, Clemente, & alijs experientia compertum. Quin addendum, veluti per redundantiam hoc etiam priuilegio potitos plures hoc tempore a natura, vt supra centesimum, & eò amplius annum vitam protraxerint. Eos refert Caius Plinius huius temporis Scriptor [e]. Sic enim impossibile non censebitur, quod ille Saturninus Ioannis, & postea Petri discipulus ad annum Christi 112. vitam protogauerit; cum præsertim dici possit in pueritia Ioannis disciplinæ, prout moris erat inter Essenos, iuxta dicta *to.1. sub anno* 3988. *n.*8. *& sub ann.*4053. *n.* 13. traditum fuisse, ac propterea nonagenarium, plus, minusve hæc efficere potuisse.

3 Quia tamen Saturninus, de quo in præsenti Christi discipulus censetur, de alijs etiam similibus in præcedentibus idem diximus, operæpretium videtur pro talium notitia animaduertere, quòd etsi nominatim solum 72. discipuli *Luc.*10. a Christo dicantur designati, quia tamen plures alij etiam Christi discipuli cognominari solent, vt notat Volaterranus [f], & doctorum 72. nomina non apud omnes sunt certa, ita vt Eusebius [g] dixerit, eorum nomina nusquam inuenisse descripta, idcirco lector mirari nõ debet, cum alij præter dictos 72. aut alijs nomnii-

Christi Discipuli.

[a] in Additionib. ad Maximum.
[b] In Gallia Christiana.
[c] lib. 9. c. 41.
[d] ad ann Christi 112.
[e] lib. 7. natur. histor. c. 49.
[f] l. 19. Vrban. commentar.
[g] lib. 1. Hist. cap. 14.

bus apud aliquos reperiantur sub eodem titulo discipulorum Christi. Horum porro 72. catalogum quendam apud Petrum de Natabilibus Equilinum Episcopum [a] inueniet.

a lib. 6. c. 100.

S. Amator coniux Veronicæ.

4 Huic quoque tempori, anno videlicet 75. adscribi potest mors sancti Amatoris coniugis Verenicæ, seù Veronicæ, cui Dominus speciem suam expressam dedit, & de quo diximus *to. 1. circa annum.* 4057. De eo enim extat testimonium illud Luitprandi [b]: videlicet, *Sanctus Amator, coniux Veronica, cui Dominus faciem suam expressam dedit, famulus S. Virginis Mariæ, & Ioseph, & Domini baiulus, ac nutricius, post discessionem eius ad Cælos, eius hortatu S. Martialem cum coniuge sequutus est ad Gallias, vbi sicut viderat prope Nazareth Eremitas Montis Carmeli eam vitam in editissimo monte sequutus est. Vixit ibi multos annos agens vitam magis cælestem quam terrenam, creditur discessisse anno 75. celebratur 1. die Nouembris.* Consonat etiam D. Antoninus [c] vbi loquens de S. Martiali inquit: *Venit autem cum B. Petro Apostolo Romam, & per eum missus fuit in Galliam; habens in comitatu suo Amatorem, & Coniugem eius Veronicam, quæ familiaris, & præcordialis amica fuit Virginis Mariæ. Sanctus vero Amator in rupe, qua modo* Amatoris *dicitur, solitariam vitam egit, ibique obijt. Veronica autem S. Martialem prædicantem sequuta est in territorio Burdegalensi, ibique consenuit.* Horum ergo Sanctorum coniugum historia, prout ex præfatis Luitprandi, & Antonini, ac etiam Dextri *sub anno* 48. testimonijs elicitur, talis fuit. A' Iudæa expulsi circa annum 35. propter persecutionem post necem S. Stephani à Iudæis excitatam, vel 48. post mortem, & assumptionem gloriosam Deiparæ Virginis, cum sancto Martiali in Gallias venerunt, vbi ille, (vt inquit Luitprandus) *sicut viderat prope Nazareth Eremitas Montis Carmeli eam vitam in editissimo monte sequutus est.* Seù, vt Antoninus inquit, *In rupe, quæ modo* Amatoris *dicitur, solitariam vitam egit, ibique obijt.* Sub anno videlicet isto, proùt Luitprandus credidit. Etenim, vt ipse ait, *vixit ibi multos annos agens vitam magis cælestem, quam terrenam.* Coniux verò Veronica Romam è Gallia venit anno 48. ibique Christi vultum reliquit, vt testatur Dexter *eodem anno.* Videtur autem postea redijsse in Galliam, & in territorio Burdigalensi consenuisse, proùt Antoninus habet, ad annum vsq. 70. Christi, & miraculis claram, vt scribit Dexter. An verò fuerit ea mulier Hæmorrhoissa *Marci* 5. & *Lucæ* 8. commemorata, quod à Christo sanata fuerit & a fluxu sanguinis liberata, alij tractant cum Dextro, & Equilino [d] sicut etiam de historia sacri vultus Domini, qui Romæ apud S. Petrum magna veneratione colitur, & de alio simili (nam linteum duplicatum erat) qui in Hispania in Vrbe Gienensi vulgo *Iaen* reuerentissimè asseruatur.

b in Fragmentis fragmento 209.

c 1. parte Historia tit. 6. c. 22. §. 2.

d lib. 6. c. 131.

Annus

Annus Christi 77. 78. 79. & 80. S. Lini Pont. Rom. 8. 9. 10. & 11. Vespasiani Imper. 7. 8. 9. & 10.

1 HORVM annorum historia vix continet alia nisi Templi Pacis a Vespasiano constructionem augustissimam ex toto terrarum Orbe ornamentis quæsitis, eis præsertim, quæ ex Ierosolymitano Templo sublata erant: Dio, [a] Iosephus [b], Baronius, Gordonus, & alij. Titulus Templi erat: *Paci Æternæ*. Causa dedicationis, forsan, quia Vespasianus, sicut adulatione Iudæorum, Iosephi præsertim, credebat se illum esse Regem, qui toti dominaturus Orbi a Prophetis promittebatur, imo miracula patraturus, proùt fecisse historici de illo fabulantur, sic & esse eum de quo *Isai. 9.* legitur. *Vocabitur nomen eius Princeps pacis*. Baronius. [c]

Historia prophana.

a in Vespasian.
b de Bello Iudaic. l. 7. c. 24. in fin.
c sub ann. 77.

2 De Ecclesiastica porrò historia id occurit, quod cum aliqui eo tempore Martyres a Gentilibus fierent, etsi non edicto Vespasiani, imo forsan eo in scio (Sueton. [d]) S. Linus Papa iussu Saturnini Consularis Martyrio coronatur die 23. Septembris anno 80. Christi; sepultus in Vaticano. Martyrologium Rom. Vsuard. & alij. Ei autem successit Cletus Romanus. Chronologi *communiter*.

Ecclesiastica.

d cap. 15.

3 Quoad nostram verò historiam spectat, habemus Caij Plinij huius temporis scriptoris, vtpote, qui Vespasiano Imperanti opus nuncupat, celebre testimonium de Essenis nostris [e]. Postquam enim de lacu Asphaltites, qui est iuxta Iordanem Palæstinæ, dixerat, subdit: *Ab occidente littora Esseni fugitant vsq; quam nocent, gens sola, & in toto Orbe præter cæteras mira, sine vlla fœmina omni venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum. In diem ex æquo conuenarum turba renascitur, largè frequentantibus quos vita fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ita per sæculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur. Tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est. Infra hos Engadda oppidum fuit, secundum ab Ierosolymis fertilitate, palmetorumque nemoribus, nunc alterum bustum.* Hæc Plinius discussione digna; eo etiam quod author in veritate inquirenda diligentissimus, & studiosissimus prædicetur, adeo vt etiam iter agens in lectica, qui ipsi libros legeret gestaret, & somno accumbens lectitare solitus esset. Expendendum primo, hæc Plinium scripsisse de gente sibi coæua, suo tempore superstite, ac vigente; Romanisque nota, qui proximè totam eam Iudæorum Regionem peruaserant, inuaserant, occuparant, vt patet ex verbis *fugitant, renascitur, agitat, est*, quæ sunt temporis præsentis, quibus clarè innotescit, ea tempestate qua hæc scribebat, hanc Essenorum gentem vixisse. Deinde cum solum agat de Essenis Palæstinæ, & Iudææ, proculdubio fatendum, præter Essenos Alexandrinos a D. Marco, vt in superioribus diximus, in fide, & monachismo Regis nouæ institutos, etiam istorum Palæstinorum rationem

Nostra.

e lib. 5. histor. natur. c. 17.

habendam. Ipsorum autem vetustatem etiam hyperbolice insinuatam habemus illis: *Per sæculorum millia* & *Gens æterna*. De quo *to. 1. sub anno 3545.* & supra *in Apparat.* Vtrosque etiam eiusdem instituti cultores fuisse, quamuis Plinius nihil de hoc, ex eo tamen colligitur, quod mirabilis istorum vita, in castitate præsertim, paupertate, solitudine, & parsimonia illis verbis indigitata: *Omni venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum*, in Alexandrinis reperiretur, iuxta ea, quæ locis relatis scripsimus. Ad hæc, hosce Palæstinos Eliani instituti cultores fuisse abunde indicatur illis *Infra hos Engadda oppidum fuit*. Etenim Engaddi habitationem fuisse Prophetarum Elisei discipulorum clarè habetur ex dictis *to. 1. eo ann. 3545. n. 40. & ann. 4052. n. 13.* maximè ex illis verbis Genebrardi [a] scilicet: *Eliseus construxit cellas Prophetis in Ierichuntis solitudine, manauit institutum, & loci Religio ad posteros, fuitque desertum hoc vsque ad Engaddi ab Essenis habitatū hominibus continentiæ incredibilis:* ac ex illis Iacobi Zegleri [b] de Adumim, quē vocat portionem Engaddi: *In huius solitudinis parte sedet Eliabu Propheta, & Eliasab construxit cellas Prophetis. Manauit institutum, & loci Religio ad posteros, fuitque desertum hoc vsque ad Engaddi habitatum ab Essenis, hominibus incredibilis continentiæ.* Quibus etiam fauent Enriquus Guthberlotus [c], Petrus Opmerus [d], & noster Vuastellius [e]. Ex ijs porro Essæis à Plinio commemoratis, vnus, immo arctioris vitæ inter alios videtur esse ille Abbas nomine, ad quem Flauius Iosephus Iudæus hoc tempore celebris in solitudine degentem se contulit, vt eius vitæ rationem addisceret, iuxta dicenda infra *ad ann. 83.*

[a] *lib. 1. Chronolog. circa ann. 3272.*
[b] *in descript. Palestinæ in monte Adumim.*
[c] *in Chronolog. pag. 182.*
[d] *in Opere Chronograph. ann. 3992.*
[e] *in Vindic. Ioann. Ierosol. de Instit. Prim. Monach. sect. 5.*

Ann. Christ. 81. & 82. Cleti Rom. Pontif. 1. & 2. Titi Imper. 1. & 2.

Titus Imperator.

1 MORTVO Vespasiano Imp. anno Imperij sui 10. & ætatis suæ 69. filius eius Titus ipsi successit, optimus Princeps, & Principum exemplar. Adeo beneficus fuit, vt non permitteret quemquam a se tristem abire; hinc, cum semel super cœnam recordaretur, se eo die nemini beneficium contulisse, exclamauerit: *Amici, diem perdidi*. Ijs qui in necem suam coniurarunt, pepercit dicens: *Periturum se potius, quam perditurum*, Suetonius [f], Dio [g], D. Hieronymus. [h] Discant Iudæi, tam pijssimum Principem in eorum vindictam adeo rigidum fuisse, ab ira Dei, propter Christi necem, emanasse.

Titianæ Thermæ.

2 Spectat quadamtenus ad nostræ Carmeliticæ historiæ cursum, quod Titianæ Thermæ a Tito hoc Imperatore in Exquilino ex septem Vrbis celebrioribus colle vno extructæ fuerint, & cognominatæ, versus locum *Carinæ*, seu *Orfea* nuncupatum; licet postea quia a Domitiano fratre, & Traiano Imperatoribus ornatiores, & vsui commodiores, varijsque aquæductibus locupletiores effectæ, Domitianæ, seu Traianæ vulgo appellatæ sunt. Ecclesia etenim S. Syluestri & Martini, quæ

[f] *in Tito cap. 6. & 11.*
[g] *in Tito c. 8. & 9.*
[h] *in epist. ad Galat. c. 6.*

hoc

hoc tempore a nostris possidetur, eo loco constructa fuit. De quo diligenter satis Ioannes Antonius Philippinus eius Ecclesiæ & Conuentus Præsul emeritus, benemeritus quoq; nunc totius Ordinis Generalis Antistites, in eleganti Tractatu de hac re edito, & Romæ impresso sub anno 1639. præsertim *c.* 2. *&* 5. & nos plura in sequentibus suo quæque loco, vel ob deuotionem erga pretiosissimam Ordinis gemmam, ob innumera sanctorum corpora, & reliquias ibi condita, ac ex Cœmeterio Priscillæ translata; Sedem ibi a S. Syluestro Papa fixam; sacra Concilia celebrata; donaria a summis Pontificibus concessa; pluraque alia ornamenta, quibus hoc Templum inter Vrbis celebriora fulgens potitur. Nunc solum ea afferenda, quæ in quodam M. S. quod extat in Cœnobio præfato, & cui titulus est, *Chronica elucidatio Conuentus sanctorum Syluestri, & Martini, &c.* habentur, his verbis: *Anno a partu Virginis 81. tempore S. Cleti Romani Pontificis Titus Imperator Vespasiani filius in Monte Exquilino prius Carino appellato, in quo olim Ciceronis, Magni Pompeij, Octauij Augusti, Imperatoris Neronis domus, hortique Mecœnatis extiterant, a fundamentis erexit quasdam spaciosissimas thermas amphitheatro, seu Coliseo propinquas in prima tunc Romæ regione, quæ à suo Imperatoris, & Authoris nunc Titianæ Thermæ appellatæ sunt. Anno autem 83. tempore eiusdem præfati Pontificis Tito Imperatori successit Domitianus filius etiam Vespasiani, & Titi frater, qui easdem numero Thermas Titianas nondum præ sui fratris prematura, & violenta morte perfectas auxit, & perfecit, quas Domitianas de suo nomine edixit nuncupari, primo sui authoris suppresso, quod ipsum facere sueuisse alijs in fabricis, & operibus ab ipso Imperatore restauratis testatur Suetonius Tranquillus adhibens pro exemplo Campidolium, quod in ruinam præ combustione colapsum restaurans suo nomine tantum alijs aboletis præcepit vocitari,* Vide Pompeium Vgonium.[a]

[a] in Histor. de Stationib. Romæ in Stat. 30

3 Ad hunc annum 81. spectat prima erectio Religiosorum, qui in Ecclesia *Cruciferi* appellantur, a Papa Cleto hospitalitatis ergo pro illis, qui SS. Apostolorum Petri & Pauli reliquias visitaturi Romam aduenissent, instituta. Prout ex summorum Pontificum Diplomatibus, authenticis instrumentis, & Authoribus dicemus *sub ann.* 326. & comprobat Annibal Canalis.[b] Cuius rei historia nostram concernit, non solum quia ex ea elicitur Cleti tempore monachismum viguisse, prout ex dicto Annibale approbat Barbosa[c], sed etiam, quia vt eo loco latius prosequemur, sacer hic Cruciferorum Ordo tunc initiatus, & postea depressus, eo tempore excitatus fuit, per viros Religiosos a Carmelitis instructos.

Cruciferi.

[b] in lib. de vit. fundat. Relig. in S. Cleto.

[c] de Iur. Ecclesiast. lib. 1. c. 41. n. 4.

Annus

Annus Christi 83. Cleti Pontif. Rom. 3. Titi Imper. 3.

Titi mors.

1 HOC anno Titus Imperator magno omnium dolore de medio sublatus est, veneno a fratre Domitiano (vt fama fuit) illi propinato, vel morbo, aut casu aliquo, vt alij autumant. Illud certum habuisse in successorem Domitianum natura sæuum, ingenio ferocem, & vafrum, quem nec multis officijs, & exemplis Titus potuit demereri, aut emollire. Suetonius, Dio, & alij *in Tito.* Semper enim verissimum fuit illud, *Peruersi difficilè corriguntur,* a Salomone dictum *Ecclesiast. 1.*

Oratorium in Carmelo.

2 Celebris hic annus in nostris Historisj habetur, ob pium deuotionis signum erga Dei, & Religionis Matrem a clientulis, & filijs demonstratum, eidem sanctissimæ Patenti Oratorium, seu sacellum in Carmelo monte nuncupando, in Orbe primum, vt asseritur. Discussione tamen res eget, vt veritati historiæ narratio cohæreat. Prius tamen Authores sigillatim audiendi. Et illis prætermissis, qui huic facto certum tempus non assignant, quos retulimus supra *in Appar. c. 6.* solum afferendi, qui hunc annum commemorant.

Ioannes Ierosolymitanus. [a] in lib. de Instit. Monach. c. 36. alias 43.

3 Horum primus est Ioannes Ierosolymitanus [a] sic; *Et in memoriam visionis de ortu huius Virgines praostensæ sancto Prophetæ Eliæ sub specie nubeculæ ascendentis de Mari in Carmelum, monachi prædicti anno Incarnationis Filij Dei 83. diruentes eorum seunion antiquum ædificauerunt ad honorem huius primæ Virginis Deo dicatæ cappellam quandam in Monte Carmeli iuxta fontem Eliæ in situ illo, in quo Elias orans viderat nubeculam illam quasi vestigium hominis de mari ascendere in Carmelum. Vbi professores prædicti se ipsos huic Virgini commendantes singulis diebus in septem horis canonicis ad effundendum dictæ Virgini, & eius Filio sedulas preces ex tunc semper conuenerunt, ibique de verbo diuino, culpisque vitandis, & animarum salute procuranda humili colloquio ad inuicem consulerunt. Et propterea cæteri etiam ab eorum Religione externi eos deinceps fratres B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli semper appellauerunt,* Præterea Ioannes de Vineta *in Tractatulo* qui incipit, *Cum quidam Fratres*, sic ad intentum: *Quorum successores post incarnationem Domini nostris Iesu Christi Oratorium in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ Matris Dei construxerunt, & ipsius titulum elegerunt, & ob hoc Fratres Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli deinceps per Apostolica priuilegia sunt vocati.* Et infra [b] sic: *Anno Incarnationis Christi 83. Fratres Carmelitæ diruentes eorum seunion antiquum ædificauerunt primæ Virgini Deo dicatæ, scilicet Beatæ Mariæ Genitrici Dei, Cappellam quandam in Monte Carmeli iuxta fontem Eliæ in situ illo, in quo Elias orans viderat nubeculam quasi vestigium hominis de mari ascendentem in Carmelum, vbi professores prædicti seipsos huic Virgini commendantes singulis diebus in septem*

Ioannes de Vineta.

[b] cap. 3.

horis

horis canonicis ad effundendum dicta Virgini, & eius Filio sedulas preces, & supplicationes; atque laudes tunc semper conuenerunt. Et propterea cæteri ab eorum Religione externi eos deinceps Fratres B. Mariæ de Monte Carmeli semper appellauerunt. Horum etiam authorum mentem amplectitur Thomas de Iesu [a].

4 De exteris autem authoribus quamuis pauci huic anno 83. huius Capellæ constructionem expresse attribuant, quatenus tamen Ioanni Ierosolymitano quoad hoc subscribunt, eodem anno quo ipse id contigisse credit, factum autumasse videntur. Hi sunt inter alios Laurentius BeyerlincK [b], dum de Carmelitis agit, Thomas Ferrarius Bononiensis Ordinis Iesuatorum S. Hieronymi [c], Ioannes Carthagena [d].

5 Est tamen hoc loco nodus Gordiano haud dissimilis enodatione dignus occurrens. Cum enim ex testimonijs, & authoribus *in Appar. c. 6. & sub ann. 36. 37. & 38. Christi* relatis pro comperto habeatur nostros Eliades Carmelicolas Deiparæ communi Parenti adhuc in viuis superstiti, vel saltem parum post ipsius in cælum gloriosam assumptionem, omnium hominum primos (nec enim par erat clientulos in tantæ Patronæ reuerentiam exhibendo morosos, aut desides reperiri) Oratorium, seu Sacellum in Carmeli Monte ipsorum originali solo nuncupasse, qui fieri possit, vt sub hoc 83. Christi anno, non paucis post ipsius mirabilem transitum, & quando totus mundus templis Virgini Matri dicatis plenus erat, veluti postliminio res gesta dicatur? Verumtamen si historiæ nostræ, præfataque testimonia oculatius, & intimius perspiciantur, nec aliquid veritati aduersum, nec nostrorum pietati contrarium quidquam reperietur. Punctus in eo est, vt, iuxta dicta locis relatis, non vnum, sed duo fuerint huiusmodi sacella Dei Matri a nostris dicata, vel potius vnum ad diuersum locum eiusdem Montis, diuerso tempore mutatum, seu translatum. Etenim sub anno Christi 38. id primò gestum fuisse in decliuio, seu latere Montis, eadem Deipara viuente, & vidente, testimonia illa, pietas & deuotio Ordinis erga tantam Patronam, ipsiusque erga Ordinem beneuolentia, ac titulus Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo a primæuæ Ecclesiæ æuo eidem competens sufficienter suadent. Similiter sub hoc anno 83. in Montis summitate, vel vertice ac ex priori loco translatum, seu mutatum sacellum fuisse consecratum eidem Deiparæ, testimonia eis locis relata, & quæ in præsenti retulimus abundè quoque confirmant. Cum autem plura ex præfatis testimonijs suadeant rem gestam paulò post eiusdem Virginis ad cælestia Regna transitum, ideo verbis illis Mantuani nostri [e] ducti: *Mox sacelli fundamenta iecerunt*, diximus *sub anno* 49. eo tempore id inchoatum, non verò perfectum fuisse, vsque ad præsens vtrique tempus. Hanc porrò sententiam nostram ab omnibus amplectendam, nedum quia varietatem testimoniorum, quæ de hac re sunt, aptè conciliat; sed quia veritati ipsi valdè cohæret, facilè conijcitur, si statum Reipublicæ Iudæorum,

Gali-

a de Antiquit. Carmelit. lib. 1. c. 15.

Exteri authores.

b in Theatro vitæ humanæ.
c in Histor. Imagin. Beatiss. Virgin. nũcupata del Monte della Guardia c. 1.
d to. 4. homil. hom. pro Carmelitis.

Quo tempore.

e in Apolog.

Galilęæ, & Montis Carmeli in ipſius confinio poſiti pro his temporibus conſpiciamus. Etenim, cum anno Chriſti 38. Iudæi peſſimi Chriſtianitatis hoſtes patriam illam etſi ſub Romanorum aliquali iugo, occuparent, vix permiſiſſe credendum, vt aram aliquam, ſacellumve ſolemne in ſublimi, & eminenti Montis loco eius, quem ipſi crucifixerant, Matri, Chriſticolæ nuncuparent; eò præſertim quòd Orationis locus extra Ieroſolymitanum Templum ipſis execrabile eſſet. Solum ergo in abdito loco decliuij, vel lateris Montis, in crypta videlicet, vel ſpelunca Eliæ nunc *Kader* nuncupata, iuxta dicta loco relato ex *Apparatu* id efficere potuere. Cum verò hoc Chriſti anno 83. poſt cladem a Tito, & Veſpaſiano Iudæis meritò a paucis annis illatã, Regno, Templo, & patria priuati manerent, in Orbem exules, deiecti, pulſi, viribuſque penitus confracti eſſent, proculdubio, Deo, & tempore iuuante, nec tam acriter Ethnicis, ob Titi præſertim benignitatem in Chriſtianos, ſæuientibus, locus dabatur Carmeli Anachoretis, vt in eminentiori Montis loco, apice videlicet, ſeu vertice, ſacellum Deiparæ ſolemnius, pro Eliano alio eo loco ſito, deuotè nuncuparent; ex ſpeluncæ abditis Virginis Religioſam aram in ſublimiorem locum transferentes, ac ędificium, quod prius inchoauerant perficientes. Hęc iam pridem a Ioanne Pinto de Victoria [a], delineata a nobis magis elucidata pio lectori offerimus.

[a] *In Hierarchia Carmelitan. Tract. 5. c. 2.*

Difficultas ſoluta.

6 Ex ijs verò corruit difficultas a nobis ſuperius obiecta. Cum enim nouum iſtud ſacellum a noſtratibus in Carmeli eminentiori loco ſub hoc tempore erectum, idem veluti fuerit ac prius illud in decliuio, ſeu latere Montis ab eiſdem Virgini conſecratum, vtpotè cum non tam de nouo conditum, quam de loco ad locum tranſlatum, ſeu mutatum fuerit; ideo quemadmodum vetus illud, primum in Orbe, Deiparę, ipſaque ſuperſtite, dicatum dici potuit, ſic & nuperum iſtud, non quidem tranſlationis, ſed primęuę conditionis reſpectu conſideratum. Etenim loci ſacri mutati, ſeu tranſlati hoc ius eſt, vt ipſius pręrogatiuę, ſeu præeminentiæ non propterea perdantur, ſed cum ipſo transferantur. Bartolus *l. hoſpes ff. de captiuis*. Gloſſa *in cap. priuilegium de regul. iur. in 6.* Innocentius *in cap. cum ex iniuncto de oper. nou. nunciat.* Alexander *l. inter ſtipulantem §. ſacrum. ff. de verbor. obligat. & conſil. 43. vol. 1.* Gaillus *lib. 2. obſeruat. 61. n. 10.* Philippus Francus *in cap. cum perſona, §. ſi verò in fin. de priuileg. in 6.* Vvameſius *conſ. 63. n. 2. & conſ. 64. n. 3. de indic.* Tamburinus *de iure Abbat. to. 3. diſp. 5. quæſ. 6.*

Quale fuerit oratorium.

7 Porrò primęuum illud ſacellum circa ann. Chriſti 38. Deiparæ a noſtris dicatum, ipſa viuente erectum fuiſſe, pro comperto omnibus eſt, cum inter plurimas, variaſque de tranſitu Virginis ſententias, quas *ſub ann. 48.* retulimus, nulla huic placito refragetur. Poſſe autem dici primum omnium, quæ eidem Deiparæ conſecrata cum adhuc ſuperſtes eſſet, non difficilè ſuadetur ex comparatione cum alijs, quę ſimiliter eidem viuenti dicatę dicuntur, eis videlicet, quę a Martha apud Maſſi-

liam,

liam, & a S. Petro Antaradi, ac Iacobo Apostolo Cæsaraugustæ in Hispania, iuxta dicta *sub ann. 36.* ab authoribus commemorantur. De duobus namq; illis prioribus nullo fundamento dici potest ante præfatum 38. Christi annum extructa fuisse; & de tertio illo Cæsaraugustano ad 39. referendum esse eo loco probauimus.

8 Ex dictis portò iudicium ferre potest Lector eorum, quæ Georgius Coluenerius [a] scripsit his verbis: *Disputatur quænam prima omnium fuerit Ecclesia B. Mariæ ædificata, & de ea re certant inter se auctores, vt videre est apud Locrium lib. 3. c. 2. Alijs dicentibus eam quæ fuit in Nazareth in domo in qua Verbum caro factum est, ab Apostolis consecrata. Alij primam faciunt eam, quæ in Monte Carmelo, de qua die 30. Ianuarij num. 4. & 16. Iulij §. 1. num. 1. Alij eam, quæ Antaradi apud Tripolim in Syria a Beato Petro consecrata est, de qua infra die 1. Augusti §. 2. Alij Ecclesiam Columnæ in Hispania præferunt, vbi Sancto Iacobo apparuisse dicitur, vt Dexter in Chron. omnimoda histor. an. Christi 38. Alij eam, quæ in Tungris per S. Maternum B. Petri discipulum. Vvichmans in sua Brabantia Mariana lib. 1. c. 3. hæc quinque recenset templa in B. Virginis adhuc viuentis memoriam, & honorem extructa. Primum Antaradi in Syria: Secundum in Hispania a S. Iacobo, quæ vt est in diplomate Callisti III. Romani Pontificis dato an. 1456. Camera angelica Dei Genitricis de Pilari nuncupatur. Tertium in Gallia apud Massiliam, de qua vide 17. Decembris. Quartum in Nazareth in domo in quo nata fuit, & Verbum Dei incarnatum. Quintum in India Orientali vrbe Cranganore ab vno trium Magorum, de quo citat auctores Osorium, Spinellum, Carthagenam, & Fererium. Ibidem toto cap. 2. ostendit etiam ante suam Natiuitatem a varijs nationibus cultam fuisse Deiparam, & templa atque imagines ei erectas, & in epist. operi præfixa ad Marianos cultores, & amatores, ait apud Tungros a B. Materno primam infra Alpes beatæ Virgini dicatam esse Ecclesiam. Cæterum Abyssini eam gloriam sibi tribuunt. Vnde in historia Æthiopiæ Gallica anno 1626. excusa pag. 89. dicunt Candacem Reginam instructam in fide a suo Eunucho, qui in Actis Apostolorum a Philippo Diacono baptizatus legitur, ædificasse Ecclesiam ad honorem B. Virginis Mariæ, dum adhuc in viuis existeret: hanc, inquam, gloriam sibi tribuunt, quòd cæteras omnes nationes in templis B. Mariæ erigendis præuenerint. Verùm prædictis omnibus antiquior est Ecclesia, siuè sacellum & ara, quæ in agro Carnotensi centum annis ante Christi Incarnationem ædificata est Virgini pariture, vt probat supradictus Sebastianus in sua Parthenia, cap. 3.* Hæc ille, de quibus iudicandum quid sit ex prælibatis elici potest.

Varia templa Deiparæ nuncupata.

[a] In Calendar. Sacratiss. Virg. pro die 30. Iulij.

9 Id autem quod in relatis testimonijs adiungitur, scilicet in eo Oratorio, seu sacello Carmeli colonos, *se ipsos huic Virgini commendantes singulis diebus in septem horis canonicis ad effundendum dictæ Virgini, & eius Filio sedulas preces ex tunc semper conuenisse*, non solum confirmat a temporibus Apostolorum hunc morem inter clericos, & Religiosos in vsu fuisse, certis videlicet horis nocturnis, & diurnis ad Ædes sacras, vel

Quid in eo Oratorio Carmelitæ.

Ora-

Oratoria conueniendi, ibique psalmos & hymnos cantandi, prout ex Plinio iuniori [a], Tertulliano [b], Clement. Romano [c], Cassiano [d], Vualfrido [e], Radulpho Tungrensi [f], & Vualdensi nostro [g], eliciunt Gilbertus Genebrardus [h], Marcellus Francolinus [i], Dominicus Soto [k], Cardinalis Baronius [l], Cardinalis Bellarm. [m] & alij recentiores; sed maximè, & propius ad nostri instituti intentum, quòd tam ij, qui Carmeli Montana colebant, quam Esseni illi, qui sub Marci disciplina, in Alexandriæ partibus instituebantur, eiusdem Ord. cultores, & professores extiterint. Cōstat autem Essenos illos Marci discipulos hanc etiam institutionem obseruasse, prout ex Philone [n], Eusebio [o], Hieronymo [p], Cassiano, ac Clemente Romano supra haurire potuit Vualdensis noster *cap. 22. relato nu. 5. in princ.* dicens: *In primæuis Ecclesijs vsus officiandi est institutus communiter, cœpitque inter Religiosos S. Marci institutio quædam haberi solemnis, quam postea multa traxerunt Ecclesiæ, quam vtique describit Philo, qui sancti Petri fruebatur alloquio, &c.* Philonis porro verba *supra in Appar. c. 1.* transcripta manent.

10 Similiter cum in relatis testimonijs dicatur, *se ipsos Virgini commendantes*, & rursus: *Dictæ Virgini sedulas preces, &c.* dubitari meritò potest, an in eo Oratorio, seu sacello aliquam eiusdem Deiparæ Iconem, seu Imaginem collocauerint, vt ad ipsam præfatas preces effunderent. Et quidem, licet parum nihilue potius ex nostris historijs ad intentum hauriri possit, ex ea tamen, quam Thomas Ferrarius Bononiensis ex Iesuatorum S. Hieronymi Ordine scripsit, *de Imagine Beatissimæ Virginis* nuncupata *della Guardia*, quæ Bononiæ asseruatur, hæc habemus *capite primo* de dicta Imagine. *Se vogliamo prestare in questo luogo piena credenza all'etimologia a lei communemente attribuita, che* Bononia *dir voglia* Omnia Bona; *certoche all'hora hebbe la verità compito luogo, quando dico vi entrò il deuoto sembiante di Maria Vergine. Perche essendo lei fonte di gratie non restò dall'hora in qua d'irigare sopra Bologna ogni bontà, e fauore. Per essere quella istessa santa Imagine, che fu con gran zelo, e diuotione adorata da quei primi Padri del Monte Carmelo nel primo Oratorio eretto, e consecrato a honore di Maria Vergine poco doppo la sua ascensione in Cielo fino al tempo de' Santi Apostoli.* Et infra: *Essendo fatti i Carmeliti studiosi è diuoti di essa Madre di Dio, fra le altri cose degne di lode furono custodi di questa nostra Imagine santa.* Habetur ergo ex hoc authore hanc Virginis Deiparæ Iconem Bononiæ reseruatam eandem primitus in Carmeli primæuo Oratorio a montis eiusdem Eremitis collocatam, & veneratam fuisse, sedulas preces, & laudes ad ipsius conspectum effundentibus, prout ex testimonijs relatis colligitur. Et quidem rationabiliter satis, cum Templa, seu sacella Christianorum nunquam sine sacris Imaginibus extructa fuerint, ne Hebræorum synagogis, aut Mahumetanorum Meschitis similia apparerent. Hinc aurea illa sententia ex secundo Concilio Niceno, & Isidoro Pelusiota desumpta: *Templi nulla ratio, quod non*

[a] lib. 10. epist. 97. ad Traian.
[b] in Apologet. cap. 2.
[c] l 8. Constit. Apostolic. c. 40.
[d] l 2. de Instit. Cœnob. c. 5.
[e] lib. de Reb. Ecclesiast. c. 25.
[f] lib. de Canon. obseruantia propos. 22.
[g] to. 3. de sacramentalib. tit. 3. de hor. Canon. c. 21 & 22.
[h] l. 3. Chronographia anno Christi 555. in Pelagio Primo.
[i] Tract. de tempore horarum can. cap. 12. & 13.
[k] l. 10. de iust. quæst. 5. art. 1. conclus. 5.
[l] to. 1. Annal. ann. Christi 34. n. 251. & ann. 51. n. 68.
[m] to. 4. controuers. lib. 1. de bonis operibus in particulari cap. 13.
[n] in lib. de vita Contemplat.
[o] lib. 2. Histor. cap. 17. vel 18.
[p] in lib. de Scriptorib. Ecclesi. in Philone.

An ibi aliqua Virginis Icon.

non ornatur imagine. Hinc quoque Damafcenus [a] ait: *Si templa conftruis fanctis Dei eorum etiam trophaea conftitue*. Hoc ergo ab Eliæ pofteris Dei Parenti dicatum Sarcophagum aliqua ipfius ornabatur Imagine.

a *Orat. 1. prope medium.*

11 Dixerat autem idem Thomas Ferrarius relato loco hanc Deiparæ imaginem in eo Carmeli Oratorio a noftris primæuis Patribus collocatam a S. Luca Euangelifta depictam fuiffe. *Quindi è che non folo fi compiacque che tal ritratto foffe dall'Euangelifta S. Luca femplicemente delineato, ma con viui colori formato, & abbellito, fi che fe dall'hora in qua riceuuto egli ha in dono di perpetuità*. Hæc ille. Referens poftea, qualiter anno 1160. per quendam deuotum Eremitam Euthymium nomine, natione Græcum, & profeffione (fecundum aliquos) Carmelitam è Conftantinopoli Bononiam adducta fuerit. Rem fub eo anno profequemur; nunc vero; folùm expendendum id quod dicitur de ea imagine a S. Luca depicta. Etfi enim communi calculo Doctorum receptum fit poft Metaphraftem, Nicephorum & alios, qui Lucæ gefta narrant, eum, vtpote egregium pictorem, prout eum Niephorus [b] appellat, Virginis Matris, ipfa pie confentiente, vultum effigiaffe, quia tamen plures huiufmodi facræ Icones hanc fibi prærogatiuam ambiunt, quales funt quæ in Vrbe cernuntur in Bafilica S. Mariæ Maioris, in Ecclefia *Ara Cæli* dicta, in S. Maria *in via lata*, in S. Maria *Rotunda*, in Deipara *Gratiarum* appellata, in S. Maria *noua*, in S. Dominico Montis Bagnanapolis, in S. Maria *del popolo*, in Monialibus Campi Martij, & in Ecclefia S. Auguftini Patrum Eremitarum eius Ordinis; & aliæ extra Vrbem; magnam, & difficilem nobis prouinciam affumemus, fi hanc Bononiæ referuatam imaginem, & prius a Carmeli cultoribus poffeffam, eiufdem Lucæ manu depictam fateamur. Lis tamen dirimitur, fi aduertamus, non vnam fed plures eundem Lucam fiue vltro, fiue rogatum fanctiffimæ Virginis Icones effigiaffe. Duas expreffiffe habent Ferreolus Locrius [c], & Ioannes Bonifacius [d]. Cæterum plures fuiffe confentiunt Canifius [e], Thomas Bozius [f], Hermanus Stedelius [g], Hippolytus Marracius [h], & Nicolaus Dalmatius [i]. Inter has ergo vna fit hæc noftra, de qua in præfenti. Cui fuffragatur quod Carmelus nec à Nazareth, aut Ierofolyma, vbi Beata Virgo nata, vel educata, nec ab Antiochia, vnde Lucas ortus, & (quod magis) neque a Virginis deuotione, & commercio dum viueret, longe erat. Adhæc Deiparę Iconem Lucæ penicillo expreffam Conftantinopoli referuatam fuiffe teftantur Ferreolus, & Bonifacius relatus, cum ergo Bononienfis hæc ex ea vrbe Bononiam translata, vt vidimus, feratur, pro fe affert teftimonium. Id ergo pie credendum, ficut & quod eadem fanctifsimę Matris Imago a deuotis fibi Carmelitis in Carmeli Oratorio in veneratione debita primitus fuerit, & ad ipfius confpectum piæ præces Filio & Matri effundi folitæ effent.

An S. Luca depicta.

b *lib. 2. c. 48*

c *in Mariæ Augufta lib. 23. cap. 147.*
d *lib. 2. hiftor. Virgin. c. 10.*
e *lib. 5. cap. 22.*
f *de fign. Eccl. lib. 9. cap. 8.*
g *etat. 6.*
h *in Apoftol. Mariano c. 2. & 10.*
i *in lib. de Origine Templo S. Mariæ del popolo.*

12 In cuius memoriam plura apud noftrates Romæ huius Bononienfis Deiparæ Iconis exemplaria, in Sacriftia præfertim Ecclefiæ S. Mariæ

Eius memoria.

Transpontinæ, cum hac inscriptione cernuntur: *Dei Matris Iconis à S. Luca Euangelista depictæ, in primæuo illo Sacello montis Carmeli in honorem ipsius Virginis erecto tempore Apostolorum locatę, inde Byzantium, post anno 1160. diuino monitu per quendam eiusdem Montis Eremitam Eutymium nomine Bononiam translatę, ibidem vsque adhuc miraculis celebris, vera effigies.*

Abbas Essenus 13 Erat sub hoc tempore celebris quidam Essenus *Abbas* nomine, quem Iosephus Flauius Iudæus æmulari cupiens in solitudine mira vitæ austeritate degentem adijt, & cum eo per triennij spatium conuiuens, ipsum postea deseruit, Pharisæorum secta magis delectatus. Rem sic enarrat Cedrenus [a] de Essenis agens: *In hoc studio, cum Iosephus ad summam perfectionem prouectus maiores adhuc facere progressus cuperet, audito, quemdam in solitudine vitam degere, Abbam nomine, cui sub arboribus latibula, vestis, cibus, quod terra vltro educeret, ductus æmulatione eius tam absolutę exercitationis, ad ipsum se contulit, trienniumque cum homine versatus, in vrbem rediȷt, Pharisęorumque iussi im vitam coluit.* Eadem Georgius Peccator [b] etiam *sub Claudio*, interprete Leone Allatio; commemorans Iosephum præfatum adijsse quendam Essæum Abbam nomine, qui ante alios eo instituti genere vteretur, nam vestem illi arbores subministrabant, alimenta vltro terra educebat, & quòd eius summæ exercitationis æmulatione raptus ad illum se contulerat. sed postquã per triennium cum illo versatus esset, Romam redijt, & Pharisæorum sectæ nomen dederit.

[a] in histor. Compend. in Claud. Imper.

[b] in Cronich.

Ann. Chr. 84.85.86.87.88.89 90.91.& 92. S. Cleti Pont. Rom. 4.5.6.7.8.9.10.11.& 12. Domitiani Imp. 1.2.3.4 5.6.7.8.& 9.

Domitianus Imperator. 1 PAVCA ministrant his nouem annis historiæ Annalibus nostris digna, vt propterea in vnum colligi debeant. Imperat hoc tempore Domitianus vir sęuus, vtpote qui non solum in Philosophos plures tum è Vrbe pellendo, tum mactando insaniret, sed etiam in innocentes Christianos, plures illorum neci tradendo. Inter hos illustiores Martyres fruere S. Eutropius Episcopus Santonensis in Gallias a S. Clemente missus, ascriptus Martyr die 30. Aprilis; Lucianus Episcopus Bellouacensis die 8. Ianuarij, ac Maximianus, & Iulianus Presbyteri; Carnoti verò Ceraunus 28. Maij; item Nicasius Episcopus Rhotomagensis; Quirinus Presbyter; Scabiculus Diaconus; Patientia virgo; S. Romulus Fęsulanus in Tuscia Episcopus, illuc a S. Petro missus; Ptolemæus Episcopus Tuscanię; Eugenius Toletanus Episcopus; Mantius ciuis Romanus Eboræ, & alij. Ioannes etiam Apostolus Epheso Romam veluti reus impietatis a Proconsule Asię missus, ante portam Latinam in feruentis olei dolium iniectus, integer, & illęsus exiuit. De his Suetonius, Dio, Eusebius, Baronius, & iuniores.

Ioseph quid de Essenis. 2 Erat sub hoc tempore Iosephus Iudæus Historicus Romę in honore apud Domitianum, vt is fuerat apud Titum & Vespasianum prędecessores

sores; postquam videlicet Abbæ Esseni, cum quo per triennium manserat, consortium reliquerat, & Romam redierat Pharisæorum sectam amplexus, iuxta dicta *sub ann.* 83. Sic enim [a] ipse testatur: *Post Titum Domitianus maioribus etiam me cumulauit honoribus, nam & accusatores meos Iudæos capite puniuit, seruum Eunuchum filij mei pædagogum meum calumniatorem puniri mandauit, & quod est honorificentissimum, immunitatem prædiorum, quæ in Iudæa habeo, mihi concessit. Domitia verò Cæsaris vxor nunquam mihi benefacere destitit.* In exemplum sanè Christianorum Principum, vt discant qualiter eminentes scientia viros in honore habere debeant. In eo tamen vituperandus est Iosephus, si verum est quod de ipso ait Philostratus [b], videlicet, eo adulante & consulente Domitianum ausum fuisse vocari *Filium Virginis*. Ad rem autem nostram illud spectat, quod Iudæus iste famosissimus scribebat eo tempore libros de antiquitatibus Iudaicis, in quibus non pauca de Essenis nostris protulit, quorum aliqua hic apponenda, ea videlicet quæ [c] his verbis dixit: *Esseni autem ad Deum cuncta redigunt. Immortalem animam dicunt, iustitiam autem rem pretiosam, pro qua etiam vsque ad mortem pugnandum esse prædicant. In templo autem anathemata proponenda prohibent. Sacrificia, vel hostias cum populo non celebrant, quod se plurimum ab eis putant munditia, vel sanctitate differre, & meritò se à communi Congregatione discernunt, remotim sacrificia facientes. Cultu verò morum, atque conuersationis optimi. Ad colendam terram & exercendam omni studio intenti. Illud etiam habent dignum, & valdè mirabile, quod in alijs non inuenias gentibus tam Græcorum, quam etiam Barbarorum, quod omnes illis opes in medio sunt, & ab eis omnia communia possidentur. Nihil amplius inter eos ditior fruitur, nihil pauperior defraudatur, ac si nihil omninò possideat. Et illi quidem hoc modo sese gerunt. Sunt autem super quatuor millia numero. Vxores non ducunt, neque seruos habere festinant. Aliud quippe iniquitatis, aliud seditionis opportunitatem existimant. Isti ergo semotim apud semetipsos adiuuunt, mutuas sibi vicissitudines ministrantes: susceptores autem redditumm promouent, curatoresq; constituunt, qui cuncta quæ terra profert in vsus necessarios administrent. Sacerdotes autem optimos viros eligunt. Cibus illis simplex est, habitus insumptuosus, & mundus.* In quibus aliqua notanda pro nostra historia. Primum quidem, loqui Iosephum de Essenis tamquam de instituto hominum eo tempore præsentium; cum semper vtatur verbis temporis præsentis. Estque id valde notādum, ne credatur simul cum Iudæorum natione ab Imperatoribus Tito, & Vespasiano; & cum Vrbe Ierosolyma, totaq; Regione euersa Essenos perijsse. Quod & comprobat id quod diximus *supra ad an.* 83. de Abba illo Esseno, cuius conuictu delectatus est ipse Iosephus per triennium. Secundum, loqui etiam de gente religiosam vitam gerente; cum vita communis, castitas, œconomia, virtutum exercitia, & alia quæ de ipsis refert, id satis indigitent. Tertium, quod illud de segregatione in sacrificijs, & templo, si ad tempus ante Christum referatur, vel solum

[a] in vita sua.

[b] in Thianeo lib. 7.

[c] lib. 18. Antiquit. c. 2.

de Essenis Samaritis accipiendum, vel si de veris Esseni instituti cultoribus, humilitatis, paupertatis, aut solitudinis amorem eius rei causam esse, vt dictum manet *to. 1. sub ann.* 3545. *n.* 47. vbi etiam congruentius ex Richardo Hall. [a] eo loco id dixisse propter Essenos Christianos, qui hoc tempore in Orbe erant, Ægypto præsertim, & Alexandria, & soli vero Eucharistico sacrificio à Christo instituto, iuxta B. Marci prædicationem, vacabant.

a in tract. de propriet. monach.

3 Quæ porrò habet idem Iosephus [b] de fato, cui omnia tribuisse Essenos existimare videtur, diluta sunt *sub eo anno* 3545. *n.* 49. vbi ostensum ex Sixto Senensi, Serario, & Francisco à S. Maria, nomine fati intellexisse decretum seu voluntatem diuinam, quam Theologi *præfinitionem* vocant, quod valde catholicum est, & in scholis receptum.

b l. 13. Antiq. cap. 8.

Alia de fato.

4 Ad annum 88 qui huic tempori correspondet refert Dexter [c] transitum B. Mariæ Magdalenæ, de qua, & causa propter quam ipsius memoria Annalibus nostris omninò extranea non est, dictum manet supra *sub anno* 48. Quæ verò in ipsius transitu acciderunt mira habet Lector in Episcopo Equilino [d], D. Antonino [e] in vita eiusdem, & in vetusto nostri Ordinis Breuiario pro octaua huius sanctæ; quæ quia pietatem, & deuotionem augent hic exscribenda essent, nisi prolixiora nostro instituto apparere possent. Quæ etiam de non minus pijs & deuotis alijs Marthæ sororis gestis, & obitu in eodem Breuiario, & apud eundem S. Antoninum [f] & Equilinum [g] repertis censemus. Illud tamen non prætermittendum, quod ibi memoria agitur de quodam *fratrum, & sororum* conuentu, ex eo enim elici datur conuentum illum, seu monasterium a Martha erectum, de quo *sub ann.* 48. dictum promiscui sexus virorum, & fœminarum fuisse, prout moris erat eo temporis, maximè apud Essenos, (teste Philone [h]) quorum institutum, æmulata videtur Martha.

c in Chron.

Magdalenæ transitus.

d lib. 6. c. 125.

e 1. p. hist.

f 13 tit. 6. c. 20.

g lib. 6. c. 151.

h de vita contemplatiua.

Ann. Chr. 93. 94. 95. 96. & 97. S. Clementis Papæ 1. 2. 3. 4. & 5. Domitiani Imper. 10. 11. 12. 13. & 14.

Huius temporis historia.

1 SECVNDA in Christianos persecutio hoc tempore mota est a Domitiano. Inchoata verò a relegatione Ioannis Apostoli, & Euangelistæ ad Insulam Pathmos, & Martyrio S. Cleti Papæ. Cui successit S. Clemens, qui etsi à S. Petro primùm in Pontificem Romanum ordinatus esset, locum tamen cesserat Lino, & Cleto, Deo sic prouidente, ne designatio successoris in Pontificatum, vsu increbresceret in Ecclesia. Ioannes verò a Domitiano relegatus in Pathmos, ibi per exilium pro Christo meruit ab eo accipere Apocalypsim, siue reuelationem eorum, quæ futura erant in Ecclesia, & in Orbe, præsertim in fine mundi, vt ijs fideles a fide metu persecutionum, vel blandiloquentia Ebionis, Cherinti, aliorumque hæreticorum aber-

aberrantes, aut vacillantes, in eadem confirmaret, roboraretque eos, eorumque posteros ad instantes reliquas octo generales Ecclesiæ persecutiones a totidem Imperatoribus concitandas, constantique animo sustinendas. Baronius, & alij iuniores post alios veteres. Hæc verò Ioannis Apocalypsis Commentatores postea habuit ex Ordine nostro Ioannem de Baccone, Tomam Titleshalum, Tomam de Illeya, Ioannem Bloxham, Ioannem Elinum, Robertum Iuorium, Ioannem Tylueye, Ioannem Thorpe, Henricum Vvichinghanum, Ioannem Ægidium, Ioannem Haynton, Anglos omnes. Ioannem Barach Hannonium, Ioannem de Bernone, & Claudium de Monte Martyrum Gallos; & Nicolaum de Alsentia Germanum. Hos porrò omnes recenset Ioannes Baleus [a] vbi & se ipsum etiam, sed quia apostata fuit, & hæretica phrasi eum librum exposuit, inter præfatos catholicos eum censere nolumus.

[a] in Catalogo Scriptor. Britan. Censur. 13.

2 Non omittendum quod hoc tempore Iosephus Iudæus scribebat libros *Antiquit. Iudaic.* vt ipse testatur in fine *libri* 20. Videns ergo Ierusalem cum templo, & Iudaismo euersam; videns pariter Vespasianum defecisse, cui vaticinatus tribuerat, quod Christo a Prophetis prænuntiatum erat, Imperium; iamque tempus Messiæ præterijsse; ipse, licet Iudæus, conuictus tamen rei euidentia, luculentum Iesu nostro Crucifixo perhibuit testimonium, quod ipse sit Messias siue Christus. Sic enim de eo scribit [b]. *Eodem tempore fuit Iesus vir sapiens, si tamen virum oportet dicere, erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt, plurimos quoque tam de Iudæis, quam de gentibus sui habuit sectatores, & credebatur esse Christus. Cumque inuidia nostrorum Principum cruci eum Pilatus addixisset, nihilominus, qui eum primum dilexerant, perseuerauerunt. Apparuit enim eis tertia die viuens, multa & hęc, & alia mirabilia, carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus, & vsque hodie Christianorum gens ab hoc sortita vocabulum non defecit.* Hæc Hieronymus in cuius verbis notandum, aliter eiusdem Hieronymi temporibus scriptum extitisse, quam quod vulgo in Iosephi codicibus habetur. Nam quod Latina versio habet *Christus hic erat*. Hieronymus ex Græco reddidit, *Et credebatur esse Christus*. Nec contra hoc testimonium alicuius momenti est quod dicunt Iudæi, scilicet, illud non extare in translatione Iosephi Hebraica ab ipsis facta, quia Iosephus scripsit Græcè, & in Græcis translationibus ita habetur, vt diximus: vnde quod non habeatur in Hebraica ab ipsis facta manifeste conuincit ipsorum nequitia sublatum ex ea fuisse, non ex Græcis, cum id facere non possent.

Iosephi testimonium pro Christo.

[b] l. 18. Antiq. cap. 4.

3 Extat etiam luculentissimum magni illius Areopagitæ Dionysij (de quo, & eius conuersione sub Paulo Apostolo facta *circa ann.* 52. dictum manet) pro hoc tempore scribentis testimonium, historia sanè nostra valde dignum, quia ex eo habetur illo Dionysij æuo monachorum greges etiam sub monachorum nomine floruisse, ex eis fuisse Essenos, *Therapeutas* tum ab ipso, tum a Philone [c] vocatos, id est *Curatores*; seu

Monachi a D. Dionysio commemorati.

[c] in lib. de vit. contemplat.

Cultores; quanta fuerit ipsorum status excellentia; ac modus, quo primæuo illo sæculo consecrabantur, non valde dissimilis ab eo quem Religiones his temporibus obseruant. Dionysij porrò [a] verba hæc sunt: *Perficiendorum autem omnium altior Ordo, monachorum est sacra dispositio, omni quidem mundata purgatione, vniuersalique virtute, & perfectissima propriarum actionum castitate, omnique quantacumque, vt decet, eam contemplando sanctificatione, in intellectuali theoria, & communicatione facta & Pontificum consummatiuis virtutibus mancipata, & diuinis eorum illuminationibus & hierarchicis traditionibus edocta, considerans per se sacrarum hostiarum sacrificationes, & a sacra eorum scientia proportionaliter in cōsummatissimam ascendens consummationem. Inde diuini Duces nostri nominationibus eos sacris dignati sunt; alij quidem* Therapeutas, *alij autem* monachos *ipsos nominantes ex Dei puro ministerio & famulatu, & non partita, & singulari vita tanquam vnificante eos inseparabilium sacris complicationibus in deiformem vnitatem, & amicam Deo consummationem. Propter quod & consummatiuam eis donauit gratiam sacra legislatio, & quadam eos dignata est consecratiua innouatione, non hierarchica; illa enim in solis fit sanctificis ordinibus, sed sanctificatiua a sanctis sacerdotibus hierarchica perfectione secundò sanctificata. Sacerdos quidem stat in conspectu diuini altaris monachicam inuocationem psallens; consummandus autem retrò sacerdotem stat, non vtrumque pedem inclinans, non vnum de pedibus, non super caput habens Deo tradita eloquia; tantum verò sacerdoti adstans psallenti super ipso mysticiam inuocationem. Perficiens autem eam Sacerdos, ad perficiendum veniens, interrogat primum hoc, si primum abrenunciat diuisis non solum conuersationibus, sed phantasijs: deinde perfectissimam vitam ei narrat, testimonium, ei perhibens, quia oportet eum media super adstare. Hæc autem omnia perficiente, intentiusque confitente, cruciformi similitudine signans eum sacerdos, tondet, trinamque diuinæ beatitudinis inuocans substantiam, & vestem omnem exuens, alteram induit & cum alijs sacerdotibus viris quicumque adsunt, salutans, eum socium perficit diuinorum mysteriorum.* Quorum verborum paraphrasis hæc est ex Abbate Vercellensi apud Dionysium Chartusianum: *Summus autem inter eos, qui perficiuntur, & non perficiunt, est Ordo monachorum, generali virtute, & conuersationis perfecta castitate mundatus, & admittitur ad contemplationem intellectualem, & communionem sibi competentem cuiuslibet sanctæ operationis, & adijcitur Episcoporum perfectiuis virtutibus; et diuinis illuminationibus, et Episcopalibus doctrinis, edocetur inspicere sanctificationes quibus perficitur ab ipsa scientia ad summam perfectionem sursum actus. Vnde Apostolorum alij vocauerunt eos* famulos *propter purum, & assiduum Dei famulatum. Alij vocauerunt eos* monachos a monade, *id est vnitate propter ipsorum viam indiuisibilem, & singularem, quæ vnit eos simplicium contemplatione & tractatu ad conformitatem diuinæ simplicitatis, & perfectionem Deo amabilem. Propter quod Ecclesiastica constitutio attribuit eis perfectiuam gratiam, & sacerdotali non Pontificali inuocatione benedicuntur, & sacerdotum ministerio a Deo principe hierar-*

[a] In lib. de Ecclesiast. Hierarch. c. 6.

hierarchiæ sanctificantur. Soli gradus enim perficientium ab Episcopis consecrantur. Sacerdos quidem statante altare cum cantu Deum inuocans pro monachorum benedictione. Monachus autem qui benedicitur retro Sacerdotem stat erectus, id est nullum genu flectens, neque super caput habet Euangelia. Sacerdos autem monachum benedicens interrogat eum si vult abrenunciare omnibus secularibus conuersationibus, & phantasijs. Post enarrat ei, quæ sit perfecta conuersatio monachorum, testificans, quod oporteat eum perfectius viuere, quam Ordinem medium, scilicet fidelis populi. Hæc autem omnia eo, qui perficitur, attente confesso, Sacerdos eum signans in forma crucis detondet eum cum inuocatione S. Trinitatis, veste pristina exuens induit alia, & cum omnibus fidelibus adstantibus ipsum osculans facit communicare Eucharistiæ. Explicat postea Dionysius harum cærimoniarum mysteria, concludens sic: *consumatus autem Ordo est adunatorum monachorum*, quod idem Vercellensis: *eorum Ordo est perfectus*, id est ad perfectionem tendens, prout communis Theologorum schola docet.

4 Scribebat etiam idem Dionysius circa hæc tempora epistolam quandam ad monachum, *Therapeutam*, quendam (prout eum vocat Dionysius alius Carthusianus [a], seu *Cultorem*, quod est idem, iuxta dicta *in Appar. c.* 4. & quomodo eum appellat Suidas ibi relatus,) nomine Demophilum, quem propterea Esseni Ordinis fuisse ea quæ diximus sufficienter ostendunt. Ex ea etiam aliqua ex dictis maximè elucidantur. Primò, communitatem monachorum eo tempore sub aliquo etiam Præfecto fuisse vt patet illis verbis: *Non est fas sacerdotem a ministris qui sunt super te, aut coordinatis tibi monachis, corrigi.* Seu, prout Carthusianus exponit: *A monachis, qui eiusdem tecum sunt Ordinis.* Secundò, eos ab Episcopis, seu sacerdotibus consecrari tunc solitos: quod constat illis: *Per quos & esse monachus dignus habitus es.* Seu, vt Carthusianus explicat: *Quia ad sacerdotes pertinet monachos consecrare.* Tertio eos tunc Episcopis subditos fuisse, prout denotat vterque Dionysius verbis illis, *subiectis monachis.* Vocatur hic *Demophilus* a Dionysio in ea Epistola *nobilis*, imò ab ipso Dionysio in monachum consecratus, vt liquet ex illis: *Cuius arbitraris famulum te esse a nobis ordinatum*, nihilominus valde reprehenditur ab ipso ob iram, indiscretionem, & defectum mansuetudinis, quem habuerat erga sacerdotem quendam, propterea quòd pœnitentem aliquem contra Ecclesiæ vsum benignius receperat. Multa in hac Epistola pro mansuetudine a monachis tenenda, quæ ipsis ad intentum meritò ruminanda sunt, vt huic virtuti accuratius incumbant.

Demophilus.

a in Exposit. talis Epist. in tit. ipsius.

5 Scribebat quoque idem Areopagita prope hæc tempora quatuor alias Epistolas ad Caium monachum, quem *Therapeutam*, seu *Cultorem* appellat Suidas *in Dionys.* vt propterea etiam inter Essenos numerari possit, ac debeat iuxta sæpius dicta. Quod confirmat Cornelius a Lapide [b] ex Mariana, & Serario asserens hunc Caium fuisse Therapeutam, id est, Essenum, Ascetam, monachum, de quo etiam *sub ann.* 98. dicetur. In

Caius monachus.

b in 3. Epist. Ioann. v. 1.

his

his porrò litteris eum informat Dionysius, quomodo Deus cognoscatur veluti ignorantia quadam, & tenebrosa cognitione; quomodo item benefico suo munere aliquo modo intelligatur; qualiter etiam hoc non modo ad diuinitatis, sed etiam ad humanitatis mysteria applicandum; ac quomodo Iesus, qui superessentialis dicitur, essentiatus substantiatusque dicatur. De ijs enim a Caio interrogatus fuerat. Talibus enim studijs, talibus dubijs, talibusque exercitijs monachi veteres intendebant, vtinam & talibus, non alijs superuacaneis rebus, vacarent posteriores.

a in præfat. ad dictas Epist. De hoc Caio affirmat Dionysius Carthusianus [a] fuisse illum, ad quem S. Ioannes Euangelista tertiam suam scripsit epistolam, & de quo Paulus *ad Rom.* 16. dixit: *Salutat vos Caius hospes meus*. Sed de priori inferius *sub ann.* 98. dicemus. Posterius verò etiam admittit Cornelius, *in eum locum Pauli, & in Epist. 3. Ioann. v.* 1. Baptizatus etiam creditur a Paulo, prout colligitur ex illo 1. *Corinth.* 1. *v.* 14. videlicet: *Neminem vestrum baptizaui, nisi Crispum, & Caium*. Alia loco relato.

An Dionysius monachus fuerit. 6 Ex eo autem quod Dionysius monachatum commendauerit, ipsius excellentiam, ritusque descripserit, ac Demophilum, & Caium Therapeutas, & Esseni instituti cultores suis litteris instruxerit, prout ex dictis innotescit; non incongruè suspicari quis poterit eum viuendi modum æmulatum fuisse, ac proinde ipsius historiam a nostris Annalibus arceri non debere. Crescit præsumptio, si verba quædam dictæ Epistolæ ad Demophilum intimius expendantur. Acriter in ea ipsum reprehendit, vt vidimus, quod sacerdotem quendam indiscretè, & immodestè tractauerit. Et rationem inter alias subdit: *Quoniam, & Angelis iustum est determinare ea quæ sunt secundum dignitatem, & determinantur*, id est, dato quod sacerdos ille peccauerit, corrigendus esset ab Angelis, id Episcopis, *sed non a nobis, o Demophile, sed per ipsos nobis ex Deo &c.* vbi verbo illo *nobis* bis repetito denotare videtur idem Monachatus institutum sibi, & Demophilo commune esse. Indicat hoc etiam in sequentibus aiens: *Etenim cuius arbitraris famulum te esse a nobis ordinatum? Etenim nisi boni, omnino & a famulatu tuo, qui est secundum nos, necesse est te esse alienum*. Quibus non solum asserit se Demophilum in monachum ordinasse, sed & ipsius monachatum (quem famulatum vocat) esse *secundum* se, id est, vt videtur, consimile in instituto. Accedit ad intentum Cor-

b in 3. Epist. Ioann. v. 1. S. Ader Mariana. nelius a Lapide, qui [b] expresse, ait S. Dionysium ex Ascetis, seu Therapeutis fuisse, constat autem ex dictis *in Appar. c.* 4. Ascetes, seu Therapeutas idem esse ac monachos, seu Essenos illius æui. Cornelij en verba: *Solebant enim ex Therapeutis, & Ascetis quasi viris perfectis creari Episcopi, imo Episcopi erant Therapeutæ, vt patet in S. Dionysio, S. Basilio, S. Nazianzeno, &c.* Accedit & noster insignis Poeta Baptista Mantuanus, qui [c] de

c in opere de sacris diebus in mense Octobri. S. Dionysio asserit ad Carmeli Patres se tulisse, quod etsi sub ænigmate intentum denotare videtur. Sic canit.

Hic Maria viuentis adhuc veneranda tueri

Ora

Ora volens naue Assyrias annauit ad oras.
Vidit, & ascenso Carmeli vertice nostros
Se tulit ad Patres speluncaque sancta reuisit
Magnus vbi Elias legitur vixisse priusquam
Tenderet eoos curru translatus ad hortos.

Nec discordat ab intento quod S. Dionysius spiritu prophetico a Deo donatus fuerit, cum S. Ioanni Apostolo & Euangelistæ in Pathmos relegato *in Epist. 10. numero* prænunciarit quod breui ab exilio liberandus foret. Hoc enim spiritu Prophetico plures ex instituti Prophetalis cultoribus decorati fuerunt vt ex dictis, & dicendis sæpius liquescet.

7. Laudabilem porrò, & commendatione dignam eo tempore fuisse Essenorum vitam ex *lib. 6. Constit. Apostolic. c. 6.* cuius author existimatur Clemens Papa Romanus qui hoc tempore Ecclesiæ gubernacula tenebat, conijci potest. Eo namque loco quorundam Heteredoxorum prauis moribus descriptis, Essenorum institutum quasi per antithesim sic collaudatur. *Habebat igitur illud vulgus iudaicum hereses malas, inde enim sunt Saducæi qui non confitentur mortuorum resurrectionem; Pharisæi, qui errata hominum fortunæ, ac fato assignant. Masbothæi, qui tollentes prouidentiam, tradunt constare omnia ex fortuito fluxu, & animæ amputant immortalitatem; Hemerobaptistæ, qui nisi quotidie lauent non comedunt; immò & lectos, & patenas, vel crateras, & pocula, ac sedilia nisi aqua lauent non vtuntur eis, & qui nunc nostro tempore exorti sunt Hebionæi, qui Filium Dei diuinitate nudum faciunt ex voluptate viri & ex coniunctione Iosephi, ac Mariæ natum. Ab his omnibus segregarunt se Essæi, qui patrios ritus seruant.* Hos porrò *Patrios ritus* Essæorum ex dictis in superioribus nouit lector, maximè ex ijs, quæ *primo tomo* scripta reperiet; illos verò Martinus Becanus [a] ex Iosepho & Serario sic describit. *Primus, Abhorrebant a voluptate, & viuebant cælibes. Secundus, habebant bona communia, more Religiosorum. Tertius, non vtebantur famulis, sed ipsi sibi ministrabant. Quartus, in victu sectabantur austeritatem. Quintus, albis vtebantur vestibus. Septimus, maxima apud eos hospitalitas. Octauus, sine viatico faciebant iter, quia vbique ferè inueniebant suæ sortis homines, a quibus gratuito habebant hospitium. Nonus, peculiari ratione dediti erant pietati. Decimus, mane ante solis ortum nihil prophani loquebantur, sed precibus ac orationibus erant intenti. Vndecimus, post preces, quisque conferebat se ad suos labores. Duodecimus, deinde iterum in vnum collecti, & lineis velaminibus præcincti, frigida aqua se lauabant, & purificabant. Tertius decimus, post hanc lotionem ibant modestè ad Cœnaculum, vbi sacerdos ante, & post cibum orabat, reliquis adstantibus. Quartusdecimus, finito prandio, redibant ad consuetos labores. Quintusdecimus, quibus finitis, eo ritu cœnabant, quo antea pransi erant. Sextusdecimus, seruabant accurate silentium. Decimusseptimus, nihil fere agebant nisi ex curatorum suorum imperio. Decimusoctauus, sine curatorum facultate, nihil consanguineis poterant dare. Decimusnonus, nouitios quadrien-*

Essenorum vita laudibus.

a in Opuscul. de Analogia veteris, & noui testamenti c. 10. q. 10.

driennio probabant. Vigesimus, accurate seruabant sabbathum. Vigesimusprimus credebant animarum immortalitatem. Vigesimus secundus, aliqui inter illos futura prædicebant. Quomodo verò hæc accipienda ex dictis etiam locis relatis innotescit.

Annus Christi 98. & 99. Clement. Pontif. 6. & 7. Imperat. Domitian. 15. & Neruæ 1.

Huius temporis felicitas.

1 FELIX hoc tempus, quod Domitiani Imperatoris crudelissimi mortem, & ignominiosam statuarum eius euersionem videre potuit, ac Neruam optimum virum, qui omnes exules in patriam reduxit, & Christianos non offendit, ipsius successorem. Dio [a], Suetonius [b], Philostratus [c]. Hinc Ioannes Euangelista è Pathmos rediens Ephesum Asiæ gubernabat Ecclesias; contra Apollonium pseudothaumaturgum veris miraculis patratis decertabat; Euangelium suum Græcè contra Ebionem, & Cherintum, qui Christum merum hominem esse effutiebant; & Epistolas contra Basilidem & alios Christi veram carnem negantes, tonitrui filius, doctrinæ lumen, & amoris ignem spirans scribebat. Eusebius [d], S. Hieronymus [e], Sozomenus [f], Baronius [g], & alij. Felix etiam annus 99. morte Apollonij relati fuit. Tot enim mirabilia Magus iste, & Necromanticus ope Diaboli patrauit; tum è Roma vbi a Domitiano incarceratus tenebatur inuisibilis fugiens, & Puteolis improuisus apparens; tum ipsius Domitiani mortem Ephesi concionans verbis illis: *Percute tyrannum* denuntians; tum occultam mortem oppetens vt immortalis censeretur, vt ab Ephesijs statua donatus inter Diuos referretur (de quibus Philostratus adductus) & nisi Deus contra ipsum, Paulum, & Ioannem Apostolum, sicut contra Simonem magum ipsius magistrum, Petrum, prouidisset, Christiana veritas magnum pateretur detrimentum.

a *in Domit. & Nerua.*
b *cap. 17.*
c *lib. 8.*
d *lib. 3. c. 15. & lib. 5. c. 17.*
e *de script. Ecclesiast. in Ioann. cap. 9.*
f *lib. 7. c. 26.*
g *sub hoc tempore.*

De Domitilla.

2 Inter ea porrò, quæ ad nostræ historię seriem propius spectant, illud non prætermittendum; Flauiam videlicet Domitillam iuniorem Flauij Clementis Consulis, ac Domitiani Imperatoris cognati, ex sorore Plautilla neptem, diuersam proinde ab alia Flauia Domitilla seniore eiusdem Flauij Clementis vxore, hoc tempore virginitatis, martyrij postea gloria coronatæ, dono floruisse. Eam nostris Eliadibus ascribunt inter exteros Laurentius Beyerlinck [h] dum de Carmelitis, & inter domesticos Franciscus Sixtus Neap. in *lib.* cui titulus *Tessere decades geneolog. Iesu decad.* 1. c. 58. Palçonydorus [i], Franciscus a S. Angelo [k], Casanate [l] eo sane fundamento, quod a S. Clemente Papa, cui eam Plautilla mater Christianis virtutibus imbuendam tradiderat, sacrum velamen, viginitatis voto emisso, veluti Monialis acceperit. Ex quo vel imitatione saltem, Essenum, ac propheticum concepisse institutum elici videtur. Eo pręsertim quia licet communiter Virgines velari a Paulo 1. *Corinth.* 11. fideles instruan-

h *in Theatr. vit. hum. l. 16. to. 6. verb. Religiosus.*
i *lib. 2. cap. 5.*
k *in Catalog. cap. 125.*
l *in Paradis. Carmelit. stat. 3. etat. 2. c. 22.*

ftruantur, quod & imitatæ sunt Troianæ, Romanæ, Arabes, Lacænæ, & aliæ Gentium fœminæ, testibus Plutarcho *in Apophth. Laconicis in Charilla*, Valerio Maximo *lib. 6. c. 3.* & Tertulliano *lib. de veland. Virgin. præsertim c. 17.* *Sacro* tamen *velo* non omnes, sed Deo specialiter, sanctimonialium instar, dicatæ Virgines ornabantur, prout contigit in S. Petronilla a Principe Apostolorum Petro sic velata, Tecla a Paulo, Iphigenia, & alijs a Mathæo Apostolo, de quibus in superioribus, & alijs, de quibus in sequentibus. De hoc autem *sacro velo* Virginum Tertullianus [a], Innocentius [b], Hieronymus [c], dicens id moris esse *in Ægypto, & Syriæ Monasterijs* (ex quo etiam deducitur Essenum institutum hoc esse, cum in illis partibus floreret) *& epist. 8. ad Demetriadem*, Ambrosius [d], Augustinus [e], Gelasius Papa [f]. De tali porro velamine, & ad intentum huius Domitillæ, & qualiter per illud Religiosæ Virgines illo ornatæ redderentur sic habet Suarez [g] notatu dignum: *Illud velamen signum erat Religiosi status, & ante Monasteria, seu communitates Virginum in vsu fuit.* Idque probat ex Concil. Carthag. 3. *cap.* 33. & concludit; *Erant ergo veræ Religiosæ, & ideo specialiter consecratæ dicebantur.* Sequitur etiam Ascanius Tamburinus [h] de Domitilla, & alijs Virginibus loquens, & eas inter Moniales referens. De ea autem Martyrologium Romanum 7. Maij sic. *Tarracinæ in Campania natalis B. Flauiæ Domitillæ Virginis, & Martyris, quæ cum esset Flauij Clementis Consulis sororis filia, & a S. Clemente sacro velamine consecrata, in persecutione Domitiani ob testimonium Christi cum alijs plurimis in Insulam Pontiam exilio deportata, longum ibi martyrium duxit; nouissimè verò Tarracinam deducta, cum doctrina, & miraculis plurimos ad fidem Christi conuertisset, iussu iudicis incenso cubiculo, in quo simul cum suis Virginibus Euphrosyna, & Theodora morabatur, cursum gloriosi martyrij consummauit.* De ea quoque Vsuardus, Beda, Ado, Baronius, & alij, non solum ea die, sed etiam 12 Maij, quo agitur de sanctis Nereo, & Achilleo ipsius Eunuchis, & socijs; Episcopus Equilinus [i], Surius [k], ex Græcis exemplaribus extracta, & ante eos Flauius Dexter [l], vbi eius scholiastes Biuarius de duabus epistolis Nerei, & Achillei ad M. Marcellum, Toletanum postea Pontificem, & primitus Simonis Magi discipulum; ac eiusdem M. Marcelli ad ipsos.

3 Nec solum virgines, sed etiam viduas huius instituti alumnas extitisse, ex eodem Clemente [m], sic habemus, dum de vidua Dei ministerio consecrata loquitur: *Quocirca oportet non temerè, neque inconsiderate pro missionem facere, sed cautè: melius enim est ei non fecisse votum, quam fecisse, & non reddere.* Paulò etiam antea dixerat, viduam, quæ viduitatis statum semel professa est, si ad secundas conuolet nuptias, vidualis gradus gloriam deturpare, & perpetrati in Christum sponsum adulterij, si professionem violet, ream esse. Comprobat etiam Baronius [n] ex Epiphanio *hæres.* 30. Clementem Epistolas Encyclicas, id est toti Ecclesiæ communes, Virginitatem egregiè commendantes, scripsisse, easque in Eccle-

a de veland. Virgin. c. 15.
b 1. epist. 2 ad Victricium c. 12.
c epist. 48.
d lib. ad Virg. lapsf.
e ep. 179 ad Probam & Iulianam in fine.
f in epist. ad Lucan. & alios c. 14.
g to. 3 de Relig. lib. 2. c. 4. n. 2.
h de iure Abbatiss. disp. 27. quæst. 1.
i lib. 4. c. 138. & 155.
k to 3 in vita SS. Nerei, & Achillei.
l in Chronic. sub ann. Christi 91.
De viduis.
m in Constit. Apostolic.
n sub ann. 102.

Ecclesijs lectitari solitas. Ex ijs ergo ad nostræ historiæ intentum elicimus, Esseni, & Eliani instituti sectatrices hoc tempus Clementis Papæ vidisse, quales in superioribus diximus Petronillam, Teclam, Iphigeniam, & alias, & hoc tempore Domitillam,

Caius.

4 Spectat etiam ad hanc nostram historiam, quod S. Ioannes Euangelista vnam ex tribus Epistolis Canonicis, quas hoc tempore scribebat, tertiam videlicet, fuisse ad Caium sibi amicum, & familiarem, eum laudans ab hospitalitate, sicut è contra accusans Diotrephen, quòd fideles non susciperet, sed potius suscipientes de Ecclesia eijceret. Caius enim iste, iuxta dicta superius *sub ann. 93.* Monachus, Ascæta, Therapeuta, & Essenus fuit. Neque obstat monachismus hospitalitati, quam in Caio in ea Epistola Ioannes commendat, quia vt inquit Cornelius [a], semper Religiosis hospitalitas in corde fuit. Maximè, quia erat Episcopus, vt Dorotheus [b] vult, Ephesinus, siue potiùs, & veriùs, Thessalonicensis, vt Sedulius [c] tradit; Episcoporũ enim propria dos, & laus est hospitalitas, quæ proinde illis cõmendatur valde a Paulo *1. Timoth. 3. 2. Tit. 1. 8.* Nec etiam Episcopatus contrariabatur monachatui, aut Therapeutarum, seu Essenorum instituto, vt enim Cornelius *supra* (quæ pro plurimis occasionibus nobis necessaria erunt) *Solebant ex Therapeutis, & Ascetis quasi viris perfectis creari Episcopi, imo Episcopi erant Therapeutæ, vt patet in S. Dionysio, S. Basilio, S. Nazianzeno, S. Chrysostomo, S. Gregorio, S. Augustino, qui vitam contemplatiuam iungebant actioni.* Ex eo autem quòd Ioannes in ea Epistola *v. 11.* dicat: *Qui bene facit ex Deo est, qui malè facit non vidit Deum*, infert etiam idem Cornelius hunc Caium Therapeutam, & Essenum fuisse: *Therapeutæ enim* (inquit) *assiduè vacantes pietati, & contemplationi, per eam videbant Deum, vnde & videntes vocabantur sicut olim Prophetæ.* Addimus & nos idem colligi ex dubijs, quæ ad S. Dionysium pro ipsorum enodatione misit, & quæ illi explicat idem Dionysius in quatuor Epistolis ad ipsum directis, iuxta dicta *sub anno 93.* ea enim satis demonstrant hunc nostrum Caium virum fuisse valde contemplatiuum, & diuinorum mysteriorum assiduum speculatorem: De quo idem Cornelius [d]. De Caio etiam addit Flauius Dexter [e], fuisse filium Caij Oppij Centurionis Malacitani Hispani Episcopi postea Mediolanensis, & fratrem Demetrij, de quo fit mentio in d. Epistola Ioannis, & qui a Ioanne ibidem commendatur, quæ latè prosequitur Biuarius Dextri Commentator *ibidem.* & nos prætermittimus, quia nobis non necessaria. Contendit etiam Posseuinus [f], hunc Caium fuisse Macedonem, & Apostolorum hospitem, ac de ipso fieri mentionem *Actor. 19.* Cæterum eo loco *v. 29.* non de Caio, sed de Gaio fit mentio, & non vocatur hospes, sed comes Pauli: sic enim dicitur ibi: *Rapto Gaio, & Aristarcho Macedonibus comitibus Pauli.* Caius autem noster vocatur a Paulo *ad Rom. 16. v. 23. Hospes meus.* Quia verò subiungit ibi Paulus, *Et vniuersa Ecclesia*, putat Cornelius, cui fauent D. Ambrosius, Syra, & Græca lectio

[a] in eam Epist. v. 1.
[b] in synops.
[c] in c. 16. ad Rom.
[d] in d. Epist. Ioann. v. 11.
[e] in chronic. sub ann. 90.
[f] in Appar. sacro litera C.

lectio Caij domum fuiſſe Eccleſiam, ſiue locum, ad quem ad S. Synaxes celebrandas congregabantur Chriſtiani Corinthij. Sed ſi ipſe monachus aſceta, & Eſſenus fuit, quid ni dicamus fuiſſe velut Monaſterium?

5 Nec etiam a noſtris Annalibus extraneum eſt, quod de Thermis primò *Titianis*, poſtea *Domitianis*, ac tandem *Traianis* appellatis, refertur in M. S. Opuſculo, cui titulus *Chronica elucidatio domus SS. Silueſtri, & Martini*, &c. reſeruato in eo noſtri Ordinis Cœnobio, quod ſupra huiuſmodi thermas conſtructum hodie extat. Vbi ſic: *Circa annum 99. tempore S. Clementis Papæ Marcus Vepius Traianus natione Hiſpanus, Neruæ Imperatoris ex adoptione filius in eaſdem numero præfatas Thermas cum eſſet Imperator per nouos conductus copiam nouam aquæ dirigens immiſit, nitore nouo, modiſque nouis ſub ſui nominis titulo decorare ſtuduit, quare ex eo tèmpore Traianæ Thermæ nuncupatæ fuere, quod probat illa vetus inſcriptio in his Thermis, & in hoc eodem loco reperta.* Lege Pompeium Vgonium *in Hiſtoria de Stat. Romæ fol.*251. Hæc pro inſignis Monaſterij noſtri S. Martini de Montibus hiſtoria notatu digna duximus. Thermæ.

Annus Chriſti 100. Clement. Pontif. Rom. 8. Traiani Imperat. 1.

1 HOC anno qui fuit primi ſæculi Chriſti vltimus Imperatorem vidit poſt mortem Neruæ Traianum Hiſpanum: Italicæ, quæ Turdetaniæ Prouinciæ Vrbs eſt in Bœtica, nunc vulgo *Seuilla la vieja* non longè ab Hiſpali, natum, & a Nerua adoptatum. Meruit enim etſi exterus hoc temporali præmio a Deo donari, quòd Tito, & Veſpaſiano Imperatoribus egregiam nauauerit operam in euerſione Iudæorum Chriſti Ieſu hoſtium, & qui ipſum ſceleratiſſimè interfecere. Hoc tamen ipſe ingratus non agnoſcens, in Chriſtianos perſecutionem excitauit, quæ Flauiam Domitillam, de qua ſuperius, cum ſocijs Virginibus igne conſumpſit; Clementem Papam in Tauricam Cherſoneſum deportauit; Ignatium beſtijs tradidit, & alios plures diuerſis Martyrij generibus immolauit. Eò iniquius, quòd Chriſtiana Religio mirè creſcere incipiebat, Gentilium ſuperſtitio quaſſata concutiebatur, Deorum templa deſolabantur, ac oracula ipſorum rauca & muta, quæ primitus loquacia erant, penitus reddebantur. Ipſum inter optimos Principes aliqui immenſis laudibus prædicant, alij vino, & præpoſteræ libidini deditum damnant; De his Baronius, Gordonus, & alij poſt vetuſtiores, quos referunt. Illud certum, ſolitam fieri Imperatoribus in Senatu hanc acclamationem: *felicior Auguſto, melior Traiano*, qua denotabatur optimum Principem fuiſſe, ſicut Auguſtum feliciſſimum. Traianus Imperat.

2 Qualis porrò fuerit Eccleſiæ ſtatus hoc Traiani tempore, qualis Eccleſiæ ſtatus.

Chriſtianorum innocentia, quanta in ipſos perſecutionis ſæuitas, ex quibus etiam aliqua ad Eſſenos noſtros ſpectantia elici poſſunt, ab vno ex Gentilibus celebri Plinio iuniore in Epiſtola ad ipſum Traianum [a], ſic habemus: *Solemne mihi eſt, domine, omnia de quibus dubito ad te referre. Quis enim poteſt melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam inſtruere? Cognitionibus de Chriſtianis interfui numquam: ideo neſcio quid, & quatenus aut puniri ſolent; aut quæri. Nec mediocriter hæſitaui ſit ne aliquod diſcrimen ætatum, an quamlibet teneri, nihil a robuſtioribus differant: detur ne pœnitentiæ venia, an ei qui omnino Chriſtianus fuit, desijſſe non proſit: nomen ipſum etiam ſi flagitijs careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur. Interim in his, qui ad me tanquam Chriſtiani deferebantur, hunc ſum ſecutus modum. Interrogaui ipſos an eſſent Chriſtiani, confitentes iterum, ac tertio interrogaui, ſupplicium minatus: perſeuerantes duci iuſſi. Neque enim dubitabam, qualecumque eſſet quod faterentur, pertinaciam certè, & inflexibilem obſtinationem debere puniri. Fuerunt alij ſimilis amentiæ, quos quia Ciues Romani erant, annotaui in Vrbem mittendos. Mox in ipſo tractatu, vt fieri ſolet, diffundente ſe crimine, plures ſpecies inciderunt. Propoſitus eſt libellus ſine auctore multorum nomina continens; qui negant ſe eſſe Chriſtianos aut fuiſſe, cum præeunte me Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc iuſſeram cum ſimulacris numinum afferri, thure ac vino ſupplicarent; præterea maledicerent Chriſto, quorum nihil cogi poſſe dicuntur, qui ſunt re vera Chriſtiani: ergo dimittendos putaui. Alij ab indice nominati eſſe ſe Chriſtianos dixerunt, & mox negauerunt: fuiſſe quidem, ſed desijſſe, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque omnes & imaginem tuam, & deorum ſimulacra venerati ſunt; ij & Chriſto maledixerunt. Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam, vel culpæ ſuæ, vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum inuicem: ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent: quibus peractis morem ſibi diſcedendi fuiſſe; rurſumque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium; quod ipſum facere desijſſe, poſt edictum meum, quo ſecundum mandata tua hæterias eſſe vetueram. Quo magis neceſſarium credidi ex duabus ancillis, quæ miniſtræ dicebantur, quid eſſet veri, & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inueni, quam ſuperſtitionem prauam & immodicam: Ideoque dilata cognitione, ad conſulendum te decucurri. Viſa eſt mihi res digna conſultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, vtriuſque ſexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim ciuitates tantum, ſed vicos etiam atque agros ſuperſtitionis iſtius contagio peruagata eſt, quæ videtur ſiſti & corrigi poſſe. Certè ſatis conſtat propè iam deſolata templa cœpiſſe celebrari; & ſacra ſolemnia diu intermiſſa repeti, paſſim venire victimas, quarum adhuc rariſſimus emptor inueniebatur.* Hucuſque Plinius ad Traianum, ea, quæ diximus de ſtatu Ec-

[a] lib. 10. epiſt. 97.

clesiæ pro hoc tempore describens, sodalitia præsertim, & congressus a Christianis fieri solitos, quos *heterias* Plinius vocat.

3 Ex hac autem Plinij Epistola ad nostrorum Essenorum historiam aliqua elici possunt. Primò, illud *quòd essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo quasi Deo dicere*, eos indigitare, certum apparet; cum isti antelucani congressus veluti proprij Essenorum essent. Dicente de illis Philone [a], quòd post ipsorum sacram Cœnam vsque ad Matutinum tempus suis sacris Ritibus vacarent: *Cœnam verò* (inquit) *sequitur sacrum peruigilium his ritibus, &c.* Et post illos relatos: *Producta vsque ad Matutinum hac comessatione honestissima, neque grauati crapula, neque nictantes, sed exercitatiores, quam cum venirent ad conuiuium, verso ad auroram vultu, totoque corpore, quamprimum solem orientem aspiciunt.* Et Georgio Peccatore nuncupato [b] sic: *A media nocte vsque ad auroram precationibus, ac cantibus vacant.* Et infra: *Breuissimo, leuissimoque somno minimam noctis partem conterunt.* Quod & indicat etiam Cedrenus [c]. Maximè verò D. Basilius [d] qui loquens de peruigilijs Monachorum, quos in superioribus fructices Essenorum esse diximus, ait: *De nocte populus consurgens antelucano tempore tempus precationis petit.* Quod dicit procedere ex ijs, *qui iam obtinuerunt ritus*, id est, ex priscorum Monachorum, quales erant Esseni, institutis. Deinde illud *Carmen Christo quasi Deo dicere secum inuicem*, absdubiè quoque Essenorum ritus denunciat, qui huius alternatiui diuinarum laudum cantus insignes promotores post Apostolos fuerunt. De illis enim Philo [e] hæc testatur: *Vbi omnes consurrexere duo chori fiunt in medio Cænaculi.* Deinde: *Cuique suus incentor præficitur honore præstans, & canendi peritia: Deinde cantant hymnos in laudem Dei compositos, varijs metrorum, carminumque generibus, nunc vno ore, nunc alternis.* Et S. Basilius *supra* etiam: *In duas partes diuisi alternis succinentes psallunt, atque ex eo simul eloquium Dei, exercitationem, ac meditationem corroborant, &c.* Et infra: *Deinde vni ex his hoc muneris dato, vt quod canendum est, prior ordiatur, reliqui succinunt.* Maximè verò illud quod Plinius, videlicet: *Seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent*, proculdubio indicat iuramentum, seu votum Essenis familiare de non patrandis huiusmodi sceleribus, cum illud non toti populo, sed solis Essenis in vsu esset. Vt enim Iosephus [f] de Nouitio Essenæ scholæ admittendo inquit: *Prius quam incipiat habere communem cibum magnis execrationibus adiurat se primum colere Deum, deinceps quoque erga homines seruare iustitiam, & neque propria sponte nocere cuiquam, neque ex præcepto obesse.* Alia de hoc voto, iuramentoue diximus *to.* 1. *sub ann.* 3545. *n.* 35. Hic solum animaduertendum non rectè hoc a Plinio *sacramentum* appellatum a Baronio [g] intelligi de Eucharistiæ Sacramento, quorsum enim ethnicus homo Gentilismi propugnator acerrimus tam pius in nostras cæremonias, Traiano sæuo Christiani nominis hosti

Esseni.

[a] in lib. de vita contemplat.

[b] in suo Chron. in Claudio Imperat.

[c] in Claudio.

[d] epist. 69. ad Neocæsarienses.

[e] eo lib. de vit. contempl.

[f] lib. 2. de bello Iudaic. c. 7.

[g] sub ann. 104.

ſcribens, demonſtraretur? In eo tamen Baronio aſſentiendum, vt ſequentia illa, ſcilicet: *Rurſumque coeundi ad capiendum cibum promiſcuum tamen, & innoxium*, Agapen Chriſtianorum (Eſſenorum maximè) ſignificent. Quid verò *Agape* fuerit, & quomodo cum Eſſenorum conuiuijs conuenerit ſupra *in Apparat. cap. 3.* oſtenſum manet.

Agape Eſſenorum. a in lib. de vit. contempl. b de Eccleſ. poſt legem c. 12.

4 Ergo Eſſenorum Agape his ritibus conſiſtebat, prout ex Philone [a] elicit Boulducus [b]. Primò: *Seuneum* (locus eſt ſynaxis, de quo alibi) *habebant, in quo ſeptimo quoque die conueniebant.* Secundò: *Vbi candidati conuenerant ſigno dato ſumma cum grauitate eleuatis in Cælum oculis, & manibus, priuſquam decumberent, orabant vt placeret Deo conuiuium.* Tertiò: *Poſt preces diſcumbebant ordine non ætatis, ſed Religionis, viri ad dexterum latus, fœminæ ad ſiniſtrum.* Quartò: *Diſcumbebant ſuper lectiſternia, quæ ſunt tegetes rudes ex papyro, & humi aggeſta.* Quintò: *Nulli ibi ſerui, ſed qui miniſtrabant erant ingenui, & ſponte omnia facientes.* Sextò: *Eligebantur iſti miniſtri ex ſodalitate iuniores, qui præclarum aliquod ſapientiæ, aut virtutis ediderant.* Septimò: *Tanquam germani filij libenter alijs miniſtrabant quaſi parentibus publicis.* Octauò: *Vt abeſſet ab hoc conuiuio omnis ſeruitutis ſpecies, diſcinctis, & promiſſis tunicis miniſtrabant.* Nonò: *Vinum per illos dies non præbebatur, ſed aqua pura, ſenibus calida, cæteris frigida.* Decimò: *Menſa pura erat à cruentis dapibus, pro cibo apponebatur panis, ſal, & hyſſopus.* Vndecimò: *Conuiuis ordine diſcumbentibus nulla ſequebatur compotatio, ſed tale ſilentium, vt ne mutire quidem liceret.* Duodecimò: *Proponebat quiſpiam quæſtionem ex Sacris literis, nihil de ſolutione ſolicitus, ſed vt præclaras ſententias animis inculcaret.* Decimotertiò: *Legem conſiderabant, vt quoddam animal, cuius corpus ſint præcepta, anima verò abſtruſiores ſententiæ.* Decimoquartò: *Totum auditorium attentum auſcultabat, ſolo nutu vel dextro digito ſe vel probare indicans, vel de ijs quæ dicuntur, dubitare.* Decimoquintò: *Vbi præſes ſatisfacere viſus eſſet, plauſus edebatur ab omnibus.* Decimoſextò: *Poſt hæc ille aſſurgens hymnum in laudem primus canit, ſiue à ſe compoſitum, ſiue ſumptum à veteribus prophetis.* Decimoſeptimò: *Præſulem cæteri imitantur, præterquam in fine hymni: nam tunc omnes ſimul vocem extollunt.* Decimoctauò: *Abſolutis hymnis ſingulorum, iuniores dictam menſam afferunt cum pane fermentato, ſale & hyſſopo.* Decimononò: *Poſt hæc duo chori in medio cænaculo, alter virorum, alter fœminarum modulate tripudiando exultant in Domino: deinde vnum chorum faciunt promiſcuum.*

Chriſtianorum Agape.

5 Communis autem Chriſtianorum Agape his celebrabatur cæremonijs. Fiebat diebus Dominicis, ſeu Natalitijs Sanctorum Martyrum, funeribus, aut dedicationibus Eccleſiarum. De nocte, & per modum cœnæ, Conuenientes Chriſtiani poſt fuſas ad Deum preces cænabant; cænati manus abluebant; candelas, cereoſque accendebant; Deum precabantur; Scripturam ſacram legebant; mox inter ſe ipſos de diuinis rebus ſermones faciebant, & pecunias pro viduis, & pauperibus colli-

gebant.

gebant. Eò non admittebantur neque infideles, neque catechumeni, nec publici pœnitentes: eò quòd ius communionis, aut fraternitatis, quod in huiusmodi conuiuijs exercebatur, aut amisissent, aut non consecuti fuissent. De his Albaspinus [a], Ioannes Baptista Casalius Romanus [b]. Videatur & Baronius [c], ac Cornelius [d]. Fiebat autem ad imitationem Christi; sicut enim ille communem, & vsualem cœnam, & sacram synaxim, seu communionem Eucharisticam simul coniunxit, sic & Christiani coniungebant. Irrepserant autem aliqui abusus in ipsa celebranda etiam tempore Pauli, præsertim apud Corinthios, vt propterea ipsos reprehendat 1. *Corinth.* 11. *v.* 21. dicens: *Conuenientibus ergo vobis in vnum iam non est Dominicam cœnam manducare*. Id est, non celebratis Dominicam cœnam, synaxim, & Agapen, iuxta Christi, & Ecclesię institutionem, sed Bacchi, & prophanorum vsum sectantes. Primò quidem, quia *Vnusquisque suam cœnam præsumit*, eam videlicet ante synaxim, seu sacram communionem sumendo. Secundò, quia *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est*. Id est, diuites manducant, & bibunt se ingurgitando, & inebriando, & nihil pauperibus tribuendo. Propterea enim subiungit: *Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent*. Et postea: *Qui manducat, & bibit indignè* hoc peccato mortali ebrietatis, ingurgitationis, contemptus pauperum, &c. *iudicium sibi manducat, & bibit*. De ijs Augustinus *Ep.* 118. Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus, Primasius, S.Thomas, & alij Expositores huius loci.

[a] de veter.Eccles.ritib. lib.1. c.17.
[b] de veter. sacr.Christianor. ritib. c.21.
[c] sub ann.57.
[d] in epist.1. ad Corinth. c.11. v.21.

6 Sub hoc anno, in quo, vt Dexter [e] scribit: *Mirabiliter fides Christi per totas Hispanias dilatatur; crescit numerus fidelium, nec persecutionis gladius debilitatur*, memoria occurrit S. Secundi Abulensis Episcopi, & Martyris, ac vnius ex discipulis S. Iacobi, vt propterea a nobis prætermitti non debeat, cum iuxta dicta in superioribus, plures ex ijs S. Iacobi discipulis frutices, vel palmites Elianæ vineæ fuerint. De eo autem sic Dexter: *Ad Castrum altum prope Tugiam prædicat S. Secundus Pontifex, S. Iacobi discipulus, Martyr vltimus Sociorum*. Est autem Tugia, seu Tugiensis saltus, alias Argenteus mons, quem vulgus *Sierra de Alcaraz* vocat, prout ex Clusio, Millio, Orthelio, & alijs affert Biuarius Dextri Scholiastes. *Castrum altum*, verò populus erat Amilcaris cæde insignis apud Titum [f], Marianam [g], ac Florianum [h]. Fuit hic sanctus S.Iacobi Ostiarius, prout ex ipso Dextro [i] habetur. Et ex septem famosioribus ipsius discipulis, qui a Callisto, & Leone summis Pontificibus, Primo Cabilonensi, Breuiario Romano, & alijs agnoscuntur Hispanias a S. Petro ordinati Episcopi missi. De ipso Thesaurus Concionatorum *to.* 2. *die prima Maij*, ac de ipsius corporis inuentione, & translatione in Cathedralem Ecclesiam Abulensem, Antonius de Cianca in speciali ea de re historia. Mirabilis porrò huius viri Sanctitas sic Abulam Sanctis fœcundam reddidit, vt in ea semper insignes sanctitate vtriusque sexus personæ conspiciantur, a tempore maximè, quo S. Theresia, & eius sociæ Virgi-

S.Secundus.
[e] in Chronic.
[f] lib.14.
[g] lib.2. c.7.
[h] lib.4. c.16.
[i] sub ann.37.

nes Carmelitæ eam Vrbem decorare cœperunt. Idem iure suspicari possumus de pluribus alijs Hispaniæ Vrbibus, in quibus munus Prædicatoris Secundus exercuit, vt sunt Toletum, & aliæ Carpetaniæ, & Lusitaniæ, apud Luitprandum [a].

a in fragmentis n.80.84.85. & 86.

Annus Christi 101. S. Clementis Papæ 9. Traiani Imper. 2.

S. Ioannis Euangelistæ mors.

1 HOC anno, qui est 68. a Christi passione, moritur S. Ioannes Apostolus Ephesi, prout ex Hieronym. [b], Eusebio [c], Tertulliano [d], & alijs noui Chronologi desumunt. Quamuis tamen istorum placitum, quantum ad Ioannis mortem, etsi non quoad tempus, ferè communi Doctorum calculo probetur, quia nihilominus aliqui non infimæ notæ authores in eam sententiam inclinent, vt putent Apostolum Ioannem adhuc in viuis superstitem esse, Eliæ nostri comitem, & hospitem in terrestri Adamico Paradiso vulgato ipsius habitaculo, idcirco operæpretium duximus quæstionem hanc nec Theologis indignam, nec nostris Annalibus omninò extraneam, ab ouo, vt dicitur, discutere, & quid in ea sentiendum sedulò inuestigare.

b in Ioann. c in Chronic. d lib. de anim. c.50.

Doctorum placita.

2 Ergo S. Hippolytus Martyr [e] scripsit S. Ioannem Euangelistam cum Enoch & Elia vita superstitem nunc, in fine mundi cum ipsis contra Antichristum pugnaturum. Venit hic Hippolytus ex Arabia deuotionis gratia Romam sub Seuero Imperatore, & ob singularem doctrinam, & sanctitatem a Callisto Papa detentus, Episcopus Portuensis creatus, ac tandem ab Vlpiano Iurisconsulto acri Christianorum hoste capitis damnatus martyrij palma fuit gloriosus, vt meritò proindè in Bibliotheca Vaticana statua insignis marmorea erecta illi fuerit, quæ adhuc ibi visitur. Eius quoque sententiam amplexati fuerunt Simeon Metaphrastes [f], Sabellicus [g], Trapezuntius [h], D. Antoninus [i] referens Theophrastum, & Ioannem Dominicum, Ambrosius Catharinus [k]. Fauent Theophilactus, & Euthymius, imò quod magis est S. Ambrosius [l], & Damascenus [m], & ex recentioribus Alphonsus Salmeron, & Sebastianus Barradius [n], imò & Suarez, qui [o] dum de hac quæstione ageret dicit: *Nihilominus probabilius apparet Ioannem Euangelistam mortuum esse*, quo denotat oppositum esse probabile.

e in Tract. de consummat. sæculi.

f in vit. S. Ioannis. g lib. 1. c. 8. h in libello circa illa verba: sic eum volo manere &c. i 4. p. tit. 13. c. 4. §. 2. k in Genes. 2. l in Lucam. m coll. de Transfigurat. n in c. 21. Ioan. o 3. p. to. 2. disp. 55. sect. 3.

Fundamenta.

3 Et ita videtur dicendum, si authorum quos retulimus numerum, & authoritatem, ac fundamenta, quibus innituntur, expendamus. Ea verò sunt ex S. Paginæ testimonijs petita. Etenim *Luc. 9. v. 27.* dixit Christus: *Sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant Regnum Dei*, quod solum de Ioanne Euangelista verificari potest, cum Apostolorum alij martyrio coronati fuerint. Deinde *Ioan. 21.* cum Christus dixisset Petro: *Sequere me*, & ille interrogaret de Ioanne: *Domine, hic autem*

tem

tem quid? Christus dixit ei: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere*, quod denotare videtur Ioannem non moriturum; præsertim quia ita intellectum fuit a discipulis, subdit enim textus: *Exiji sermo inter fratres, quia discipulus ille non moritur*. Item *Matth.* 20. *v.* 23. Christus de Iacobo, & Ioanne filijs Zebedæi loquens inquit: *Calicem meum bibetis*, id est, martyrium patiemini, quod tamen in Ioanne adimpletum vsque modo non est, ac proinde sequitur adimplendum Antichristi persecutione. Ad hæc *Apocalyps.* 10. *v.* 11. illi dictum est a Deo: *Oportet te iterum prophetare Gentibus*, vtique quando contra Antichristum pugnaturus adueniet. Accedit quod sicut ex lege naturæ reseruatur viuus Enoch; ex lege scripta Elias, contra eundem Antichristum venturi in fine mundi, sic decens videtur, quod ex lege gratiæ alius, Ioannes scilicet, ad idem munus prædicationis obeundum reseruatus credatur.

4 Cæterum, vt diximus, communis ferme doctrina PP. & DD. tum veterum, tum recentiorum tenet Ioannem mortuum verè fuisse, nec viuum in terris, Paradisoetiam, cum Elia, & Enoch reseruari. Sic non solum Hieronymus, Eusebius, & Tertullianus relati, sed & Polycrates Theologorum antiquissimus, Augustinus, & Chrysostomus, quos refert, & sequitur Baronius [a]. Item plures alij apud iuniores. Quibus assentiendum, dummodò rem hanc ad fidem pertinere nullus existimet, sed solum ad veriorem, aut probabiliorem, vt Suarez dixit, Theologorum sententiam; maximè ob antiquorum PP. reuerentiam, qui eam tuentur. Quam valde confirmant reuelationes S. Brigitæ, quas defendunt Turrecremata, Michael Medina, Alphonsus Mendoza, Petrus Canisius, Martinus Delrio, & quod magis est, Bonifacius IX. & Martinus V. Summi Pontifices in eiusdem Canonizatione; in eis enim [b] ipse Ioannes eidem Brigitæ apparens, & monens contemnere omnia mundi bona non pluris quam siliquas porcorum, sic loquitur de sui morte: *Ego insuper post Matrem Dei leuissima morte de mundo transiui, quia Custos Matris Dei factus sum, & corpus meum est in loco quietissimo, & securissimo*. Deinde [c] sic audiuit eadem Sancta loquenté Dei Genitricem cum eodem Ioanne: *Tu inter Apostolos vicinius mihi appropinquasti, maioraque signa dilectionis expertus es præ alijs, & amarior tibi passio Filij mei facta est, quam præ cæteris clarius aspexisti, & quia præ cæteris Fratribus tuis longius vixisti, & quasi in ipsorum omnium* (martyrio, vel morte) *martyr fuisti*, seu (vt Codex Farnesianus legit) *& inter eos quasi martyr fuisti, ideo placuit Deo te vocare de mundo morte leuissima post me*. Eandem quoq; confirmant, quæ in Breuiarijs Carmelitarũ tum vetustis, tum modernis a Gregorio XIII. approbatis in Officio eiusdem Ioannis Euangelistæ pro 27. Decembris in Antiphonis tertij Nocturni leguntur. Prima namque eius Nocturni Antiphona hæc est: *Apparuit charo suo Ioanni Dominus Iesus Christus cum discipulis, & ait illi: Veni dilecte mi ad me: quia tempus est, vt epuleris in conuiuio meo cum Fratribus tuis*. Secunda: *Expandens manus suas ad Dominum dixit: Inuitatus*

ad con-

Doctrina Patrum.

a sub hoc anno.

b lib. 4. c. 1.

c c. 23.

ad conuiuium tuum venio, gratias agens, quia me dignatus es, Domine Iesu Christe, ad tuas epulas inuitare, sciens, quòd ex toto corde meo desiderabam te. Tertia: *Domine suscipe me, vt cum fratribus meis sim, cum quibus veniens inuitasti me: aperi mihi ianuam vitæ, & perduc me ad conuiuium epularum tuarum: tu es enim Christus Filius Dei viui, qui præcepto Patris mundum saluasti: tibi gratias referimus per infinita sæcula sæculorum:* Id quoque colligi videtur ex eo quòd in Canone Missæ in *Memento* pro defunctis inter eos, quorum societatem illis desideramus, numeratur Ioannes illis verbis *Ioanne, Stephano, &c.* nec dici posse videtur hunc Ioannem ibi commemoratum non Euangelistam, sed Baptistam fuisse; non solùm quia in Canone Missæ de illis dumtaxat Diuis, qui post Christum obierunt, talis commemoratio extat; sed etiam quia eo loco dicitur: *Cum tuis Sanctis Apostolis, & Martyribus, Ioanne, Stephano, &c.* quæ solùm Euangelistæ Ioanni, qui vnus ex Apostolis fuit, accommodantur.

Alia modernorum fundamẽta.

5 Alia, quæ moderni Doctores pro morte Ioannis probanda fundamenta adducunt, magnique faciunt, proculdubio minoris momenti sunt, & facilis solutionis. Primò etenim illud ex eo petitum quòd eiusdem Ioannis Officium ab Ecclesia celebretur, in Sanctorum Litanijs reponatur, & vniuersaliter a fidelibus colatur, & inuocetur, leuidense sanè est, & facilè instatur in Elia Patre nostro, quem, vt probauimus *to. 1. sub anno 3139. n. 14. & 15.* Ecclesia nedum Græca sed Latina, approbantibus sæpius Summis Pontificibus, & Sacris Congregationibus, solemni etiam officio quotannis colit, celebrat, & inuocat, ac in Litaniis, publicisq; precibus reponit, Templa ipsi, arasque erigit, quamuis extra Cælum viuere, superstitemque esse credat. Idem igitur de Ioanne dicere possunt contrariæ sententiæ propugnatores; eò præsertim quia ipsius translatio veluti mors quædam, & separatio a viuis fuit, & in eo statu quo est, Ecclesiæ preces, quæ ad ipsum funduntur, exaudire poterit, vt in simili de Elia eo loco diximus. Quod liberius dicent si credant eum Dei visione adhuc viuum perfrui, prout plures ex relatis auctoribus fatentur, & de Elia multi quoque dixerunt, quos *eo anno 3139. n. 11.* retulimus. Secundò, argumentum illud ex eo desumptum, quod de reliquijs Euangelistæ Ioannis mentio fiat in Concilio Ephesino, & in Epist. Cælestini ad ipsum Concilium, ac in Synod. 7. *act.* 5. infirmum etiam est; necesse enim est ijs, qui illud afferunt, probare ibi esse sermonem de reliquijs S. Ioannis, quæ fuerint partes ossium, vel carnis ipsius, ex eo enim rectè concludent ipsum iam esse mortuum, tales tamen reliquiæ ipsius nullibi inueniuntur, & ea quæ in dictis Concilijs reliquiæ dicuntur, possunt dici esse partes vestium, librorum, vtensilium, aut certè capillorum, sanguinis, &c. legatur Cornelius *in Ioan. 21. vers. 22. §. Idem opinantur.* Addimus, quòd in antiquis Ordinis nostri Breuiarijs in legenda S. Ioannis habebatur, quod ex fouea vbi sepultus est, manna oriebatur iugiter, prout etiam tenent Gregorius Turonensis [a], & Petrus Damianus [b], quę reli-

[a] *lib. 1. de gloria Martyrum c. 30.*
[b] *serm. 3. de S. Ioanne Apostolo.*

reliquiarum nomine appellari posset, sicut etiam terra ipsius sepulchri. Quod clarè exprimit Turonensis relatus dicens: *Cuius nunc sepulchrum manna in modum farinæ hodieque eructat, ex quo beata reliquia per vniuersum delata mundum salutem morbidis præstant.* Ecce reliquias Ioannis à Concilijs, & Papa Cælestino commemoratas.

6 Quæ verò propugnatores opinionis contrariæ afferunt, etsi primo aspectu difficilia, si intimius inspiciantur, non concludunt intentum. Etenim illud *Luc.* 9. scilicet: *Sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant Regnum Dei*, communi Doctorum calculo, specialiter Origenis, Hilarij; Chrysostomi, Hieronymi, Bedæ, Theophylacti, Euthymij, Ambrosij, Augustini, & Remigij apud Maldonatum [a], exponitur de Christi transfiguratione, quæ post sex dies contigit, & quam non omnes viderunt, sed soli Petrus, Iacobus, & Ioannes, & quæ dicitur *Regnum Dei*, quia Regni Dei futuri erat expressa imago. Vnde *Marc.* 8. *v.*39. vbi similia habentur dicitur: *Donec videant Regnum Dei veniens in virtute.* Hanc porro expositionem argumenti difficultatem euacuare inspiciet, qui Matthæi, Marci, & Lucæ expositores consulet. *Opposita fundamenta diluta.*

[a] in cap. 16. Mat. v. 28.

7 Locus etiam *Ioan.* 21. si Euangelij contextus animaduertatur, nullatenus probat Ioannem non moriturum. Præcesserat enim Christum dixisse Petro: *Cum esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis*, quod, ipso Euangelista testante, significabat, *qua morte clarificaturus esset Deum*, scilicet morte non naturali, sed violenta crucis. Cum autem Christus immediatè subiunxisset ad Petrum: *Sequere me*, id est, morte per crucem, vt Theodorus Mopsuestiensis, Leontius, Augustinus, Beda, Euthymius, Rupertus, Maldonatus, & alij, Petrus solicitus de Ioanne dixit: *Hic autem quid?* Ad quem Christus: *Sic eum volo manere.* Id est, illæsum, non crucifixum, aut morte violenta sicut te interfectum, *donec veniam*, tempore mortis ipsius, vt scilicet eum morte naturali defunctum ad Cælum assumam. Ita S. Augustinus, Beda, S. Thom. Rupertus, Maldonatus, Cornelius, Suarez, & alij. *Tu me sequere.* Id est, tu verò, vt dixi, violenta morte crucis Cælum conscendes. Hanc porrò esse legitimam præ alijs expositionem huius loci, confirmat primò, lectio antiqua ipsius, Græcorum, Syrorum, Arabum, & Æthiopum, videlicet: *Si eum volo manere, quid ad te?* conditionata nempe, & qua Petri curiositas reprimebatur. Secundò, quod ipsemet Ioannes huius historiæ Euangelicæ Scriptor subiunxit: *Exijt sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur*, quasi dicat: Inde rumor vulgaris sparsus fuit inter discipulos, quòd non essem moriturus, sed vt tollatur hæc vana suspicio, animaduertite, quod Christus non dixit de me: *Non moritur, sed sic eum volo manere donec veniam.* Quod & subiunxisse credendum, quia cum esset valde senex, & longæuus, aliqui de ipso eam opinionem habebant, quod non esset moriturus, vt Maldonatus notauit. Tertiò, quia id *Alia.*

quod

quod diximus de aduentu Christi ad Ioannis mortem notato illis verbis *Donec veniam*, verificatum fuit, prout ex verbis relatis ex legenda ipsius in Breuiarijs Carmelitarum constat. In antiquioribus etiam sic dicebatur: *Cum autem esset annorum 97. apparuit ei Dominus Iesus Christus cum discipulis suis, & dixit ei: Veni ad me, quia tempus est, vt epuleris in conuiuio meo cum fratribus tuis*. Quod & ipse Ioannes *Apocalyps. 22. v. 20.* desiderare visus est dum dicebat *Veni Domine Iesu*.

Alia fundamenta.

8 Porrò illud *Calicem meum bibetis*, quod de Martyrio a PP. exponitur, verificatum in Ioanne fuit; tum in tota ipsius vita, contra Ebionem, & alios hæreticos, Apollonium Thyanæum, & Magos, Indæos, & Ethnicos, prædicans, disputans, altercans, &c. tum in Pathmos Insulam a Domitiano relegatus, vbi pluribus ærumnis senex affligebatur, tum denique propriùs, cum Romæ ante portam Latinam in feruentis olei dolium missus est, sed miraculosè liberatus, ipso voluntariè tam acerbam mortem acceptante, vt propterea a Patribus, & tota Ecclesia Martyr vocetur. Adde, tunc pariter fustigatum, atque ignominiæ causa attonsum fuisse, prout ex versibus, qui in Sacello Martyrij eius loco dicato cernuntur Romæ, colligitur. Tales enim sunt.

Martyrij calicem bibit hic athleta Ioannes
Principij Verbum cernere qui meruit.
Verberat hunc fustE Proconsul, forfice tondet,
Quem feruens oleum lædere non valuit.
Conditur hic oleum, dolium, cruor, atque capilli,
Quæ consecrantur, inclyta Roma, tibi.

Nec omittendum, Martyrem etiam dici posse (sicut & Deipara Virgo propterea etiam Martyr appellatur) eo quod quando Christi neci affuit, ipsius sæua passio, & Virginis compatientis dolor, eius animam intimè penetrauit, vt notat S. Bernard. [a]. Præsertim, quia vt eadem Deipara ipsi dicebat in Reuelationibus S. Brigitæ relatis: *Tu inter Apostolos vicinius mihi appropinquasti, & amarior tibi passio Filij mei facta est, quam præ cæteris clariùs aspexisti*. Vbi etiam nouum genus Martyrij Ioannis denotatur illis verbis: *Quia præ cæteris fratribus tuis longius vixisti, in omnium Martyrio, vel morte Martyr fuisti, seu inter eos Martyr fuisti*.

[a] in Lamentat. B. Mariæ.

Apocalypsis locus.

9 Illud *Apocalyps. 10. v. 11.* scilicet, *Oportet te iterum prophetare Gentibus* non denotat Ioannem venturum cum Elia ad prædicandum in fine mundi, sed idem ac oportet te post hanc Apocalypsim scriptam, scribere Euangelium, prout Primasius, Beda, Ansbertus, & Viegas exponunt; vel, oportet te iterum prophetare Gentibus, id est, prædicare, postquam liberaberis ab hoc exilio vbi modo es in Pathmos, vt alij volunt, seu prænunciare alia grauiora mala, & supplicia orbi inferenda, quam quæ vsque modo prænunciasti, prout Suarez, & Cornelius putant.

Congruentia.

10 Ad congruentiam illam sufficienter respondet Suarez *supra* dicens: *Ad vltimam verò congruentiam facilè est respondere, in lege gratia tot*

esse

esse testes Christi, & doctrinæ eius, vt non sit necessarium tunc nouum Ioannis testimonium. Erunt enim tunc multi sancti, & prædicatores Euangelij, qui Eliæ, & Henoch adhærebunt. Nec fidei testimonium pendet ex visione oculorum, vt propterea necessarius sit testis oculatus. Quod si hoc etiam concedere velimus, aderit Elias, qui Christum vidit in carne mortali, & in gloriæ claritate in die transfigurationis. Non igitur necessarius ad id Ioannes erit.

11 Si verò de mortis genere, quo Ioannes vitam finiuit, inquiratur, cum ex dictis constet fuisse *naturalem*, & ex reuelationibus S. Brigitæ relatis *leuissimam*, & ex S. Epiphanio [a] *admirandam*, ea omnia confirmare possumus ex legenda ipsius Ioannis in antiquis nostri Ordinis Breuiarijs pro die 27. Decembris, cui saltem ex parte concordant Dorotheus [b], Gregorius Turonensis [c], Petrus Damian. [d] & Baptista noster Mantuanus cognominatus loco inferius referendo. Ibi ergo sic erat: *Cum autem esset annorum 97. apparuit ei Dominus Iesus Christus cum discipulis suis, & dixit ei: Veni ad me, quia tempus est, vt epuleris in conuiuio meo cum fratribus tuis. Surgens autem Ioannes cœpit ire. Sed Dominus dixit ei: Dominica Resurrectionis meæ die, quæ post quinque dies futura est, ita venies ad me. Et cum hæc dixisset Cælo receptus est. Veniente itaque dominico die conuenit multitudo in Ecclesia, quæ ipsius nomine fuerat fabricata, & à primo pullorum cantu vsque ad horam diei tertiam exhortatus est eos dicens: Fratres cognoscite Dominum Iesum Christum, & perseuerate in eius mandatis, iam enim de hoc mundo me vocare dignatus est. Post hæc iuxta altare iussit foueam quadratam fieri, & terram eius foras Ecclesiam proijci. Et descendens in eam expandens manus suas ad Dominum dixit. Inuitatus ad conuiuium tuum venio gratias agens, quia me dignatus es Domine Iesu Christe ad tuas epulas inuitare; sciens quod ex toto corde meo desiderabam te. Vidi faciem tuam, & quasi de sepultura suscitatus sum. Odor tuus concupiscentias in me excitauit æternas. Vox tua plena suauitate, melliflua collocutio tua incomparabilis eloquijs Angelorum. Nunc Domine commendo tibi filios tuos, quos tibi Ecclesia tua virgo vera per aquam, & Spiritum regenerauit. Suscipe me Domine, vt cum fratribus meis sim cum quibus veniens inuitasti me. Aperi mihi pulsanti ianuam vitæ; princeps tenebrarum non occurrat mihi; pes superbiæ, & manus extranea non contingat me, sed suscipe secundum verbum tuum, & perdue me ad conuiuium epularum tuarum, vbi epulantur omnes amici tui. Tu es enim Christus Filius Dei viui, qui ex præcepto Patris mundum saluasti: tibi gratias referimus per infinita seculorum secula. Cumque omnis populus respondisset Amen, lux tanta apparuit super Apostolum per vnam fere horam, vt nullus eam sufferret aspectus, postea verò inuenta est fouea illa plena nihil aliud in se habens nisi manna, quam vsque hodie gignit locus ipse.*

12 An verò idem Ioannes post vere subitam naturalem mortem à Christo in Cælum tum corpore, tum anima assumptus fuerit rediuiuus, prout

Ioannis mors.

[a] hæres. 79.

[b] in synopsi.

[c] lib. hist. Francor. c. 26. & lib. 1. de gloria Martyr. c. 30.

[d] serm. 2. de ipso Ioanne.

An corpore, & anima assumptus.

prout pluribus placet, & ex dicta historia colligi videtur, alijs relinquimus; nostrum enim solum fuit inuestigare, an nunc vita superstes cum Elia nostro Paradisi colonus, comes, & socius, ac in fine mundi contra Antichristi nequitiam propugnator futurus sit. Quæ verò noster Baptista Mantuanus sui sæculi decus [a], ad hoc intentum quatuor his versibus scripsit, omittere non libuit.

a in Opere de sacris diebus in festo eiusdem S. Ioannis die 27. Decembris.

Prospiciens tandem sibi summum incumbere tempus
Viuus humum subijt; corpusque in manna redactum
Sunt qui translatum credant Orientis ad hortos:
In superos quidam; Celoque ardente potiri.

Annus Christi 102.103. & 104. Clement. Pontif. 10. Anacleti 1.&2. Traian. Imp. 3.4.& 5.

Traiani sæuitia.

1 SÆVIEBAT in Christianos hoc tempore Traianus Imperator, moribus aliàs probus, vt idcirco se nihil contra legem gessisse Consulatus sui tempore iureiurando affirmasset. Quia tamen Christianorum legem Romanorum ritibus peregrinam, qui & ipsorum deos detestarentur, censebat, sanctum, piumque contra ipsam agere iudicabat. Hinc, etsi Plinius in Epistola ad ipsum directa, de qua *sub ann.* 100. dictum est, testaretur nihil mali in Christianorum Religione inueniri, nihilominus ad ipsum respondit: *Conquirendi non sunt; si deferantur, & arguantur, puniendi sunt.* De qua sententia Tertullianus [b] sic conqueritur: *O sententiam necessitate confusam! negat inquirendos, vt innocentes: mandat puniri, vt nocentes: parcit, & sæuit: dissimulat, & animaduertit. Quid temetipsum censura circumuenis? si damnas, cur non & inquiris? si non & inquiris, cur non & absoluis?* Vide Eusebium *lib. 3. hist. c. 27.*

b in Apolog. c. 2.

Clemens relegatur.

2 Interim Clementem Papam in Chersonesum relegatum, cum sciuisset Traianus, patratis miraculis omnem fere illam Prouinciam ad Christi Religionem perduxisse, per Præsidem Aufidianum, qui plurimos Christianos diuersis tormentis sustulit, neci tradidit. Martyrij modum, & S. Clementis historiam ex Simeone Metaphraste, Episcopo Equilino, Baptista nostro Mantuano, Surio, Baronio, & alijs sumere potest lector; & ex Breuiarijs nostri Ordinis vetustis, & ad ritum Ierosolymitanæ Ecclesiæ, & S. Sepulchri formatis. Scienter verò prætermittimus, quod Ægidius Gelenius auctor exterus in opere de *Colonia Sacra*, seu de *Coloniæ magnitudine lib. 3. syntagm.* 43. §. 1. dixit, videlicet, Clementem Papam (vtique istum sanctum) inter Ordinis nostri Diuos agnosci. Cum enim nec historiæ nostræ, nec alij præter Gelenium id dixerint, pro re incerta eam omittimus, veritatem semper pro posse nostro dumtaxat inuestigantes, non apocrypha. Solùm pro nostris notandum huius Sancti Pontificis Clementis Reliquiarum partem in celebri Ordinis Tem-

plo, ac Cœnobio S. Siluestri, & Martini de Montibus in Vrbe religiosè seruari; teste Ioanne Antonio Philippino eiusdem Conuentus Præfecto nunc Ordinis Generali Præsule in Tractatu Romæ edito ann. 1639. *de antiquit. & venerat. Eccles. S. Siluestr. & Martini*.

3 Post S. Clementis mortem Pontificatum Romanum subijt Anacletus natione Græcus, patria Atheniensis, ex patre Antiocho. Diuersus sanè a Cleto Pontifice, quem ob nominis similitudinem non pauci Anacletum vocauere, licet, vt dicemus, Cletus etiam Anacletus appellatus fuerit. Hunc tamen Anacletum Clementis successorem existimandum esse diuersum a Cleto Lini successore pro comperto habendum non solum contra Magdeburgenses Centuriatores, sed etiam Franciscum Biuarium in Commentar. ad Dextrum [a], contrarium sentientes. Id enim constat ex Breuiarijs, Martyrologijs, & legendis Sanctorum, in quibus id habetur. Accedant Chronologi communiter, specialiter Genebrardus [b], Baronius [c], Gordonus *ibid.* Gualterius [d]. Qui id sumere potuerunt ex libro, qui Damaso tribuitur *de Summis Pontificib.* Tertulliano [e], Augustino *Epist.* 165. & alijs. Ignatius ergo, Irenæus, Epiphanius, Nicephorus, & alij a Biuario adducti, qui Cletum, & Anacletum confundunt, eatenus intelligendi, prout Genebrardus *in Cleto* notauit, quia iste Cletus secundus post Petrum Pontifex Anacletus etiam appellatus fuerit, sicut etiam *Clytus*, vt idem Genebrardus eum vocat. Quod etiam indicat Dexter *supra* dicens; *Sanctus Anacletus, vel Cletus successerat Lino.* Binomius ergo, vel trinomius Cletus ille fuit. Anacletus autem iste quartus post Petrum Romæ Pontifex.

Anacletus Papa.

a sub ann. 86. n. 1.

b in Cleto; & Anacleto.
c sub an. 69.
d in 2. sæcul in princip.
e lib. 3. carm. in Marcion.

4 Clarissimus velut sol in Ecclesia his temporibus erat S. Ignatius Ioannis Apostoli Auditor, & Antiochenæ Ecclesiæ post Euodium Episcopus. Cuius historia nostris Annalibus iurè digna censetur, & ob tanti Doctoris de Ecclesia benemeriti eximia encomia, & quia a pluribus de exteris & domesticis inter nostrates Eliades recensetur; eò sanè quo Essenorum seu Therapeutarum illius temporis monachorum vitam æmulatus fuerit. De exteris sunt Laurentius Beyerlink [f], dum de Ordine Carmelitarum loquitur, & Annibal Canalis Iesuita [g], eum vocans Patrem Clericorum Regularium in Syria; eo sanè quia vitam Regularem, & monasticam egerit. De domesticis verò Petrus Saracenus [h], ipsum quintum Carmelitarum Generalem compellans, & Casanate [i]. Sumere id videntur ex antiquioribus, Palæonydoro videlicet [k], quatenus ibi Sanctum Ignatium Euodij successorem, & Præfectum Monasterij Monachorum apud Antiochiam a Sancta Thecla constructi agnoscere videtur, & ex Coria [l], vbi hæc & alia de Ignatio. Id sibi quoque eliciunt ex celeberrimo Doctore, & Poëta Baptista Mantuano [m]; vbi sanè, etsi Ignatij historiam ab ipso decantatam cernamus, quod tamen Eliano instituto ascribi debeat, nihil penè ex eo habemus, nisi solum quòd post Carmeli, & Carmelicolarum gestorum narrationem dictam Ignatij histo-

S. Ignatius.

f in Theatro vitæ humanæ l. 16. to. 6. verb. Religiosus; Relig. 10.
g in lib. de fundatorib. Relig. in vit. S. Ignat.
h in Menolog. Carmel. in vit. S. Dionysij Papæ.
i in Paradiso Carmelitan. 2. ætate 3. c. 24.
k lib. 2. cap. 2.
l in Chron. Carmel. l. 7. c. 9.
m lib. 3. Parthenices Marianæ, & de sacris diebus in mense Februarij.

historiam loco relato ex *Parthenite Mariana* aggrediatur. Debili etiam fundamento id præterea conijciunt ex eo quod hic sanctus in Epistol. ad Christiferam Virginem Mariam dicat: *Valeas, & neophyti, qui mecum sunt, ex te, & per te, & in te confortentur*, his enim neophytis Eliades nostros denotari putant. Sed vnde locus? Forsan meliùs id elicerent ex eo quod idem Ignatius Ioannis Baptistæ discipulus ab ipsis credatur; etenim Ioannis discipulos ex Essenorum schola fuisse sæpius diximus *to. 1. & in hoc* 2. Item quia idem Sanctus non modo egregius commendator cælibatus, cui Essenorum plures eo æuo addicti erant, conspiciatur, in Epistolis ad Philadelphenses, Philippenses, & Antiochenos, sed etiam æmulator in Epistola ad Heronem, seu Hieronem Ecclesiæ Antiochenæ Diaconum, ibi enim post illa *Te ipsum castum custodi*, subiungit; *Nosti quomodo te enutriuerim, etsi minimus sum, æmulator mei esto, imitare conuersationem meam*. Ex eis namque Iacobus Gualterius [a], contra hæreticos loquens hæc subdit: *Hæc S. Ignatius, planè significans sibi non minus fuisse cordi cælibatum seruare, quam eundem alijs suæ conditionis hominibus commendare*. Esto ergo cum Eliano instituto nihil habeat commune Ignatius professione, quia tamen imitatione, & prædicatione eum viuendi modum decorauit, a nostris Annalibus arcendus non est. Alia de ipso in sequentibus.

[a] *in primo seculo. verit. 8. c. 17.*

Cantus alternatiuus in Ecclesia.

5 Nunc verò non silendum, quod ab ipso dicitur inchoata consuetudo alternatim cantandi in Ecclesia hymnos, & Psalmos; eo quòd Angelos id facientes per visionem quandam intellexerit. Quod refert Socrates [b], his verbis: *Ignatius Antiochiæ, quæ est in Syria tertius à Petro Apostolo Episcopus, qui cum Apostolis ipsis versatus est, visionem vidit Angelorum Sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis, collaudantium, & formam canendi in ea visione expressam Ecclesiæ Antiochiæ tradidit; vnde illa traditio in omnibus Ecclesijs reperta est*. Habetur etiam in historia huius Sancti eam visionem habuisse super montem quendam, quem Coria *supra* putat esse *Neroi* Antiochiæ vicinum, ex quo infert illum Anachoreticam, & contemplatiuam vitam Elianorum, & Essenorum instar duxisse. Id quoque desumere posset ex eo quod similis ritus alternatim canendi peculiaris Essenorum esset, prout ex Philone, & S. Basilio dicebamus *sub ann.* 100. Quod & admittit Baronius ad incentum huius visionis S. Ignatij [c]. Item ex eo quod mos iste ex veteris legis Prophetis, qui & Prophetico Ordini nomen dedere, desumptus videtur. Ipsi enim a tempore Samuelis, qui primus Prophetarum, seu Cantorum cuneos congregauit, Dei laudibus, & hymnis concinendis assiduè vacabant, iuxta dicta *to. 1. in Appar. c. 2.* Quod etiam imitati fuerunt tempore Eliæ, prout etiam diximus eo *to. 1. sub ann. mundi* 3129 *ante Christ.* 924. Fuisse enim talem canendi ritum alternis vocibus, & vicibus celebratum non solùm elici videtur ex eo quòd aliàs inconcinnus, & incompositus redderetur, sed quia ad id edoceri possent ex visione Isaiæ *c. 6.* in qua de Seraphinis dicitur: *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant Sanctus, Sanctus,* San-

[b] *in histor. Eccles. l. 6. c. 8.*

[c] *sub anno 60. § Iam quod superest.*

Sanctus, Dominus Deus exercituum, &c. Hæc enim verba denotant eos alternis vocibus cantasse, vti fit in Choro psallentium, prout inter alios docet Damascenus *in Tract. de Trisagio*.

Annus Christi 105. Anacleti Papæ 3. Traiani Imper. 6.

1 MEMORANDA sub hoc anno, quæ Baronius Annalistarum Coryphæus, quem asseclæ æmulantur, refert, dicens: *His temporibus, persecutione (vt vidimus) in Christianos instante, scelestissimus pseudopropheta, Elxai nomine ex Iudæis, qui & se Ossenis coniunxit, Ebionæis, & Nazaræis prodijt, de quo hæc Epiphanius.* Pergit postea ea quæ Sanctus Epiphanius *hæres.* 19. scripsit, referre. Quæ talia sunt: *Coniunctus est his postea Elxai appellatus temporibus Traiani Regis, qui fuit pseudopropheta. Conscripsit autem hic librum, secundum prophetam videlicet, aut velut secundum diuinitus inspiratam sapientiam. Tradunt etiam de alio quodam Iexeo huius fratre. Fuit autem hic homo erroneus moribus fraudulentia mentis, à Iudæis oriundus, & cum Iudæis sentiens, non secundum legem conuersans: verum alia pro alijs obiter introduxit. Salem, & aquam, & terram, & panem, & Cælum, & æthera, & ventum iusiurandum ipsis in diuinum cultum præfiniuit, ac tradidit. Aliquando verò rursum alios septem testes præscripsit; Cælum, inquam, & aquam, & Spiritus, & Sanctos (velut ait) Angelos orationis, & oleum, & sal, & terram.* Refert postea idem Baronius alia ex Epiphanio membratim, & concisim, quæ nos, prout ab ipso scripta sunt, hic apponimus: *Aduersatur autem virginitati, & odio habet continentiam, & cogit ad nuptias. Imaginaria verò quædam velut ex reuelatione introducit, hypocritas autem docet, dicens non esse peccatum etiamsi simulachra ipsos adorare contingat, persecutionis tempore instante, si solum in conscientia non adorent, et si quid etiam confiteantur ore non autem in corde. Atque huius rei testem adducere fraudulentius ille impostor non erubescit, Phinees sacerdotem quendam de genere Leui, & Aaron, & prisci Phinees, qui in Babylone tempore captiuitatis adorauerit Dianam, & in Susis effugerit perniciem mortis coram Dario Rege. Quare omnia ipsius falsa sunt, & vana. Hic igitur sursum coniunctus est prædictæ sectæ* Ossenorum *appellatæ, cuius reliquiæ in hunc diem restant in eadem Nabatide terra, & vltra ad Moabitidem, quod genus nunc Sempsensium appellatur. Imaginantur autem hunc vocari virtutem obuelatam, propterea quod el appelletur virtus,* xai *verò obuelatum, & occultum. Vniuersa verò huius professionis elatia refutata est, & in magnam confusionem incidit apud eos, qui veritatem considerare, ac exactè cognoscere possunt. Nam à temporibus Constantij, & eorum qui nunc sunt reges, vsque huc palam redarguuntur. Ad Constantium enim vsque ex genere ipsius Marthus fœmina quædam, & Marthana eius soror, in ipsorum regione pro dijs adorabantur, quoniam ex semine prædicti Elxai*

erant. Mortua est autem Marthus ante paucos annos; Marthana verò hucusque fuit. Quarum etiam sputa, & reliquas corporis sordes auferebant erronei illi haeretici in illa regione, in auxilium videlicet morborum; nihil tamen efficiebant. Verum error semper pertinax est, & ad fraudem promptus.

Osseni diuersi omnino ab Essenus.

2 Hæc sanè abs re nostræ historiæ non sunt: vt ostendamus id quod non semel contra aliquos in re historica non valde versatos diximus, videlicet Ossenos istos, de quibus Epiphanius hoc loco loquitur, & quibus Elxai Pseudopropheta, & improbus hæreticus coniunctus asseritur, toto, vt inquiunt, Cælo ab Essenis, quorum honorificam memoriam, Philonem, Iosephum, Eusebium, Porphyrium, Cedrenum, Georgium Peccatorem, immò etiam Hieronymum, & ipsum Epiphanium sectantes, sæpius fecimus, differre. Prout etiam tradiderunt Serarius, & Vvastelius, quos retulimus *to. 1. sub. ann* 3545. *n*. 46. non dissentientibus Drussio, & Scaligero ibi relatis, & probauimus *in Apparat. c. 3. n. 2*. Specialiter id quoque modò roborandum, primò quidem ex eo quòd Osseni isti Idololatræ erant, adorantes, vt Epiphanius dicit, *salem, aquam, terram, panem, Cælum, ethera, ventum*, & similia, quod longissimè aberat ab Essenis vnum solum Deum colentibus, prout relati auctores de ipsis supponunt, nullatenus tam turpem errorem ipsis appingentes. Secundò, quia Osseni isti vtpote adhærentes Elxai, qui vt Epiphanius ait: *Aduersatur virginitati, & odio habet continentiam, & cogit ad nuptias*, proculdubio eiusdem in hoc errorem sequerentur virginitatem, & continentiam auersantes. Veri autem Esseni veluti ex diametro illis oppositi: *Nuptias declinabant, simulque continentiam continuè exercebant*, vt inquit Philo [a]. Et *Nuptias fastidiunt, vxores non ducunt*, vt habet Iosephus [b]. Quos imitantur Porphyrius, Eusebius, Solinus, Volaterranus, Baronius, Vellosillus, Sotus, Medina, & Drussius, qui a nobis referuntur *tom. 1. relati sub anno* 3545. *n*. 20. vbi etiam dictum, quod licet Iosephus loco relato ex *lib. 2. de bello* ipsos vxores duxisse dicat propter humani generis propagationem, hoc tamen solum intelligendum de quadam ipsorum classe, quam vocat ipse *Collegium aliud*. Nec dixit hoc esse ex odio virginitatis, aut continentiæ, aut cum coactione, quemadmodum loquitur Epiphanius. Tertiò, huius Elxai doctrina de ficta adoratione simulachrorum persecutionis tempore etiam aduersatur omnino Essenorum pietati, de qua Iosephus loco relato ex 18. *lib. Antiquit.* dicit: *Esseni ad Deum cuncta redigunt, immortalem animam dicunt, iustitiam autem rem pretiosam, pro qua etiam vsque ad mortem pugnandum esse prædicant*. Clariùs *lib. 2. de bello c. 7.* sic: *Sunt etiam contemptores aduersorum; cruciatus siquidem vincunt firmitate consilij. Mortem verò, si cum decore obeunda sit, indicant etiam immortalitate meliorem. Prodidit autem eorum in omnibus negotijs animos, bellum, quod gestum est cum Romanis. Tunc siquidem per artuum confractiones, ignes, ac per tormenta omnigena transeuntes, vt videlicet vel in legislatoris aliquid loquerentur iniuriam, vel cibo.um quippiam quod non solent ederent, ad neutrum*

a in Apolog.
b lib. 2. de bello c. 7. & 18. Antiquit. c. 2.

horum

borum potuerunt compelli; sed neque deprecari suos tortores, aut inter ipsa flere supplicia; in medijs quinimò cruciatibus subridentes, & eis qui tormenta admouerant, illudentes, constantes animas cum quadam hilaritate reddebant, scilicet quasi qui eas essent denuo recepturi. Alia, quibus Osseni ab Essenis diuersi noscuntur ex S. Epiphanio eo loco vbi de Ossenis, & ex *hæres. 29.* vbi de veris Essenis agit, sumere potest lector, sicut ex Philone, Iosepho, Eusebio, Cedreno, & alijs auctoribus supra relatis. Ac maximè quod attinet ad constantiam, & fortitudinem Essenorum in tolerandis tormentis ex Philone in libro *Quòd omnis probus sit liber*.

3 Agit sub hoc anno 105. Dexter [a] de S. Quarto Apostolorum discipulo, dicens: *Bis in Hispaniam peragrat, semel post Iacobum, iterum relictus à Paulo, Berela (quæ nunc Batyrus, alijs Betica, vel Gonciolum in Hispania dicitur) in Betonibus miraculis nunc claret.* De quo dixerat *sub ann. 50.* obijsse anno 76. De eo etiam Martyrologia, Romanum, Bedæ, Vsuardi, Adonis, & Galesini, ac Episcopus Equilinus *lib. 10. c. 16. & lib. 6. c. 100.* maximè Biuarius *in Comment. Dextri ad ann. 50. n. 5.* vbi de ista Bætyro Hispaniæ vrbe, in qua Episcopus fuit Quartus. Eum etiam commemorat S. Paulus *ad Rom. 16. v. 23.* dum dicit: *Salutat vos Quartus frater.* Hæc vel leui calamo a nobis tangi debuerunt, propter id quod sæpius inculcauimus, de dubio videlicet quod est, an plures, vel aliqui saltem, ex Apostolorum discipulis, qui in Hispania prædicarunt, Eliani instituti alumni fuerint. Dubitandi enim ansam præbent Luitprandi fragmenta a Dom. Thoma Tamaio de Vargas illustri Hispanicarum rerum scriptore in lucem edita, præsertim fragmentum 100. 101. 171. & 256. Etenim fragmento 100. sic dicitur: *Sunt qui putent, quod & ego credo, S. Leocadiam Monialem fuisse Ordinis Carmelitani, quem Ordinem Monachi Carmelitani ad fidem Christi conuersi in Hispaniam intulerunt, ex quibus fuit Elpidius primus Toletanus Præsul a S. Iacobo constitutus.* In fragmento autem 101: sic: *S. Elpidius, quem S. Iacobus præfecit Toletanis primum Pontificem, Carmelita Monachus fuit, & in prima Petri concione conuersus ad fidem cum socijs multis venit in Hispaniam, & Toleti fundauit Monasterium Virginum, & Monachorum, vbi postea fuit Agalliensi, quod fuerat B. Virgini curæ Monialium harum matri.* Clarius in fragmento 171. vbi hæc: *Magna pars eorum, qui dispersi in persecutione S. Stephani ad varias partes traiecerant, & ad Hispaniam plurimi venerant, erat ex Monachis Montis Carmeli, prædicationibus Christi, & Apostolorum ad fidem conuersi, in quibus Elpidius, & socij Pontifices à S. Iacobo creati, & post Martyres facti.* Adhuc clariùs in fragmento 256. vbi hæc: *Mihi valde probabile est, & legitur in Orientis Historijs, Elpidium, & reliquos Episcopos, quos traxerat S. Iacobus in Hispanias, & ab ipso S. Iacobo baptizatos, fuisse de numero Carmelitarum, qui in Hispania, & per alias Regiones Monachatum introduxerant. Istos vocat Eusebius lib. 2. cap. 3. Prophetici Ordinis.* Hæc sunt, quæ cunctandi in hoc Quarto, & alijs materiam præbent, donec lucifer oriatur.

S. Quartus. a. in Chron.

a *sub hoc ann. n. 5.*

4 Agit etiam idem Dexter [a] de Nathanaele vno ex 72. discipulis Christi, & de eius sepulchro, quod dicit fuisse in vrbe Treuga prope Legionem septimam, seu Trigundi oppido prope Brigantium in Gallecia. Sed quod attinet ad ipsum Nathanaelem, satis diximus *sub anno* 70. Quod verò ad eius sepulchrum spectat, cum hic Nathanael fuerit Vrsinus, seu Vrsicinus Bituricensis primus Præsul, iuxta ibidem dicta, & hic Bituricis iaceat, quomodo Treugæ, seu Trigundi requiescit? Nodus sanè facilis solutionis doctis, cum passim in historijs reperiatur aliquem vno loco primitus sepultum ad alium transferri, quod in Nathanaele contingere potuit. Treugam autem, vbi modò requiescit, *Turiga* videtur apud Ptolemæum, iuxta *Legionem septimam*, hodie *Leon* Hispaniæ vrbem, sitam. Biuarius [b].

b *in Comment. ad Dextrum ann. 105. n. 5.*

Annus Christi 106. 107. & 108. Anacleti Pont. Rom. 4. 5. & 6. Traiani Imp. 7. 8. & 9.

Traiani gesta.

1 VIX aliud pro hoc tempore historiæ suppeditant, nisi egregia facta Traiani tunc Imperatoris. Deturpabat tamen egregia hæc facinora persecutione Christianorum in Ecclesia Edessena, & vndecim millium ipsorum in Armeniam relegatione. Baronius *sub anno* 108.

Basilica Toletana ab Eugenio ampliata.

2 S. Marcus Marcellus Eugenius Toletanus Antistes Basilicam Toletanam à S. Elpidio nostro Eliade Deiparæ Virgini consecratam, iuxta dicta *sub anno* 40. spatijs ampliauit. Ita in fragmentis Luitprandi *n.* 11. illis verbis: *Ecclesia Toletana B. Mariæ Virginis Assumptioni à S. Elpidio erecta, & à B. Marco Marcello spatijs ampliata, &c.* Huic tempori rem ascribimus, dum certius non constet, cum circa illud idem Sanctus Antistes eam Ecclesiam Toletanam in Primatem Hispaniæ erigeret, prout ex Dextro [c], Biuario eius Commentatore, & alijs elicitur. Qualiter hic Eugenius primùm *M. Marcellus* nuncupatus, postea ob generis nobilitatem *Eugenius*, id est, *nobilis*, S. Petri discipulus fuerit, in Hispaniam venerit, Toleti sedem habuerit, in Primatem fundauerit, Concilia ibi celebrauerit, in Gallias postea profectus ibi martyrium subierit, ex eodem Dextro, eiusque Commentatoribus, alijsque Hispaniæ Chronologis accipiet lector. Hæc enim vt nobis extranea illis relinquimus.

c *in Chron. ann. 105. n. 6.*

3 Propriora nobis sunt, quæ de S. Ignatio Antiocheno Episcopo, huic sanè tempori aptanda, referunt historici nostri. Etenim Arnoldus Bostius antiquitate, & doctrina inter ipsos celebris, dum [d] de Cœnobijs nostræ Religionis in Syriæ partibus loquitur, hæc inquit: *Ac in solitudine montis Neroy alio nomine Montana nigra appellata propè Antiochiam, nempè propè hanc Ciuitatem habebant etiam Monasterium, quod eis fundauit B. Ignatius eiusdem Vrbis Patriarcha tempore Apostolorum, in quo temporis processu recondita fuerunt multa Sanctorum reliquiæ, scilicet corpus ipsius Sancti*

d *lib. 5. Oper. bif. c. 37.*

Ignatij,

Ignatij, quod tamen nunc quiescit in Ordine Cisterciensium, vt colligitur ex sermonibus B. Bernardi Abbatis. Item corpus Sancti Erasmi Episcopi, & Martyris. Item corpora Sanctorum Iuliani, & Basilissæ, Drusi, Zosimi, & Theodori, ac Agabi prophetæ noui Testamenti. Item Sanctorum Machabæorum. Item Sanctorum Martyrum Cyriaci, & Iulitæ. Item Sanctorum Martyrum Cyrilli, & Secundiani. In hoc Monasterio Gregorius Nazianzenus habitum Religionis suscepit. Porrò hoc Monasterium inhabitatum fuit à fratribus Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli vsque ad annum Domini 1291. Aliter paulò rem refert Palæonydorus [a], dum huiusmodi Monasterij fundationem Sanctæ Theclæ Apostoli Pauli discipulæ tribuit. Cæterum conciliari vtrumque potest, si dicamus, vt credimus, hoc Cœnobium primitus a Thecla condi cœptum, ampliatum ab Ignatio sub hoc tempore fuisse. *a lib.2. c.3.*

Annus Christi 109. & 110. Anacleti Pont. Rom. 7. & 8. Traiani Imper. 10. & 11.

1 CONTINET hoc tempus martyrium S. Simeonis Ierosolymitani Episcopi, & Iacobi *Minoris* vocati, successoris: cuius historiam genuinè ad nostram spectare, eo quod Rechabitarum instituti alumnus fuerit, iuxta dicta *sub anno* 63. nullus refragabitur, qui ea quæ *to.* 1. sæpius inculcauimus, perlegerit. Ibi enim dilucidè demonstratum Rechabitarum Ordinem Eliæ, & Elisei, ac filiorum Prophetarum sobolem fuisse, cum Essenis, & Assidæis coniunctum, ac proindè nostræ historiæ iure debitum. Ipsius porrò Martyrium ex Eusebio [b], ex quo posteriores alij acceperunt, sic habemus: *Quo in tempore etiam Simeon Cleophæ filius, quem secundum Ierosolymis ordinatum Episcopum supra edocuimus, per martyrium carnis vinculis resolutus est.* Quomodo id acciderit ex Hegesippo sic refert: *Is ergo refert quod à quibusdam hæreticis accusatus sit supradictus vir tamquam Christianus, & multis supplicijs afflictus per multos dies, ita vt etiam iudex ipse cum amicis suis de eius patientia miraretur. Et ad vltimum iuberet simili eum qua Dominus pertulit passionem vitam finire.* Affert postea ipsius Hegesippi ista verba: *Accusauerunt quidem Simeonem Cleophæ filium tanquam, qui esset ex genere Dauid, & Christianus. Et ita Martyr effectus est, cum esset annorum* 120. *sub Traiano Cæsare apud Atticum Consularem.* Consentiunt idem Eusebius [c], & Martyrologia, Romanum, Bedæ, Vsuardi, & aliorum, ac Officia huius Sancti pro 18. Februarij apud Latinos, & apud Græcos [d]:

Simeonis Ierosolymitani Rechabitæ mors.

b lib.3. c.26.

c in Chron.

d in Menol. 27. Aprilis.

2 In gratiam etiam aliquorum ex nostris, qui iuxta dicta *sub anno* 102. S. Ignatium Antiochensem Antistitem ipsorum instituto ascribunt operæpretium erit eiusdem Martyrium, quod his annis contigit, vel succinctè in medium afferre. Ferebantur eo tempore Romam ad dicendam causam cur Christiani essent, non solum ij, qui ciues Romani erant, sed

S.Ignatij martyrium.

& ij, qui præ cæteris factiosi dicebantur, qualis Ignatius credebatur, vtpotè, qui vita, meritis, & doctrina inter Orientales Episcopos Euangelij propagationem procurabat. Vt omniùm ergo Princeps, ac ductor & veluti vnus pro omnibus, ne immensus eorum numerus de medio tolleretur, Romam decem militibus stipatus Antiochia mittitur, itineris comitibus illi adiunctis è Syria Gaula, & Agathopos, & è Cilicia Philone Diacono. Diuersorum legationes in itinere etiam habuit eum consolantium, & ab ipso maiorem consolationem accipientium; cernentium Martyrem tanta cum alacritate ad mortem currere, & pati pro Christo tam flagranti desiderio anhelantem. Venit ergo primò Smyrnam, vbi S. Polycarpus præerat; Troadem deinde delatus est; deinde Neapolim Macedoniæ Ciuitatem, tum Philippos; tum, postquam transijsset Epirum, & mare Adriaticum, appellit Puteolos, & inde Romam. Vbi ante Præfectum positus, & in medium theatrum ductus conuersus ad populum animo generoso, & inflexibili: *Viri* (inquit) *Romani, & præsentis huius certaminis spectatores, non hæc mihi fiunt, vt luam pœnas alicuis maleficij, aut scelerata alicuius actionis, sed vt Deum assequar, cuius quidem teneor desiderio, et quem cupio insatiabiliter. Sum enim eius frumentum, et moler per dentes bestiarum, vt fiam eius purus panis.* Hæc dixit, & dimissi leones eum statim dilacerarunt. Reliquiæ verò Antiochiæ conditæ sunt. Metaphrastes apud Surium [a], Euagrius [b], Baronius [c], Martyrologia, & legenda illius. Inter quæ Mantuanus noster [d], sic.

[a] 1. die Febr.
[b] lib. 1. c. 16.
[c] sub his annis.
[d] de sacris diebus in mense Februario.

In Latios tandem Traiano principe campos
Ductus, et ærumnas tanquam solatia læto
Amplectens animo, ferrum exantlauit et ignem:
Expositumque feris gemini extinxere leones,
Non laniare ausi quamquam ieiunia passi
Importuna forent. Hic à lictore rogatus
Cur totiens in tormentis clamaret Iesum,
Nomen id inscriptum cordi sibi sæpe relabi
Dixit in os. Id post fatum perquirere lictor
Nixus in excelsi conspexit vulnere cordis
Nomen id ex auro ductus splendere elementis:
Res ea Traianum simulae vulgata retraxit,
Illaque Christigenis fecit per tempora pacem.

Alia de ipso.

3 Circa quæ nota, ex illis colligi Sanctum Ignatium plura alia præter leonum sæuitiam passum fuisse Romæ. Quod etiam testatur Ado [e]. Quod etiam adiungit extinctum esse a leonibus, non laniatum, cohæret cum eo quod addit de corde reperto cum nomine *Iesu*. Si enim totum dilaniassent, cor integrum relictum non esset. Historia porrò illa de nomine *Iesu* in ipsius corde reperto ab alijs multis recipitur, & expressè habebatur in antiquo Ordinis Breuiario iuxta ritum Hierosolymitanæ Ecclesiæ, & Sancti Sepulcri. Alia de ipso, ipsiusque epistolis apud rela-

[e] in Martyrologio die 1. Februarij.

relatos Auctores. Item Dextrum [a], & Biuarium eius Commentatorem, *a sub ann. 116.* qui eas defendit post Carthusianum, Marianum Victorium, Symphorianum, Canisium, & alios, contra quosdam non rectè de illis sentientes. Et apud S. Dionysium Areopagitam, qui [b] de Ignatio hoc protulit testimonium: *Scribit autem & diuinus Ignatius: Meus amor crucifixus est.* *b cap. 4. de diuin. nominib.* Ex quo diuini nomen, & celebrem hanc sententiam pijs, & Religiosis viris semper ore, & corde gerendam, *Meus amor crucifixus est* Ignatio concedi conspicitur.

4 Cuius occasione Baronius [c] plura de Sancto Dionysio Areopagita, *c sub hoc anno 109.* eiusq; operibus tractat, quæ nos prætermittimus. Illud tamen non prætermittendum, vel vt morem geramus ijs, quæ ipsum Prophetici Instituti alumnum suadere contendunt, iuxta dicta *sub anno 93.* Quod Flauius Dexter [d] de eodem Dionysio scripsit, in Hispaniæ nostræ gratiam: *Haud multo post Dionysius Areopagita Hispanias inuisit, vt legatus à B. Clemente totius Occidentis ordinatus.* Nec solus in hac sententia Dexter adest. Habemus enim etiam pro ea grauissimum S. Methodij testimonium, qui in vita ipsius sic ait: *Sanctus verò Dionysius Spiritus Sancti calore accensus, atque Apostolica auctoritate repletus, quæcunque à S. Spiritu vnà cum S. Clemente diuina oracula gentibus disseminanda acceperat, fideliter omnibus Hesperijs plagis distribuit.* Addimus Breuiarij Gothici Toletani sacrum hymnum, quo eiusdem S. Dionysij Areopagitæ asseritur in Hispanias aduentus. Incipit *S. Eugenij digna memoria.* Postea verò,

Dionysius in Hispaniam.

d in Chronico anno 110.

Alumnus Græciæ visit Hispaniam,
Doctor Hispaniæ reuisit Galliam,
Docti præsentiam Doctoris Galliæ
Fideli captans pectore.

Sensus est, Areopagita ille Dionysius *Græciæ alumnus visit Hispaniam;* Eugenius verò *Hispaniæ Doctor* è conuerso reuisit Galliam, vt Dionysium *Galliæ* Doctorem conueniret. De his latiùs Biuarius *in Commentarijs super Dextrum* relatum. Gaudeat ergo Hispania non solum Petro, Paulo, Iacobo, & alijs, sed & Dionysio quoque Prædicatoribus in Christi Fide plantata, vt vel sic titulis amplioribus verè Catholica iure nominari queat.

5 Commemorat etiam idem Dexter [e] Sanctum Firminum Pampilonensem Ciuem, & discipulum S. Saturnini, S. Petri similiter auditoris. *S. Firminus.* *e sub eodem anno 110.* Quæ etiam a nobis commemoranda, propterea quòd, iuxta dicta *sub anno 75.* Saturninus ille non sine fundamento Eliani instituti assecla a quibusdam credatur. De eo autem Firmino in Hispaniæ patriæ gratiam sic habet idem Dexter, Biuario quoque fatente, & illustrante: *Ambiani sub Iuliano Præside patitur; prius tamen per Hispanias Toletum vsque prædicans, Prouinciam longè, latèque peruasit.*

Annus

Annus Christi 111. & 112. Anacleti Pontif. Rom. 9. & 10. & Euaristi 1. Traiani Imp. 12. & 13.

Antiochię terræmotus.

1 QVAM vtiles Reipublicæ, & Ciuitatibus sint, & fuerint semper viri sancti, & iusti, satis hoc tempore, diuina prouidentia sic statuente, Antiochiæ ostendebatur. Ablata enim ab ea Vrbe ingenti illa Ignatij animata columna, cuius meritis ipsa innitebatur, in terram prosterni, & corrui necessarium veluti fuit. Tantus ergo, tamque ingens terræmotus Antiochiam, vicinasque Vrbes concussit, vt vix maior vnquam clades illius Prouinciæ mortales afflixerit; ipsum quoque Traianum ea Prouincia agentem cum magna parte sui exercitus, & Romanorum cum illo agentium, terrefaciendo, vt vel sic ostenderet Deus in pœnam ipsorum sæuitiæ contra Christianos hanc plagam illis immissam. Roma quoque, quæ caput erat persecutionis in Christicolas, Dei indignationis experimentum habuit: etenim Pantheon templum celeberrimum fulminis ictu conflagrauit. Dio [a], Eusebius [b]. Sed nec his melior facta Gentilitas Anacletum Martyrio de medio sustulit, nec exsatiata in quoslibet Christiani nominis homines insaniebat, nam Maronem, Eutychen, Sulpicium, Serculianum, Hiacynthum, & Cæsarium, quorum anniuersaria commemoratio tabulis Ecclesiasticis est adscripta, Christi quoque Martyres effecit. In locum porro Anacleti Papæ suffectus est Euaristus natione Græcus ex patre Iudæo nomine Iuda Bethlehemitico. Baronius [c].

a In Traiano.
b in Chron.
c sub his annis.

Solini testimonium de Essenis.

2 Ad hoc etiam tempus Euaristi Papæ refertur Caius Solinus celebris auctor, cuius testimonium pro Essenis nostris, quia valde vtile pro nostræ historiæ intento [d], sic damus: *Interiora Iudeæ Esseni tenent, qui præditi memorabili disciplina, recesserunt à ritu gentium vniuersarum, maiestatis (vt reor) prouidentia, ad hunc morem destinati. Nulla ibi fœmina. Venere se penitus abdicarunt. Pecuniam nesciunt. Palmis victitant. Nemo ibi nascitur, nec tamen ibi defecit hominum multitudo. Locus ipse addictus pudicitiæ est. Ad quem plurimi licet vndique gentium properent, nullus admittitur, nisi quem castitatis fides, & innocentiæ meritum prosequatur. Nam qui reus est vel leuis culpæ quamuis summa ope adipisci ingressum velit, diuinitus summouetur. Ita per immensum spatium seculorum, incredibile dictu, æterna gens est, cessantibus puerperijs.* Vbi illud *per immensum spatium seculorum* per auxesim dictum crede. Saltem verò ex eo elicias non parum ante Christi ortum, vt Baronius quondam dixit, sed multis annorum centurijs ante ipsum Essæos extitisse.

d ex cap. 36. Poly historia.

Annus Christi 113.114.& 115. Euaristi Pontif.2.3.&4. Traian. Imp.14.15.& 16.

1 TRAIANI Imperatoris longæuitas, magnaque felicitas, grandis profectò tentatio Christianis imperfectis, vt in fide nutarent, eo tempore fuit; cum sanè viderent Christi persecutorem tot nationes debellasse, suoque ac Romanorum Imperio subiecisse, vt vix recenseri, aut nominari possent, prout ipse in Epistola ad Senatum scripsit. Insultabant propterea nostris Lucianus æquè atheus, ac apostata, & alij apud ipsum [a]. Sed certè memores esse (tam isti, quam alij, qui in omni ferme tempore impios, infideles, aut etiam minus fideles, pijs, Christianis, & magis Catholicis anteponi vident) deberent illius, quod *Ps.36.* legitur: *Expecta Dominum, & custodi viam eius, & exaltabit te, vt hereditate capias terram: cum perierint peccatores videbis. Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani, et transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, et non est inuentus locus eius.* Et infra: *Iniusti autem disperibunt simul, reliquiæ impiorum interibunt: Salus autem iustorum à Domino, et protector eorum in tempore tribulationis, et adiuuabit eos Dominus, et liberabit eos, et eruet eos à peccatoribus, et saluabit eos, quia sperauerunt in eo.* Hæc enim eo tempore in Traiano, & sequacibus verificata fuerunt. Siquidem ipse, tot victorijs non obstantibus, Dione teste, *Languescente corpore, deficientibus viribus, neque Romam redire, neque quidquam superiori vita, & rebus ante gestis dignum efficere valuit. Immò verò præ tædio bellorum, & magnitudine curarum coactus aliqua ex parte gentes quas subegisset liberas facere.* Romani verò, etiam Dione teste, eiecti partim fuere a Prouincijs, quas occupauerant, partim verò interfecti. Prodigijs etiam de cælo factis quoties cum hoste manus consererent, ictu fulminis auertebantur, muscarum quoque copia edulijs, & poculis insidens, ipsos affligebat. Prosequitur hæc Baronius [b].

Traiani felicitas non diuturna.

[a] *In Dialogo Philopater.*

[b] *Sub ann. 114.*

2 Erant eo tempore, quo hæc acciderant, Christiani quidam a Luciano *supra* commemorati, qui assiduè psallentes, ac ieiunantes hanc Traiani & Romanorum cladem, rerumque mutationem venturam prænuntiabant. Quamuis autem nec Lucianus, nec Critia apud ipsum, qui hæc referebat, nec Baronius, qui ea affert, qui fuerint hi Christiani, proferant; nobis tamen nec temerè, nec sine fundamento affirmandum videtur, ex illis, aliquot saltem, Esseni instituti cultores fuisse. Quod nulla alia ratione ducti suspicamur, nisi quia tres illæ notæ, scilicet continuò psallere, ieiunare, & futura præuidere, eos veluti indigitant. Etenim assiduè psallentes Essenos fuisse ex Philone [c], Iosepho [d], alijsque, qui ipsorum gesta referunt, ac ex ijs quæ dicebamus *sub anno* 100. clarè desumitur. Abstinentiæ quoque fuisse studiosissimos ex eisdem auctoribus elicitur, maximè ex Philone, qui [e] eos vocat *Parsimoniæ amatores*, & [f], vbi de illis: *Temperantia tanquam fundamento in anima iacto virtutes cæteras super-*

Christiani psallentes, & ieiunantes.

[c] *In lib. de vit. contemplat.*

[d] *2. de Bello Iud. c. 7.*

[e] *In Apologia.*

[f] *In lib. de vit. contempl.*

superstruunt, & infra: *Nonnulli ex his vix tertio quoque die famem sentiunt*. Et ex Iosepho *loco relato*. Prophetico similiter spiritu crebriùs pro futurorum prædictione a Deo illustratos Essenos fuisse egregiè confirmat Iosephus [a], aiens: *Sunt autem in eis, qui etiam futura nosse promittant, sacris videlicet libris, & varijs sanctificationibus, prophetarumque dictis à primis ætatibus adhærentes: rarò autem accidit, vt prædictiones eorum frustratio consequatur*. Et Cedrenus [b] sic de eis: *Diuino nutu, atque gratia etiam futura præuideant*. Maximè Serarius [c], id confirmans in Iuda Esseno, & Manahemo etiam Esseno, de quibus Iosephus præscios futurorum fuisse demonstrat. Et Lorinus, qui [d] ex Eusebio, Hieronymo, Epiphanio, Chrysostomo, Cassiano, Porphyrio, & alijs id confirmat. Tria ergo illa de Christianis a Critia, & Luciano commemorata apprimè nostris Essenis accommodari possunt.

a lib. 2. de bello c. 7.
b in Claud. Imper.
c in Trihæres. lib. 3. c. 4.
d in c. 18. Act. Apost. v. 24.

Annus Christi 116.117.118. & 119. Euaristi Pont. 5.6.7. & 8. Traiani Imp. 17.18.19. & 20.

Depressio Romani Imperij.

1 DEPRIMEBATVR hoc tempore, vel ob persecutionem a Traiano contra Christianos, ipsius, & Romanorum superbia, in adimpletionem sanè Propheticæ prædictionis quorundam, de qua in præcedentibus dictum. Etenim primò, Iudæi, qui circa Cyrenem incolebant, Andrea Duce constituto, & alij, qui in Cypro sub Artemione, Romanorum, & aliorum ducenta, & quadraginta millia crudeliter trucidarunt. Deinde qui in Ægypto, & Alexandria morabantur contra eosdem Romanos, & alias Gentes seditioso spiritu agitati magnam rebellionem mouerunt. Ipse etiam Traianus, licet Tiberiani, qui primæ Palæstinorum genti præerat, monitus verbis (quibus se parem esse Christianis occidendis negabat, quòd ipsi supplicia vltrò appeterent) serò sapiens, omnibus suis Præfectis mandasset, ne supplicijs eos afficerent, cum Romam reuersurus apud Selinuntem Ciliciæ Ciuitatem, quæ postea vocata est Traianopolis, siue morbo, siue veneno extinctus perijt. Dio [e], Eusebius [f], Baronius, Gordonus, & alij *sub his annis*.

e in Traiano.
f in Chronic. in Traian. & l. 4. histor. c. 2.

Esseni pacifici.

2 In harum Iudaicarum seditionum motibus; & cladibus propter eas a Romanis, & Gentibus illis illatis, eis præsertim, quæ in Alexandria, & Ægypto acciderunt, an ideo Essenorum, qui in illis partibus morabantur institutum incommoda perpessum fuerit, dubium sanè, & incertum, cum historiæ taceant, nec ex alijs principijs conijci possit. Si tamen coniecturis vti fas sit, fatendum parum, vel nihil ipsis attendisse. Erant enim moribus quieti, & pacifici, vt propterea de ipsis Philo [g] asserat: *Tela, iacula, gladios, galeas, thoraces, scuta, nemo apud eos fabricat, sicut nec arma cætera, nec machinas, aut aliud quidpiam bello vtile*. Et Iosephus [h], de illis: *Paci obsecundant*. Et de illo qui ad ipsorum contubernium admitti-

g in lib. Quod omnis probus sit liber.
h lib. 2. de bello c. 7.

mittitur, dicat iurare: *Erga homines seruare iustitiam, & neque propria sponte nocere cuiquam, neque ex praecepto obesse.* Huius quoque mansuetudinis signum illud, quòd apud ipsos capitale esset vel columbas interficere. Vnde tam mansuetæ, & cicures inter eos reddebantur, vt etiam ad ignotissimum quemque aduenarum aduolantes, ora rostro velut exoscularentur. Ad quod alludit Tibullus [a]. [a] lib.1.Eleg.

Quid referam, vt volitet crebras intacta per Vrbes
Alba Palæstinis sancta columba viris?

Ambros. Calepin. [b]. Notet hìc lector tam inhumaniter Iudæos hac occasione arma contra Romanos sumpsisse, vt Dione [c] teste: *Nec cede contenti humanis carnibus vesci cœpere; horum intestinis, stillante adhuc sanguine cincti, tum pellibus obuoluti, multos per medium vsque ad verticem secuere, plures bestijs dilaniandos obiecere, alios inter se digladiari coegere, &c.* Quis talia de Essenis suspicari poterit? Et quid si dicamus eos hoc tempore Christianos fuisse, prout dicere debemus? Sanè si tales erant, potiùs a Iudæis, qui infensissimi Christi sectatorum hostes sunt, ipsi damna perpessi fuerint, quam alijs ea intulerint. [b] v. verb. Hessæi. [c] in Traiano.

3 Error de Millenarijs hoc tempore irrepsit in Ecclesiam, auctore Papia Ioannis Apostoli discipulo, quem secutus est cum alijs Millenarijs, seu Chiliastis appellatis Iustinus Martyr. Non tamen hic error hæresis nomen meretur nisi post Damasi decretum contra Apollinarem, qui eum pertinacius propugnabat. Baronius [c], Gordonus [d], & alij post Eusebium [e], Hieronymum [f], & vetustiores alios. In eo autem consistebat hic error, quòd crederent illius sectatores post resurrectionem carnis, & diem iudicij, Iesu Christo de Cælo descendente, cum eo regnante mille annos regnaturos esse Sanctos, & vitam in delitijs, & voluptatibus corporalibus simul traducturos. Illud Apocalyp. 20. v. 4. & 6. scilicet: *Et regnauerunt cum Christo mille annis;* Et rursus: *Et regnabunt cum illo mille annis,* male ad hunc sensum trahentes, cum de spirituali Christi regno in æterna beatitudine cum beatis intelligi debeat. Vt Expositores notant. Hæc porrò a nobis eò allata sunt, vt simul notemus, quod quamuis hoc errore infecti fuerint plures ex antiquis Ecclesiæ Patribus, & ex Ægypto vbi nostri morabantur Esseni, Nepos Episcopus, qui voluminibus pro ea scriptis, complures sibi adsciuit sectatores, vt constat ex Eusebio [g], eos tamen Essenos hac fuligine tinctos vnquam fuisse, nec ex Philone, Iosepho, aut alijs posterioribus, qui eos secuti sunt, desumi vllatenus potest. Quin potius eam auersatos elicitur ex Porphyrio *lib. 4. de rer. animat. abstinentia* apud Eusebium [h], dicente: *A voluptatibus abhorrent tanquam a scelere, continentiam, & cupiditatum victoriam virtutis loco ducunt.* Sumere id potuit ex Iosepho, qui [i] de illis ait: *Præter cæteros voluptates quidem, quasi maleficia vitarent, continentiam verò seruare, neque cupiditati succumbere maximam virtutem ducerent.*

Millenariorum secta. [c] sub an. 118. [d] sub ann. eod. [e] ann. 103. [f] in Catal. in Papia. [g] lib. 7. c. 19. [h] prepar. Euangelic l. 9. c. 3. [i] in lib. 2. de bello c. 7.

4. Circa hoc tempus, quod vltimum fuit Traiani vitæ, referendum Thermæ Traianæ.

putamus id quod *sub anno* 81. *&* 99. dictum manet, de Thermis olim Titianis, seu Domitianis vocatis, quia ab ijs duobus Imperatoribus fratribus erectæ fuerunt, ab ipso amplificatis, ornatis, aquæductibus, alijsque pro humano vsu commoditatibus decoratis. Hoc etenim ad nostræ historiæ complementum spectat, quòd iuxta eas, in eis potius, insignis Sanctorum Siluestri, & Martini titulo Ecclesia ab eodem Siluestro, Symmacho postea, alijsque Pontificibus, extructa fuerit, & nostris postmodum Religiosis concessa; quam veluti pretiosissimum Ordinis thesaurum ob innumeras, insignesque Sanctorum memorias ibi conditas, condigna religione veneramur. Alia ad intentum eo loco, & sequentibus dum de S. Siluestri Papæ tempore erit sermo. Illud hic non prætermittendum, quod Ioannes Antonius Philippinus huius Cœnobij Præsul, nunc totius Ordinis [a], refert, præsertim *cap. 5.* videlicet, in huiusmodi Thermarum ruinis conspici simulacra qua hominum, qua animalium, diuersarumque rerum miro artificio, & pulcherrimis structuris ornata; loca etiam interforanea, per quæ calor aquis balneorum communicari posset; ac vacuitates parietum, in quibus corpora Sanctorum, quæ in huiusmodi thermis condebantur, reposita erant. De illis etiam in M. S. Opusculo, quod & in eodem Cœnobio asseruatur, & cui titulus est *Chronica elucidatio Domus SS. Siluestri, & Martini*, sic habetur: *Postea labentibus annis, hisque Thermis temporis, et ruinarum inclementia consepultis, solum superiacens horti, seu prædia occuparunt, de quo gemens suo tempore Poëta Martialis* sic in suo libro lamentabatur:

Hic vbi miramur velocia munera Thermas
Abstulerat miseris tecta superbus ager.

In his igitur Thermis, seu iam agris, et vineis, in vinea quadam, quæ est media inter SS. Siluestrum, et Martinum, et S. Petrum in Vinculis inopinatè reperta est illa celebris statua Laocoontis ex marmore fabricata, quæ hodie in Vaticano asseruatur, et etiam statua illa pulcherrima Antinoi pueri ab Adriano Imperatore summè dilecti. Quod idem affirmant Pompeius Vgonius [b], & Frater Petrus Martyr [c], explicantes fuisse repertas propè S. Siluestrum in ea parte, qua Palatium Titi fuerat.

[a] in Tractatu de Veneratione, & antiquitate Ecclesiæ Sanctorum Siluestri & Martini.

[b] in historia de Stationibus Romæ.

[c] in libro de rebus mirabilibus Romæ fol. 23. suo 2. par.

Annus Christi 120. Euaristi Pontif. 9. Hadriani Imper. 1.

1 MORTVO Traiano successit Hadrianus Imperator, consobrinæ ipsius filius, & Italicæ in Hispania natus, prout habet Eusebius *sub hoc anno*, & sequitur Bivarius in Comment. ad Dextrum *sub anno* 121. carpens meritò eos, qui Hadrianum (solo forsan nomine ducti) Hadriæ in Piceno natum fabulantur, & alios, qui etsi Hispanum progenie credant, Romæ tamen ortum dicunt. De quo Morales rerum Hispanicarum celebris scriptor *lib. 9. c. 31.* referens

Orosium, Eutropium, & Gellium. Traianum æmulari studens, de Republica benemeritum se gerebat, iurans nunquam Senatorem nisi de Senatus consulto punitiurum; debita condonans, Romanorumque animos officijs, & beneficijs sibi concilians, sed (quod pessimum) tantum abest, vt persecutionem in Christianos iam a Traiano excitatam compesceret, vt eam potius acriter instauraret, vt patriam superstitionem tueretur, & sub prætextu quòd Christiani ex Iudæis prognati essent, quos maximè hoc tempore Gentiles oderant ob rebelliones ab ipsis excitatas. Eustachius proindè, & socij Martyrium sub Hadriano passi. Baronius, Gordonus, & alij Annalistæ *sub hoc anno*.

2 Vexabatur etiam huius Hadriani tempore Ecclesia prauis hæreticorum dogmatibus, præsertim Basilidis, Saturnini, aut Saturnilini, & Carpocræ. Prout ex Eusebio [a], Clement. Alexandr. [b], & alijs elicitur. Quamuis autem horum hæreticorum plures fuerint errores, quos referunt Epiphanius, Castrus, Guido noster, & alij, hic tamen solum afferemus illos, in quibus clariùs, & expressius ab Essenorum dogmatibus differebant, vt vel sic manifestiùs innotescat, nihil commune cum ipsis habuisse Essenos. Primò etenim Saturniniani, vel Saturnilini Scripturas sacras discerpebant, & speciatim locum illum Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram* verbum *nostram* resecantes. E contra verò Esseni, prout Philo [c] inquit, *versantes sacra volumina dant operam philosophiæ per manus accepta à maioribus, scrutando eius allegorias.* Et infra: *Habent etiam priscorum commentarios, qui huius sectæ auctores multa reliquerunt de allegorijs huiusmodi, ad quorum imitationem posteri se accommodant.* Non ergo erant falsi truncatores diuinarum Scripturarum, sicut isti hæretici. Deinde Basilidiani voluptatum carnalium illecebris pellicebant homines. Esseni secus contemptores voluptatum erant, vt in superioribus dictum. Carpocratiani præterea totum vetus testamentum, & legem repudiabant, & putidos ex suis libris hos fontes hauriebant, quòd scilicet fas, immò necessarium esset, omnem in hac vita exercere turpitudinem, quæ contraria prorsus esse Essenorum moribus ex dictis omnino liquescit.

Hæretici huius temporis.

a lib.4. c.7. & 21.
b Stromat. lib.7.
c de vit. contemplat.

3 Ad huius Hadriani Imperatoris tempus, etsi annus certus non constet, adscribitur mors, & Martyrium S. Dionysij Areopagitæ, cuius historiam an ad nostram, vel quadantenus spectet, sub anno 93. disquisiuimus. Ad istius autem Imperatoris æuum rem deferendam Baronius [d], & Bellarminus [e], autumant. Quibus fauent Martyrologia antiquiora Bedæ & Adonis, & Aristides Atheniensis apud ipsum Adonem. Qualiter autem id contigerit, ex historijs sic habemus. Ioannis Euangelistæ, vt creditur, consilio, Dionysius Romam ad Clementem Papam se conferens; ab eo cum Rustico, & Eleutherio in Gallias, vt ibi Martiali, Eutropio, Luciano, & alijs martyrio perfunctis, in Euangelij prædicatione succederet, mittitur; plurimos ibi conuertit; ac tandem Parisijs Epi-

S. Dionysius.

d sub ann. 109.
e in opere de Script. Ecclesiast. in ipso Dionysio.

ſcopus capitis damnatus pœna gloriam cæleſtem promeruit. Rem ex alijs obuiam habet lector: ex Mantuano autem noſtro, ſic damus [a].

[a] *Opere de ſacris diebus in menſe Octobris.*

Per freta deuenit Romam poſt funera Petri,
Poſt obitum Pauli, qua tempeſtate tenebat
Nauiculam Petri Clemens Romanus, & ipſo
Perſuadente viam ſecuit Dionyſius vltra
Aereas Alpes; Rhodanum tranſiuit, & omnes
Attulit ad Celtas Chriſtum tentoria figens
Parriſios bifido qua Sequana circuit amne.
Plurima poſtremum paſſus tormenta, ferasque
Vt memini ceciniſſe olim maioribus orſis
Cum ſocijs pœna capitali affectus in vlnas
Ipſe ſuum caput aſſumpſit, truncuſque propinquum
Attulit in collem, quo nunc ſublimia Regum
Buſta loco reſident magni ſub culmine Templi.

Eadem etiam de re idem Mantuanus egregium opus edidit ad Iafredum Mediolani Vicecancellarium, & Delphinatus Præſidem nuncupatum, in quo Dionyſij vitam, conuerſionem, & agonem verſibus heroicis exarauit, plurima, vt Græci aiunt, parerga ſuperadijciens, quæ breuitatis cauſa hic non adiunguntur; adiungenda meritò, vel vt negligentia recentiorum, qui ipſum nec legiſſe videntur, notaretur. Dionyſium porro ea ſcripſiſſe, quæ nomine ipſius in Eccleſia circumferuntur opera contra ſciolos quoſdam refragantes, traditio eſt tum Latinorum, S. Thomæ, Marſilij Ficini, Ambroſij Camaldulenſis, Ioachimi Perionij, Dionyſij Carthuſiani, Ioannis Scotti, Iacobi Billij, Cardinalium Bellarmini, & Baronij; tum Græcorum Maximi, Damaſceni, Suidæ, Theodori, Photij, Georgij, Anaſtaſij Nicæni, & Synaitæ, ac aliorum, quos recentiores imitantur.

Annus Chr. 121.122.123.124.125.126. & 127. Alexandri Pont. 1.2.3.4.5.6.7. Hadriani Imp. 2.3.4.5.6.7. & 8.

Horum annorum hiſtoria.

1 PAVCISSIMA ſunt, quæ ſub his annis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ narrant, præter martyrium S. Zepherini Papæ, qui ſub anno 121. contigit, & ſucceſſionem Papæ Alexandri eodem anno poſt aliquot dies; ac paſſionem Fauſtini, Iouitæ, Afræ, Sabinæ, Sophiæ cum tribus filiabus. Seraphiæ Alexandrinæ, & Publij Athenarum Epiſcopi. Coguntur propterea Annaliſtæ, Baronius, Gordonus, & alij, rebus Eccleſiaſticis ſolum perſunctoriè veluti tactis, de Romanis Conſulibus, alijſque prophanis hiſtorijs ſermonem inſtituere, quæ nos lubentius prætermittimus.

Chriſtianorum geſta.

2 Non prætermittendum quod recitat Tertullian. [b] videlicet, quòd cum (circa hoc tempus) Arrius Antoninus, qui poſtea Imperator, & Antoninus Pius dictus eſt, prouinciam quandam adminiſtraret, & de Chriſtia-

[b] *ad Scapul. c. vlt.*

stianis quæstionem haberet in vna Ciuitate, omnes qui in ea erant ipsum adiere, palam confitentes se Christianos esse, eaque de causa omnes libenter mortem oppetituros; & quòd ipse perterritus rei nouitate, & magnitudine, paucis ex illis damnatis, in reliquos, vt præcipitia atque suspendia, si mori vellent, eligerent, exclamarit. Habet etiam idem Tertullianus *eo libro* de Christianis huius æui loquens: *Nos quidem, neque expauescimus, neque pertimescimus ea quæ ab ignorantibus patimur.* Deinde cum Tyrannis persecutoribus loquens: *Cum omni sæuitia vestra concertamus, etiam vltro erumpentes, magisque damnati quam absoluti gaudemus.* Item: *Quando non geniculationibus, & ieiunantibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ?* Inferius: *Depositum non abnegamus, matrimonium nullius adulteramus, pupillos piè tractamus, indigentibus refrigeramus, nulli malum pro malo reddimus.* Hęc eò adduximus, vt ostendamus Essenorum mores ijs indigitatos a Tertulliano, quoad aliquos saltem. Etenim ipsos tormentorum, cruciatuum, & cædum contemptores fuisse, vt Dei leges illibatas seruarent, sic habet [a] Philo: *Id compertum est in multis, & varijs temporum difficultatibus, sub tyrannide potentiorum, diuersis præditorum ingenijs, ex quibus alij conati feroces bestias immanitate superare, nullam omiserunt crudelitatis speciem, gregatim mactando subditos, aut laniorum more viuos frustatim concidendo: nec prius finis fuit quàm in easdem calamitates incidere, vindicante diuina prouidentia; alij verò suam rabiem celantes diuerso malitiæ genere acerbas clades dederunt, placido sermone, susurrisque clancularijs dissimulantes odium, canum maleficorum more blandiendo, moxque infigendo morsus insanabiles, vt oppidatim monumenta impietatis suæ relinquerent ad perpetuam afflictionum memoriam. Nemo tamen vel è crudelibus illis, vel ex alteris fucatis, ac subdolis, valuit modo dictos cœtus Essæorum, siue sanctorum in culpam inducere, sed omnes discesserunt victi virtute horum virorum, laudantes eos, vt liberos ciues, & suo iure viuentes accepto à natura, prædicantesque illorum sodalicia, societatemque inenarrabilem, in qua exemplum felicis, & perfectæ vitæ videre liceat.* Concinit Iosephus [b], sic de eisdem loquens prout alibi etiam retulimus: *Sunt etiam contemptores aduersorum: cruciatus siquidem vincunt firmitate consilij. Mortem verò si cum decore obeunda sit, iudicant etiam immortalitate meliorem.* Similia quoque in alijs, qui Essenorum gesta historicè scripserunt, reperiet Lector. Quod tangit Tertullianus relatus *de ieiunijs, & geniculationibus*, satis etiam indicat Essenorum institutum huiusmodi pijs operibus addictum, iuxta dicta *supra in apparatu cap.*4. & *tom.*1. *sub anno* 3889. *n.* 4. ac de Assidæis, (cuius ordinis Esseni erant) eodem *tom.* 1. *sub anno* 3622. Porrò illa Tertulliani *Depositum non abnegamus cum seqq.* luce meridiana veluti Essenorum subindicant gesta. De eorum enim tyronibus instrui solitis a maioribus priusquam ad consortium assumantur: *Erga homines seruare iustitiam, & neque propria sponte nocere cuiquam, neque ex præcepto obesse, quinimo iniquos omnes odisse, & collaborare semper iustitiæ sectatoribus, fidem omnibus seruare, &c.* scribit Iosephus loco relato *de bello Iudaico*.

[a] *in libro quod omnis probus sit liber.*

[b] *de Bello Iudaico lib.*2 *c.*7.

Aqua lustralis. 3 Huic Papæ Alexandro communiter tribuitur aquæ lustralis, seu benedictæ vsus *cap. aquam de consecrat. dist.* 3. & ex libro *de Roman. Pontificib.* Eum tamen primitus veluti inchoatum quadamtenus ab Essenis nostris tenet Boulducus a nobis relatus *in Apparat. cap.* 3. Nec mirùm sanè, cum ab Hebræis antiquioribus Essenorum progenitoribus aliqualis ipsius typus in vsu olim fuerit *Exod.* 30. illis verbis: *Facies & labrum æneum cum basi sua ad lauandum, ponesque illud inter tabernaculum testimonij, & altare. Et missa aqua lauabunt in ea Aaron, & filij eius manus suas, ac pedes quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino.* Sic etiam typicè figuratus fuit ab Eliseo, cum Naaman Syro pro lepra curanda septem in Iordane ablutiones præscripsit 4. *Reg. c.* 5. Notat autem Boulducus [a], de Sacramento Baptismi loquens, quod Eliseus *erat Rechabita, & ex antiquis Essenis,* ad denotandum sanè inter eos hunc morem maximè conseruatum. Vnde etiam de Baptista in Iordane baptizante notat id fecisse *in spiritu Eliæ Rechabitarum Patris*: Immò & ad Gentiles deriuatum vsum ex Apuleio [b] corroborat. Idque probare posset ex Tibullo [c] eo disticho:

Casta placent superis, pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Sufficiet nobis hunc lustralis aquæ sacrum ritum aliquo modo a nostris primis Essenis, & Rechabitis adumbratum. Quomodo autem præter huiusmodi aquam benedictam, siue lustralem olim etiam in Christianorum templis præ foribus positum fuisset aquæ lauacrum ad purificationem ante orationem faciendam latè Baronius [d], ex Eusebio, Paulino, Clemente, Tertulliano, Gregorio, & alijs. Notans etiam ex Aristæa [e], eos ante orationem lauari solitos manus. Notare etiam & nos debemus, iuxta dicta *to.* 1. *sub ann* 3766. *n.* 4. inter eos aliquos fuisse Esseni instituti professores. Qualiter etiam pluribus Deus miraculis lustralis aquæ virtutem ostenderit, idem Baronius [f].

a in lib. de Eccles. post legem cap. 9.
b de Asino aureo lib. 11.
c lib. 2. Eleg. 1.
d sub an. 57.
e in lib. 72. interpretum.
f sub anno 132.

Ann. Christi 128. 129. 130. & 131. Alexandri Pont. 8. 9. 10. & 11. Hadriani Imper. 9. 10. 11. & 12.

Hadriani gesta. 1 CIRCA hoc tempus Hadrianus Imperator ex Africa Romam, & è Roma Athenas petijt. Hinc Asiam peragrauit, & Syriam venit, & Ierosolymam pridem euersam habitari iussit, Æliam Capitolinam appellatam. Ioui item ex aduerso templi ædem excitauit, quod ægrè ferentes Iudæi, bello graui, & diutino occasionem dedere sub Duce Barchocheba in Christianos propterea crudeli, quòd nollent Iudæis contra Romanos suppetias ferre. Hæc ferme ex Spartiano, Dione, Iustino, & Eusebio posteriores Annalistæ.

Ecclesiæ status. 2 Ecclesiæ porrò status pacem aliquam hoc tempore habuisse creditur, propter Epistolam Sereni Graniani ad Hadrianum, qua illi dicebat, ini-

iniquissimum esse innocentissimum Christianorum sanguinem sine vllo crimine, nominis tantum, & sectæ reum fieri. Ea enim permotus Imperator Minutio Fundano Proconsuli Asiæ mandauit, sine obiectu criminum Christianos non condemnandos. Iustinus [a], Eusebius [b], Flauius Dexter [c]. Causam quoque promouere potuit, quòd cum ipse Hadrianus Athenis circa hoc tempus ageret, duo insignes Philosophi Christiani, scilicet Quadratus Atheniensis Episcopus, & Apostolorum discipulus, ac Aristides Atheniensis libros eidem pro Christiana Religione obtulerunt. Eusebius [d], D. Hieronymus [e], Flauius Dexter [f], D. Antoninus [g]. De hoc Quadrato Atheniensi Episcopo illud non prætermittendum, haberi pro vno ex Ordinis Prophetici alumnis a nostro Segero Paulo [h], quam simul cum annotationibus eiusdem Segeri ad ipsam *suis Actis Sanctorum* adiunxit Ioannes Bollandus Iesuita [i]. Ex eo scilicet quòd Eusebius [k], ex Melchiade vetusto auctore hunc Quadratum inter Prophetas retulerit cum alijs; *qui non id circo* (inquit Segerus) *specialiter Propheta appellantur, quòd prophetiæ dono, seu Spiritu præditi fuerunt; nam & hoc multis alijs sanctis temporibus istis commune fuit, sed quam maximè quod Prophetici Ordinis sectatores extiterint*. Hoc etiam sensu accipiendus videtur Marianus Scotus [l], vbi de eodē loquens inquit: *Inter eosdem sanè floruit vir æque insignis Quadratus, qui vna cum Philippi filiabus in prophetica gratia celeberrimus fuisse perhibetur*. De eiusmodi autem filiabus Philippi ad annum 57. diximus. Et de isto Quadrato noster Philippus Vizquin [m] vbi inter alia:

Quandoquidem saxo stent ædificata Quadrato
Et compacta quadris sint loca prima petris,
Quid Carmeliticum saxo conferre Quadratum
Impedit? & dictis assimilare petris?

Hæc piè a nostris præmeditata, etsi non certa, omitti a nobis non debuere.

3 Circa idem etiam tempus mors contigit S.Caloceri discipuli Apostoli Iacobi, de quo *sub anno* 45. dictum, & sub dubio relictum an Prophetico Ordini ascribendus. De eo autem Rubeus [n] sic: *Calocerus Græcus in Martiani locum Rauennatum Archiepiscopus, columba cælitus super eum sedente, suffectus est. Qui cum rerum omnium sub Hadriano fuisset nactus quietem, assiduo hortatu, Deo verbis efficaciam, ac robur tribuente, omnes ferè Rauennates, relictis falsis Dijs, Religioni sanctæ adhærere sic persuasit, vt admodum pauci fuerint, qui non acceperint cultum veri Dei*. Eius mortem refert idem Rubeus sub S. Telesphori Pontificatu. Sed congruentiùs, ne dicamus plus nimio vitam protraxisse, cum Dextero [o], ad annum 130. referenda: de eo etiam Martyrologium 11. Februarij. Vbi Baronius a Dextro deuians tempore Antonini Pij quieuisse credit.

- a in Apolog. ad Antonin.
- b lib.4.c.8.& 9
- c in Chron. sub ann. 130.
- d in Chron. & lib.4. hist.c.3.
- e de Scriptorib. Ecclesiast & in Epist. ad Magnum Oratorē.
- f in Chron. sub ann. 128.
- g 1.p tit.7.c.4. §.2.
- h in vita S. Thelesphori Papæ & Mart.
- i die 5. Ianuar.
- k lib.5.hist.c 16
- l lib.2. Chron; ætat. 6.
- m in suo Carmelo Poëtico.
- n lib. 1. histor. Rauenna.
- o in Chron.

Ann.Chr. 132. 133. 134. 135. 136. & 137. Sixti Pont. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. Hadriani Imp. 13. 14. 15. 16. 17. & 18.

Sixtus Papa succedit Alexandro.

1 MARTYRIVM patitur S. Alexander Papa cum ſocijs Euentio, ac Theodulo presbyteris ſub anno 132. Etſi enim propter dicta in ſuperioribus perſecutio in Chriſtianos quadamtenus ſedata eſſet, non tamen omnino ſublata. Succeſſit in Romano Pontificatu Sixtus huius nominis primus. Baronius, Gordonus, & alij poſt vetuſtiorum monumenta.

Hadriani geſta.

2 Interim circa id tempus, cum Hadrianus Imperator ex Arabia in Ægyptum veniſſet, Antinoum puerum ſibi dilectum ſepultum retulit inter Deos, aram, feſtum, templum, & ciuitatem ipſi conſecrans. Quod maius argumentum gentilitiæ cæcitatis deſiderari potuit? Rem proſequuntur Spartianus & Dio [a], Euſebius [b], Origenes, Epiphanius, & Hieronymus. Quid ni riderent indicibilem ethnicorum procacitatem Chriſtiani in Ægypto, & Eſſeni eius Prouinciæ coloni, in qua Ciuitas *Antinopolis* vocata in Antinoi honorem erecta ſita erat? Suſpicatur autem Baronius *ſub ann.* 32. in noui, atque turpiſſimi huius Dei cultum factam fuiſſe in ea ciuitate Chriſtianorum illam carnificinam, de qua in Menologio Græcorum, & Martyrologio Romano die 22. Septembris, ſic: *Antinopoli in Ægypto Sanctæ Iraidis Virginis Alexandrinæ, & ſociorum Martyrum, quæ ad hauriendam ex proximo fonte aquam egreſſa, cum vidiſſet nauim confeſſoribus Chriſti onuſtam, relicta hydria, ſe protinus illis adiunxit, ac ſimul cum eis in Vrbem ducta, prima omnium poſt multa ſupplicia capite cæſa eſt; deinde presbyteri, & diaconi, & virgines, alijque omnes eodem mortis genere conſumpti ſunt.* Suſpicari & nos poſſumus aliquos in iſta multitudine ex Eſſenorum ſchola Ægyptum incolentium fuiſſe. Præſertim cum caſtiſſimi, & honeſtiſſimi homines, quales ij erant, tam impudicum facinus vix ferre poſſent. Hinc Philo [c], dum ipſorum puriſſimam vitam commendat, Græcorum, Romanorum, & barbarorũ mores in enutriendis ſimilibus puerulis ad delitias ex oppoſito damnat. Loquens enim de eorũ conuiuijs, inquit fieri miniſtrantibus *formoſis mancipijs, non tam ad præſens miniſterium quæſitis, quam ad exhilarandos aſpectu conuiuarum oculos. Ex his minores pueri pincernas agunt, grandiores aquam afferunt, loti, & nitidi, fucatique ac cincinnatuli; alunt enim capillitium, vel omnino intonſi, vel à fronte tantum præſectis in orbem crinibus, tenuiſſimas, candidiſſimaſque præcincti tunicas anteriori parte ad genua demiſſas, poſteriori ad poplites, vtrimque mollibus tenijs aſtricti commiſſuras tunicæ, propendentibus ad latera ſinibus. Sic ornati aſtant nutus obſeruando quid quiſque poſtulet. Adſunt alij adoleſcentes prima lanugine veſtiti, qui paulo ante amatorum ſuorum delitiæ fuerunt.*

[a] in Hadrian. [b] lib. 4. hiſtor. c. 10. [c] de vit. contemplat.

Eliani quid paſſi ſint.

3 Non modica interim circa hoc tempus paſſos Carmeli noſtri, & Palæſtinæ colonos ob bellum inter Iudæos, & Romanos Chriſtiani nominis

hoſtes

hostes haud temerè suspicari possumus. Quæ verò vtrimque gesta sint, quot hominum cædes, excursiones, arcium direptiones, populorumque clades tunc contigerint, ex Eusebio, & Dione sumunt noui Chronologi. Concludit Dio [a]. Quid tunc facerent, qui ex schola Eliæ tum Carmelum, tum alia pia loca incolebant? Consulat lector, dicenda infra *sub anno* 138.

a *Sic fere omnis Iudæa desolata est.*

4 Placuit sub tempore huius Hadriani Imperatoris, in quo ob scriptorum penuriam, monumentorumue iacturam Chronologi Ecclesiastici & ipsorum Coryphæus Baronius coguntur Consulum Romanorum annos, & prophana Imperatorum gesta, vix paucissimis de Ecclesiæ historia tactis, dumtaxat referre, cuiusdam Secundi Pythagoricæ sectæ Philosophi crediti eo tempore clari acta non iniucunda in medium proferre; eò præsertim quòd aliqua quæ de ipso afferuntur; videlicet castitatis amor, silentij exquisita obseruantia, cruciatuum contemptus, baculi gestatio, immò & ipsa Pythagoræ scholæ sequela, Essenatum redolent, iuxta dicta tum primo, tum hoc secundo Annalium tomo. Ea porrò, prout D. Antoninus [b], ex Vincentio *in Specul. histor. lib.* 11. *cap.* 70. ex scripsit, talia sunt: *Cum adhuc paruulus esset, missus est ad discendum, & audiuit in scholis, quod omnis mulier fornicatrix esset, & impudica. Tandem in Philosophia perfectus remeauit ad patriam suam, communem gerens peregrinationis consuetudinem, baculum, & peram circumferens, coma capitis, & barba prolixa. Hospitatus est autem in domo propria, nemine domesticorum eum cognoscente, neque propria matre. Volensque probare de mulieribus, an verum esset quod audierat; vocauit vnam de ancillis promittens ei decem aureos, si matri persuaderet. At illa consentiens ancillæ: fecit eum vespere ad se introduci. Cumque illa existimaret secum illum debere commisceri; ille velut propriam matrem amplectens inter vbera eius vsque mane dormiuit. Mane autem cum vellet egredi, & discedere: illa apprehendens eum ait. Vt me tentares hoc fecisti? Qui ait: Nequaquam domina mater, nequaquam dignum est illud vas me maculare, vnde exiui; illa autem sciscitante quis esset; ait: Ego sum Secundus filius tuus. Illa autem recogitans in semetipsa, & conferens confusionem exanimata est. Secundus ergo Philosophus sciens quòd per loquelam suam mors matri suæ accidisset, hanc à se in posterum exegit pœnam, ne amplius loqueretur. Et sic vsque ad mortem taciturnitatem seruauit. Per idem tempus Hadrianus veniens Athenis audiuit de illo, eumque ad se venire faciens, primus eum salutauit. Ille verò tacuit. Tunc Hadrianus ait, loquere Philosophe, vt à te aliquid addiscamus. Illo autem in proposito silentij perseuerante, vocans Imperator quendam Spiculatorem ait: Hunc nolentem loqui Imperatori viuere nolumus, abduc ergo eum, & torque. Hadrianus verò clam vocans lictorem ait: Persuade ei in via, vt loquatur, & si persuasus respondeat, decolla eum, si verò non responderit, reduc eum ad me. Ducebatur ergo Secundus à Spiculatore ad locum tormentorum. Qui dixit ei: O Secunde, quare tacens moreris? loquere, & viues. Ille autem vitam suam paruipendens, mortem tacitus expectabat. Spiculator veniens ad locum destinatum, ait*

Secundus Pythagoricus.

b p.1.tit.7.c.4. 6.7.

ait illi: Extende ceruicem tuam, & suscipe mortem. Ille extendens ceruicem silentio vitam postposuit. Apprehendens ergo eum Spiculator reduxit ad Hadrianum, dicens Secundum vsque ad mortem tacuisse. Tunc Hadrianus videns Philosophi continentiam ait illi: Quia lex ista silentij, quam tibi imposuisti, nullo modo solui potest, sumens tabulam istam scribe & saltem manu tua loquere. At ille tabulam sumens scripsit in hunc modum. Ego quidem ò Hadriane, nil te timeo, quia princeps huius temporis videris existere. Me quidem occidere potes, sed vitæ meæ proferenda nulla tibi datur potestas. Hadrianus ait: *Benè quidem excusatus es: sed quædam tibi ad hæc problemata propono, vt ad hæc saltem mihi scripto respondeas, quorum primum est. Quid est Mundus?* Qui scripsit: *Mundus est incessabilis circumitus, spectabilis supellex, multiformis formatio, externus tenor, circumitus sine errore. Quid est Oceanus?* Respondit: *Mundi amplexus, terminis coarctatus, hospitium fluuiorum, fons imbrium. Quid est Deus?* Respondit: *Immortalis mens, incontemplabilis celsitudo, forma multiformis, incogitabilis inquisitio, insopitus oculus, omnia continens, lux bonorum. Quid est Sol?* Respondit: *Cæli oculus, caloris circumitus, splendor sine occasu, diei ornatus, horarum distributor. Quid est Luna?* Respondit: *Cæli purpura, solis æmula, malefactorum inimica, solamen iter agentium, directio nauigantium, signum solemnitatum, prodiga roris, præsagium tempestatum. Quid est terra?* Respondit: *Basis Cæli, meditullium mundi, fructuum custos, & mater, operculum inferni, mater nascentium, nutrix viuentium, deuoratrix omnium, cellarium vitæ. Quid est homo?* Respondit: *Mens incarnata, phantasma temporis, speculator vitæ, mancipium mortis, transiens viator, loci hospes, anima laboriosa, parui temporis habitaculum. Quid est pulcritudo?* Respondit: *Flos marcidus, carnalis felicitas, humana concupiscentia. Quid est mulier?* Respondit: *Hominis confusio, insaturabilis bestia, continua sollicitudo, indeficiens pugna, viri incontinentis naufragium, hominis mancipium. Quid est amicus?* Respondit: *Desiderabile nomen, homo vix apparens, infelicitatis refugium, indesinens felicitas. Quid sunt diuitiæ?* Respondit: *Auri pondus, curarum minister, delectatio iniucunda, insatiabilis inuidia, desiderium inexplebile, os excelsum, inuisa concupiscentia. Quid est paupertas?* Respondit: *Odibile bonum, sanitatis mater, curarum remotio, sapientiæ repertrix, negotium sine damno, possessio absque calumnia, sine sollicitudine felicitas. Quid est senectus?* Respondit: *Optatum malum, mors viuentium, incolumis languor, spirans mors. Quid est somnus?* Respondit: *Mortis imago, laborum quies, infirmantium votum, desiderium miserorum. Quid est vita? Beatorum lætitia, miserorum mæstitia, expectatio mortis. Quid est mors?* Respondit: *Æternus somnus, diuitum pauor, pauperum desiderium, ineuitabilis euentus, latro hominis, fuga vitæ, resolutio omnium. Quid est verbum?* Respondit: *Proditor animi. Quid est corpus?* Respondit: *Domicilium animæ. Quid est barba?* Respondit: *Discretio sexus. Quid est cerebrum.* Respondit: *Custos memoriæ. Quid est frons?* Respondit: *Imago animi. Quid oculi?* Respondit: *Duces corporis, vas luminis, indices animi. Quid est cor?* Respondit:

Rece-

Receptaculum vitæ. Quid iecur? Respondit: *Custodia caloris. Quid fel?* Respondit: *Suscitatio iracundiæ. Quid splen?* Respondit: *Risus, & lætitiæ capax. Quid est stomachus?* Respondit: *Ciborum coquus. Quid ossa?* Respondit: *Robur corporis. Quid pedes?* Respondit: *Mobile fundamentum. Quid ventus?* Respondit: *Aeris perturbatio, mobilitas aquarum, siccitas terræ. Quid sunt flumina?* Respondit: *Cursus indeficiens, refectio Solis, irrigatio terræ. Quid amicitia?* Respondit: *Æqualitas animorum. Quid fides?* Respondit: *Ignota res miranda certitudo. Quid est quod hominem lassum fieri non sinit?* Respondit: *Lucrum.* Hæc prout iacent ex Antonino relato. Si digressionem parergicam redoleant, parcat lector.

Annus Christi 138.& 139. Sixti Papæ 7.& 8. Hadriani Imp. 19. & 20.

1 SVB hoc tempore finem accepit bellum Iudaicum cum Romanis, vt dictum est, inchoatum, rebus Iudæorum penitus oppressis, & Christianorum prophanatis. Etenim Ierosolyma veteribus incolis Christianis, & Iudæis destituta, & a Romanis occupata, nomen commutauit, & in honorem Ælij Hadriani Imperatoris, qui eam subiugauit, Ælia appellata est, in fronte eius portæ quæ Bethlehem respicit, sue sculpto, Adonidi templo consecrato, & in loco passionis Christi simulacro Iouis erecto. Finem quoque ipse Hadrianus vitæ accepit Christi persecutore promeritum. Numinis namque vltione phthisi laborans, hydropisi æstuans, sanguinis fluxu tabefactus, mortem sibi veneno, gladioque procurauit, malorum quæ perpessurus erat, præscius illis carminibus decantatis. Hadriani mors.

Animula, vagula, blandula,
Hospes, comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigidula, nudula,
Nec vt soles, dabis iocos.

De ijs Dio, & Spartianus *in Hadriano*, Eusebius, Dexter, & Chronologi posteriores.

2 Quoad nostra spectant D.Epiphanius [a], de Hadriani gestis sub hoc tempore hæc habet: *Peitransiit itaque Antiochi Vrbem, transcendit cauam Syriam, & Phœnicem, & venit in Palæstinam, quæ & Iudæa appellatur post annum 47. deuastationis Hierosolymorum, & ascendit in Hierosolymam famosam, ac celebrem vrbem, quam euertit Titus Vespasiani filius secundo Regni sui anno, & reperit ciuitatem totam solo adæquatam, & templum Dei conculcatum, exceptis paucis domibus, & Ecclesia Dei, quæ parua erat, eo loco vbi reuersi discipuli quando Saluator assumptus est ab Oliueto, ascenderunt in cœnaculum. Illic enim ædificatum fuerat, hoc est in parte Sion; quæ a deuastatione relicta erat, & partes domiciliorum circa ipsam Sion, & septem Synagogæ, quæ* Gesta in Hierosolyma. a in lib. de mens. & ponder.

solæ

sola in Sion stabant velut tuguria. Ex quibus vna relicta fuit vsque ad tempus Maximonæ, & Constantini Regis, velut tentorium in vinea, velut scriptum est. Hæc Epiphanius, eò a nobis relata, quia ex ipsis elici videtur vetustam mansionem illam Carmelitarum in Hierosolymorum Vrbe circa cœnaculum, & montem Sion, de qua *sub anno* 41. dicebamus, eius Vrbis euersione sub Vespasiano, & Tito facta non perijsse, siquidem, vt Epiphanius ait, pars illa Sion, & domicilia, ac synagogæ, quæ circa illam erant, a deuastatione, omnimoda saltem, libera manserunt. In re ergo dubia sic suspicandum.

3 De hac autem Ierosolymæ, & Palæstinæ sub Hadriano vastatione, quæ incommoda Ordini Eliano Carmeli, & Syriæ partium colono attulerit, variè Auctores nostri senserunt. Eorum placita in medium producamus. Ergo Didacus de Coria [a] sic inquit: *Ælio Hadriano reedifico à Ierusalem, y la llamo Ælia, y auiendola dado à los Iudios se la quito, y la dio à los Christianos por entender que era gente iusta y sancta, & à nuestros Religiosos les dio el lugar del Caluario.* Ea etiam de re sic loquitur noster Petrus Sarracenus [b], de ipso Hadriano sermonem faciens: *Nec Iudæorum malis contentus, etiam Christi fideles deiecit, & Phalaride crudelior (ait Baronius) innumeros crudelissimi generis Martyrio affecit: vnde factum est, vt saluti vniuersali consulentes nostri fugam arripere conati sunt, & ferarum more in cauernis montium, in speluncis terræ, & in eremis, ac solitudinibus latitantes, hominibus incogniti, cogniti verò Deo, & Angelis, Ecclesiæ tranquillitatem, ac pacem expectabant, Oriente itaque depopulato solus Carmelus languens Virgini adseruabatur. Ita nostri omnes.* Hæc Sarracenus. Inferius sic prosequitur: *Inter tot Orientalium calamitates, atque Imperatorum infidelium in Christi fideles diuexationes familia nostra in cinere, & cilicio, orationibus, & lachrymis diu, noctuque inseruiendo cubabat, pernoctabat. Cogebatur sæpe proprijs Monasteriorum sedibus relictis, effuso plurium Sanctorum Martyrum sanguine, de fuga, speciosa fiducia cogitare. Hinc Cœnobia, vel solo æquata, vel infidelium incolatu violenter prophanata, sacras consternatas ædes, & sacra prophanis à barbaris inhumaniter commixta adspicere confusa mente coacta erat. Nec miseriarum nostrarum finis. Sacra publicè facere Imperatorum edicto vetitum, chorum de more ad diuinas Deo fundandas preces, adire interdictum, Generalia congregare pro Ordinis confirmatione Comitia omnino nobis probibitum, grauissimis minatum pœnis, erat. Miserabile sanè fuit, miseris illis temporibus sacro fortissimorum rubricatam martyrum cruore, nostræ Religionis faciem, & dilaceratos ab infidelibus tantæ sanctitatis crines conspectare, sed à Deo cui carissimi erant, præmia, & coronas acceperunt. Crebras quidem, illasque grauissimas ab infidelibus, nostros passos esse persecutiones, intolerabilia vidisse mala, famo, siti, frigore, morboque vexatos comparti sumus, at numquam à suo excidit splendore Carmeli vinea, nisi Ælio Hadriano Iudæis, & Christianis infensissimo Imperante.* Hucusque Sarracenus, quæ alijs prudenter meditanda proponimus.

4 Volunt etiam aliqui Iudæos in hoc bello ab Hadriano captos in Hispa-

[a] in Chronic. Carm. l. 10. c. 4.

[b] in Menolog. Carmel. in vit. S. Dionys. P. apa.

Iudæi relegati.

Hispaniam relegatos fuisse, longum ibi protrahentes exilium vsque ad Ferdinandum Regem, qui illos suis ditionibus abire coegit. Genebrardus [a] ex Valæo [b], Gualterius [c]. Quæ si vera sunt, cum inter Iudæos illos aliqui forsan Esseni instituti fuissent, illud etiam in Hispania propagassent. Res tamen dubia ob monumentorum penuriam.

a in Sixto.
b in Chronic. Hispan.
c in Tab. Chronog. sæcul. 2.

5 Huius autem exilij Essenorum forsan causa Petrus noster Sarracenus, de quo supra [d], dum de Fructuoso Carmeli Ordinis alumno loquitur, dicit eum a Summo Pontifice Sixto Tarraconensis Ecclesiæ Episcopatu donatum fuisse. Hoc tamen, etsi cum præfato exilio cohærere possit, non tamen cum eiusdem Fructuosi martyrio, quod circa annum 262. contigisse creditur, plusquam centum viginti annis ab hoc tempore.

De S. Fructuoso.
d in suo Menologio in vit. S. Dionysij.

Annus Christi 140. & 141. Sixti Pont. 9. & 10. Antonini Pij Imp. 1. & 2.

1 SVCCESSIT hoc tempore Hadriano mortuo Antoninus, quem ille adoptauerat, Pius dictus quòd in sui Imperij initio nullum quantumuis reum puniri permiserit. Pietatis quoque speciem prælesulit, dum Hadriani corpori ad hortos Domitiæ collocato ingens sepulchrum extruxit, quod postea moles Hadriani, nunc verò Castrum S. Angeli, sub cura, & parochia Ecclesiæ S. Mariæ Transpontinæ Carmelitarum, in qua hæc scribimus, vocatum fuit. Fertur de ipso sæpius dixisse: *Malle se vnum ciuem seruare, quam mille hostes perdere*. Ruminandum sane Christianis aliquot Principibus, qui facilè bella excitant, quibus plures ciues quam hostes perimuntur. Spartianus [e], Iulius Capitolinus [f], Iacobus Bergomensis [g].

Antoninus Pius.
e in Hadrian.
f in Antonin. Pio.
g supplem. & 2. sub ann. 140.

2 Propagata valde huius Imperatoris tempore Christiana Religio erat, prout ex Iustino, qui hac tempestate florebat [h], Irenæo, qui eodem etiam sæculo claruit [i], & Tertulliano [k], clarè elicitur. Propagabatur etiam monachismi cælibatus, sicut ex testimonio relati Iustini *in Apologia ad hunc Imperatorem Antoninum longe ante medium*, sic habetur: *Plerique, & pleræque sexaginta, atque septuaginta annos nati, qui à puero in Christi se disciplinam tradiderunt, incorrupti permanent, & glorior quòd in omni hominum genere tales monstrare possim*. Alia ex hac Apologia damus *sub ann.* 150. quo scripta videtur. Concinit & Athenagoras in sua pro Christianis Apologia a quibusdam eidem Iustino attributa, & non multò post hoc tempus ab auctore conscripta. Ita autem sic habetur: *Inuenias autem multos ex nostris, & viros, & fæminas, qui in cælibatu consenescant, quòd Deo coniunctiores se futuros sperent. Quod si perseuerantia in virginitate, & in eunuchismo magis Deo conciliat, cogitatio verò, & concupiscentia abducit, certè illa, quorum cogitationes fugimus, multò prius ne ipso perpetremus facinore, cauebimus*. Porro *Eunuchismum* denotare monachatum ex dictis *in Appar. c.4.n.15. & to.1.* locis ibi relatis elicitur.

Ecclesiæ, & monachismi propagatio.
h in Dialogo cum Tryphone.
i lib.1 c.3.
k in Apologet. c.37. & aduer. Iudæos c.7. et 8

S. Victoria.

a in Chron. ad ann. 255.

3 Sub huius Imperatoris tempore, secundum aliquos, quos commemorat Flauius Dexter [a], contigit historia S. Victoriæ Virginis, & Martyris. Sed nimis intempestiuè de ea nunc agitur; cum non nisi sub Decio Imperatore, & ipsius successoribus passa sit, vt eo tempore dicemus. Videtur Eliani Ordinis alumna, cum mater fuerit plurium Virginum Deo consecratarum in Cœnobio ab ipsa erecto, quod non nisi iuxta Essenorum institutum esse potuit, vt eo loco.

Balbinus.

b lib 3. Speculi Ordin. c. 5. c de Patronatu Virgin. c. 2. d lib. 1. c. 6. e in Chron. l. 3. c. 26. f in Annot. ad vit. S. Telesphori.

4 Ad istum etiam Imperatorem Antoninum scripsisse videtur Balbinus Epistolam, quam ex nostris referunt Philippus Ribbotus [b], Arnoldus Bostius [c], Palæonydorus [d], Coria [e], Segerus Paulus [f], apud Bollandum Societ. Ies. *in Act. Sanctor. 5. Ianuarij*, in qua sic de Carmelo nostro, & in eo radicata Religione: *Mons est nomine Carmelus, in quo vetus Religio, & Sanctitas antiqua est: Elias illic sacrificia semper Deo offerebat, apparent etiam & nunc vestigia de ara sacrificiorum.* De hoc testimonio, Balbino eius auctore, & alijs concernentibus solerter Segerus relatus.

Annus Christi 142. Telesphori Pont. 1. Antonini Pij Imp. 3.

S. Thelesphorus Papa.

1 HVIVS anni historia præcipuè continet S. Telesphori Papatum post S. Sixti Martyrium; nostris sanè Annalibus propria, quòd is Eliani, & Prophetici Ordinis cultor iure, meritòque credatur, prout ea quæ adiungimus sufficienter ostendent. Primò quidem quòd ille Anachoreta fuerit. Sic enim eum vocat liber *de Romanis Pontificibus*, cui Baronius adhæret *sub hoc anno*. S. Antoninus [g], a quo vocatur *Ex Anachoretis assumptus*. Episcopus Equilinus [h]. Auctor libri *Fasciculus temporum* appellatus, Scholiastes Conciliorum [i], Genebrardus [k], Gualterius [l], Gordonus [m], Coriolanus [n] dicens: *Ex vita Anachoretica quam agebat, ad Pontificatum euectus est*, & alij communiter. Anachoretarum autem nomen Essenos indicare, ac per consequens Eliani, & Prophetici Ordinis asseclas diximus *in Appar. cap. 4.* Quod maximè confirmat Petrus Damianus ibi relatus, Rechabitas appellans Anachoretarum primitias, siquidem Rechabitas, & Essenos eiusdem instituti homines fuisse sæpius *in 1. to.* demonstrauimus. Clarè etiam id colligitur ex Philone [o], de illis dicente: *Extra mœnia degunt in hortis, ac villis solitarijs amantes solitudinem.* Erant ergo inter Essenos aliqui Anachoreticam sectantes vitam. Ne autem putetur solùm de Essenis theoreticis, de quibus eo loco Philo, id esse capiendum, de practicis quoque id intelligendum, colligitur ex eodem Philone [p], vbi sic: *Vrbes fugiunt propter familiaria ciuibus earum vitia.* Nec ex eo quòd Telesphorus a Platina, Philippo Bergomensi, Honufrio, Sandero, & Ciaconio vocetur filius Anachoretæ, seu ex patre Anachoreta ortus, tollitur, quod ipse Anachoreta fuerit; tum quia vtrumque potuit esse, Anachoreta videlicet, & alterius Anachoretæ filius;

g 1. p. tit. 7. c. 6. h lib. 2. c. 46. i to. 1. in Epist. decr. Telesphori. k in Chronolog. sub ann. 139. l in Tab. Chronograph. secul. 2. m sub hoc ann. n in Breuiar. Chronolog. sub ann. 140. o in lib. de vita contemplat. p in lib. Quod omnis probus sit liber.

filius; tum quia cum in libro illo perantiquo *de Romanis Pontificibus*, cui sæpius Baronius innititur, & apud Antoninum, Equilinum Episcopum, & alios vetustiores habeatur eum Anachoretam fuisse, illis standum, non junioribus alijs, qui sine fundamento aliter loquuntur. Vnde eos reprehendere videtur Additionator Ciaconij *de vit. Pontific. in Telesphoro*, Coria inferiùs referendus, & Cassanate [a]. Deinde eum ex Essenorum schola fuisse sufficienter suadetur, quia *Græcus* fuit natione; inter Græcos enim, illo æuo maximè, nulli Anachoretæ fuerunt, qui Eliam, & Baptistam eiusdem instituti Principes non recognoscerent. Quod etiam dicendum, etiamsi cum Ciaconio, & Coriolano, ac Simone de Spiritu Sancto [b], asseratur Turij in Calabria natum fuisse: Calabria namque pars Græciæ appellatur. Vnde ex nostris historicis ipsum inter Elianos Carmeli annumerant Didacus de Coria [c], Michael Munozius [d], & Cassanate *supra*. De exteris autem Auctoribus Carolus de Tapia [e], Carthagena [f], Ægidius Gelenius [g], & Laurentius Beyerlinck [h], dum de Carmelitano Ordine sic habet: *Ordo Carmelitarum dedit in Cathedra Apostolica Dionysium primum eius nominis, qui martyrio coronatus fuit ann. 260. Etiam Thelesphorum ex eodem Ordine fuisse tradunt, qui etiam post paucos annos in Pontificatu transactos Martyr Christi effectus est*. Postea verò in Catalogo Martyrum huius Ordinis, sublata particula illa *tradunt*, quæ solum ex sententia aliorum id forè denotare poterat, absolutè ab ipso numeratur *S. Thelesphorus Pontifex*. Fauent valde antiqua Ordinis Breuiaria, & Psalteria. Nec id mirum erit legenti Gabrielem Pennotum [i], vbi contendit omnes Summos Pontifices, quin omnes Ecclesiæ clericos, saltem vsque ad B. Siluestri tempora Regulares fuisse. De quo asserto quid sentiendum modò non disquirimus; solùm enim de Telesphoro id arbitramur, sicut de Dionysio etiam Papa, de quo suo loco. Eius autem vitam cum notis ad ipsam diligenter descripsit Segerus Paulus Coloniensis, & habetur inter Acta Sanctorum diligentissimi Auctoris Ioannis Bolanni Iesuitæ *in mense Ianuarij pro die* 5. Ipsum adeat Lector Carmelitici Ordinis, & huius Sancti Telesphori studiosus. Ac Carmelum Poëticum nostri Philippi Visquin, vbi plura quoque de ipso versibus celebrata.

[a] in Paradis. Carmel. stat. 2. ætat. 3. c. 25.
[b] in vit. S. Venerandæ c. 6.
[c] lib. 7. c. 21.
[d] in propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 2. c. 2. ar. 7. n. 2.
[e] in Authentic. ingressi.
[f] in homil. pro Carmelit.
[g] in Colonia sacra, seu de Coloniæ magnitudine lib. 3. syntagm. 43 §. 1.
[h] in Theat. vitæ hum. l. 16. to. 6. verb. Religiosus Religio.
[i] in Tripart. histor. Canonicor. Reg. l. 3. c. 52. n. 1

2. Cum autem hic noster Telesphorus communi Doctorum calculo *Anachoreta* credatur, vel si Deo placet, vt quidam leuiter asserunt, *Anachoretæ filius*, adminus pro nostræ historiæ intento illud animaduersione dignum, quod Genebradus *supra*, Petrus Maturus [k], ac Ciaconius etiam *supra* notarunt; videlicet in primitiua Ecclesia fuisse aliquos huius Anachoretici instituti sectatores. Quod Genebrardi verbis, quia in illis aliqua nobis perutilia, referimus: *Quoniam fuit Anachoreta, apparet in prima Ecclesia aliquos huius sancti instituti fuisse sectatores, aduersus eos, qui monasticæ auctorem D. Antonium sub Constantino Magno faciunt. Hoc enim etiam tempore multi Eremum incolebant metu persecutionum, & multo ante Dionysius Areopagita tres epistolas ad tres Monachos dedit, De Ecclesiastica Hierar. Ecclesia*

Anachoretæ in primitiua Ecclesia.

[k] in Annot. ad S. Antoninum supra.

nascente de Ordine Monastico tractauit, eum purissimam Christianorum partem, & è tribus à se memoratis primam pronuntiauit, Monachos Therapeutas dictos ab Apostolis docuit, à precandi assiduitate, & conscientiæ puritate. Philo Alexandrinus Apostolorum æqualis de his librum de vita contemplatiua scripsit, quòd nihil haberent proprium, perpetuo precarentur, litteris Sacris vacarent, non modo Alexandriæ, sed & in diuersis mundi prouincijs, vt proinde D. Hieronym. in Catalog. tradiderit Marcum Euangelistam huius vitæ fuisse apud Christianos auctorem, & caput. Nam apud Hebræos origo repetitur ab extremis temporibus, Num. 6. &c. Hæc ille.

Anachoretarum vetustas.

3 Porro ex hoc Genebrardi grauissimi auctoris testimonio aliqua pro nostra historia elicienda. Primò, ante magni Antonij, immò & Pauli vulgo primi Eremitæ nuncupati tempora Anachoretas aliquos extitisse, iuxta dicenda infra. Deinde Monachos quoque, prout sæpius in superioribus inculcatum, etiam ex testimonijs Dionysij hic a Genebrardo relati. Ad hæc, causam quare plures Christiani Eremiticam, seu Anachoreticam vitam eo tempore ducebant, fuisse, eo quòd persecutiones fugiebant, prout Genebrardus notat, & a nobis etiã indicatum est supra *sub ann.* 138. verbis Petri Sarraceni ibi relati. Monachos præterea vocatos fuisse *Therapeutas* a Dionysio, sæpius etiam retulimus. Maximè verò quod asfert Genebrardus ex Philone [a], & D. Hieronymo clarissimè demonstrat id quod a nobis crebrius repetitum est, videlicet Essenos, de quibus Philo, & Hieronymus loquuntur, maximè Philo eo libro, monachos fuisse, & monachos ipsos Esseni instituti asseclas. Quod denique hic tangitur de Marco Euangelista, fuisse videlicet monachismi Essenorum caput, & auctorem a nobis etiam indigitatum *sub ann. Christi* 45.

a in lib. de vit. contemplat.

Dubitatio.

4 Insurgit autem in præsenti dubium circa hunc Telesphorum, aliosque Anachoreticam illo æuo sectantes professionem, cur videlicet inter Religiosi Ordinis, qualis Elianus, & Propheticus est, asseclas, numerari possint; cum minimè constet ipsos sub alicuius obedientia vixisse, aut in cuiusuis manibus se professione litasse. Hic sanè nodus non tam soluendus, quam explodendus videbitur aliquibus ex nostris auctoribus, quales sunt Coria, Sarracenus, & Cassanate, qui nominatim, & expresè huius Ordinis Archimandritas, seu Præsules ante, & circa hæc tempora Telesphori, referunt. Agabum videlicet in Actibus Apostolorum sæpius relatum, Enochum de Amathin S. Marci Euangelistæ comitem, & discipulum, Basilidem, qui Vespasiani Imperatoris tempore Carmelum regebat, Ignatium, & Euodium Antiochenos postea Antistites, ac Frontonem. Eos igitur si æmulati fuerimus, proposito dubio haud difficile occurritur. Quia tamen monumentorũ eius temporis penuria, iactura forsan, in principalioribus etiam Ecclesiæ vniuersalis negotijs hallucinari cogit historicos omnes, vt vix aliquid pro comperto in eis habeatur, nisi quatenus circa illa eiusdem Ecclesiæ auctoritate aliquid constet esse decisum, idcirco etsi prudenter existimari possit nunquam in Prophetica Eliæ familia Præpositum

situm aliquem defuisse, cui veluti Duci Carmelæi morem gererent (quis enim Ordinem credat, nisi sub vno capite consistere?) velle tamen ad vnguem,& ad amussim abstrusissimi temporis in quo bellici tumultus, & persecutorum sæuitia grassabantur, historiam texere, Præfectos Ordini adnumerare, tempusue eorum electionis, aut regiminis describere, omnino difficile nobis videtur; vt proinde, cum de prædictis ageremus,rem sub ambiguitatis trutina reliquerimus, auctorum præfatorum pietatem commendantes,non tamen amplectentes. Alio ergo modo, vt pluribus arridet, eneruari potest dubij propositi difficultas. Asserendo quidem, ad antiquorum Anachoretarum Religiosum statum tuendum nullatenus necessarium fuisse illos sub alicuius obedientia vixisse, aut sua vota in ipsius manibus explicasse. Cum nec ratione status id sit necessarium, quia status solum petit firmitatem, quæ sine eo potest consistere; nec ratione status perfectionis, cum in hoc solum includatur quod sit in ordine ad exercendum actus perfectionis. Sic ferme egregius Theologus Suarez [a], Franciscus de S.Maria [b], & Alphonsus de S.Victore Benedictinus [c]. Alia via inceduntalij, ductore S.Thoma [d], dicentes quòd vt tales Anachoretæ veram Religiosorum rationem participare possent, ipsis sufficeret habuisse obedientiam *in præparatione animi*, supplente maximè diuina gratia, quod illis deficiebat, vt indicat idem Doctor Angelicus [e]: a quo non multum discedit Suarez [f], propterea dicens eos fuisse Religiosos solum apud Deum altiori ratione,& eminenter. Quia tamen hoc durum alijs videtur, ideo proprium votum emisisse non solum Deo, sed etiam Episcopis, & Ecclesiarum Prælatis, confitentur, fauente illis eodem Thoma [g]. Quod tamen Suarez relatus dubium, & incertum autumat, cum nihil tale in ipsorum historijs referatur.

5 Nobis verò in hoc Doctorum dissidio primò asserendum, Anachoretas præfatos nullatenus a verò statu Religionis exclusos fuisse. Primò quidem, quia propagines erant Apostolorum, vel eorum, qui discipuli Apostolorum erant, Apostoli autem veri Religiosi fuerunt, vt schola tenet. Secundò, quia Essenorum institutum sequebantur, vt in sequentibus ostendetur; Essenos autem post Christum, & Apostolos Religiosam vitam amplexatos fuisse, quæ diximus *in Appar.c.2. & to.1. sub ann.3545.* sufficienter ostendunt. Tertiò, quia ex cœnobijs transibant ad eremos, & ex cœnobitis Anachoretæ fiebant,vt docent D.Hieronymus [h], S.Isidorus [i], & D.Thomas [k], asserens ex D.Hieronymo illud: *De nido Monasteriorum huiusmodi volumus egredi milites, quos eremi rudimenta dura non terreant*,& alij quos sequitur Baronius [l], propterea dicens *Cœnobitas parere Anachoretas*, quia isti ex illis. Ex quo secundò dicendum, verius esse hos Anachoretas in alicuius hominis potestatem se per obedientiæ votum tradidisse. Id facilè elicitur ex eo quod Esseni instituti cultores, quos ipsi æmulabantur, simili voto, vel iuramento homini facto astrictos fuisse conspicitur ex ijs, qui de ipsorum ritibus scripserunt. Quos retulimus

a 3 to.de Relig. lib.2. c.4. n.4.
b in Apologia pro hist.Prophet p 2.S.2. n.12.
c in lib. cui titulus El Sol del Occidente prælud.6. c.1. n. 9. & sequent.
d 2.2.q.188.ar. 8.ad 3.
e eo ar 8. in corpore.
f to.4. de Relig. tract.9. l.1.c.2. n. 13.
g 2.2. q.186. ar.5.ad 3.
Solutio.
h in Epist. ad Eustochium 22
i lib.2. de offic. c.5.& l.7.Ethymolog.c.13.
k 2, 2. q. 188. ar.8.
l to.3.sub ann. Christ.328.

to. 1. sub eo anno 3545. n. 24. 35. & 36. Inter quos specialiter expendendos Porphyrius ibi adductus, dicit enim Essenorum iuramentum fuisse *Constantis, & integræ fidei erga Præsides*. Homini ergo obedientiæ vinculo se obligabant. Fauent dicta *in Apparat. c. 1.* Item, quòd, vt diximus, Anachoretæ isti ex Cœnobijs exibant probati moribus, Cœnobitas autem sub vno Cœnobiarcha vixisse, obedientiæ nexu ipsi ligatos quis abnuet? Adstat pro hac re, & testimonium relati Baronij dicentis Anachoretas *voluntate Patris omnium Præsidis agere solitariam vitam, vt tamen* (inquit) *vinculo quoque obedientiæ adstringantur*. Vtique Patri illi, seu Præsidi, non soli Deo. Vlterius tertio, vt rem claudamus, dicimus, quòd si de ipsorum aliquibus non constat tale obedientiæ votum alicui creato Superiori emisisse, vel ex opposito constet illud soli Deo factum, affirmandum, iuxta superius relatam doctrinam, eos nihilominus veros Religiosos appellari debuisse, vel ob obedientiam *in animi præparatione*, vt Angelicus Doctor dicebat, conceptam; vel eminentiori, & altiori ratione, ex speciali Spiritus Sancti instinctu, prout Suarez eidem Angelico Præceptori innixus autumat; vel propter generale votum Episcopis, & Ecclesiæ Prælatis nuncupatum, iuxta eiusdem S. Thomæ mentem relatam.

Annus Christi 143. & 144. Telesphori Pont. 2. & 3. Antonini Pij Imp. 4. & 5.

Antoninus nô valde Pius.

1 NOMINE solum, non autem reapse Antoninus Imperator hoc tempore Pium se ostendebat. Etsi enim indulgentissimus, ac clementissimus ab omnibus prædicaretur, & in Christianos etiam quodammodo talis esset, siquidem in ipsos vtpote insontes, ipso annuente, gladio non ageretur, nihilominus nouo alio persecutionis modo contra ipsos agebatur. Vt enim auitæ superstitioni Deorum paulatim deficienti prospiceret, Prophetarum, sicut & Sibyllarum libros, apposita pœna mortis in eos legentes, vetuit edicto. Iustinus [a], Baronius & Gordonus [b].

a *in Apolog. ad Antonin.*
b *sub ann. 143.*

De Essenis, & Therapeutis.

2 Hæc verò aliquid pro nostra historia afferunt. Cum enim Esseni, & Therapeutæ nostri Propheticorum librorum lectioni deditissimi essent, proculdubio impium hoc edictum Antonini ipsis odiosissimum esset; & multorum cladis forsan occasio, quos monumentorum iactura, & scriptorum illius æui paucitate cogimur ignorare. Esseni porrò instituti homines, Therapeutas vocatos, Prophetarum libris legendis incubuisse, sic habemus ex ipsorum Chronographo Philone [c] adumbratum: *In morali* (inquit) *se exercent sub pædotribus legibus patrijs, quas non potest concipere humanus animus absque afflatu numinis: has ediscunt, & alio tempore; sed præcipue recurrente die septimo, quem sacratum existimant, feriantúrque tunc ab omnibus alijs negotijs. Quoties sacras ædes, quas synagogas vocant, adeunt, pro ætatis ordine iuniores ad seniorum pedes considunt, & ad audiendum se*

c *in lib. quod omnis probus sit liber.*

com-

componunt, ibi alius ex libro prælegit, alius quispiam vnus è peritioribus accedens, quæ obscura sunt, explicat. Nam pleraque per figuras more veterum philosophorum eis sunt tradita. Adumbratur, vt diximus, ijs intentum nostrum. Sed clarius id habetur ex eiusdem Philonis [a], vbi de Essenis Theoreticis, seu contemplatiuis agens, hæc subdit: *Singuli autem habent sacras ædiculas, quæ semnea vocant, siue monasteria, vbi solitarij sanctæ vitæ mysterijs dant operam, nec cibi, potusue quidquam eò inferunt, aliumue vsum corporis, sed legem tantum, & Prophetarum oracula diuinitus prodita, hymnosque; & quædam alia pietati, scientiaque promouendæ vtilia.* Et infra: *Versantes enim sacra volumina dant operam Philosophiæ per manus acceptæ à maioribus, scrutando eius allegorias.* Adhuc infra: *Habent enim priscorum commentarios, qui huius sectæ auctores multa monumenta reliquerunt de allegorijs eiusmodi.* Idem prosequitur Iosephus [b], his verbis: *Summum autem studium veterum scriptis adhibent, ea maximè inde quæ animæ, & corpori expediant, eligentes.* Vnde tyrones iurare solitos dicit: *Conseruatum ire simul dogmatis sui libros.* Similia ex alijs auctoribus, qui velut riui ex fontibus de Essenis scripsere, quæ ex Philone, & Iosepho hauserunt, elici possunt.

a in lib. de vit. contemplat.

b de bello Iudaic. c.7. l.2.

3 Ad hunc annum Christi 143. affertur mirabilis vita, & passio S. Venerandæ Virginis, prout ex Martyrologijs, Menologijs, Breuiarijs, Kalendarijs, & varijs auctoribus nouissimè scribit Simon a Spiritu Sancto ex nostris PP. Discalceatis in libro typis Neapoli edito anno 1643. Nata est in Hieracensi Ciuitate, olim *Locron* a Græcis dicta, & in Calabriæ, seu magnę Græciæ Regno sita, ex Agathone, & Polita pijs parentibus, qui ex Galliarum partibus ad eam venerant Prouinciam. Contigit ipsius ortus in die Parasceues circa annum Christi 100. vnde idcirco *Parasceue* in Baptismi susceptione cognominari meruit, a Græcis præsertim, sicut a Latinis *Veneranda*, & modo a populo *Venera*, seu *Venerdia*. In infantia a genitoribus Deo oblata eximiæ sanctitatis futuræ specimen clarissimum præbuit; Diuinis namque charismatibus illustrata, oblationi de se factæ veluti annuens, Christo sponso, terreno sponsalitio reiecto, sociari, cum ad prouectam ætatem deuenit, ardenter cupiuit. Post parentum namque mortem, facultatibus in pia opera distributis, ad Sanctimonialium quarumdam Monasterium eius Prouinciæ monasticem professura se contulit, vbi per aliquod tempus in Religionis sacræ exercitijs mirabiliter, profecit. Annos iam nata triginta singulari a Deo inspirata lumine, quo iugiter impellebatur, dicere intra se cœpit: *Nisi tradidero corpus meum ita vt ardeam, non regnabo cum Christo in æternum.* Re ergo cum Abbatissa alijsque spiritualibus hominibus communicata, & difficultatibus, quæ tam arduum, & heroicum opus impedire poterant, superatis (Deo sanè sic volente, vt in exemplum monastici status viris professoribus fœmina virgo esset) relicto Monasterio; cruce Christi, quam cum sacris Biblijs secum gestabat, diuinitus armata, Euangelij prædicationem Hebræis, & Gentilibus primò in Græciæ partibus, Romæ deinde, hinc in alijs Prouincijs,

S. Veneranda Virgo.

Gal-

Gallia tandem, maximo cum fructu, infidelium conuersione, multis exanthlatis laboribus, patratisque prodigijs, mirabiliter aggressa est. Quanta passa sit incredibilia apparerent nisi grauium auctorum monumentis exarata consisterent. Ex quibus Petrus de Natalibus Equilinus Episcopus [a], narrat Romæ Præfecti mandato iussam esse *in terram extendi, & palmas, ac pedes lignis affigi, atque neruis crudis ventrem eius cædi, lapidem quoque magnum vix à quatuor viris delatum eius ventri superponi*. Deinde: *In lebetem aneum aqua, oleo, pice, ac sulphure bullientibus plenum immitti, & diebus septem desubter ignem iugiter ministrari*. In alia etiam ciuitate: *In lebetem aneum pice, & olio liquentibus plenum mittitur*. Subiungit tandem: *Hoc tandem videns Asclepius, Venerandam decollari præcepit, quæ ad passionem ducta dum pro cunctis se inuocantibus exorasset, audiuit vocem de cælo se fuisse in omnibus exauditam. Sicque conuersis ad Christum 990. viris, capite cæsa est*. Alia in præfato Simone stupenda comperi & lector, quæ vel per compendium a nobis indicari debuerunt, cum sancta hæc virgo in monachatu se eo tempore exercuerit, quo ante Religionum multiplicitatem, & diuisionem, vnicum dumtaxat in orbe monachale institutum vigebat, a Prophetis inchoatum, ab Apostolis edoctum, & ab Essenis ac Elianis propagatum; cuius alumna ipsa esset, ac perinde nostris Annalibus commemoranda.

a lib. 10. c. 61.

Ann. Chr. 145. 146. 147. 148. & 149. Telesphori Pont. 4. 5. 6. 7. & 8. Antonini Pij Imp. 6. 7. 8. 9. & 10.

Valentinus, & alij Hæretici.

1 GRAVABANT hoc tempore hæretici plures S. Matrem Ecclesiam, impijs dogmatibus eam infestare conantes. Vnus erat Valentinus natione Ægyptius, patria Phæbonites, qui cum ambitiosè Episcopatum quemdam desiderasset, spe frustratus, hæresiarchatum induit. Triginta deos finxit, sæcula, seu *æones* nominans, quindecim masculos, & quindecim fœminas, quorum permixtione Christum natum ex Virgine nihil accipiendo, sed per ipsam veluti per canalem cælesti carne indutum transeundo. Negauit etiam carnis resurrectionem omnibus generalem. Martyrium etiam pro Deo reprobauit. Homines bonis operibus non consequi posse salutem asseruit. Idolothyta indifferenter manducare, Ethnicorum obseruare festa, & carnis voluptatibus inseruire permisit. De his, & similibus phantasticis illusionibus Tertullianus, Theodoretus, Eusebius, Epiphanius, Clemens Alexandrinus, & alij, ac post ipsos Genebrardus, Baronius, Gualterius, Gordonus, & noui Chronologi sub hoc tempore. Alius fuit Cerdon, qui duos Deos introduxit, vnum bonum, & alterum sæuum; Prophetas, & legem repudiauit; Deo creatori renuntiauit; Christum in solo phantasmate credidit, & corporis resurrectionem refragatus est. Hæc ex Tertulliano [b]. Alius item fuit Marcion Cerdonis discipulus, de quo Epiphanius [c] hæc: *Hic*

b lib. de præscript. c. 51.
c hæres. 42.

Ponti-

Ponticus genere, ex vrbe Synope, qui prima vita sua virginitatem exercuit, solitarius enim vixit. Et infra: *Ad impostoris Cerdonis sectam confugit.* Vnde duos posuit sibi Deos contrarios, alterum bonum, alterum malum. Vetus testamentum respuit, carnis resurrectionem negauit, Matrimonium illicitum credidit, & alia portentosa docuit, de quibus relati Doctores.

2 Ne verò quis putet hæc hominum monstra aliquid, vel minimum cum Essenis nostris habuisse commercij, etiam si Marcion, vt Epiphanius dixit, virginitatem primò coluerit, & solitariam vitam duxerit, quæ duo Essenatum denotare videntur; ideo per antithesim Essenorum instituta ipsorum dogmatibus aduersantia opponemus. Primò enim Deorum pluralitatem ab istis iactatam auersatos Essenos fuisse compertum erit ijs, qui Philonem, Iosephum, & alios ipsorum Chronologos, religionem, pietatem, & fidem sinceram illorum describentes conspexerit. Deinde, cum Esseni studiosissimi fuerint legis, Prophetarum, & veteris testamenti, prout ex dictis *sub ann.* 143. liquescit, proculdubio & liquidum erit ab huiusmodi hæresiarcharum dogmate procul abfuisse. Præsertim, cum ex Iosepho [a] habeatur, eos *in magna veneratione post Deum* Moysem legis scriptorem habuisse. Abominatos deinde Deum illum malum, id est, malorum auctorem, quem isti hæretici somniabant, vel ex Philone [b] illis verbis; *Ad Deum auctorem bona omnia, malum verò nullum referunt,* elicitur. Carnis præterea resurrectionem illis odiosam non fuisse, sicut ijs, quos retulimus, illusoribus, ex Iosepho relato colligi potest. Martyrij præterea reprobatio a Valentino introducta contra Essenorum mentem proculdubio fuit, prout ex dictis de ipsorum constantia in præferendis tormentis pro Deo, & Religione *sub ann.* 105. ex Iosepho, & [c] ex Philone, & eodem Iosepho, constat. Similiter Valentino neganti bonis operibus hominem consequi posse salutem, veluti pro muro se opponebant Essæi, qui, prout ex eodem Iosepho elicitur, premium bonarum actionum, & prauarum supplicia post hanc vitam agnoscebant. Ad hæc, idolothyta manducare, & Ethnicorum festiuitates colere omnino ab Essenis alienum fuisse, ex eodem Iosepho, dum de constantia ipsorum in cruciatibus perferendis pro lege seruanda loquitur, colligi potest. Quomodo etiam carnis voluptatibus omnino renunciassent, in quo similiter Valentino aduersarij ostendebantur, dicta *to.1. sub ann.* 3545. *n.*20. demonstrant. Vbi etiam quòd non propterea Matrimonium reprobarent, quemadmodum Marcion faciebat.

Nihil cum Essenis commune habuerunt.

[a] *lib.2. de bello Iudaic. c.7.*

[b] *in lib. Quod omnis probus sit liber.*

[c] *sub ann. 105.*

Annus Christi 150. Telesphori Pont. 9. Antonini Pij Imper. 11.

1 HOC anno scribebat Iustinus Martyr suam primam ad Antoninum Pium Imperatorem, & Senatum Romanum Apologiam, prout ex ipso in eadem Apologia colligitur, siquidem numerat a Chri-

Iustini Apologia.

Christo nato vsque ad tempus, quo illam scribebat, centum quinquaginta annos. Præfixit autem ipsi hanc Christiani Philosophi dignam inscriptionem: *Imperatori Tito Ælio Hadriano Antonino Pio Augusto Cæsari, & Verissimo filio Philosopho, & Lucio Philosopho Lucij quidem Cæsaris natiuo, Pij autem adoptiuo filio, eruditionis amatoribus, sacroque Senatui, & populo Romano Vniuerso, pro his qui ex omnium hominum genere iniustè odijs iniquis, & violentæ vexationi sunt obnoxij, Iustinus Prisci Bacchij filius Flauiæ Neapoli Syriæ Palæstinæ ortus, ex illis vnus, hanc orationem, atque deprecationem conscripsi.* Quæ verò in ipsa nostræ historiæ colludentia sint, in propatulo ponimus.

Christianorum & Essenorum propria.

2 Et primò quidem illud: *Conditorem huius mundi colimus, minimè illum sanguine, & libationibus & incensis indigere asseuerantes, & precationis, gratiarumque actionis ratione in oblationibus, quas offerimus, omnibus, quantum facultatis nostræ est, laudamus.* Item illud: *De vita etiam post liminio extra corruptionem nobis reditura, propter eam, quæ in nobis est fidem, & persuasionem, vota & preces profundimus.* Deinde: *Permulti profectò sexus vtriusque & sexaginta, & septuaginta nati annos, qui à pueris disciplinam Christi sunt affectati, incorrupti, & cælibes perdurant. Et glorior me per omne genus hominum tales monstrare posse.* Dixerat autem prius Christum Seruatorem dixisse: *Sunt etiam qui se ipsos castrauerunt propter regnum Cælorum*; vtique ad denotandum hos *cælibes* ex his eunuchis spiritualibus fuisse. Hæc & alia, quæ etsi Christianorum communia videntur, specialiori tamen ratione Essenorum propria erant in hoc Dialogo Iustini reperiet Lector.

Monachi tempore isto.

a In quæstionibus. & responsionibus ad Orthodoxos quæst. 21.

3 Maximè verò hoc peruetusto tempore S. Iustini martyris monachos in Ecclesia Dei fuisse, ac Cælibes ex his, quæ idem Iustinus [a] scripsit facilè comperiet quisque: Quærit enim ibidem: *Si consilio vitæ castè degendæ adducti monachi, & cælibes, voluptates coniugales auersantur: quid ita in somnis per imaginationem, ea quæ præter ipsorum voluntatem sunt, patiuntur:* Respondet autem: *Quoniam qui Deo se dicarunt, peruigilem habent aduersarium, omnibus modis, pro virili sua, pijs reprehensionem, & probrum impingere machinantem: propterea quæ contra voluntatem suam sunt, per somnum patiuntur.* En iam studiose Lector, qualiter apud Iustinum monachi cælibes, & Deo dicati homines leguntur. Qui porro hi fuerint, si sciscitaris: proculdubio dicendum eos, quos Dionysius Areopagita *Therapeutas*, Philo, Iosephus, Porphyrius, Eusebius, & alij *Essenos* appellant, fuisse.

Athenagoras Philosophus.

3 Notet insuper studiosus Athenagoram Christianum philosophum Atheniensem in Apologia, vel legatione pro Christianis ad Imperatores Marcum Aurelium Antoninum, & Lucium Aurelium Commodum non multum post hoc tempus eadem, quæ Iustinus, fermè scripsisse sic: *Inuenias autem multos ex nostris in vtroque sexu, qui in cælibatu consenescant, quod in hoc statu Deo coniunctiores se futuros sperent. Quòd si virginum, & illorum qui eunuchi sunt, vita, Deo magis conciliat, concupiscentia verò & impurior*

cogita-

cogitatio abducitur; certè illa quæ cogitare non sustinemus, multò prius magisque ab ipso perpetremus facinore, cauebimus.

Ann. Christi 151. 152. & 153. Telesphori Pont. 10. 11 & 12. Antonini Pij Imp. 12. 13. & 14.

1 HI anni, vt Baronius notat, rerum Ecclesiasticarum notitia steriles sunt; ita vt solùm Consules Romanos, more sibi solito recenseat. Nobis autem gesta Telesphori Papæ (quem ex nostris Anachoretis vnum esse diximus supra) in quadam Epistola decretali ipsius *tom. 1. Concilior.* ex Pontificali Damasi Papæ recitata hîc apponenda. In ea porro septem integrarum hebdomadum ieiunium clericis indicit. Addit deinde etiam monachis ruminanda; *In omnibus discreta debet semper esse, & segregata vita, & conuersatio clericorum, & sæcularium Laicorum, & sicut hi amplius sunt applicati diuinis cultibus, & familiares dicuntur Domini Saluatoris, ita moribus, & conuersatione, atque sanctitate debent esse discreti.* Iubet etiam, vt in die Natiuitatis Domini noctu Missas celebrent, & in eis hymnum *Gloria in excelsis* decantent, alijs autem temporibus non nisi hora tertia. Clericos a iudicibus sæcularibus non corripiendos adiungit. Modum in iudicijs præscribit. Peccatorum vitia reprehendit, & iustorum præmia designat. Ecclesiastica historia.

2 Circa hanc Telesphori decretalem aliqua animaduersione digna occurrunt. Illud primò, quòd decretum hoc ieiunandi, seu a carne abstinendi per septem hebdomadas plenas ante pascha tantum clericos tangit, vt constat ex textu illis verbis: *Omnes Clerici in sortem Domini vocati à carne ieiunent*, & ex ratione a Papa denotata, scilicet: *Quia, sicut discreta esse debet vita Clericorum à Laicorum conuersatione, ita & in ieiunio fieri debet discretio.* Sicque obseruant Azor[a], & Barbosa[b], vbi verba Telesphori recitantur. Immeritò ergo Ciaconius[c], ieiunium hoc cunctis Christianis iniunctum esse dixit; vt propterea eius Addicionator solum pro Clericis impositum esse a Telesphoro fateatur. Accusant propterea Telesphorum Magdeburgenses[d], quòd tale præceptum Clericis imposuerit; sed ij Lutherano spiritu acti, cibo, & potui indulgentes Christianam abstinentiam odio habent. Spernendi ergo: & audiendus Bellarminus contra ipsos[e]. Secundò, illud contraria consuetudine abrogatum est, ita vt modò Clerici non teneantur ad ieiunium quadragesimale, nisi a feria quarta cinerum. Azor *supr.* Rodriguez[f], Barbosa *supr.* Hinc tertiò, pro omnibus tum Clericis, tum Laicis quadragesimale ieiunium ab ea quarta feria vsque ad Pascha ex Apostolorum traditione habetur, vt probat Baronius[g], ex D. Ignatio[h], Hieronymo[i], Leone[k], & alijs, quod etiam amplectuntur Azor[l] Medina[m], Nauarrus[n], Henriquez[o], cumplerisque. Quartò, prohibitionem illam celebrandi ante horam diei tertiam, licet alioquin conformis esset aliquarum Ecclesiarum vsui, prout ex Baronio *sub an. 154.* habe-

Notanda.

a to. 1. Instit. Moral l. 7. c. 23. q. 2 § cum ergo obijcitur.
b in collect. DD. super decretum dist. 4. c. statuimus.
c in Telesphoro.
d Centur. 2. c. 10. col. 212.
e lib. 4. de Rom. Pont. c. 5 § 4.
f to. 2. Quæst. Regular. q. 100. ar. 5.
g to. 2. sub anno 57.
h Epist. 8.
i ad Marcellā.
k serm 9. de Quadrages.
l supr. q. 1.
m in Tract. de ieiun. q. 2.
n in Man. c. 21. n. 22.
o in Summ. l. 7. c. 13. § 8.

habetur, quia tamen nec hic vſus erat vniuerſalis (eodem Baronio teſte) & iam eſt conſuetudine contraria ſublatus, niſi ſolùm pro Miſſis Conuentualibus, & ſolemnibus, vt inter alios annotat Suarez [a], ideo vacat his temporibus.

a to. 3. in 3 p. diſp. 80. ſect. 4. S. ſed quaris po- teſt.

Septem hebdomadæ.

3 Maximè verò, & propius ad noſtra, animaduertimus ſeptem hebdomadarum plenarum tam accuratam mentionem ante Paſchæ celebrationem a Teleſphoro factam non obſcurè indigitare id quod in ſuperioribus diximus, eum ſcilicet ex Anachoretis illis fuiſſe, qui Eſſenorum vitam æmulabantur. Etenim apud ipſos ſacerrimum hunc numerum, & feſtum illi ſubſequens extitiſſe ex Philone diſertiſſimo ipſorum rituum Scriptore [b], ſic habetur: *Hi numeros in primis obſeruando poſt ſeptem hebdomadas elapſas conuentus ſuos inſtaurant, venerati non ſolum ſimplicem ſeptenarium, ſed & vim eius multiplicem; caſtam enim ſciunt hebdomadam, & ſemper virginem. Is dies profeſtus eſt maximæ feſtiuitatis incidentis in numerum quinquagenarium ſanctiſſimum, & natura gratiſſimum, conſtantem ex vi rectangularis trianguli, quod eſt initium generationis rerum omnium.* Aliquali ergo ex Eſſena ſchola anſa arrepta, ſeptem plenas hebdomadas ante ſolemniſſimum Paſchæ profeſtum celebrari in Eccleſia voluit Teleſphorus. Adhæc, nocturna illa Sacri Natalitij feſtiuitas ab eodem commendata abſdubie etiam indicare videtur Eſſæorum inſtituta in ſuis nocturno tempore feſtiuitatibus celebrandis. De quo egimus non ſolum in *App. r. c. 2.* ſed & *ſub ann.* 100.

b in lib. de vita contemplat.

S. Frontonius.

4 Aſcribendus huic tempori, vt Elianis proprius S. Abbas Frontonius, de quo *ſub anno* 65. aliquid dictum, dum de alio eiuſdem nominis ageremus. Huius enim S. Abbatis hiſtoria hoc tempore contigit, prout ex *Vitis Patrum lib.* 1. in vita ipſius dicitur illis verbis: *Hæc ſub Antonino Imperatore geſta ſunt tertiodecimo anno Imperij eius.* Porrò ad Elianos hunc Patrem ſpectare, Palæonydorus, Caſſanate, & Emmanuel Romanus, & de exteris Laurentius Beyerlinck eo loco relati ſupponunt: ac manifeſtè colligitur ex eo quod tempeſtate iſta ante Paulum Eremitam, Annium, Hilarionem, & Baſilium nullum erat ſpeciale Monachorum inſtitutum, præter cõmune Eſſenum. in Ægypti partibus præſertim vigens; in quibus etiã Frontonius iſte florebat, prout ex ipſius hiſtoria loco relato ex *Vitis Patrum* habetur, dum in Prologo dicitur *Apud Nitriam* contigiſſe. Eſt namque Nitria Ægypti portio, ſeu Mons. Vnde Ioannes Bollandus [c], hunc Frontonium, alioſque Nitriotes eius ſocios ex Eſſæis fuiſſe confirmat. Sic ergo eo loco: *Igitur Frontonius, verus Dei ſeruus ſtudio Dei timoris de die in diem proficiens, publicam, communemque vitam perhorreſcens, auiam deſiderans ſolitudinem, conuocatis ad ſe fratribus, dixit (erant enim cum eo viri circiter ſeptuaginta) En quid nobis, & mundo damnabili, cuius operibus renunciare omni modo condecet, vt cæleſtem conſequamur vitam? Quapropter pergamus ad eremum, nihil nobiſcum ferentes, ad acquirendam cæleſtem gloriam, & ſuperiorem inueſtigemus ex virtutibus diſciplinam. His dictis, vniuerſi*

c in Actis Sanctor. pro die 17. Ianuarij in vit. S. Antonij §. 3. n. 12.

conſen-

consensere: deferentesque ad eremum secum parua olerum semina, & bis acutos, paruosque sarculos, vnde humum defoderent, profecti sunt, & venerunt ità in eremum. Subiungit Historicus, qualiter in Eremo omnes habitarent Deo seruientes; & quomodo tentati fratres cogitatione redeundi ad Vrbem, ob inopiam, & egestatem quam metuebant, a Frontonio consolationem, & a quodam diuite subsidium, & prouisionem, per camelos annona onustos, vrgente Angelo, qui diuiti eidem in somnis apparens id præceperat. Quod maximo miraculo peractum est; eo quod cameli illi, nullo ductore, ad ipsos in Eremo commorantes peruenerunt.

5 Ex hac porro historia, quam ad compendium breuitati consulentes redegimus, eliciet prudens lector, quòd ante Antonium, & Hilarionem Abbates, Cœnobia in Ægypto fuerint; cum ex illa habeatur huius Frontonij tempore Nitriæ in Ægypto Monasterium extitisse, ex quo ille cum Monachis ad Eremum perrexit; & ij ipsos pluribus annis præcesserint. Inferet etiam ante Paulum primum vocatum Eremitam fuisse quoque alios Eremi cultores Anachoretas, hunc videlicet Frontonium, & Sodales. Nomen præterea Abbatis, & fratrum, ibi reperiet. Vnde in Martyrologijs Romano, Vsuardi, & Adonis dicitur: *Alexandriæ S. Frontonij Abbatis, cuius vita sanctitate, & miraculis claruit.* Ita pro decima quarta die Aprilis. Addit Beda: *Qui septuaginta ferme pater extitit Monachorum.* Alia de ipsis sub anno 174 quo tempore obijsse creditur Frontonius.

Abbas, Monachi, & Monasterium hoc tempore.

Annus Christi 154. Hyginij Pontif. 1. Antonini Pij Imp. 15.

1 HVIC anno adscribitur gloriosum Martyrium S. Telesphori Papæ, de quo alia in præcedentibus. Martyrio autem sublatum fuisse tradunt Irenæus [a], liber *de Rom. Pontific.* Tertullianus [b], versibus illis non satis iuxta metricam artem compositis:

Telesphori Martyrium.

Post expleta sui, qui lustri tempora tradit
Telesphoro: excellens hic erat, martyrque fidelis.

Episcopus Equilinus [c], Baronius [d], Bellarminus [e], Ciaconius [f], & alij communiter. Martyrij causa hæc fuit ex Ciaconio: *Cumque in fide Christi prædicanda, & propaganda Ecclesia fidelium, ardentissimus esset, ferventi, à tumultuanti gentilium populo, & sacerdotibus Idolorum, quibus inuisus erat, captus, capitis abscissione gloriosissimè martyrium subijt.* Ex quo cessat dubitatio quæ potest alicui esse quomodo sub Pio Antonino Imperatore, qui edicto persecutionem in Christianos vetuerat, Telesphorus Martyrium passus creditur? Multis enim circa hoc prætermissis, quæ tangit Baronius [g], etsi Imperatoris edictum persecutionem in Ecclesiam prohibere potuerit, non ideo tamen sic facilem gentilium, Sacerdotum præsertim, tumultuantium malignitatem, prout non solum in Telesphoro, sed & in Sixto Papa,

[a] *lib.3.c.3.*
[b] *in Carm. contra Marcion.*
[c] *lib.2.c.46.*
[d] *sub hoc anno.*
[e] *lib.4.de Rom. Pont. c.8.§.4.*
[f] *in Telesphoro.*
[g] *in Martyrolog. die 5. Ianuar.*

Alexandro Episcopo, & alijs multis Chronologicæ Tabulæ Ecclesiasticæ ostendunt. Dies passionis communiter creditur quinta Ianuarij, vbi Martyrologia, Romanum, Bedæ, Vsuardi, & Adonis; liber *de Rom. Pontific.* Episcopus Equilinus, Baronius, Ciaconius, & alij. Qui etiam addunt sepultum fuisse in Vaticano iuxta corpus S. Petri, & *cum fratribus suis*, vt Equilinus inquit.

Hyginius Papa. 2 Successorem habuit Hyginium, alijs Hyginum, seu Iginium Græcum Atheniensem ex Philosopho, cuius Genealogia (inquit Episcopus Equilinus [a]) non inuenitur. Cleri suffragijs (ait Ciaconius) creatus, renuit tamen hoc concedere ipsius Additionator, cum neque ex Platina, ex quo Ciaconius ea quæ de hoc Pontifice dixit, hauserat, neque ex alio id habeatur. Illud certius, huius Papæ tempore totum pene Imperij Romani Orbem diuersis cladibus a Deo Sanctorum Martyrum æquissimo vindice, punitum fuisse. Fame videlicer, ruina, terræmotibus, incendijs, ac inundationibus, de quibus Iulius Capitolinus [b]. His ergo prodigijs perterritus Imperator Gentiles a Christianorum persecutione dato rescripto cohibuit. Quod referunt Eusebius [c], Baronius, & Gordonus [d].

a lib. 2. c. 64.
b in Antonino Pio.
c lib. 4. c. 12.
d sub hoc anno.

Annus Christi 155. 156. & 157. Hyginij Pont. 2. 3. & 4. Antonini Pij Imp. 16. 17. & 18.

Valentinus, & Cerdo Romã veniunt. 1 NIX aliud his tribus annis Pontificatus Hyginij historiæ Ecclesiasticæ produnt, nisi aduentum in Vrbem Valentini, & Cerdonis hæresiarcharum, de quibus in præcedentibus actũ. Id enim ex Irenæo [e], ac Tertulliano [f], communiter eliciunt noui Chronologi. Sine fructu tamen, cum Ecclesiæ Romanæ integritas similium hominum doctrinam palearum instar ventilauerit. Quia tamen de hoc Hyginio Papa legitur in libro *de Roman. Pontificib.* qui a Damaso Papa editus creditur: *Hic clerum composuit, & diuisit gradus*, quod ad creationem, seu institutionem Cardinalium aliqui referunt, ideo operæpretium videtur, vt de ipsorum Cardinalium origine aliquid dicamus, etsi quadantenus supra nostræ historiæ cursum.

e lib. 1. c. 4. & l. 1. c. 28.
f de præscript. c. 30 & in car. contra Marcion. l. 3, in fin.

Cardinalium vetustas. 2 Ergo Cardinalium munus a prima Ecclesię origine cum Pontificia Sede coniunctum initium habuit. Sic enim ex Eugenio Papa in litteris *Non mediocris*, quæ sunt *in to. 1. Bullarij* in hoc Pontifice *Bulla 15.* habetur illis verbis, *Officium tamen ipsum* (scilicet Cardinalium) *à B. Petro, eiusque successoribus institutum euidenter inuenies*. Et meritò sanè, cum vnus haud posset Pontifex molem, & pondus totius Ecclesiæ sustinere, quin in sortem ministerij nonnullos idoneos adscisceret. Exemplo sanè veteris legis, vbi id etiam seruatum, prout Innocentius III. ab Eugenio relatus disertè dixit. Tales fuerunt Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, & alij permulti Snmmorum Pontificum coadiutores, & Consiliarij. Euaristus Papa

.dein-

deinde titulos in Vrbe Presbyteris diuisit, qui tituli Cardinalium creduntur, vt optimè noster Vualdensis [a]. Hi porrò tituli nihil aliud erant, quam domus diuino cultui mancipatæ, in quibus Christiani synaxes agere consueuerant, prout ex Pij Papæ Epistolis habet Baronius [b]. Videtur autem tituli nomenclatura a rebus Fiscalibus, seu a Fisco vendicatis accepta, *l. si quando C. de bon. vacant. lib.* 11. Vnde quemadmodum tales res Imperatoribus consecrabantur a Fisco quibusdam velis, vel Imperatorum imaginibus, aut nominis ipsorum inscriptione, quæ tituli dicebantur, prout idem Baronius ex alijs confirmat, sic eodem testante, vexillum Crucis titulus erat quo tales domus Deo sacrabantur. Aliter explicat Ciaconius [c] hanc vocem *titulus*, dicens ea denotari redditus, vel prouentus ex villis, prædijs, fundis, aut agris a Christianis Ecclesiæ relictis ad ministrorum sustentationem: sicut communiter dicitur, aliquem ordinatum ad titulum beneficij, vel patrimonij, quia scilicet ordinatur ad titulum reddituum ex beneficio, vel patrimonio prouenientium. Sed prior explicatio Baronij, quã etiam sequitur Honufrius Panuinus *in interpretatione vocum obscurarum verbo Tituli*, immò & Additionator ipsius Ciaconij *supra* germanior est, saltem pro eo tẽpore, de quo loquimur. Ex ijs porro titulis erant, celebris ille *Equitij* dictus, de quo plura in sequentibus, quia in illo est Ecclesia S. Siluestri, & Martini Ordini nostro a multis temporibus concessa; Vestinæ; Pammachij; Lucinæ, Iulij, & Callisti; Damasi Papæ; Pastoris; Eudoxiæ; Æmilianę; Crescentianæ; Fasciolæ; Tygridæ, & alij. Ciaconius *supra*. Post Euaristi tempora Hyginius Pontifex, de quo in præsenti, *Clerum composuit, & gradus diuisit*, vt dictum est. Gradus autem ita distinxisse creditur, vt alij superiores, alij inferiores presbyteri, & diaconi haberentur, alij præessent, subessent alij; & quidam *Cardinarij*, seu *Cardinales*, cognomento Præsidum Asiæ honoris gratia illis adiecto, reliqui autem simplices Presbyteri, & Diaconi Ecclesiæ Romanæ, non *Cardinarij*, seu *Cardinales* dicerentur. Panuinus [d], Ciaconius [e]. Aliter rem explicat Bellarminus [f], dicens nomen *Cardinalis* primò impositum esse loco, scilicet quibusdam Ecclesijs principalibus, vbi baptisma conferebatur, quæ dicebantur Ecclesiæ, vel tituli Cardinales, ad differentiam aliorum locorum sacrorum minus principalium; & inde deriuatum ad personas, scilicet presbyteros, qui eas Ecclesias regebant, & vocabantur presbyteri Cardinales, immò aliquando diaconi Cardinales, quando illæ Ecclesiæ Diaconiæ dicebantur. Sed non est difficile hanc explicationem cum præcedenti concordare. Id certum, quod quantum ad veterum scripturas attinet, hoc nomen Cardinalium solum reperitur tempore S. Siluestri Papæ in quadam Synodo Romana, & post ipsum sub Gelasio Papa *ca. Presbyteri* 24. *dist.* & sub Gregorio *ca. relatio & sequentib. & ca. pastoralis* 7. *q.* 1. & sub Stephano IV. *in ca. oportebat cum sequentib. dist.* 79. ac sub Nicolao II. *in cap. in nomine Domini dist.* 22. Azor [g], Barbosa [h]. De ipsorum dignitate, priuilegijs, numero, & alijs ad ipsos spectantibus, plura auctores relati, & præter ipsos Aluarus Pelagius [i],

[a] *Doctrin. fid. l. 2. c. 54. n. 4.*

[b] *to. 2. sub ann. 182.*

[c] *de vit. Summ. Pont. in Hyginio Papa.*

[d] *in lib. de Cardinal. titulis.*

[e] *supra.*

[f] *to. 2. lib. 1. de Cleric. c. 16.*

[g] *to. 2. Instit. Moral. l. 4. c. 8. q. 4.*

[h] *de Iure Eccl. l. 1. c. 3. n. 6.*

[i] *lib. 2. de planct. Eccles. ar. 16.*

a in Summ. de potest. Eccles. q. 103.
b lib. 1. Summ. de Eccl. c. 81.
c in Tract. de præstant. Card.
d in Tract. de Cardinal.
Ptolemæus Astrologus.
e lib. 13. Antiq. Iudaic. c. 8.
f in lib. de vit. contemplat.

Augustinus Triumphus [a], Turrecremata [b], Barbatius [c], Martinus Laudensis [d], nosque aliqua *to. 3. Summæ quæst. Regular. verbo Cardinales*, & alia in sequentibus.

3 Propius aliqualiter ad nostram accedit historiam, quod de Ptolemæo Astrologo, hoc sub tempore, floruisse videlicet, refertur, vt habet Gordonus *sub ann. 155*. Cum enim ipse natione Ægyptius esset, & in ea Prouincia, præsertim Essenorum schola floreret, curiosiùs inuestigari potest, an illi huiusmodi Astronomiæ scientiæ studiosi essent, maximè sub tam celebri Ptolemæo Archimagistro. Et quidem, si ex Philone, & Iosepho, qui antiquiores vetustatis, & morum Essenorum testes sunt, ex quibus Eusebius, Cedrenus, & alij tanquam riui è fontibus sua hauserunt rem quæramus, vix aliquid pro hac parte habere possumus. Solum ex Iosepho [e], in medium produci potest illud: *Genus autem Essenorum omnia sub fato esse confirmat*, hoc enim fatum Astrorum ineuitabilem (vt Genethliatici loquuntur) impulsum denotare videtur. Illud etiam ex *2. lib. de bello c. 7.* deseruire: *Summum autem studium veterum scriptis adhibent, ea maximè inde, quæ animæ, & corpori expediant, eligentes*. Inter ista namque ea quæ ad Mathesim spectant, numerari quibunt. Ex Philone autem Iudæorum disertissimo, & Ægyptio natione, vt propterea Essenorum mores melius cognouerit, copiosiusque descripserit, potius contrarium elici potest. Loquens etenim de illis *in lib. Quod omnis probus sit liber*, sic ait: *Philosophiæ partem ratiocinatoriam* (Logicam, vel Rethoricam forsan intelligit) *vt parandæ virtuti non necessariam, relinquunt verborum captatoribus: eam verò quæ naturam scrutatur* (Physicam, vel Metaphysicam, Mathesim, seu Astrologiam intelligo) *disputatoribus, vt humano captu sublimiorem, nisi quatenus de Creatore mundi, & eius creatione differit. In sola morali se exercent sub padotribis legibus patrijs, quas non potest concipere humanus animus absque afflatu numinis*. Minimè ergo Astrologiæ placitis ob sydereorum motuum, secumque pugnantium varietatem, incertis, incumbebant Esseni, sed moralis Philosophiæ, aut Theosophiæ securioribus præceptis. Quod etiam indicat idem Philo [f], dum de eisdem agens solum *Philosophiæ per manus acceptæ à maioribus, scrutando eius allegorias* operam nauasse ostendit. Fatum autem a Iosepho nominatum, non sydereum motus, sed Dei voluntatem denotat, iuxta dicta *to. 1. sub ann. 3545. n. 49.* & indicat proximè relatus Philo *in lib. Quod omnis probus* illis: *Ad Deum auctorem bona omnia, malum verò nullum referunt*. Alia præterea ex Iosepho relata nihil faciunt ad intentum, cum æquè & melius iuxta citata ex Philone exponantur. Maneat ergo ad intentum nostrum, nihil cum Ptolemæo, alijsque Mathesis professoribus commune habuisse pios Essæos.

Annus

Annus Christi 158. Pij Pont. 1. Antonini Pij Imper. 19.

1 HVIC anno ascribitur mors, & Martyrium Sancti Pontificis Hyginij, pro vndecima die Ianuarij, prout ex Romano Martyrologio, Adone, & alijs habetur; licet Beda pridie huius diei de eo mentionem faciat. Successorem habuit Pium, testibus Hegesippo apud Eusebium [a], Irinæo *lib.3.c.3.* & 4. Tertulliano [b], Eusebio [c], Epiphanio [d], Nicephoro Constantinopolit. [e] Nicephoro Callisto [f], quos Baronius, & iuniores amplectuntur: refragantibus Optato Mileuit. [g] D.Augustino [h], & D. Hieronym. [i], & priorem locum tribuentibus Aniceto.

Hyginij martyrium.

a lib.4. c.21.
b contra Marcion.lib.3. Car. in fin.
c in Chron. & hist.l.4.c.10.
d hæres.27.
e in Chron.
f lib.3.c.25.
g contra Parmen.lib.2.
h Epist 165.
i de Scriptor. Eccles.

2 Extat huius Pontificis decretum circa Virginum, vel Sanctimonialium consecrationem *to.1. Concil.inter Decreta ipsius*, quod refertur *Can. Virgines non velentur 20. q* 1. his verbis: *Virgines non velentur ante vigintiquinque annos ætatis, nisi fortè necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis. Et non sunt consecrandæ, nisi in Epiphania, & in Albis Paschæ, & in Apostolorum Natalitijs, nisi causa mortis vrgente.* Hauriat hinc lector, qualiter Sanctimoniales, Moniales, seu Virgines Deo dicatæ, quæ omnes Elianum, Propheticum, & Essenum sapiebant institutum, suam antiquitatem contra heterodoxos Nouatores comprobare possint ex hoc Pij Papæ decreto.

Virginum, seu Monialium consecratio.

Annus Christi 159.160.161.162.163.164.165.& 166. Pij I. Pont. 2.3.4.5.6.7.8. & 9. Antonini Pij Imp. 20.21.22. & 23. & Marci Aurelij Antonini, ac Lucij Ælij Veri Imp. 1.2.3.& 4.

1 SILENT ferme hoc tempore Ecclesiasticæ historiæ, & eorum Scriptores, & Annalistæ, vix præter prophana, ac mortem Pij Antonini cum successione Marci Aurelij, & Lucij Ælij Veri, qui etiam Antonini cognomen acceperunt circa annum Christi 163. suis Chronologijs inserunt, paucis dumtaxat notatis. Metaphrastes autē, & ex illo Laurentius Surius [k], gesta referunt S Abertij, seu Albertij Hierapolitani Episcopi, illius sæculi gemmæ, & Episcoporum gloriæ: in quibus non solum huius temporis historia tangitur, sed & virtutes, quibus Ecclesiarum Præsules fulgere debent: scilicet animarum zelus, deuotio, libertas, & fortitudo in prædicando, & docendo, maxime illucescunt. Religiosorum sanè digna historia, cum ex ipsa habeatur ipsum pecuniæ contemptorem fuisse, victus parsimoniam sectatum, ieiunia, & nocturnas vigilias simul cum fratribus frequentasse, hymnorum canoras laudes exercuisse, ac ad orationis exercitium genuflexiones

Historię Ecclesiasticæ.

k to.5. sub die 22. Octob.

adhibuiſſe. Ex quo illud cogitandum ſurrepit, vt aliquid commune cum Eſſenorum Apoſtolicorum Licæo, quod eo tempore frequens erat, habuiſſe exiſtimari poſſit. Rem tamen in tenebris poſitam ſapientiorum iudicio relinquendam cenſemus.

Iuſtini Apologia. 2 Scribebat eo tempore Iuſtinus Martyr aliam pro Chriſtianis apologiam, non ad Senatum Romanum tantùm, vt inſcriptio præfert, ſed reuerà, & ad ipſos Imperatores *Diuos fratres* cognominatos, Marcum Aurelium, & Lucium Verum, prout ex Euſebio demonſtrat Baronius *ſub anno* 164. quem ſectantur alij. Scribendi cauſa ea videtur fuiſſe, quod cum per Creſcentem Cynicum, & alios ſimilis farinæ Chriſtiani nominis iuratos hoſtes Chriſti familia impeteretur, varijſque vrgeretur calumnijs, oportuit, vt ſancti viri, inter quos Iuſtinus cenſebatur, manus cum aduerſarijs conſererent, & apud eos, qui iura reddebant, Chriſtiani defenderentur.

Annus Chriſti 167.168.169. Aniceti Pont. 1.2.3. Marc. Aurel. & Lucij Veri Imp 5.6.7.

Hiſtoria huius temporis. 1 HVIVS temporis hiſtoria, quoad Eccleſiaſtica ſpectat, Martyrium affert S. Pij Papæ, & ſucceſſionem in Petri Cathedram Aniceti Syri, teſtantibus Irenæo, Tertulliano, Epiphanio, & Nicephoro, ac iuniorum cohorte. Affert quoque plurium hæreticorum turbam, Romæ ſaltem apparentium; inter quos Marcio Ponticus, Marcellina Gnoſtica, Hermogenes hæreſiarcha Manichæorum, & Sabellianorum origo, Montanus, & Montaniſtæ, qui & Cataphryges dicti ſunt, & pſeudoprophetiſſæ Priſcilla & Maximilla, recenſentur. De quorum erroribus Genebrardus Baronius Gordonus, & Gualterius poſt plures.

Pſeudoprophetæ. 2 Specialiter, nec omnino extra rem noſtram, qui Prophetici, & Prophetarum Ordinis hiſtoriam teximus, obſeruandum, Montanum, & Socias Priſcillam, ſeu Priſcam, & Maximillam, vt ſe inſtar veterum Prophetarum eiuſdem Inſtituti cultorum, ac Prophetiſſarum, ſeu Prophetidum quæ pari greſſu Propheticam ducebant vitam, oſtenderent, compoſita larua, callidiſſimaque verſutia eodem Spiritu Prophetico ſe potiri affirmaſſe. Etenim de Montano ait *in Epiſt. ad Marcellam* D. Hieronymus: *Prophetam profiteri cepit*. Euſebius autem [a] hæc; *Montanus, & Alcibiades, & Theodotus in Phrygiæ partibus tunc primum apud quamplurimos in Prophetarum opinionem venerunt*. Deinde c. 17. fœminas illas vocat *Primas Montani Prophetiſſas*. Quamuis autem huius Propheticæ diſciplinæ plura ſigna, pietatis ſcilicet ſpeciem præſeferentia verſutiſſimè oſtentarent, vepore qui Scripturas omnes tum veteris, tum noui teſtamenti reciperent, de Patre, Filio, & Spiritu Sancto idem ſentire viderentur, quod Catholici; diſciplinam inſuper Eccleſiaſticam ſe arctiſſimè ſeruare profiterentur; ieiunia, martyria, & cuncta alia, quæ in pretio ſunt in Dei Eccleſia, excolere dili-

[a] lib. 5. c. 3.

diligenter apparerent, vt propterea acerrimi Christiani nominis propugnatores, eorum etiam defensores fraude pellecti extiterint, vt vel in vno Tertulliano conspicitur; nihilominus, si errores, quos vulgabant introspiciamus, liquido cernemus longissimè a Propheticæ disciplinæ puritate abfuisse. Etenim primò, vt omittamus Montanum asseuerasse se esse Paracletum illum, quem Christus promiserat se daturum Apostolis, ac proinde Apostolos Paracletum non recepisse; immò se esse Deum Patrem, vt ait Epiphanius [a], aliaque absurda circa Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Matrimonij, de quibus idem Epiphanius, Philiastrus, Theodoretus, Guido Carmelita, Castrus, & alij Hæreseon mastiges. Vna ex Prophetissis prædicabat animam nostram esse corpoream, vt ipse Tertullianus [b] fatetur; quod tamen Propheticum institutum omnino respuebat, vt in ipsius prole Essenorum schola conspicitur. Ipsos namque animos nostros immortales esse existimasse non semel dictum est a nobis in præcedentibus, specialiter *to.* 1. *sub anno* 3891. *n.* 12. *&* 13. ex Iosepho [c], inibi relato. Deinde Montanistæ ad exaltandum meliùs suum prætensum Prophetam Montanum, suasque Prophetissas; veros, antiquosque Prophetas deprimebant, possessos a Dæmone, & ea de quibus loquebantur, minime intellexisse causantes, in quo etiam prorsus dissimiles veris Prophetici chori alumnis cernuntur. Esseni namque eorum progenies Prophetas antiquos religiosè suscipiebant, reuerebantur, & æmulabantur, prout ex Philone, Nicephoro, Cedreno, & alijs ostendimus eo 1. *to. sub anno* 3545. *n.* 41. maximè ex Porphyrio illis verbis ibi relatis: *A pueritia cùm sacris litteris, tùm varijs illustrationibus, Prophetarumque dictis assiduè, atque diligenter informantur*. Alia etiam de hoc in superioribus tacta. Præterea pecuniæ, ac lucro deditos fuisse ex Apollonio antiquo Scriptore, ac Eusebio [d], & alijs posterioribus habetur; in quo similiter aduersarios fuisse Essenorum moribus clarè demonstratur. Hi etenim, vt Iosephus [e] inquit: *Diuitiarum contemptores sunt*. De quo etiam *sub eo anno* 3545. *n.* 21. alia dixi; præsertim *n.* 22. ex Porphyrio illud: *Diuitias aspernantur*. Ad hæc si vt Apollonius citatus dicebat, istorum Prophetarum, & Prophetidum mores carpens: *Dicite mihi vos, ô Prophetissæ, vultus prophetantis candoribus, & ruboribus aliquando fucatur? Prophetissa stibijs tingitur? Prophetissa ornamentis vtitur, & ornatibus delectatur? Deinde Propheta ad tabulam, & ad tesseram ludit? Propheta pecuniam suam ad vsuram dat? Dicant, si licet hec facere Prophetis; ego autem vniuersa hec eis probabo*. Si hæc, inquam, istorum flagitia vera sunt, quid commune cum Sanctissimis Dei Prophetis, aut Prophetissis commercij habere poterant? In quo similes esse, qui sic moribus discrepabant? Alia quoque in præcedentibus, ex quibus vel simul iunctis luce lucidiùs agnoscitur toto Cælo diuersos fuisse hos pseudoprophetas, & prophetides Montani asseclas ab Essenis Propheticum institutum obseruantibus, vt propterea merito S. Serapio Antiochenus Antistes verus Prophetici eiusdem instituti cultor, vt infra *sub*

anno

[a] *hæres.* 48.

[b] *de anima c.* 9.

[c] *lib.* 7. *de Bello Iudaic. c.* 2. *&* 18.

[d] *lib.* 5. *histor. c.* 17. *vel* 18.

[e] 2. *de bello c.* 7.

anno 189. dicetur, contra huiusmodi simias scriptis suis insurrexerit. Rectè ad intentum, & pro instructione Religiosorum Apollonius relatus: *Non tibi videtur quòd omnis scriptura prohibet Prophetam munera accipere, vel pecunias? Si ergo videam Prophetem accepisse aurum, & argentum, & vestes pretiosas, quomodo eum Prophetem esse putem?* Rectè quoque ibidem de isto nouiter adinuento Paracleto Montano inquit, etiam ad intentum: *Exactores pecuniæ statuit, qui sub nomine oblationum munera artificiosius accepit, qui salaria præstat prædicantibus verbum suum, vt per hæc inuitati enixiùs doctrinæ eius operam præbeant*. Ne verò malignans aliquis spiritus hæc etiam in Ecclesiasticas, & Regulares personas retundi credat, in quibus quadantenus similia conspiciuntur, animaduertat, aliud esse quod turpis lucri, auaritiæ, & falsæ doctrinæ seminandæ causa sit, vt ab istis Montani alumnis fieri credebatur; aliud verò quod honestæ sustentationis, pietatis, aut eleemosynæ gratia iure permittitur ad veræ fidei propagationem; prout in Ecclesiæ ministris cernitur.

Cauendum à fœminis. 3 Illud tamen ex istarum Prophetissarum historia pro potiori cautela cunctis Religiosi nominis sectatoribus ob oculos statuendum, sibi videlicet cauendũ ab huiusccmodi Prophetidum more afflatis numine falsò mulierculis; cum plus æquo experientia compertum sit, suis figmentis plures ac grauissimos viros dementasse quam sæpe. In quo lachrymandus celebris huius æui Auctor Tertullianus, qui harum Prophetissarum oraculis nimis credulus in barathrum Montanismi, cuius errores impugnauerat, miserrimè impegit, eo quod, vt ipse [a] inquit: *Est hodie soror apud nos reuelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica solemnia per ecstasim in Spiritu patitur, conuersatur cum Angelis, aliquando cum Domino, & videt, & audit Sacramenta, & quorumdam corda dignoscit, & medicinas desiderantibus submittit*. En quam ob causam, qui aliàs prudentissimus, & eruditissimus videbatur, adeo vt S. Cyprianus nullam absque Tertulliani lectione diem præteriret, suoque notario frequenter de Tertulliano diceret: *Da magistrum*, Montanum Paracletum, fœminas ipsius asseclas Prophetides, & mille alia portenta credidit, de quibus Pamelius [b], post vetustiores alios. Cauendum etiam sæpius ab illis, qui harum fœminarum spiritualem curam gerere se profitentur, quos *Confessores* vocat Baronius *sub anno* 173. ex Eusebio, & Apollonio relato, cum tamen Apollonius non eos *Confessores* appellet, sed de vno ipsorum *Themiso* nuncupato dicat: *Nomine tantum confessionis inflatus est*; si vt iste Themisus erat, pecuniæ cupidi, & superbia elati fuerint, sic enim reperti, nec ipsi, nec ipsorum spirituales filiæ fidem merentur. Fœminis tamen Ecclesiæ calculo in Sanctorum numerum Canonizationis, vel Beatificationis solemnitate receptis, quales sunt Hildegardis, Getrudis, Birgitta, Catharina Senensis, Theresia, Magdalena de Pazzis, & similibus, sine periculo credimus.

[a] in lib. de anima c. 9.

[b] in Paradoxis Tertulliani c. 3

Meliro Sardensis. 4 Circa hoc tempus Melito Sardensis Episcopus Asiæ, Apologeticum obtulit Imperatori pro Christianis, quod etiam fecit Apollinaris

Hie-

Hierapolitanus Antistes similem Apologiam, eademque de causa scribens. Sic enim ex Eusebio [a], afferunt Baronius, Gordonus, & alij, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis sermonem instituunt. Hunc porrò Melitonem aliquam cum Ordine Prophetico affinitatem habuisse suspicari possumus non solum ex eo quòd, vt D. Hieronymus [b], refert ex Tertulliano, a plerisque *Propheta* putatus est, quo nomine eius Ordinis cultores insigniri soliti erant, vt sæpius diximus; sed etiam quia in fragmentis operum ipsius, quæ apud relatum Eusebium [c] cernuntur, Sodales, quos defendit vocat *Pios*, quo titulo eius instituti asseclas cognominari solitos diximus *to.1. sub ann.3912.n.4. & 4034.n.4.* & *Religiosos*, quod minus ab intento abhorret, institutumque *Philosophiam*, quod cognomen etiam familiarissimum illis fuisse *in Apparat.c.4 n.12.* ostendimus. Valeant ergo hæc in re antiquissima, vt probabiles coniecturæ.

5 Ex gestis etiam S. Aniceti Papæ hoc tempore regnantis, & epistola quadam ipsius ad Galliæ Episcopos aliqua pro monasticæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ instructione elicere possumus, cuius verba *in ca. Prohibete 23. dist.* sunt: *Prohibete fratres per vniuersas Regionum vestrarum Ecclesias, vt Clerici, iuxta Apostolum, comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant.* Hinc quoque Regulares omnes, qui verè clerici, & de sorte Domini sunt, clericales coronas auspicari potuerūt, sicut ex D. Hieronymo ad quendam leuitam scribente huius vsus mysticam causam, his verbis in *ca. duo sunt 12.q.1.* relatis elicitur: *Hi namq; sunt Reges, id est se & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent, & hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione Rom. Ecclesiæ in signum Regni, quod in Christo expectatur. Rasio verò capitis est temporalium omnium depositio. Illi enim victu, & vestitu contenti nullam inter se proprietatem habentes debent habere omnia communia.* Non tamen negandum quin ante Anicetum in Ecclesia viguerit, ad imitationem Christi spineam coronam in capite gestantis, & S Petri in ipsius memoriam id facientis. De quo S. Isidorus [d], Beda [e], Durandus [f], Polydorus Virgilius [g], & post plures alios Barbosa [h]. Alia de hoc vsu Baronius [i], Spondanus *ibi*, & Ioannes Baptista Cassalius [k]. An cœperit in veteri lege, sub Eliseo præsertim caluo cognominato, diximus *to.1. sub ann.3139.n.17.* Quod Monachorum tonsura diuersa futura sit ab ea quæ est Clericorum probat Coriolanus [l], ex Canone Nicæno, Socrate, & alijs. Pro pœnis quoque Clerici (dic etiam Monachi) comam nutrientis consule Illescas [m], Menochium [n], Carolum de Grassis [o], Bellet. [p] Duaren. [q] & Aluarum Pelagium [r]. Quod in præsenti omittendum non fuit, vt, si, quod absit, contingeret, Monachos in hunc abusum nutriendi comas impegisse.

a lib.4.c.14.& 15.
b in Catal.Scriptor.
c c.24.

Aniceti decreta.

d lib 2. de offic. cap 4.
e in lib 5. hist. Anglor, c.22.
f in Ration diuin.offic.l.2.c.8
g de Inuent. rer.l 4. c.8.
h de Offic.& potest Episc p.2. Al eg.9 n 30.
i sub anno Christi 58
k in lib. de veter.sacr.Christian ritib.c.49 & 10.
l in Breuiario Chronolo. sub anno 167.
m in Chronic. Pontif.p.1.lib.2 c 7. & 14.
n de arbitr.casu 392 n.25.
o de effectib. Cler eff. 37.
p disquisit.Cler p.1 tit.de discip Cleric §.17.n. 13.cum seq.
q lib.1. de sacr. Eccles. ministr. c.14. ver. specialiter.
r de planct.Eccles.l.2.c.14.

Annus

Annus Christi 170. 171. 172. & 173. Aniceti Pont. 4. 5. 6. & 7. Marci Aurelij, & Lucij Veri Imperat. 8. 9. & solius Aurelij 10. & 11.

S. Helenus ex Essenis. — a *lib. 2. c. 3.* — b *lib. 7. c. 22.* — c *in Menolog. in vit. S. Dion. Pap.* — d *in Paradis. Carmel. stat. 2. etat. 3. c. 31.* — e *sub ann. 188.* — f *in Theatr. vit. hum. l. 16. to 6. verb. Religiosus Religio dum de Ord. Carmel.*

1 CIRCA hoc tempus, annum videlicet 170. vel circiter, clarissimus inter Monachos Essenos erat S. Helenus, vt Palæonydorus noster [a] notat. Inter Essenos porrò, seu etiam Elisenos numerandum non solùm ipse Palæonydorus, sed & Coria [b], Petrus Sarracenus [c], Cassanate [d], & alij tenent. Quibus maximè fauet Baronius dum [e] inquit hunc Helenum fuisse illum, qui S. Eugeniam in Monasterio recepit, quod Monachorum Essenorum erat (prout idem Baronius *ibidem* testatur.) Etenim in vita eiusdem S. Eugeniæ, quæ in *lib. 1. vit. Patr.* habetur, & *in lib. 2. c. 11.* clarè notatur Helenum fuisse eiusdem Monasterij alumnum, Monachum, & patrem, vt ex dicendis constabit. Et ita inter nostri Ordinis Diuos eum refert Laurentius Beyerlinck [f]. De ipso ergo in eo *lib. 1. vit. Patr. in vit. S. Eugeniæ c. 5.* dicitur, quòd *dum infantulus in Monasterio cresceret tanta sanctitatis virtutibus augebatur, vt si quando missus fuisset ignem è vicino petere, ardentes prunas vestimento deferret illæso.* Et *cap. 6.* de eo habetur: *Dum appropinquasset Monasterio, ad quod pergebat, ecce & illi* (scilicet Monachi) *egrediuntur obuiam Patri* (Heleno) *hymnum Deo dicentes.* At verò relato *lib. 2. c. 11.* similia dictis de prunis ardentibus illæso vestimento ad Monasterium delatis, & alia quæ ipsi dum adolescens esset (vt videtur) in eodem contigere Monasterio, sic referuntur: prout etiam apud Palladium [g] in libro, qui *Historia Lausiaca* nuncupatur. *Hic à pueritia in seruitio Domini, cum omni continentia, & castissimis institutionibus enutritus, ad summa merita peruenerat. Denique, cùm adhuc puer esset in Monasterio, si necessarius fuisset ignis, vt è vicino peteretur, ardentes prunas vestimento ferebat illæso. Quod admirantes omnes, qui aderant fratres, studium animi, vitæque eius ac meriti imitari cupiebant.* Subiungitur etiam ibidem, qualiter, superatis nonnullis tentationibus gulæ per ieiunia, & abstinentiam, meruerit postea Angelicis dapibus refici, postulata à Domino impetrare, coruscare miraculis, occulta cordium agnoscere, & miranda alia facere, quæ Deus Opt. Max. Sanctis Religiosis concedere solet.

g *in vit. Patr. lib. 8.*

Quis hic Helenus. — h *in annotation ad lib. vit. Patr. in vit. S. Eugeniæ n. 8.* — i *2. p. tit. 15. c. 10. §. 2.* — k *lib. 4. c. 59.*

2 Hunc Helenum, de quo *in lib. 1. vit. Patr.* & Ruffinus hoc loco locuti sunt, eundem fuisse, habet Heribertus Rosvvedius [h], ita vt Ruffinus illud de prunis ardentibus inusto vestimento delatis ex D. Hieronymo mutuasse videatur, prout etiam Palladius, qui eandem historiolam (vt Heribertus loquitur) de Hellene refert. De ipso etiam D. Antoninus [i], Episcopus Equilinus [k], & nos pluscula in sequentibus. Hìc solum animaduertendum titulum *hominis Dei*, quo in historia relata nuncupatur, confirmare id quod de ipso diximus, scilicet Essenatum seu Elianorum Prophe-

ticum

ticum Ordinem professum fuisse; siquidem vox ista *homo Dei*, seu *Vir Dei* talis professionis hominem denotat, vt latius diximus *to. 1.* præsertim *in Appar. c. 7. n. 5.* ex 1. *Reg. 9 & 3. Reg. 12. & 13. & 17. & 4. Reg. 1. & 4 ac 2. Paralipomen. 25.* Idem infertur ex illa vestium vilitate, de qua ibi est sermo; ea namque Essenorum veluti propria tessera fuit, iuxta dicta *supra in Apparat. c. 2.*

Annus Christi 174. S. Aniceti Pontif. 8. Marci Aurelij Imp. 12.

1 HVIVS anni historia id profert, quòd Tatianus vir alioquin qui antea Romæ conspicuus habebatur, qui & Iustinum Martyrem Magistrum adeptus est, Roma in Orientem digressus hæreticus agnoscitur, & Valentini, ac Marcionis hæresiarcharum sectator. Contra quem Musanus, Apollinaris, Origenes, & alij post ipsos scripserunt. Gordonus *sub hoc ann.* Historia huius anni.

2 De nostra porrò historia mors referenda occurrit S. Frontonij, de quo *sub ann. 65. & 151.* aliquid diximus. Vt enim Rosvveidus [a] notat, ad hunc annum ipsam aliqui referunt, circiter vigesimum secundum ab eo quo cum suis Monachis eremum perrexit, prout colligitur ex *Vita ipsius*, in qua talis secessus videtur dici contigisse tertiodecimo anno Imperij Antonini. Mortuus videtur in ipso monte Nitriæ, prout ex eadem Vita elicitur. Nec moueat quemquam, quòd in Martyrologio Romano, cui similia in Beda, Vsuardo, Adone, & alijs, sic dicatur: *Alexandriæ S. Frontonis Abbatis, cuius vita sanctitate, & miraculis claruit*, potuit enim Alexandriæ hic Sanctus poni, vel quia ibi, oriundus, vel ibi forsan Abbas, & Monasterium, a quo in eremum cum Monachis perrexit, & ad quod tentati volebant redire, dum dicebant: *Habitemus in Ciuitate.* Fortè etiam id dictum propter indistantiam Nitriæ ab Alexandria; vel melius quia hic Frontonius ex Essenis erat, qui præcipuam coloniam Alexandriæ habebant, prout ex Philone, & alijs clarè colligitur. Id certum, miraculis claruisse, prout in loco relato Martyrologij Romani, & alijs cernitur. Quibus addit Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus [b] (licet hunc Frontonium cum alio Petragoricensi Antistite confundat, iuxta dicta *sub anno 65.*) illum diuitem, qui ad ipsum misit camelos illos annona refertos, sicut in vita ipsius refertur, vocatum fuisse Squirium, & ex Christianorum persecutore fidelem factum ab eo baptismi lauacrum suscepisse, eique in eremo Gregorium appellatum de cætero ministrasse, eo miraculo commotum quòd cameli ad Frontonium missi salui sine duce redijssent.

Quoad nostra.

[a] in Vit. Patr. l. 1. in annotationib. ad Frontonij vitam.

[b] in Catal. Sanctor. l. 9. c. 109.

3 Spectare etiam ad nostram historiam videtur, quod de Monachis Frontonij discipulis, qui proculdubio eiusdem Esseni Instituti cum Magistro erant, refert Franciscus Biuarius [c], videlicet Squirium illum, de quo supra, diuitem, & Præfectum ipsos Martyrio affecisse, quod etiam in-

Monachi Frontonij discipuli.

[c] in Comment. 2. in Flauij Lucij Dextri Chronicon ad ann. Christ. 66.

inquit credi posse de eodem Frontonio, idque ex Equilino relato refert. Sed nec Equilinus aliquid ad intentum habet, nec Frontonius, de quo in præsenti, Martyrium passus est, maximè ab hoc Squirio, cum potius, ipso Equilino teste, eidem in Eremo post conuersionem ministrauerit. Forsan hæc de alio Frontonio Petragoricensi, cum quo nostrum confundunt plures, hæc vera essent, sicut & ea quæ de Frontonio Flauius Dexter loco relato scribit.

Annus Christi 175. S. Soteris Pontif. 1. Marci Aurelij Imp. 13.

S. Aniceti martyrium. 1 AD hunc annum pro 17. die Aprilis refertur Martyrium S. Aniceti Papæ a Baronio, Gordono, & Baronianis alijs; licet ex opinione Eusebij, Onuphrij, Morales, & aliorum, maximè vero
a in Chron. Lucij Flauij Dextri [a], ante aliquot annos id contigerit; siquidem eius successor Soter eo tempore Papatum gessisse credunt. Præsertim huic posteriori sententiæ fauet, quod in Martyrologio Romano ea die 17. Aprilis dicatur: *Romæ S. Aniceti Papæ, & Martyris, qui in persecutione M. Aurelij Antonini, & Lucij Veri Martyrij palmam accepit;* etenim Lucius Verus iam ab aliquot annis obierat. Sed ne in hoc immoremur, credamus Baronio, & sequacibus, qui sub hoc anno Aniceti Martyrium, & Soteris Pontificatus initium referunt.

Marcus hæresiarcha. 2 Pariter etiam cum eodem Baronio agendum de Marco hæresiarcha Valentini discipulo, eò quòd veluti Montani Prophetissę, de quibus in superioribus dictum, Propheticum institutum quasi ęmulando prophetare, & instituere insigni impostura conabatur. Fuit hic homo natione
b in c.64. Isaiæ. Ægyptius, prout D. Hieronymus [b] refert, vt propterea Essenorum in illis partibus piè degentium simia forsan apparere desideraret, viros, & fœminas asseclas ambiendo. Quomodo autem id tentaret, ex S. Irenęo ipsi coæ-
c lib. 1. contra hæres. c. 9. uo, qui huius diabolici hominis imposturas viuis coloribus delineauit [c], sic habemus: *Datur intelligi eum, & dæmonem quendam paredrum habere, per quem ipse quoque prophetare videtur; & quotquot dignas fieri putat participes suæ gratiæ, prophetare facit. Maximè enim circa mulieres vacat, & hoc circa eas quæ sunt honestæ, & circumpurpuratæ, & ditissimæ, quas sæpe adducere tentans dicit blandiens eis: Participare te volo ex mea gratia, quoniam Pater omnium Angelum tuum semper videt ante faciem suam: locus autem tuæ magnitudinis in nobis est, oportet nos in vnum conuenire. Sume primùm à me, & per me gratiam; adaptare vt sponsa sustinens sponsum suum, vt sis quod ego, & ego quod tu. Constitue in thalamo tuo semen luminis. Sume à me sponsum, & cape eum, & capere in eo. Ecce gratia descendit in te, aperi os tuum, & propheta. Cum autem mulier responderit, Nunquam prophetaui, & nescio prophetare, inuocationes quasdam denuò faciens ad stuporem eius quæ seducitur, dicit ei: Aperi os tuum, & loquere quæcumque, et prophetabis. Illa autem seducta, et*

elata

elata ab ijs, quæ prædicta sunt, concalefaciens animam à suspicione quòd insignat prophetare, cum cor eius multo plus quam oporteat palpitet, audet, & loquitur deliriosa. Et postea: *Et exinde Prophetiden semetipsam putat, & gratias agit Marco, quod participauit ei suam gratiam, et remunerare eum gestit non solùm secundum substantiæ suæ dationem (vnde diuitiarum magnam copiam collegit) sed et secundum corporis copulationem, et secundum omnia vniri ei cupit.* Hæc fideliter ex Irenęo. Quibus etiam iungit: *Iam verò quædam ex fidelissimis mulieribus, quæ habent timorem Dei, et non sunt seducibiles, quas similiter, vt reliquas affectauit seducere, iubens eas prophetare, exsufflantes, et anathematizantes eum, separauerunt se ab huiusmodi insano, qui se diuinum spirare simulabat, pro certo scientes quòd prophetare non à Marco Mago inditur hominibus, sed quibus Deus desuper immiserit gratiam suam.* Alias verò in Galliarum partibus ab isto nebulone, & sectatoribus seductas esse, sic habet idem Irenęus: *Talia autem dicentes, et operantes, et in his quoque quæ sunt secundum nos Regiones Rhodanenses, multas seduxerunt mulieres, quæ cauteriatas conscientias habentes, quædam quidem etiam in manifesto exhomologesim faciunt.* Id est, publicam pœnitentiam. Similia ferme Flauius Lucius Dexter [a] refert dicens: *Marcus hæreticus Hispanias petit, præmoniti verò Hispani à Petro epist.2. et sæpius à Paulo cum Carpetaniam adijt, Toleto pulsus, volensque Valentiam Lusitanorum corrumpere, in ea Prouincia malè tractatus, nonnullas mulierculas corrupit, ab alijs verò irridetur.* Et meritò sanè, qui dum Propheticæ scholæ se professorem effingit, impudentissimus impostor repertus est.

a in Chron. sub ann. 169.

3 Inter simias etiam eiusdem Prophetici instituti, immò astutiores, vtpote qui austeriorem Essenatus professionem æmulabantur, Eremi secessus, & speluncas colentes; rerum temporalium renunciationem specie profitentes; & habitu admirando vtentes; Archontici hæretici numerantur, non solùm a Theodoreto [b], sed & Prateolo [c], Baronio [d], Gualterio [e], maximè ab Epiphanio *hæres.* 40. vbi de ipsorum secta primò ait: *Non in multis locis hæc apparet, sed solum in Palæstinorum Prouincia.* Quia sanè veri Esseni, & Prophetarum legitimi æmulatores in ea Prouincia morari soliti erant. Deinde de quodam Petro ipsorum Antesignano: *Hic senex primùm habuit indumentum admirandum, simulatione plenum, forinsecus enim reuera pelle ouilla indutus erat, et intrinsecus lupus rapax esse ignorabatur.* In hoc etiam indumento externo mirabili Essenatum profiteri se fingebat nebulo, cum Esseni, iuxta dicta *to.1. sub ann.3545. n.29.* singulari & albicanti habitu vterentur; & Iosephus [f] de eis dicat: *Squalorem decorem putant, dummodo semper in veste sint candida.* Subiungit de ipso idem Epiphanius: *Anachoreta enim videbatur esse, vt qui ab hominibus secesserat in spelunca quadam desidens.* Vtpote, quia sic cernebat veros Essæos gessisse. Item: *Qui multos profectò ad renunciationem congregauit; et pater sanè ob senectam, ac habitum vocabatur.* Sic enim in Collegijs Essenæ scholæ agebatur, vt alij Patres, alij Filij nuncuparentur, & iuuentus instrueretur,

Simiæ Essenatus.

b hæretic. fabul. lib 1.
c verb. Archon.
d sub hoc an. n.
e secundo sæculo c.32.
f lib.1. de bello c. 7.

retur, ſicut & inter Prophetas, iuxta dicta *to. 1. eo anno* 3545. *n.* 28. *anno* 3988. *n.* 8. *et* 4053. *n.* 13. ac de Prophetis, quorum progenies Eſſeni erant, *to. 1. in Appar. c. 3, n. 12, et ſub anno* 3132. *n. 2. et* 3. Alia etiam quæ de huiuſmodi ſcribit idem Epiphanius, vt ſunt *ieiunium ſimulatum*, & librorum de *ſymphonia*, ſeu cantus, ſcriptio, extranea non ſunt vel ipſa ſpecietenus ab Eſſenorum moribus, vt iure propter illa mundum decipere valerent. Valeant ergo hi pſeudoprophetæ, & ipſorum memoria.

Sacratæ fœminæ. 4 Huius autem S. Soteris Papæ Epiſtola quædam decretalis, quæ habetur *to. 1. Concilior. inter decreta ipſius, et to. 1. Epiſtol. decretal. inter Epiſtol. ipſius n. 2.* & quæ eſt ſcripta ad Epiſcopos Italiæ, claram memoriam affert Monacharum, ſeu Sanctimonialium illius temporis. Dicitur enim ibi: *Sacratas Deo fœminas, vel Monachas ſacra vaſa, vel ſacratas pallas penes vos contingere, et incenſum circa altaria deferre, perlatum eſt ad Apoſtolicam Sedem, quæ omnia reprehenſione, et vituperatione plena eſſe, nulli rectè ſapientium dubium eſt.* Quæ etiam habentur *ca. Sacratas diſt.* 23. vbi Doctores communiter. Ex ijs autem clarè elicitur Monialium inſtitutum illo æuo viguiſſe. Nec refert quòd in libro *de Romanis Pontificibus* relato a Baronio [a], vbi hoc Soteris decretum nominatur, non habeatur verbum illud *Monachas*, ſed *Diaconiſſas*. Nam, vt ibidem Baronius, & conſtat ex dictis, communis lectio habet *Monachas*, & ita ſupponunt Doctores textum illius canonis *Sacratas* exponentes. Ex eo ergo manifeſtè elicitur Monacharum vetuſtas in Eccleſia, ac pro noſtræ hiſtoriæ filo, qualiter Eſſenum inſtitutum quod Monachæ iſtæ æmulabantur, etiam eo tempore viguiſſet. Nec abs re eſt id quod idem Baronius notat, videlicet, huius deciſionis Soteris rationem fuiſſe, quòd fœminæ Montaniſtæ ſacris ſe myſterijs immiſcerent. Ex eo namque pariter roboratur id quod ſuperius dictum eſt de iſtis pſeudoprophetiſſis, ſimiarum inſtar, veras Prophetides, & Propheticæ ſcholæ aſſeclas imitari mentientibus. Addendum, quòd Diaconiſſarum nomen, & munus alienum omnino non eſt a Monialibus, ſeu Prophetiſſis, prout oſtenſum manet ſupra *ſub ann.* 57.

a *ſub ann.* 179.

Ann. Chriſti 176 177. & 178. Soter. Pont. 2. 3. & 4. Marc. Aurelij Imp. 14. 15. & 16.

Orationis efficacia. 1 HISTORIÆ Eccleſiaſticæ huius temporis cùm prophana permixtæ id quod præcipuè afferunt, noſtra haud eſt indignum; cum ex eo facilè comprobetur tantam piarum precũ, & orationum exercitium (propriam ſanè Chriſtianorum, & permaximè Monachorum, ſeu ſtatus Religioſi profeſſorum panopliam) vim & efficaciam apud Deum pijſſimum habere, vt ab ipſo contra hoſtes victoriam inſignem ſignis cæleſtibus demonſtratam obtineat, & imbres, ac pluuiam pro ſiti ſedanda. Cum enim Romanorum exercitus cum ſuo Imperatore aduerſus Marcomannos, Quados, & alias quamplures barbaras natio-

nationes, & Germania præsertim, iam quadriennio difficili bello pugnans in maximum, & vltimum periculum adductus esset, ob aquæ penuriam; Christianorum tamen militum, qui in eo erant exercitu, ope, id est, precibus ad Deum fusis, actum est, vt non solum ab imminentibus casibus, quibus vrgebatur, eriperetur, sed etiam victoriam diuinitus parta feliciter frui posset. Missis sanè a Deo largissimis imbribus in Romanos; in hostes verò crebris fulminibus, ac ignibus. Relictis autem Iulio Capitulino, Dione, Claudiano, & ethnicis alijs, qui rem hanc magiæ, aut precibus, seu moribus M. Aurelij Imperatoris tribuerunt, de ea re scripsit Eusebius [a]; similia ferme Tertullianus, & Apollinaris ab eodem Eusebio relati, Gregorius Nyssenus [b], Flau.us Lucius Dexter [c], Metaphrastes [d], & alij Christiani Chronologi. Quæ maiorem sibi fidem sumunt ex ipsius Aurelij Imperatoris litteris ex Codice Vaticano a Panuino *lib. 2. fastor.* & Baronio *sub anno 176.* extractis, in quibus postquam Imperator discrimen, in quo cum suo exercitu positus erat, & qualiter patrijs dijs inuocatis neglectus ab ipsis esset, narrauit: *Eos* (inquit) *qui apud nos Christiani dicuntur, accersiui, ac rogaui, inuenique magnam eorum multitudinem, illosque minis compuli, quod minimè decuerat, propterea quod postea illorum vim, ac potestatem cognoui. Itaque non ad telorum præparationem, neque ad tubarum vsum se contulerunt; hoc enim illis facere Dei causa, & nomine, quem in conscientia gestant, gratum non est. Æquum igitur est, vt quos impios esse, & à Deo alienos opinabamur, eos existimemus Deo munitos esse. Cum enim se humi proiecissent non solum precati sunt pro me, sed etiam pro toto hoc exercitu, vt famis, ac sitis, qua vrgebamur, remedium aliquod afferretur: quinque enim diebus aquam non sumpseramus quòd ea non suppeteret. Eramus enim in media Germania montibus vndique conclusi. Simul autem atque sese humi abiecerunt, ac Deum illum precati sunt, quem ego ignorabam: statim e Cælo pluuia del ipsa est in nos quidem frigidissima, in Romanorum verò hostes grando, ignis specie, ac similitudine, & fulmina: eorumque orationibus, ac precibus statim præsto Deus fuit, qui neque vinci, neque expugnari potest. Quamobrem illinc exorsi, concedamus talibus, vt sint Christiani ne qua arma eius generis contra nos petant, & impetrent.* Extat adhuc huius insignis miraculi testimonium Romæ in Columna Antoniniana licet adulteratum imagine Iouis pluuij, cuius copiam Baronius extraxit. Legio autem illa militum, cuius ope victoria obtenta est, *fulminatrix* postea appellata fuit, vt omnes scribunt. Quin & in ipsa Hispanos aliquos milites extitisse comprobat Franciscus Biuarius [f], ex inscriptione quadam apud Morales [g].

[a] lib. 5. c. 5.
[b] Orat. 2. in quadrag. mart.
[c] in Chron. sub ann. 175.
[d] die 9. Ianuar.
[f] in Commen. ad Dextrum loco relato.
[g] lib. 9. c. 38.

Annus Christi 179. Eleutherij Pontif. 1. Marc. Aurelij Imp. 17.

Ingens persecutio.

1 INGENS in Christianos circa hoc tempus excitatur persecutio, dissimulante saltem Imperatore; vt meritò in vltionem bellum Marcomannicum renouaretur, pestisque grassans diu vexaret populum. Imò ex ea forsan magis feruescebat persecutio, teste enim Tertulliano [a], calamitatum communium causam in Christianos Ethnici refundebant, & propterea contra ipsos excitabantur. *Existimant* (inquit) *omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tyberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arua, si Cælum stetit, si terra mouit, si fames, si lues: statim Christianos ad leonem.* Accomodant hoc aliqui pestilentiæ, quæ contigit circa ann. 171. cum Eusebio *in Chronic.* & Flauio Dextro [b]. Legendus Capitolinus in M. Aurelium, qui etiam affirmat eo tempore Mauros inuasisse Hispaniam, sed contra eos bellum per legatos gestum esse.

a in Apol. c. 40.
b sub eod. ann.

Eleutherius Papa.

2 Hoc eodem anno Sotero Papa Martyrij gloria coronato succedit Eleutherius. De cuius successione scribunt S. Irenæus [c]; Optatus Mileuitan. [d] S. Augustinus [e], Eusebius [f], Chronologi, & Annalistæ moderni. Quia tamen idem Eusebius [g] refert Epistolam Christianorum Viennensis, & Lugdunensis Vrbium in Gallia ad Christianos per Asiam, & Phrygiam hoc tempore habitantes, in qua plura continentur non solum memoria valde digna, de constantia, patientia, fide, ac inuincibili fortitudine eorum, qui pro Christo patiebantur; sed & nostræ historiæ non extranea, ipsius fragmenta quædam hîc placuit apponere.

c lib. 3. c. 3.
d lib. 2.
e epist. 105.
f in Chron. & histor. lib 5. in proœmio, & c. 21.
g d. lib. 5. histor. in proœmio, & cap. sequent.

Martyrum constantia.

2 Primò ergo fortitudinem ac constantiam Martyrum in perferendis opprobrijs, tormentis, & cruciatibus sic ibi commendatam videmus: *Procedebant autem in medium viri stabiliores columnis, qui possent per patientiam suam non solum ferre impetus, quos excogitabat inimicus, sed & vltro expetere, & sponte se omnibus vel opprobriorum, vel tormentorum cruciatibus obiectare, & lacessentibus iampene tortoribus ipsi, & adhuc parum putare, pro eo quod moram sibi hanc esse quodammodo ad Christum festinantibus crederent. Rebus fere ipsis, & patientiæ virtute clamantes, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Ferebant ergo fortiter acclamationes aduersum se; & probra, atque iniurias populi, & contumelias eorum laudes suas ducebant. Sed & verberari se ab eis, ac lapidari, & concludi patienter accipiebant, æquanimiter suscipientes quidquid illud furentis vulgi excogitasset insania.* Hæc autem non prorsus dissimilia esse ijs, quæ de Essenis referuntur ex eorum mutua collatione conspicitur. De illis enim *in lib. Quod omnis probus sit liber* sic habet Philo: *Id compertum est in multis, & varijs temporum difficultatibus sub tyrannide potentiorum diuersis præditorum ingenijs, ex quibus alij conati feroces bestias immanitate superare,*

*rare, nullam omiserunt crudelitatis speciem, gregatim mactando subditos, aut
laniorum more viuos frustatim concidendo; nec prius finis fuit, quàm in easdem
calamitates incidere, vindicante diuina prouidentia; alij verò suam rabiem ce-
lantes diuerso malitiæ genere acerbas clades dederunt, placido sermone, susurris-
que clancularijs dissimulantes odium canum maleficorum more blandiendo, mox-
que configendo morsus insanabiles, vt oppidatim monumenta impietatis suæ relin-
querent ad perpetuam afflictionum memoriam. Nemo tamen vel è crudelibus
illis, vel ex alteris fucatis, ac subdolis, valuit modo dictos cœtus Essenorum, siue
Sanctorum in culpam inducere, sed omnes discesserunt victi virtute horum viro-
rum, laudantes eos, vt liberos ciues, & suo iure viuentes accepto à natura, præ-
dicantesque illorum sodalicia, societatemque inenarrabilem, in qua exemplum
felicis, & perfectæ vitæ videre liceat.* Deinde in prædicta Epistola quid
Christianis Viennensibus, & Lugdunensibus acciderit incommodi in
hac persecutione ob quorundam ipsorum seruorum nequitiam, satelli-
tumque suggestionem prauam sic describitur: *Accidit autem etiam seruos
comprehendi quorundam ex nostris paganos, quoniam quidem iussum fuerat re-
quiri omnes, & teneri. Qui que dæmonis instinctu, cum tormenta pertimesce-
rent, quæ inferri sanctis videbant, monentibus se in hoc ipsum militibus, quibus
ita fuerat præceptum, commenti sunt aduersus nos, velut Thyesteas cœnas, &
incesta Oedipia perpetrantes, & alia quæ nec proloqui, aut cogitare nobis fas est,
& qualia nec credere quidem possumus aliquando apud homines gesta.* Thye-
steæ cœnæ hic vocantur prophana quædam conuiuia, in quibus vnus
cum alterius coniuge miscebatur, & humanæ carnes pro cibis conuiua-
rum applicabantur. Etenim Seruius [a] inquit: *Fabula hoc habet, Atreum,* a in Virgil. lib. Aeneid.
*& Thyestem germanos, cum dissensione sibi nocere non possent, in simulatam gra-
tiam rediisse, qua occasione Thyestes cum fratris vxore concubuit, Atreus verò ei
filium epulandum apposuit.* De quibus etiã Persius [b], Cicero [c], Ouidius [d]. b Satyr. 5. c in Pison.
At verò *Incesta* Oedipia denotant parricidia, & connubia cum matre. d 4. de Ponto eleg. 6.
Oedipus enim Laij Thebanorum Regis, & Iocastæ filius patrem occidit, &
matrem duxit vxorem. Sic Calepinus, & Thesaurus linguæ Latinæ. Hæc
ergo prorsus, & omnino alienissima fuisse a Christianorum moribus Epi-
stola relata Gallorum testatur, & approbat Eusebius. Pariter etiam vn-
dequaque extranea fuisse Essenis, ex ijs quæ de ipsorum purissimis, & ca-
stissimis conuiuijs, & connubijs habent Philo, Iosephus, & alij, quorum
aliqua *in Apparat. cap. 3. & sub anno* 100. notauimus, dilucidè monstra-
tur. Subiungit mirabile aliud, & omni memoria dignum, vt vix omittere
id possimus, ea Epistola, de Blandina fœmina, de qua Christiani time-
bant ne pro corporis debilitate tormentis cederet, hæc: *Tanta tolerantia
virtute firmata est, vt resoluerentur prius & conciderent carnificum manus,
qui sibi pro contentiosa iudicis animositate inuicem succedebant. Denique à pri-
ma luce vsque ad vesperam tormenta semper innouantes ad vltimum victos se
confitentur stupentes quomodo in ea spiritus permaneret, cum nihil iam ex cor-
pore per supplicia resedisset. Sed illa vere beata (vt postmodum nobis ipsa dis-*

seruit) quotiens vocem confessionis emisit, & Christiana sum proclamauit, totiens noua vires corpori reddebantur, & tanquam ablatis per confessionem doloribus instaurabatur recentior ad agones. Eoque quo magis intellexerat, quod vox pia sensum doloris extingueret, sæpius, & alacrius Christiana sum, & nihil apud nos mali geritur, proclamabat. Ne autem in fidei constantia Blandinam fœminam viros superasse videretur, idem refertur ea in Epistola de quodam Sancto Diacono his verbis: *At ille vir Deo plenus intantum crudelitates eorum risit, & ferinam in quæstione sæuitiam, vt nunquam dignus sit, vel quis esset genere, vnde domo, vel patria, vel nomen saltem suum eis fateri. Sed de his singulis interrogatus nihil aliud in omnibus tormentis, nisi Christianum se esse respondit. Hoc mihi nomen: hoc genus, & patria est. Aliud inquit omninò nihil sum quam Christianus.* Sed & expendenda, quæ de Blandina illa refert ea Epistola: *Multum erratis* (dicebat) *ò viri, quod putatis infantum visceribus vesci eos, qui ne mutorum quidem animalium carnibus vtuntur.* Ex eis nedum elicitur id quod supra tactum, videlicet per *Thyesteas cœnas* falsò impositas Christianis, denotari carnis humanæ esum; sed, & (quod valde nobis animaduertendum) Christicolas illos carnibus vesci non solitos: quod erat Esseni instituti veluti dogma proprium. Etenim de solemnissimis ipsorum conuiuijs *Agape* nuncupatis, de quibus *in Appar. c. 3. & sub ann.* 100. dictum manet, sic habet in suo *de Vit. contemplat. libro* Philo disertissimus Auctor: *Mensa pura est à cruentis dapibus. Pro cibo panis apponitur, sal pro obsonio, & pro condimento interdum apparatur hyssopus in delicatorum gratiam.* Carnium ergo esus in his solemnissimis Essenorum epulis omnino desiderabatur. Quid ergo de communibus conuiuijs suspicabimur? Refertur etiam in ea Epistola Martyr quidam, Alexander nomine, genere Phryx, & disciplina medicus, qui *vir Religiosus* nuncupatur; an propter solam Christianam Religionem, an propter aliquod speciale institutum? incertum. Vtrumque credi potest. Nec dubium tollitur quòd medicus asseratur. Esseni etenim *Therapeutæ*, id est, *curatores* à Philone, & alijs, vt sæpius vidimus, appellati sunt.

Athenagoræ Apologia.

3 Ex Apologia etiam Athenagoræ Atheniensis Christiani Philosophi ad Imperatores M. Aurelium, & Aurelium Commodum, quam sub hoc anno refert Baronius, aliqua excerpere liceat nostræ historiæ inserenda. Primò etenim in quibus criminibus a Gentilibus accusarentur Christiani sic explicat: *Trium flagitiorum infamis rumor de nobis spargitur, impietas quæ Deos tollat, epulæ Thyesteæ, concubitus incesti.* De quibus iam supra actum. Subdit: *Si solam hanc præsentem vitam nos victuros crederemus, suspicioni foret locus, nos carni & sanguini indulgentes, aut auaritia, aut concupiscentia captos peccare. Nos verò omnibus non modo factis, sed etiam cogitationibus, & sermonibus nostris tum noctu, tum interdiu Deum adesse scimus, eumque & totum esse lumen, & quæ in cordibus nostris latent videre; & hac mortali defunctos vita alteram hac terrestri longe meliorem, nempe cœlestem nos victuros.* Postea verò sic: *Pro ætatis discrimine alios pro filijs & filiabus,*

alios

alios pro fratribus, & sororibus habemus, prouectiores ætate patrum, & matrum loco honoramus. Illorum igitur, quos tamquam fratres, & sorores, aut alio cognationis nomine coniunctos nobis ducimus, inuiolata, & integra manere corpora, maximi apud nos fit. Item post alia: *Spe vitæ æternæ freti præsentem hanc, eiusque delicias, & sensuum etiam, animæque non puras voluptates contemnimus. Itaque vxorem, quam secundum approbatas nobis leges sibi quisque duxerit, reputat non in alium, quam in procreandæ sobolis finem.* Quæ eò adduximus, vt ex ijs manifestè eliciatur, qualiter Christianorum, & Essenorum, qui similia ferme dogmata sectabantur, instituta, sibi non absona, sed consona erant. Elucet id maximè ex ijs, quæ idem Christianus Philosophus subiungit, quæ etiam *sub anno* 150. retulimus: *Inuenias multos ex nostris in vtroque sexu, qui in cælibatu consenescant, quòd in hoc statu Deo coniunctiores se futuros sperent.* Hoc enim veluti singularem Essæorum tesseram fuisse, ea, quæ crebrius inculcauimus, præostendunt.

Annus Christi 180.181. Eleutherij Pont. 2. & 3. Marci Aurelij Imp. 18. & 19.

1 VIVEBANT hoc tempore duo Valentiniani hæresiarchæ discipuli Florinus, & Blastus presbyterij gradu ob errores ab Ecclesia abdicati; ex quibus Florinus Deum auctorem malorum esse effutiebat; vt propterea S Irenæus eo tempore veluti alter Sol in Ecclesia fulgens, contra eum in Epistola, seu libello scribens hæc dicebat: *Hæc dogmata, Florine, quæ asseris, confidenter dico, quia non sunt sanæ sententiæ: hæc dogmata non sunt consona Ecclesiasticæ fidei; hæc dogmata, ne illi quidem, qui de Ecclesia pulsi sunt, hæretici, potuerunt aliquando commentari; hæc dogmata impietatem docent; hæc dogmata sancti illi presbyteri, qui ante nos fuerunt, nunquam protulere.* Sic ex Eusebio [a], & Theodoret. [b] hauriunt alij. Ijs iungimus nos: hæc dogmata non cohærent cum Essenorum, aut Prophetarum schola, in qua, vt Philo [c], pietatis ipsorum erga Deum argumenta referens, ait: *Ad Deum auctorem bona omnia, malum verò nullum referunt.*

Valentiniani discipuli.

[a] lib. 5. c. 15. & 19. vol 20.
[b] Hæretic. fabul lib. 1.
[c] in lib. Quod omnis probus sit liber.

2 Circa hoc tempus, retrograda supputatione facta, credi potest fundatum in Anglia Bannochorense Cœnobium monachorum sub Apostolici Ordinis disciplina. Sic enim elicitur ex Balæo, qui, etsi omnimode reprobatus ab Ecclesia, in historiæ tamen Chronologia ad Britanniam spectante non mediocris auctoritatis fidem meretur. Etenim [d] loquens de anno 530. dicit illud cœnobium a tempore 350. annorum iampridem durasse, ex quo elicitur circa hoc tempus primò erectum fuisse. Vocat autem illud *Christianorum Philosophorum Collegium.* Refert etiam ex Bernardo Clarauallensi in vita Malachiæ Hibernensis Archiepiscopi: *Hunc locum primorum extitisse per Europam Monasteriorum caput, & multa generauisse Monachorum millia.* Deinde in Dionoto Auonio ait: *Non illic ad*

Bannochorense Cœnobium in Anglia.

[d] in Catalogo Script. Brittan. Centur. 1. in Congello Bannochorensi.

Basilij, aut Benedicti præscriptam vitæ methodum in summo degebant otio deglutientes pauperum sudores (ex serpentino pectore contra sacerrimas has familias euomit venenum) *sed, iuxta D. Pauli doctrinam de manuum suarum labore in communi viuebant*. Postea in Nennio Bannochorensi inquit; *Bannochorense Apostolicorum hominum Collegium ingens, cuius Præpositura gaudebat Nennius 2100. ante eius tempora inhabitatores habebat, qui non Basilio, aut Benedicto, sed ipsi militabant Christo Domino. Hi in septem particulares Conuentus distincti iuxta numerum Ecclesiarum Asiæ, trecentis vnicuique datis ad S. Trinitatis honorem earumdem Ecclesiarum traditiones sub titulo Euangelistæ Ioannis obseruabant*. Mira hæc de isto Cœnobio antiquitate celeberrimo, etsi ab infensissimo Religionum hoste prolata, omitti non debuere, sine nostræ monasticæ historiæ iniuria. Ex eis enim habetur monachismi plantaria in Britannia fuisse ante Basil.j & Benedicti tempora, ac per consequens illius communis Eliani instituti, quod omnes Monachi sectabantur. Vnde idem Balæus [a], in Ina Visisaxorum Rege *in Appendic.* admittit Monachos in ea Regione *Pauli, Antonij, Hilarionis, Macarij, Hieronymi, & aliorum piorum eremitarum exemplo, qui in Ægypto, & Palæstina eremos incoluerunt*.

a *cad. Centur.* 8

Monachi Galilæi in Britannia.

3 Fauent quæ *sub anno 61*. ex historia quadam in finibus Britanniæ, & Ecclesia quadam S. Matthæi Apostoli reperta, ac Gotfrido Viterbiensi *in Chronic par. 2. inter Germaniæ Scriptores to. 2.* annumerato, adduximus. Ex eis enim capi potest quomodo Monachi quidam Galilæi (ipso etiam nomine Eliades notantes, qui Galilææ proximum Montem Carmelum inhabitarunt) in ea patria commorati, dictam Ecclesiam Apostolo dicarunt, Euangel ij prædicationi incubuere, & monastici instituti cultores extitere, etiam ante Pauli, Antonij, Hilarionis, & aliorum ortum. Nisi forsan Britannia illa, de qua Gotfridus loquitur, non sit Britannia magna, seu Anglia, de qua Balæus; sed ea quæ in Gallijs minor Britannia nuncupatur, prout ab erudito quodam eius Prouinciæ Religioso audiui, dicente Monasterium illud S. Matthæi in Britannia Gallica extitisse.

Annus Christi 182. 183. 184. & 185. Eleutherij Pont. 4. 5. 6. & 7. Commodi Imp. 1. 2. 3. & 4.

Commodus Imperator.

1 MORTVO M. Aurelio Imperatori Syrmis in Pannonijs successit Commodus filius, omnibus sanè incommodus, vtpotè qui Domitianum, Caium, & Neronem prædecessores æmulatus, parricida, carnifex, impurus, & similibus epithetis dignus habitus fuit. Lampridius, & Dio *in Commodo*, & alij post ipsos.

Christianitatis augmentum.

b *lib. 5. histor. c. 21.*

2 Christianitas tamen non mediocriter in melius aucta. Etenim, Eusebio [b] testante: *Pax Ecclesijs per omnem terram propagabatur, & sermo Domini ex omni genere hominum ad agnitionem, & pietatem Dei summi animas congregabat. Denique & in Vrbe Roma multis ex illis illustribus, & prædiuitibus*

tibus viris, cum liberis, & coniugibus, ac propinquis, atque omni pariter familia sociauit ad fidem. Cum autem id clementiæ Imperatoris tribui nequeat, totum adscribendum diuinæ sapientiæ, quæ ex malis elicit bona, & ex contrarijs contraria. Iuuare sanè poterat quòd Martia vna ex Commodi concubinis, Dione teste *supr.* Christianorum studiosissima esset. Et quod recens ipsorum miraculum in Marcomannico bello, de quo superius dictum, toto terrarum Orbe diuulgabatur. Item quòd plures circa hoc tempus pro Christiana Religione a viris clarissimis, Iustino, Athenagora, & alijs Apologiæ editæ falsitatem Gentilitiæ superstitionis euincebant, & fidei nostræ veritatem prædicabant. Exemplum quoque Lucij Britannorum Regis, seu Reguli potius, qui de Christi doctrina suscipienda consilium iniens legatos ad Papam misit, ac ab illo sacros catechizantes accepit testibus Beda [a], Adone [b], & alijs. Addit Flauius Dexter [c], quòd *hoc tempore omnes Hispaniarum Ecclesiæ, sicut etiam aliæ totius Orbis terrarum à Paganis pacem mercatæ sunt.* Id est, pretio, aut pecunia. Sic enim *sub ann.*182.*n.*2. adiungit: *Omnes Ecclesiæ Orbis pacem ab Ethnicis pecunia sunt mercatæ.* Hoc etiam indicat Tertullianus [d] dicens: *Parum est si vnus, aut alius* (intellige Christianus) *ita* (pretio scilicet) *eruitur; massaliter,* id est, communiter, & veluti in massam collectæ, *totæ Ecclesiæ tributum sibi irrogauerunt.* Et Lampridius ex Mario Maximo veteri historico inquiens de Commodo: *Vendidit suppliciorum diuersitates, & sepulturas.* Potuisse autem Ecclesias, & Christianos hoc modo redimere iniustam vexationem, qua ab Ethnicis premebantur, probant nonnulli ex illo *Actor. Apost.*17. vbi dicitur, quòd exorta Thessalonicæ seditione contra Christi discipulos traxerunt eos Iudæi ad Principes Ciuitatis, *Clamantes, quoniam hi, qui Vrbem concitant, & huc venerunt, quos suscepit Iason, & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, Regem alium dicentes esse Iesum.* Vt propterea necessum fuerit ipsis satisfactionem aliquam (intelligunt pecuniariam) dare iudicibus, vt dimitterentur, prout existimat Petrus Alexandrinus [e]. Dicitur enim: *Et accepta satisfactione à Iasone, & à cæteris dimiserunt illos.* Quia tamen probabilius alij putant per hanc satisfactionem intelligi fideiussionem, quod fideles futuri essent Cæsari, vel de aliquo simili, prout Caietanus, Budæus, Gagneius, & Gaspar Sanchez; vel excusationem, seu purgationem, vt Dionysius, & Lorinus; vel vtrumque, vt Cornelius, qui dictas expositiones probabiliores putat, ideo non quiescendum in expositione Petri Alexandrini de satisfactione pecuniaria.

[a] *de gestis Angl. l.*1.*c.*4. *& de sex ætat.*
[b] *in Chronic.*
[c] *in Chron. sub ann. Christ.*180 *n.*2.
[d] *lib. de fuga in persecut. c.*13.
[e] *in serm. de pœnitent.*

3 Compertum erat per hoc tempus qualiter Montanistæ non veri Prophetæ, aut Prophetici Instituti cultores fuissent, iuxta dicta in superioribus, sed pseudoprophetæ. Cum enim ipsorum Antesignanus Montanus prædicere ausus fuerit hoc Commodi Imperatoris tempore bella, seditiones, ac immanem in Christianos persecutionem futura, mentitum fuisse ipse rerum planè patefecit euentus; siquidem, & Christianis, vt dictum est, pax est secuta, & Romanorum Imperium a bello quieuit, leuiori-

Montanus falsus propheta.

a sub ann. 182. uioribus quibusdam Britannorum velitationibus exceptis. Baronius [a], Gordonus [b].

b ibidem.

D. Panthænus.

4 Illustrabatur tamen nedum Ecclesia tota, sed & vt probabile satis est, ipsa quoque Essenorum, seu Prophetici instituti schola Diui Panthæni clarissimi eo æuo Philosophi, & Doctoris egregia doctrina. De quo, quis, & qualis fuerit, primò dicendum; deinde quo fundamento illum dictæ scholæ adscribamus. Et quidem de primo Clemens Alexandrinus eius discipulus [c] sic loquitur: *Alter verò in Palæstina Hebræus ex alto ducta origine. Cum autem in eum vltimum incidissem, erat autem primus potestate, conquieui in Ægypto, venans ea, quæ latuerant. Sicula reuera apis Prophetici, & Apostolici prati flores decerpens, synceram quandam, & incorruptam cognitionem ingenerauit eorum, qui audiebant animis.* Hunc autem innominatum fuisse Panthænum habet Eusebius [d], verbis infra referendis, Annotator marginalis ipsius Eusebij circa relata verba dicens: *Intelligit Pantænum,* & Baronius [e]. De ipso etiam Pantæno idem Eusebius [f] sic: *Cum per idem tempus* (loquitur de tempore Commodi Imperatoris) *scholæ Ecclesiasticæ, & Doctoris officio præesset vir in omni eruditione nobilissimus Panthænus, ex quo apud eos consuetudo antiquitus tradita, vsque in hodiernum permanet, diuinarum scripturarum Doctores inibi scholæ ecclesiasticæ haberi, viros dumtaxat in scientia, & eruditione probatissimos. Huius ergo officij velut auctor quidam, & dux vir, de quo supra diximus, satis illustris habebatur. Quippè qui etiam in philosophis priùs, qui Stoici appellabantur, nobiliter claruisset: cuius tantum studij erga verbum Dei, & tantum amoris fuisse traditur, vt etiam ad prædicandum Christi Euangelium omnibus gentilus, quæ in Orientis vltimis secessibus reconduntur, fidei, & deuotionis calore profectus sit, & vsque ad Indiam citeriorem verbum Dei prædicando peruenerit. Erant enim adhuc in illis temporibus, & Euangelistæ nonnulli, qui ad imitationem Sanctorum Apostolorum in diuersis Orbis partibus oberrantes, per gratiam Dei, & animi sui virtutem, verbum Dei, & fidem Christi ignorantibus quibusque gentibus inferebant. In quibus præcipuus, et illustris Panthænus habebatur. Quem ferunt, cum ad Indos peruenisset, reperisse quod Bartholomæus Apostolus apud eos fidei semina prima condiderit, et Matthæi Euangelium Hebræis scriptum litteris dereliquerit, quod per idem tempus supradictus Panthænus inibi repertum detulerit. Sed et in multis præterea alijs doctrinæ Ecclesiasticæ studijs apud Alexandriam claram satis, et nobilem vitam optimo, et admirabili fine conclusit. Tam viua voce discipulos instruens quam et librorum monumentis etiam hostis thesauros scientiæ derelinquens.* Deinde sequenti cap. de eodem Panthæno sic prosequitur idem Eusebius: *In his diuinarum eruditionum scholis, quam maximè effloruit apud Alexandriam Clemens, eodem vocabulo, quo et in Vrbe Roma Apostolorum, et successor, et discipulus vocitatus. Denique hic ipse Clemens in septimo Dispositionum libro, Panthæni tanquam magistri et præceptoris sui mentionem facit. Sed et in primo libro Stromatum hunc eundem designat in eo loco, vbi enumerat quod plures Apostolicæ prædicationis repererit viros, hæc dicens: Mihi quidem* Com-

c lib. 1. Stromat parum post principium.

d lib. 5. hist. c. 11

e sub ann 185.

f eo lib. c. 9. aliàs 10.

Commentarij huius operis non ad ostentationem scribuntur; sed ad commemorationem senectæ, et ad obliuionis remedium; Quo scilicet in his sit mihi adumbratio quędam rerum magnificarum, diuinorumque verborum, quę audire merui à viris sanctis, et beatis. Quorum ab alio apud Achaiam, ab alio apud Syriam, ab alio verò in Oriente, et maximè apud Palęstinam institutus sum ex Hebręorum origine veniente. Ad vltimum autem in Ægypto magisterio vsus sum, viri virtutis, et scientię merito omnibus pręferendi. Post quem, velut thesauro in absconditis reperto, aliud quęrere vltra cessaui. Item D. Hieronymus [a] sic: *Panthęnus Stoicę sectę Philosophus, iuxta quamdam veterem in Alexandria consuetudinem, vbi à Marco Euangelista semper Ecclesiastici fuerunt Doctores, tantę prudentiæ, et eruditionis, tàm in Scripturis diuinis, quàm in seculari littteratura fuit, vt in Indiam quoque rogatus ab illius gentis legatis, à Demetrio Alexandrię Episcopo mitteretur: vbi reperit Bartholomęum de duodecim Apostolis aduentum Domini Iesu iuxta Matthæi Euangelium prædicasse, quod Hebraicis litteris scriptum, reuertens Alexandriam secum tulit. Huius multi quidem in sacram Scripturam extant commentarij, sed magis viua voce Ecclesiæ profuit. Docuitque sub Seuero Principe, & Antonino cognomento Caracalla.*

[a] in lib. de Scrip. Eccl. c. 46.

De ipso quoque sic Episcopus Equilinus [b] scriptum reliquit: *Panthænus Presbyter stoicæ Philosophiæ professor, Marci Euangelistæ apud Alexandriam discipulus fuit, & vetusto de more ibidem ecclesiasticæ scholæ præfuit, clarissimi probatissimique doctoris fungens officio. Tanta namque scientiæ non solùm in diuinarum scripturarum eruditione, verùm in sæculari litteratura fuit, tantoque studio, & amore verbi Dei prædicandi claruit, vt in Indiam requisitus per Legatos ipsius gentis à Demetrio Alexandrino Episcopo mitteretur; vbi verbum Dei feruenter, & feliciter prædicauit omnibus gentibus, quæ in Orientis vltimis finibus reconduntur. Et demum ad Indiam inferiorem rediit, reperitque Bartholomæum Apostolum Aduentum Domini, & fidei semina primum ibi secundum Matthæi Euangelium seminasse, quod quidem inde Hebræis scriptum litteris regrediens Alexandriam secum tulit; vbi & ipsum in Græcum transtulit. Multa viri huius doctrinæ ecclesiasticæ extare dicuntur apud Alexandrinos monimenta; sed viua vocis oraculo plus Ecclesiæ contulit. Docuitque sub Seuero Principe, & Antonino cognomento Caracalla Imperatore. Et apud Alexandriam quieuit in pace Non. Iulij.*

[b] in Catalogo Sanctorum l. 6. c. 65.

An Ordinis Prophetici.

5 Ex ijs autem id quod secundo loco superius promisimus, hunc videlicet Panthænum probabiliter satis Prophetico instituto, aut Essenorum scholæ annumerandum esse, prout etiam Petrus Thomas Sarracenus [c] scribit, facilè fulcitur. Primò quidem ex eo quòd B. Marci Euangelistæ discipulus, seu auditor dicatur ab Episcopo Equilino verbis, & loco relatis, idque insinuetur a D. Hieronymo verbis illis: *Vbi à Marco Euangelista semper Ecclesiastici fuerunt Doctores.* Cum enim, iuxta dicta *in Appar. c. 1. 2. & 3. & supra sub anno Christi 45.* Esseni Alexandrini Marci auditores extiterint, ac ab ipso nedum Christi fidem, sed & perfectam quoque status Religiosi rationem ac institutionem mendicauerint, non incon-

[c] in Menolog. Carmel. in vit. Dionys. Pap.

incongruè inde elicitur hunc Panthænum ex illis vnum fuisse. Secundò, ex illis Clementis Alexandrini verbis, quibus profitens se Panthæni discipulum subiungit: *Sicula reuera apis, Prophetici, & Apostolici prati flores decerpens*. Cognomina namque illa *Prophetici*, & *Apostolici* indigitare videntur Essenum institutum, quod & *Propheticum* erat, quia a Prophetis; Elia, & Eliseo præsertim, o rginem ducebat, iuxta dicta *to. 1. sub ann. 3545. n. 16. 39. 40. & 41.* vt propterea Essenos ipsos Prophetici Ordinis cultores sæpius vocauerimus, maximè locis proximè relatis, & eodem *to. 1 in Appar. c. 7. n. 8.* Et *Apostolicum*, quia a B. Marco Apostolorum Principis discipulo sui asceticam perfectionem cum Christianitate suxerat. Accedit, quòd cum Panthænus ex Hebræorum origine fuerit, & in Alexandriæ schola philosophatus, vt Clemens Alexandrinus, Eusebius, & alij disertè fatentur, cur Esseni instituti assecla non fuerit, quod in Palæstina ortum, & in Alexandria propagatum, ex sæpius dictis, maximè *in Apparatu huius 2. to. c. 1. n. 17.* constat? Nec contemnendum ad intentum, quòd scholam, in qua Alexandriæ operam nauauit litteris Sacris, dicat Eusebius eam fuisse, in qua *Consuetudo antiquitus tradita vsque in hodiernum permanet diuinarum scripturarum doctores inibi scholæ Ecclesiasticæ haberi*; & rursus *diuinarum eruditionum* scholam eam compellet; ac Hieronymus relatus; cui & concinit Equilinus Episcopus, de ea asserat, quòd fuerit, *iuxta quandam veterem in Alexandria consuetudinem*; hæc enim haud obscurè indicant eorumdem Essenorum veterem in eadem Vrbe institutionem, & sacrarum litterarum veluti iuge studium. De quo Philo [a], de Essenis Alexandrinis loquens ait: *Solitarij sanctæ vitæ mysterijs dant operam, nec cibi, potusuè quicquam eò inferunt, aliudue in vsum corporis, sed legem tantum, & Prophetarum oracula diuinitus prodita, hymnosque, & quædam alia pietati, scientiæque promouendæ vtilia.* Et infra: *Versantes enim sacra volumina, dant operam philosophiæ per manus accepta à maioribus, scrutando eius allegorias, quoniam sub apertis verbis latere credunt secreta naturæ coniecturis explicanda probabilibus. Habent etiam priscorum commentarios, qui huius sectæ auctores multa monumenta reliquerunt de allegorijs eiusmodi, ad quorum imitationem posteri se accommodant.* Inferius etiam qualiter vnus proponeret *quæstionem è Sacris litteris*, aut solueret *ab alio propositam*, audientibus iunioribus, refert. Quæ etiam cohærent cum illis, quæ de ipsis diximus *to. 1. sub anno 3988. n. 8.* ac maximè *sub ann. 4053 n. 1.*, ex Iosepho, Porphyrio, & Eusebio; morem videlicet fuisse Essenorum (sicut & filiorum Prophetarum, a quibus originem trahebant, iuxta dicta eo *to. 1. in Apparat. c. 4. n. 11.*) extraneorum filios moribus, & litteris instruendos suscipere, ita vt veluti Ludimagistri ipsorum essent. Quod egregiè confirmat id quod *sub anno 3988.* relato diximus; Herodem illum seniorem Iudæorum Regem, cum iuuenis esset, sub discipl na Manachemi Esseni litteris nauasse, & ab ipso regni futuri omen propheticè accepisse. Quod vterque Iosephus, Flauius nempe, & Gorionides eo loco adducti contestantur.

[a] In lib. de vit. contemplat.

Ad

6 Ad harum porro Esseni instituti scholarum imitationem instituta videntur sub hoc tempore Collegia Clericorum, de quibus Flauius Dexter [a] sic: *Plurima Collegia iuuentutis per Hispanias ad Clerum instituendæ, præsertim Cæsaraugustæ, Tarraconæ, Hispali, Carthagine, Toleti, Braccaræ, Augustæ, Illiberri, præcipuis Vrbibus, Præsulum diligentia eriguntur.* Scholæ institutæ.

a in suo Chronico sub anno Christi 185.

Annus Chr. 186.187.& 188. Eleutherij Pont.8.9.& 10. Commodi Imp. 5.6.& 7.

1 VIX alia sub hoc tempore tangunt historiæ communes nisi rebellantes Britannos domitos fuisse a Marcello, & quod magis ad historiam Ecclesiasticam pertinet, S.Eleutherium Papam epistolam ad Episcopos Galliæ (extat *to.1. epist.decret. in Eleutherio n.1.*) de escis irrationabiliter non vitandis Montanistarum more, scripsisse. De his post Lampridium, Dionem, & alios Baronius, Gordonus, & sectatores. Historia huius temporis.

2 Notat idem Baronius [b], loquens de Philippo Præfecto Augustali Ægypti, Iudæorum, & magorum inimico, Christianorum verò benigno protectore; ac de Eugenia Martyre ipsius filia, Aquilio, seu Acilio Consuli desponsata, sequentia: *Eugenia in Christum credens nuptias auersata, vna cum fidelibus Eunuchis Protho, & Hyacintho secedens, virili habitu delituit inter Monachos, quos Essenos à Philone dictos esse, superiùs demonstrauimus, hæc omnia perficiente S.Heleno Episcopo Heliopoleos.* Omitti a nobis non debuerunt hæc valde notanda, quia a tanto Auctore scripta, & vtilissima pro ijs quæ sæpe diximus, & sæpius inculcabimus. Ex eis enim habetur primò, Essenos hoc tempore extitisse, ac proinde cuncta quæ de ipsis in præcedentibus diximus, & in sequentibus asseremus, verificari posse. Secundò, Monachos eius æui eorumdem Essenorum soboles, & posteros fuisse, & cum ijdem Monachi subsequentium Monachorum Patres, & Antesignani fuerint, rectè idem elicitur de ipsorum progenitoribus Essenis asserendum. Tertiò, hanc virginem Eugeniam iure meritoque nostri Prophetici Paradisi rosam, seu florem pulcherrimum censeri debere. Ex quo etiã quartò, quid de ipsius Eunuchis Protho, & Hyacintho censendũ exquiremus. Maximè quintò, quomodo etiam iure optimo Sanctum Helenum Heliopolitanum Episcopum hæc omnia perficientem (vt Baronius inquit) inter Essenatus, & Prophetici instituti cultores supra retulerimus. Quod ex eo euincitur, quòd iste Helenus dicatur in vita S. Eugeniæ (quæ *in lib. vitas Patrum dicto lib.1.*) primitus vixisse in eo Monasterio, in quo sub habitu virili S. Eugenia admissa fuit, & cuius monachos Essenos fuisse idem Baronius testatur. An verò rectè idem auctor sub hoc anno referat dictam Præfecturam Augustalem Ægypti Philippo decretam an potius dicere debuisset sub anno 194. id contigisse, eo loco dicetur.

b sub ann. 188.

3 Spectat etiam ad historiam nostram sermonem agere de S. Nar- Narcissus.

cisso Episcopo Ierosolymitano, quem nostri Ordinis alumnum fuisse testatur de exteris auctoribus Anonymus quidam Guilielmitanus Vallis S. Antonij Brugis, quem refert, & commendat noster Vvastelius [a]. Hic enim Anonymus [b] de isto Narcisso sic habet: *S. Narcissus 4. Kalend. Nouemb. colitur, Eremita montis Carmeli, præfuit annis duobus*. Consonatque cum ipsius gestis, quæ refert Eusebius [c], vbi quòd cum esset magnæ sanctitatis, ita vt aquam quandoque in oleum conuertisset, quorumdam discolorum parauit inuidiam, qui ipsum de graui crimine etiam sub iuramento calumniare veriti non sunt. Propter quod philosophicam, & anachoreticam vitam agere desiderans suam Ecclesiam dereliquit, *& ab oculis vniuersæ multitudinis se penitus remouit, & in solitudine locisque desertis ad multorum annorum spatium vitam transegit*. Sic Eusebius. Hanc enim solitudinem, & loca deserta Carmeli Montis Eremum accepit Anonymus relatus. Vixit supra 116. annos ætatis, ne credant delitiosi longæuitatem vitæ austeræ contrariam esse. Eius calumniatores miserè pœnas sui delicti dederunt; vt & discant peruersi sanctos Domini non tangere. Plura de illo Nicephorus [d], S. Epiphanius [e], alter Nicephorus [f], Martyrologia sub die 29. Octobris, ibi Baronius, & *sub ann.* 186. *&* 189. Iacobus Gualterius [g], eum cum Anachoretis annumerans. Nobis enim hæc sufficiant pro nostra historia historicis nostris incognita. Adumbrata tamen, cum constet eius festiuitatem in aliquibus vetustioribus Ordinis Breuiarijs contineri, vt in eo quod anno 1495. editum fuit Venetijs.

[a] in vindic lib. de instit. Monachor. Ioan. Ierosolymit sect. 4 ar. 1. §. 6.
[b] in lib Episcoparuum, & Episcop Ecclesi. Dei.
[c] lib. 6. historia c. 8. & 9. aliàs 6.
[d] lib. 5. c. 9 & 30.
[e] in Panar. haref. 66.
[f] in Chron.
[g] in Tabul. Chronograph. in 2. saculo.

Annus Christi 189. 190. & 191. Eleuther. Pont. 11. 12. & 13. Commodi Imp. 8. 9. & 10.

1 OCCVRRIT circa hoc tempus S. Serapionis Episcopi Antiocheni historia Annalibus nostris propria, quòd ipse inter Eliades nostrates iure referatur, vt inferius ostendetur. De ipso autem Eusebius [h] sic habet; *Apud Antiochiam quoque octauus ab Apostolis Episcopus constituitur Serapion, de quo in superioribus memorauimus*. Dixerat enim c. 18. præcedenti de ipso ea quæ D. Hieronymus modò referendus ab ipso mutuauit, videlicet [i] sic: *Serapion vndecimo Commodi Imperatoris anno Antiochiæ Episcopus ordinatus, scripsit epistolam ad Carinum, & Pontium de hæresi Montani, in qua & hæc addit: Vt autem sciatis falsi huius dogmatis, id est, nouæ prophetiæ ab omni mundo insaniam reprobari, misi vobis Apollinaris beatissimi, qui fuit in Hierapoli Asiæ Episcopus, litteras. Ad Domnum quoque, qui persecutionis tempore ad Iudæos declinauerat, volumen composuit, & alium de Euangelio, quod sub nomine Petri fertur, librum ad Rhosensem Ciliciæ Ecclesiam, quæ in hæresim eius lectione diuerterat. Leguntur & sparsim eius breues epistolæ auctoris sui ascisi, & vitæ congruentes*. Agunt præterea de ipso Nicephorus Calixtus [k], Nicephorus Episcop. Const. [l] Et in Concilio Alexandrino tempore Athanasij commen-

S. Serapion.
[h] lib. 5. histor. c. 21.
[i] in Catalog. de de Scriptorib. Ecclesiast.
[k] lib. 4. c. 10. & 27.
[l] in Chron.

mendatur eius Catholica Fides olim scriptis testata, vt de eo idem Nicephor. *lib.*10.*c.*14. Eum quoque commemorant Beda, Vsuardus, Maurolycus, & Baronius [a], Trithemius [b], ac Antonius Possevinus [c]. Item Baronius, & Gordonus hic [d], & alij plures; maximè ex historicis nostris.

Ordinis Prophetici.

2 Apud quos pro comperto est hunc S. Serapionem Ordinis nostri Prophetici, & Eliani alumnum fuisse. Id primò (quod sufficeret) suadetur Ecclesiæ calculo, quæ, S.Congregationis Rituum Patribus approbantibus sub Paulo V. & Vrbano VIII. eum inter alios Ordinis Diuos officio Canonico etiam sub ritu duplici pro die 30. Octobris celebrari concessit. Accedit concors Chronologicorum scriptis recepta traditio. Etenim Ioannes Palæonydorus Batauus inter eos solemnissimus [e] sic de ipso: *Porrò circa ann. Dom.* 190. *clarus effulsit Serapion ille Sanctissimus ex Eremita, & Anachoreta Carmeliticæ Religionis, Octauus Episcopus Antiochenus.* Idem prosequitur Didacus de Coria [f], ipsius vitam ex Eusebio referens, Petrus Lucius [g], Emmanuel Romanus [h], Petrus Sarracenus *in Menologio Carmel.in vit.Serapion.* Michael Munozius [i], & Cassanate [k] eum tamen confundens cum alio Serapione Episcopo Thmneos posteriori, de quo suo loco erit sermo. Maximè comprobat intentum, quòd hic S. Serapion Monachus, seu Anachoreta primitus fuit, vt colligitur ex D. Hieronymo verbis relatis, vbi eum *asceticam* vitam gessisse, id est, monasticam, Anachoreticam seu Essenam, iuxta dicta *in Appar.c.*4.docet. Item ex Possevino etiam relato Hieronymi verba sectante, Hieronymo Plato [l], eum inter Monachos censente; maximè verò ex Trithemio adducto, vbi inquit: *Serapion ex Anachoreta Ecclesiæ Antiochenæ octauus Episcopus.* Supponimus namque omnes illius temporis Anachoretas Eliæ imitatores, ac quadantenus posteros esse, ac proinde non alienos ab eo Ordine, quem ipse in Carmelo instituit. Hinc hunc Serapionem etiam de exteris inter nostrates agnoscit Laurentius Beyerlinck [m], dum de Carmelitis agit.

Quæ ipsius gesta.

3 Quæ ipsius gesta fuerint, præter relata ex Eusebio, & D. Hieronymo, valde incertum, ob historiæ penuriam. Sarracenus tamen *supra* plura de eo refert; sed prætermittenda, quia eorum quædam propria sunt alterius Serapionis, de quo *sub anno* 323. erit sermo, & quia nullius auctoris calculo communita; præsertim, quia nec illa, nec alia, quæ de alio Serapione Martyre, quem vocat septimum Generalem Ordinis circa ann. 177. cum historiæ veritate, quam nos nisu toto quærimus, cohærere videntur. Alia nihilominus veriora de ipso in sequentibus afferemus.

a in Martyrol.
b de Script. Ecclesiast.
c in Appar.sac. litera S.
d sub ann.191.
e lib.1. de Antiquit. & Sanct. Eremit. Mont. Carmel. c.3.
f in Chron.Carmel.l.7.c.11.
g in Comp.c.10
h in Elucidat. pag. 193.
i in Propugnac. Eliæ l.2.tit.2.su.ar.7 n.2.
k in Paradis. Carmel. stat.2. ætat 4.c.30.
l de bono stat. Relig.l.2. c.25.
m in Thesaur. vit. hum. to.6. lib.16 verb. Religiosus Religio.

Annus Chriſti 192. & 193. S. Eleutherij Pont. 14. & 15. Commodi Imp. 11. & 12.

Commodi inſaniæ. INSANIEBAT hoc tempore Commodus Imperator, nedum Coloſſum a Nerone quondam erectum cum ipſius Neronis capite, & poſtea a Veſpaſiano capite Solis ornatum, eo ſpolians, & proprium ipſius Commodi illi caput imponens; ſed quod magis eſt, volens haberi vt Deus Hercules, pellemque Leoninam, ac clauam geſtans. Ridebant plures, adulabantur alij; ſed Chriſtiani inſano non acquieſcebant; vt propterea eorum quidam, & inter eos celebris Iunius Senator, neci dati fuerint. Soluit tamen pœnas tum Commodus id perpetrans anno ſequenti occiſus; tum Roma conſentiens, incendio Vrbis, & Templi Pacis pereuntibus aliquibus ex Ieroſolymitani Templi vaſis, quæ Veſpaſianus ibi collocarat. Deus namque æquiſſimus publica ſcelera palàm punire ſolet. De his Euſebius, Herodianus, Dio, Lampridius, & alij, ex quibus Baronius, Scaliger & iuniores.

Serapionis geſta. 2 Inter quos Gordonus [a], commemorat Serapionem noſtrum, de
[a] ſub ann. 192. quo ſuperiùs dictum, ſub hoc tempore confutaſſe Euangelium, quod dicebatur ſecundum Petrum, & quo Docitæ hæretici abutebantur, eiuſque ſcripta perijſſe. Vera quidem, ſed explicatu digna. Etenim, quod atti-
[b] lib 3. Stromat. net ad Docitatum hæreſim, ea erat, prout ex Clem. Alexandr. [b] & Theo-
[c] diuin. decret. lib. 5. doret. [c] vt ſolùm Chriſto concederent corpus phantaſticum, matrimonium damnarent, & de hoc Geneſim explicarent perperam, dicentes per *lignum vetitum* intelligi coniugium. Erat autem huius dogmatis auctor
[d] lib. 6. c. 9. vel 10. Iulius Caſſianus quidam. Quoad alia verò Euſebius [d] hæc ſcribit de ipſo notatu digna pro hiſtoria noſtra, quia eiuſdem geſta, ac doctrinam continent: *Igitur Serapionis Epiſcopi eruditi viri puto quidem etiam alia opuſcula apud alios haberi. Ad nos autem illa tantummodo venerunt, quæ ad Dinum quendam ſcribit, qui in tempore perſecutionis à fide Chriſti recedens ad ſuperſtitionem Iudaicam declinauit: & ea quæ ad Pontium, & ad Caricum Eccleſiaſticos viros ſcribit. Et aliæ nihil minus eius ſunt ad alios epiſtolæ. Sed & ille liber venit ad nos, quem ſcribit de Euangelio Petri; vbi arguit quædam falſa in eo conſcripta, emendare cupiens fratres, qui erant apud Dinum, qui per occaſionem ſcripturæ ipſius in hæreſim declinabant. Dignum tamen videtur mihi pauca quædam de eius libello inſerere, ex quibus innoteſcat quæ fuerit eius de ipſa ſcriptura ſententia. Scribit ergo in quodam loco ita: Nos enim Fratres, & Petrum, & alios Apoſtolos recipimus ſicut Chriſtum. Quæ autem ſub eorum nomine falsò ab alijs conſcripta ſunt, velut gnari eorum ſenſus, ac ſententiæ declinamus. Scientes quod talia nobis non ſunt tradita. Ego enim cum eſſem apud vos, putabam omnes rectæ fidei eſſe inter vos, & non decurſo libello, qui mihi offerebatur, in quo nomine Petri conſcriptum Euangelium ferebatur: dixi. Si hoc eſt ſolum quod inter vos ſimultatem videtur inferre, legatur Codex.*

Nunc

Nunc autem comperto quod hi, qui codicem illum legi debere asserunt perspectu cuiusdam occultę hęreseos hoc fieri poposcerunt, sicut mihi dictum est, festinabo iterum venire ad vos. Nonenim nouimus fratres cuius hęreseos fuerit Martianus, qui etiam sibi ipsi contrarius extitit, non intelligens quę loqueretur, quae etiam vos discetis ex his quę scripta sunt vobis; inuestigata per nos ab illis, qui hoc ipsum Euangelium secundum illius traditionem didicerant: & successores extiterunt sententię eius: quos nos Locetas vocamus; quia in hac ipsa doctrina illorum sunt quamplurimi sensus, & ab ipsis mutati. Nam certum est quod plurima secundum recti rationem sentiunt de Saluatore, alia verò aliter quę subiecimus. Hæc Serapion noster.

3 Erat per id tempus sanctus quidam Monachus, nomine Theodorus, a S.Heleno, de quo superiùs dictum, Præfectus constitutus Monasterij Alexandrini, in quo S.Eugenia virili habitu cum socijs Protho, & Hyacintho monasticam gessit vitam, inter Monachos, quos Essenos fuisse fatetur ex Philone Baronius [a]. Propterea enim ipsius historiola nostris Annalibus inserenda meritò fuit. De ipso autem pauca, etsi præclara ex Vita eiusdem Eugeniæ apud Metaphrastem [b] posita hæc excepimus: *Hactenum audio dici Episcopum, cuius est habitatio illa, in qua die noctuque audiuntur Deo suo cantare, quos etiam nos quoties transimus, psallentes audimus. Sed hic Episcopus varijs dicitur Ecclesię suę occupationibus detineri. His autem qui in diuinis laudibus vacant, Theodorum quendam presbyterum constituit, cuius tanta miracula narrantur, vt etiam cæcos suis orationibus illuminet, & dæmones effuget, & infirmantibus afferat sanitatem: sanè ad diuersorium huius Congregationis, in quo Deo canitur, nullam patitur venire fæminarum.* Fuisse hunc Theodorum presbyterum diuersum ab alio similiter cognominato, qui Pachomio in Prælatura successit, & de quo *in vit. Patr. lib.* 1. *in vit. S. Pachomij*, & Gennadius [c], & ab alijs Monachis eiusdem nominis, de quibus in sequentibus, temporum distantia suadet. Eò præsertim, quòd *cap.*10. vitæ S. Eugeniæ eo *lib.*1. *vit. Patr.* dicitur ipsam eidem Monasterio a Monachis Præfectam fuisse, eo quòd *Abbas qui præerat fratribus, migrauit ad Dominum*; hic autem Abbas ex contextu historiæ videtur fuisse Theodorus, de quo in præsenti. Et de quo modò alia non occurrunt.

Theodorus Monacus.

[a] *sub ann.* 188.

[b] *in vit. Patr. lib.* 1.

[c] *in Catalog. de illustr. Eccles. Scriptorib.*

Annus Christi 194. Victoris I. Pont. 1. Commodi Imp. 13.

1 ANNVS iste vltimus fuit S. Eleutherij Papæ septimò Kalendas Iunias ex hac vita sublati; an gladio, an naturali morte, incertum: etsi enim in antiquis Martyrologijs Martyr nuncupetur, *Martyris* tamen nomen tribui olim consueuit non ijs tantum, qui violenta morte Christi causa mori cogebantur; sed & ijs quoque, qui fidei confessionis ergo cruciamentum aliquod subijssent, licet Martyrium minimè passi fuissent. Baronius, & Gordonus [d]. Quæ

Anni huius historia.

[d] *sub hoc ann.*

pro dicendis sæpius a nobis in sequentibus notari debent. Successit Victor Afer Felicis filius in ipsius locum Romanus Pontifex, prout communiter Chronologi. Postrema etiam huius anni die pœnas soluit Imperator Commodus, a Narcisso Athleta oppressis faucibus strangulatus. Sed, ò cæca Gentilitas, impurissimum hunc, & immanissimum hominem Seuerus eius successor inter Deos retulit, & vt eius festum celebraretur, instituit. De his Herodianus, Dio, Lampridius, & posteriores alij.

Philippus S. Eugeniæ pater.

2 Cum hic esset septimus Consulatus Commodi Imperatoris annus, eo tempore contigit decretam esse Philippo Augustalem Ægypti Præfecturam, prout ex *Vita S. Eugeniæ in vit. Patr. lib. 1. c. 1.* habetur, & colligitur ex *c. 17. eiusdem vitæ*, ac probat rectè Heribertus Rosvveidus [a], contra Baronium, qui secutus exemplar Græcum Metaphrastis id sub anno 188. contigisse autumat. Hæc porro nobis notatu digna erant, quia hic Philippus pater fuit S. Eugeniæ Virginis celeberrimæ, quæ eo tempore cum patre, ac matre in Ægyptum se contulit, & in Alexandriæ monasterio, quod (teste ipso Baronio eo ann. 188.) monachorum Essenorum erat, eorumdem Monachorum habitum sub viri prætextu cum socijs Protho, & Hyacintho, rem S. Heleno peragente, suscepit. De qua in sequentibus suo loco.

a in Annot. ad d. vit. S. Eugen. n. 3.

Annus Christi 195. & 196. Victoris Pontif. 2. & 3. Pertinacis, & Seueri Imp. 1. & 2.

Imperatores.

1 POST Commodi Imperatoris occisionem imperauit Pertinax paucis mensibus; sed is paulo post interfectus locum cessit Didio Iuliano, & ille post dies sexaginta sex Seuero; qui ex insperato Italiam & Vrbem occupans Imperio potitur. Dio, Herodianus, Spartianus, Eusebius *in Chronic.* & alij. Ecclesiastica porrò, licet in melius commutata viderentur, quòd Seuerus fauisse impensè Christianis describatur ob sanitatem ab vno ex ipsis impetratam, ex Tertulliano [b], & Nicephoro [c], nihilominus Theodotus Coriarius, & alter Argentarius, Praxeas, & alij hæretici Ecclesiam vexabant. Tertullian. [d] S. Epiphanius [e], & alij Hæreseologi auctores.

b ad Scapul. c. 4. c lib. 5. c. 26. d de præscript. c. vlt. e hæres. 14.

Ecclesiæ pugiles.

2 Contra eos tamen, & pro Catholicæ fidei defensione Deus Opt. Max. vigilantissimus sui gregis Pastor prouidebat interim de pluribus Ecclesiasticis Scriptoribus, quos ennumerat Eusebius *lib. 5. c. 27.* Hi sunt Heraclitus, Maximinus, Candidus, Appius, Sextus, Arabianus, & alij, de quibus inquit, quòd *exortas temporibus suis hæreticorum perfidias confutantes, fidem rectam, & Apostolicam monimentis suorum voluminum mandauere.* Quibus annumerandus Clemens Alexandrinus, quem idem Eusebius [f] maximè cõmendat; & eo libentius, quòd quadantenus ad Essenorum Ordinem spectare videtur; cum D. Panthæni, de quo idem augurati sumus *sub anno* 182. discipulus, & auditor fuerit, vt ibi probatum; ipse etiam Clemens [g] fatea-

f lib. 5. c. 10.

g lib. 1 Stromat. post princip.

fateatur se ab illo *Prophetici, & Apostolici prati flores* decerpsisse, illud enim *Prophetici* Essenorum, seu Elisenorum Propheticum indigitat institutum; & illud Eusebij *diuturnarum institutionum schola*, in quibus maximè Clemens, eodē Eusebio testante, floruit; sicut & illud D. Hieronymi [a] dum de eodem Clemente agit: *Alexandriæ Ecclesiasticam scholam tenuit*, etiam indicent Essenorum Collegium a D. Marco Euangelista, nedum in fide, sed & in monastica Christi disciplina imbutum; prout diximus *sub annis 45. & 64.* Huius autem Clementis opera, ac gesta recensita habet lector apud Eusebium [b], D. Hieronymum [c], & ex recentioribus Baronium [d], Bellarminum [e], Antonium Posseuinum [f], & alios. Apud quos etiam de causa quare a Gelasio Papa [g] Clementis opera inter apocrypha numerentur. Quia scilicet aliquibus næuis, seu falsis sententijs eius commentarij respersi inueniantur, incerto auctore. In eis tamen non omisit Clemens aliqua ad historiam nostram spectantia referre, videlicet de cælibatu Virginum, eo etiam, qui cum Deo pactis conuentis, seu votis firmatus est, vt Baronius supra annotauit. Et colligitur ex ijs, quæ ex 3. *Stromat. lib. paulò post medium* elicit Gualterius [h], videlicet: *Nos propter dilectionem in Dominum, & propter ipsum honestum amplectimur continentiam, templum Spiritus sanctificantes. Honestum enim est propter regnum Cælorum se ipsum castrare.* Verbum enim illud, seu pronomen *Nos*, vel ad ipsius personam iuxta dicta, vel ad Ecclesiæ Congregationem refertur. Et *se castrare* castitatis ligamen denotat, vt alibi diximus.

a in lib. de Scriptorib. Ecclesi.
b c. 10.
c de Scriptorib. Ecclesiast.
d sub ann. 196.
e de Scriptorib. Ecclesiast.
f in Apparatu sacro
g in Conc. Rō.
h in Tab. Chronograph. tertio sæcul. versu octaua.

2 Quia tamen de Clemente hoc egregio auctore, & schola Alexandrina, in qua præfuit, mentio facta est, eaque schola adeo celebris fuerit, vt sicut ipse Clemens D. Panthæni auditor fuit, & successor, sic & in ea Origenis magister, vt testatur Eusebius [i], qui in eo munere ipsi successit, teste D. Hieronymo [k]; ideo non incongruè existimandum, quòd nacta occasione tam insignis Gymnasij Philippus Augustalis Præfectus in ea ciuitate ab anno 194. vt eo loco dictum, curauerit, vt Eugenia filia artibus liberalibus, scientijsque imbueretur. Sic enim in vita eiusdem Eugeniæ [l] dicitur: *Eugeniam igitur filiam suam dum litteris liberalibus perfectissimè docuisset, & tam Latino eam, quam Græco eloquiò instruxisset, etiam Philosophiam doceri permisit.* Eadem quoque Virgo *cap. 3.* cum Protho, & Hyacintho pueris Eunuchis colloquens dicit: *Scio vos litteris mecum eruditos, & digna simul & indigna hominum legimus gesta, philosophorum quoque syllogismos vano labore constructos studio scrupolosissimo transegimus.* Hanc porrò Eugeniæ, Prothi, & Hyacinthi historiam nostris Annalibus condignam esse non solùm testantur Ordinis historici, qui eam & illos inter Eliæ propagines referunt, quales sunt Palæonydorus [m], Didacus de Coria [n], Munozius [o], Casanate [p], & alij plures; ac de exteris Laurentius Beyerlinck [q], dum de Ordine Carmelitarum; sed & id consequens est ad doctrinam Baronij *sub ann. 188.* dicentis Monasterium illud Alexandrinum vbi Eugenia cum suis Eunuchis Protho, & Hyacintho sub Heleno habi-

S. Eugeniæ studia.
i lib. 6. c. 5.
k epist. 65.
l c. 2. in Vit. Patr. l. 1.
m lib. 2. c. 3.
n lib. 7. c. 13.
o in Propugnac. Eliæ l. 2. Tit. 2. c. 2. ar. 7. n. 2.
p in Paradis. Carmel. decor. stat. 2. & stat. 4. c. 36.
q in Theatr. vitæ hum. lib. 16. vo. 6. verb. Religiosus Religio.

habitum monachalem induit, monachorum Essenorum fuisse. Ex hoc enim manifestè habetur ad Elianum Ordinem, cuius proles Essenatum institutum erat, spectasse. Hinc incerti Poetæ carmina hæc Casanate relatus affert.

Quæ natos, natasque docet Gracèque Latinè
Sed magis instituit iussa tenere Dei.
Posthabet hæc Christo sponsum, Patriamque, domumque
Audens Carmeleo credere colla iugo.
Ementita viri speciem, sua nomina mutat,
Inter & Eliades emicat Eugenia.

Plura ergo de ipsa in sequentibus, pro tempore, quo contigisse, iuxta veram Chronologiam, existimari potest. Hic solum, quod Alcimus Auitus vetustissimus auctor *lib. 6. c. 20.* dum de hac Eugenia loquitur, qualiter in hoc Monasterio, in quo sub virili veste Religiosam vitam egit, Præfecta fuerit, graues & verendos Monachos senes annis, meritisque rexisse inquit. Quo denotatur Monasterium illud ac Monachos in ipso degentes, non nuperos, aut nouos, sed veteris instituti alumnos fuisse. Alcimi en carmina.

Eugeniæ dudum toto celeberrima mundo
Fama fuit, Christi quæ cum pro nomine vitam
Fuderit, ante tamen fortes processit in actus.
Namque habitum mentita viri, non proinde virile
Pectus, præficitur sanctis à fratribus Abbas.
Fœmineum occultans sexum, muliebria spernit:
Et meritis annisque graues, longaque verendos
Religione senes, iuuenili rexit in æuo.

Ann. Christi 197. & 198. Victor. Pont. 4. & 5. Seuer. Imp. 3. & 4.

Huius temporis historia.

1 HOC tempore, cum quæstio de Paschatis celebrandi tempore agitata esset, Victor Papa anathema indicit aliter id facientibus, quàm Ecclesia Romana: sed non omnes acquieuerunt veritati, sed Montanistis, qui cum Iudæis in hoc consentiebant. Eusebius [a], Baronius, Gordonus, & alij [b].

a in Chronic.
b sub hoc tempore.

Tertullianus.

2 Quo maximè claruisse cernitur magnus ille Tertullianus natione Afer, patria Carthaginensis, & Christianitatis iubar, si non postea (dolendum valdè) cum Montanistis, & alijs Hæreticis miserè sentiret. Nihilominus non adeò insanijt, quin ex ipso plura habeamus pro cælibatu Virginum, & Monachorum prophetici instituti cultorum, qui eo tempore vigebant. Etenim in suo *de velandis Virginibus libro c. 3.* sacrilegium dicit non modò si quis sacras Virgines violauerit, verùm etiam si reuelauerit; & quidem tantum sacrilegium adeo execratur, vt in hanc exclamatio-

mationem erumpat: *O sacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt? Quid peius aliquis persecutor fecisset, si hoc à Virgine electum cognouisset? Denudasti puellam à capite, &c.* Expendat in ijs lector illud *Dicatum Deo habitum*, quo Virgines illius æui etiam speciali habitu Deo dicato indutas subindicat. Et in *libro primo ad Vxorem* hæc: *Prohiberi nuptias nusquam omnino legimus, vt bonum scilicet. Quid tamen bono isto melius sit, accipimus ab Apostolo, permittente quidem nubere, sed abstinentiam præferente: illud propter insidias tentationum, hoc propter angustias temporum.* Et postea: *Quot enim sunt, qui statim à Lauacro carnem suam obsignant.* (Obsignare hic pro voti consecratione videtur accipi) *Quot item, qui consensu pari inter se matrimonij debitum tollunt? Voluntarijs spadonibus pro cupiditate cælesti saluo matrimonio abstinentia toleratur, quanto magis adempto?* Et *libro primo contra Marcionem* hoc modo: *Videamus an iusta quasi destructuris felicitatem sanctitatis, vt aliqui Nicolaitæ assertores libidinis, atque luxuriæ, sed qui sanctitatem sine nuptiarum damnatione nouerimus, & sectemur, & præferamus, non vt malo bonum, sed vt bono melius. Non enim proijcimus, sed deponimus nuptias: nec præscribimus, sed suademus; sanctitatem seruantes, & bonum, & melius pro viribus cuiusque sectando.* Quod ad votum attinet, sic ille in libro de Ieiunijs scriptum reliquit: *Votum cùm à Deo acceptatum est, legem in posterum facit per authoritatem acceptatoris: exinde enim faciendum mandauit, qui factum comprobauit.*

3 Sed mirabile aliud ex eodem Tertulliano, Ductore, & Doctore eximio Cardinali Baronio *sub anno* 197. elicere valemus; quo & nostræ historiæ intentum de Monachorum Essenorum vetustate, ipsorumque habitu Eliano conformi mirè inseritur. Librum edidit hic author *de pallio* inscriptum, sub hoc tempore, vt Pamelius putat. seu non nisi circa annum 210. vt alij autumant, quod non multum nostra interest. Illud expendendum, quòd in ipso, genus quoddam pallij familiare pluribus enixe commemorat, illudque se assumpsisse attestatur. Sed cur illud assumpserit non omnibus compertum. Siquidem Pamelius vir satis doctus, & in Tertulliani gestis multis elucubrationibus eruditus, illud induisse credit, quod tunc primum Christo nomen dederit baptismatis lauacro regeneratus; ita vt pallium illud esset veluti Christianorum tessera a Christi sectatoribus gestanda. E contra verò Baronius, non ipsorum, sed eorum dumtaxat, qui strictiori vitæ, arctiorique instituto, monastico videlicet, incumbebant, proprium autumat vestimentum. Idcirco, quid in hac re sentiendum, nostræ disquisitioni relinquitur. Et quidem primò, prudenter credit idem Baronius quòd non tunc cum primùm Tertullianus hoc vestis genere indutus est Christianus esse cœpit. Ad quid enim? Constat namque non omnes Christianos palliatos incessisse; cum & Gentilium Philosophi, & liberalium artium professores, ipsomet Tertulliano teste, æque pallio vestiri consueuerint. Quod rectè etiam elicit Baronius ex Concilio Grangensi [a], D. Hieronymo [b], & Saluiano [c]. Rectè quo-

Pallium Tertullianum.

a cap. 12.
b epist. 10 & 12
c de vero iudicio lib 8.

quoque dum inquit, solos eos Christianos, qui strictori vitæ, seu modo excultiori viuendi, vacabant, eo vestis genere indutos fuisse; hoc enim ex Concilio Grangensi, Hieronymo, & Saluiano relatis, Tertulliano ipso [a], D. Cypriano [b], Origene, & Eusebio colligere potuit. Quibus accedit Seuerus Sulpitius de S. Martino dicens: *In veste hispida, nigro, & pendulo pallio circumseptum*. Et *in Epist ad Bessill.* monachos vocans: *Agmina palliata*. Sed quid? Num propterea Tertullianum monachismi professorem credere debemus ex pallij vsu? minimè gentium. Nec sine textu, authoreue hic loquendum. Ad quid ergo pallium sumpsit? Sanè occurrit menti, quòd cum ipse (*acris, & vehementis ingenij* homo, vt eum D. Hieronym. appellat) esset, & Procli Cataphrygum disertissimi, qui austerioris vitæ, & abstinentiæ cultor erat, studiosissimus, vt eum imitari videretur, pallium talis viuendi modi tesseram induerit. Ad idem accedit, quòd cum in Montanistarum heresim prolapsus fuerit, Montanistæ autem, vt in superioribus dictum, pseudoprophetæ essent, & Prophetarum simiæ, sic Tertullianus sub ementita Prophetarum veste sanctiorem vitam se gerere forsan conaretur. Quid tamen veri in hac re sit, alijs relinquimus. Id solum nobis ex dictis sumendum; fuisse nempe hoc antiquissimo æuo Monachos, & Essenos, qui arctioris vitæ studio vacantes pallio vtebantur, instar ipsorum primorum Eliæ, Elisei, & filiorum Prophetarum, de quibus id diximus *to. 1. sub ann.* 3204. *n.* 10. 11. & 12.

a in Apologet. c. 42.
b in lib. de bono patientiæ.

Historia S. Eugeniæ.

4 Circa quod tempus contigisse videntur quæ de S. Eugenia Virgine in eius historia, *in vit. Patr. lib.* 1. apud Metaphrastem, & D. Antoninum [c] referuntur, quæ quia pietatis & deuotionis plena sunt; pluraque continent spectantia ad S. Helenum, de quo in superioribus actum, omitti non debent: & si quia fusiora, in quibusdam restricta. Post aliqua ergo spectantia ad educationem in studijs, ingenium, indolem, & pulchritudinem Eugeniæ, sic pergit Auctor: *Igitur cùm quintodecimo ætatis suæ anno ab Aquilio Aquilij consulis filio peteretur sponsa, interrogaretur a patre,* (Philippo scilicet) *vtrum petenti iuueni illustrissimis orto natalibus consentiret? Illa respondit: Maritus moribus, non natalibus eligendus est: ipso enim, non parentibus eius vtendum est. Igitur cùm alijs, atque alijs poscentibus animo castitatis obsisteret, peruenit ad manus eius beatissimi Pauli Apostoli doctrina: & licet sub paganissimis parentibus ageret, esse tamen cœpit animo Christiana. Et quoniam iussi fuerant Christiani ab Alexandria vrbe discedere, rogat parentes, vt spectandi gratia permitteretur prædia sua in suburbano Alexandriæ posita circuire. Cumque statim, vt poposcerat, impetrasset, & ab vrbe prepararet ad Villam, audit Christianos psallentes, atque dicentes:* Omnes dij gentium dæmonia: Deus autem noster Cælos fecit: *Hæc ita audiens suspirauit, & fleuit, & dicit ad eunuchos pueros, nomine Protbum, & Hyacinthum: Scio vos mecum litteris eruditos, & digna simul, & indigna hominum legimus gesta, Philosophorum quoque syllogismos vano labore constructos studio scrupulosissimo transegimus: Aristotelica argumenta, & Platonis ideas, &* Epi-

c In histor. p. 1. tit. 7. c. 6. §. 12.

Epicuri sectas, & Socratis monita, & Stoicorum: & vt breuiter cuncta complectar, quidquid cantat poëta, quidquid orator inuenit, quidquid philosophus cogitat, vna hac sententia excluduntur, qua tripudiantes Christianos audimus psallere: Omnes dij gentium dæmonia: Deus autem noster Cælos fecit. Confessio, & pulchritudo in conspectu eius, sanctitas, & magnificentia in maiestate eius. Et post pauca: *Pergamus pariter ad Christianos, & sicut ordinauero, properemus. Helenum audio dici Episcopum, cuius est habitatio illa, in qua die noctuque audiuntur Deo suo cantare, quos etiam nos, quoties transimus, psallentes audimus. Sed hic Episcopus varijs dicitur Ecclesiæ suæ occupationibus detineri. His autem, qui in diuinis laudibus vacant, Theodorum quendam presbyterum constituit, cuius tanta miracula narrantur, vt etiam cæcos suis orationibus illuminet, & dæmones effuget, & infirmantibus afferat sanitatem. Sanè ad diuersorium huius congregationis, in quo Deo canitur, nullam patitur venire fœminarum. Hoc ergo considerans tondere me arbitror, vt crastina nocturna perfectio ordinata per ipsos nobis transitum præbeat. Vobis itaque duobus iuxta basternam ambulantibus, & cæteris præcedentibus ad locum deponar à vobis, & vacua pertranseunte basterna, nos tres herili habitu simul ad Dei homines properemus. Placuit vtrisque consilium: & sequenti nocte, sicut ordinauerat, adimpletur. Tantam autem credentibus sibi Christus gratiam exhibere dignatus est, vt eadem hora, qua ad Monasterium peruenerunt, Sanctus Helenus superueniret Episcopus. Et quia mos est apud Ægyptum quando circumeunt Monasteria Episcopi, psallentium eos sequatur exercitus, superuenit idem Helenus Heliopolis Episcopus, & cum eo amplius quam decem millia virorum, psallentium, ac dicentium:* Via iustorum recta facta est, & iter Sanctorum præparatum. *Audiens hæc Eugenia dixit ad socios: Considerate vim carminum, & videbitis ad nos respicere, quicquid modulatis vocibus psallunt. Denique cum Deo verò noster tractatus in dispositione mutui sermonis haberetur, audiuimus hoc cantare:* Quoniam omnes dij gentium dæmonia: Deus autem noster Cælos fecit. *Et ecce nunc arripientibus nobis iter quo recedere cupimus à culturis idolorum, & vt ad Christianam culturam perueniamus gratiam promereri: ecce millia hominum nobis occurrunt, vna voce clamantium, & dicentium.* Via iustorum recta facta, & iter sanctorum præparatum. *Intelligamus ergo quo pergat hic populus; et si ad hoc habitaculum vadunt, quò nos ire dispositimus, iungamur canentibus turbis, & aduenientibus computati ingrediamur, vt socij, quousque notitias colligamus. Igitur cum se iunxissent psallentibus, inquirunt quis esset senior, qui solus vehiculo aselli veheretur in medio populi sequentis, & præcedentis; audiunt quod hic esset Helenus Episcopus ab infantia Christianus, qui dum infantulus in Monasterio cresceret, tanta sanctitatis virtutibus augebatur, vt si quando missus fuisset ignem è vicino petere, ardentes prunas vestimento deferret illæso.* Hic texitur historia de Heleno in superioribus commemorato. *Ante paucos dies venit quidam magus, qui verborum argumentis populum Dei conabatur euertere, dicens falsum illum esse Episcopum, se missum esse à Christo ad docendum. Hic autem*

erat

erat versutissimus, & de scripturis diuinis populum seducebat. Denique omnis turba Christianorum accessit ad hunc, quem videtis, patrem nostrum, & dicit ei: Audiuimus Zaream, quòd ipse sit missus à Christo: constitue diem, in quo eum, aut recipias tibi socium, aut si potes, conuincas falsa dicentem. Igitur constituitur dies, & locus in media Heliopolis ciuitate. Venit Zareas magus cum artibus suis, venit & Helenus Episcopus cum orationibus suis. Cumque populum salutasset, ait: Nunc probabitis spiritus, qui sunt à Deo. Et conuersus ad Zaream, cœpit verborum ingens habere luctamen: sed quia versutus erat nimis, & concludere eum sermonum ratione non potuit, respiciens populum fortiter lædi, quòd Zareas superior abscederet in verbis, modicum silentium postulauit, & ait ad populum: Pauli Apostoli in hac parte monita omnino tenenda sunt; dicit enim Timotheo discipulo suo: Noli verbis contendere; ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. *Sed ne hoc testimonium non quasi cauti, sed quasi timidi proferamus, accendatur ignis in media Ciuitate, & ingrediamur pariter flammas, & qui vstus non fuerit, credamus, quòd hunc miserit Christus. Tunc omnibus sententia placuit. Statim denique ignis copiosus accensus est. Tunc beatus Helenus iubet Zaream introire flammas. Cui Zareas inquit: Ingredere tu primus, qui hoc proposuisti. Consignans se igitur beatissimus pater Helenus, expansis manibus ingentes flammas intrat, & stans illic dimidia ferè hora, neque capillis, neque vestimentis ex aliqua parte violatis, vt Zareas quoque intraret similiter imperabat. Sed Zareas reluctare cœpit, & fugere. At vbi inuitum illum populus in ignibus tradidit, statim enim circumdans flamma cœpit exurere. Et immittens se Sanctus Helenus, licet semiustum, viuum tamen eripuit, quem cum dedecore eliminauit populus de finibus regionis huius. Hunc sicut videtis, quotidie quocumque perrexerit, in Dei laudibus populus comitatur.* Pergit postea de Eugenia: *Audiens hæc beata Eugenia, ingemuit, & procidit ad pedes eius, qui sibi retulerat ista, & ait: Obsecro te, vt me illi vnà cum istis duobus fratribus meis insinues: ex idolis enim conuerti volumus ad Christum. Et quia simul hoc definiuimus, & fratres sumus, etiam hoc ab eodem impetrare volumus, vt nunquam nos patiatur ab inuicem separari. Et ille: Nunc, inquit, silete quousque ingressus Monasterium, ad quod pergit, paululùm requiescat, & cum opportunum fuerit, intimabo ei omnia secundum verbum tuum. Interea dum appropinquasset Monasterio, ad quod pergebat, ecce & illi egrediuntur obuiam patri, hymnum Deo dicentes:* Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. *Ingredientibus Episcopo, & populo etiam ingreditur Eugenia cum Hyacintho, & Protho comitibus suis, tantum ei nota, cum quo sermonem habuerat. Perfectis igitur matutinis laudibus, paululùm requieuit Episcopus, & iussit sibi ad sextam præparari, vt diuina mysteria celebraret, vt dum sextam cœpisset, nona ad refectionem ieiunantium opportunè perueniret. Requiescens autem Episcopus somnium vidit, in quo ad simulacrum fœmina ducebatur, vt illi sacrificaret. Tunc dixi, inquit, in somnio his qui me tenebant: Permittite me vt loquar cum dea vestra. Et cum me permisissent loqui, dixit ei: Cognosce te creaturam Dei*

esse, & descende, & noli te permittere adorari. At illa, his auditis descendit, & sequuta est me, dicens: Non te deseram quousque me creatori meo restituas, & conditori. Igitur cum ista in animo Episcopi voluerentur, accessit ad eum Eutropius, cum quo locuta fuerat Eugenia, & dixit ei: Tres pueri fratres vnanimiter culturam simulacrorum relinquentes, Christo seruientium numero in isto Monasterio se sociari desiderantes, & hodiè vestigia tua prosequentes huc ingressi sunt; poscentesque me cum lacrymis postulauerunt, vt mereantur notitiæ tuæ beatissimæ reuelari. Tunc beatus Helenus dixit: Gratias tibi Iesu bone refero, qui me praeuenire fecisti huius rei notitiam. Tunc conuocari ad se præcepit pueros, & apprehendens manum Eugeniæ, fudit orationem. Quam cum complesset, tulit sequestratim eos, & grauissimo vultu, quinam dicerentur interrogat? vel cuius nationis essent, credidit inquirendum. Ad hæc Eugenia respondit. Ciues, inquit, Romani sumus: vnus ex his duobus fratribus meis Prothus dicitur, alius Hyacinthus, ego vero Eugenius nuncupor. Cui beatus Helenus dixit: Rectè te Eugenius voeas; viriliter enim agis, & confortetur cor tuum pro fide Christi. Ergo rectè vocaris Eugenius. Nam & hoc scias, quia Spiritu Sancto nos, & te Eugeniam corpore ante præuidimus, & qualiter huc veneris: & quod isti tui sint, non me passus est præterire. Sed hoc mihi Dominus reuelare dignatus est, quod gratissimum ei habitaculum in corpore tuo præparasti, custodiendo virginitatis præmium, & præsentis temporis blandimenta fallacia respuendo. Scito autem, te pro castitate multa passuram: sed non te deseret ille, cui te ex integro tradidisti. Ad Prothum autem, & Hyacinthum conuersus, ait: In corpore seruitutis positi, ingenuam dignitatem animi tenuistis fortiter, & tenetis. Vnde vobis, me tacente, Christus Dominus loquitur, dicens: Amen, amen dico vobis, iam non dicam vos seruos, sed amicos. Vnde et vos beatos annuntio, quia concordastis Spiritui Sancto, quia vnanimiter consensistis monitis Saluatoris, simul ad gloriam peruenientis illam percepturi. Hæc beatus Helenus, nullo alio teste præter Deum, locutus est in medio, et iussit eam sic in virili habitu permanere. Et non eum deseruerunt, quousque baptismatis sanctificatione instructi, Monasterio, ad quod festinauerant, sociarentur. Redeamus autem ad illud tempus quo Prothus, et Hyacinthus auferentes Eugeniam abierunt. Basterna igitur iumentis ambulantibus, et pueris qui præibant vacua peruenit ad matrem. Videntes autem eminus properantes pueros, et basternam venientem, occurrerunt cum gaudio vniuersi: et inuenientes vectorium vacuum, omnes simul mugitum reddiderunt, fit quoque repentè totius Ciuitatis strepitus. Quis enim audire poterat, Præfectum filiam charissimam perdidisse? Erat itaque planctus inæstimabilis, fletus immensus: lugebant vniuersi confusi, parentes filiam, sororem fratres, serui dominam: et tenebat vniuersos mœror, et infinita animi tribulatio. Fitque per totam Prouinciam inquisitio, interrogantur aruspices, inquiruntur pythones: sacrificijs quoque, et sceleratis superstitionibus dæmonia interrogantur, vt quò venisset Eugenia indicarent. Hoc solùm omnes dicebant, quod eam dij de Cælo rapuissent. Credidit factum pater, et fletum ad consolationem reuocans, idat festa responsis, et deorum illam numero consecrans, ex auro puro ei fecit

 fieri

fieri simulacrum; quod ita cœpit excoli, vt non minorem honorem quam dijs suis exhiberent. Mater tamen eius Claudia, et fratres Auitus, et Sergius nulla poterant ratione consolationem accipere, sed erant intolerabiliter lugentes eam.

Notanda pro hac historia.

5 Pro quibus in paucis monendus lector. Primò quidem vocem *Basternam*, qua sæpe vsus est auctor in relata historia significare vectorium, quo matronæ vehebantur, currum scilicet, vulgò *Carrozam*. Sic ex Ammiano [a] notat *in Annotat. ad Vit. S. Eugen.* Heribertus Rosvvedius, & *in Onomastico* ex Hieronymo, Ennodio, Ouidio, Isidoro, & alijs. Secundò, illud *Aquilio Aquilij filio* in veteri lectione legi *Aquilio Aquilini*, & apud Baronium [b], non Aquilio, sed *Acilio*, qui eo tempore cum Commodo Imperatore Consulatum gerebat. De quo idem Heribertus *in Annotationib.* relatis. Notat tertiò Didacus de Coria [c], quòd S. Helenus, de quo in præsenti historia, quamuis Heliopolitanus esset Episcopus, nihilominus curam simul gereret illius Alexandrini Monasterij, ac cum ipsius Monachis in eo conuiueret. Cæterum cum Heliopolis diuersa Ciuitas ab Alexandria esset, nec ab ea parum distans, proculdubio credi par est Sanctum Episcopum extra suam Sedem ex aliqua notabili solum causa tunc Alexandriæ adfuisse. Pro quo videnda quæ inferius *ad ann. 203.* notabimus de simili Episcopatu Philippi patris S. Eugeniæ. Notat idem Coria quartò potuisse sine peccato S. Helenum Eugeniam fœminam in virorum consortium admittere, sicut & ipsam, vt dicetur in sequentibus, eis præficere, speciali Dei reuelatione ductum; forsan somnio, de quo in historia est sermo, manifestata.

a lib. 24.

b sub ann. 188.

c lib. 7. c. 18.

Annus Christi 199. & 200. Victor. Pont. 6. & 7. Seuer. Imp. 5. & 6.

PRÆTERMISSIS, quæ de Seuero Imperatore, & filio eius Antonino Cæsare creato narrant Dio, Spartianus, Herodianus, & alij, de proprijs habemus quæ S. Eugeniæ historia [d] apud Metaphrastem, Antoninum, & alios, de hoc tempore, quæ cum socijs Protho, & Hyacintho in Monasterio Essenorum agebat, sic suggerit. *Beata autem Eugenia virili habitu, & animo in prædicto virorum Monasterio permanebat; atque ita in diuinis eruditionibus profecit, vt intra secundum annum omnes scripturas Dominicas memoria retineret. Tanta in ea erat animi tranquillitas, vt vnam illam omnes dicerent ex numero esse Angelorum. Quis enim deprehenderet quod esset fœmina, quam virtus Christi, & virginitas immaculata protegebat, vt mirabilis esset & viris? Sermo enim eius erat humilis in charitate, clarus in mediocritate, vitijs carens, & facundiam fugiens, omnes in humilitate superabat. Nullus illa ad orationem inueniebatur anterior, efficiebatur autem omnibus omnia; tristem consolabatur, lætocongaudebat, irascentem vno sermone suo mitigabat; superbientem ità suo ædificabat exemplo, vt ouem subito è lupo factam se credere delectaretur. Tantam à*

d Vit. Patr. l. 1.

S. Eugeniæ gesta.

Deo

Deo est gratiam consecuta, vt quemcumque in dolore positum visitasset, omnis statim dolor recederet, & omnes salubritas adueniret. Comites autem eius Hyacinthus, & Protbus comitabantur eam, & erant in omnibus obtemperantes ei. Hanc vitæ rationem sequebantur in Monasterio Esseno Eugenia, & socij in nostrorum Monachorum mirabile exemplum. Quæ porrò postea contigerint, tempore quo accidisse secundum historiæ veritatem comperietur, referemus.

Annus Christi 201.& 202. Victoris Pontif. 7.& 8. Seueri Imp. 7.& 8.

1 QVOAD Ecclesiasticas res, occasione accepta, quòd Seuerus ad conciliandum sibi populum militibus etiam tribueret donatiuum, & ipsi coronati accepturi accederent, vno excepto Christiano, ne dum in ipsum solum verberibus, & tormentis actum, sed & contra Christianos cunctos noua insurrexit persecutionis procella; militis facto a multis ipsorum reprobato, a Tertulliano tamen [a], cum iam ab Ecclesia (inuidiæ tabo confectus quòd videret Victorem Gentilem suum Papam, vel superbia stimulatus quòd non sicut vellet coleretur, aut Procli asperioris disciplinæ vitæ hominis externo cultu deceptus) defecisset, satis commendato, quòd falsò crederet Christianum militare non posse. Baronius, Gordonus, & alij sub hoc tempore. *Noua persecutio contra Christianos.* *a in lib. de corona milit.*

2 Vocant nos propriora de Beata Eugenia tertio suæ conuersionis, & Monasticæ cum Monachis Essenis conuersationis anno, prout ex ipsius historia apud Metaphrastem, Antoninum, & alios habetur; maximè verò ex *Vit.Patr.lib.1.in ipsius vita*, vbi sic: *Tertio igitur anno conuersionis eius, abbas qui præerat fratribus in Monasterio migrauit ad Dominum. Post cuius abscessum omnibus visum est, vt sibi beatam Eugeniam eligerent abbatem. Tunc beata Eugenia metuens se fœminam contra regulam viris præponi; item timens, ne omnes vnanimiter deprecantes sperneret, ait ad eos: Obsecro vos, vt Euangelium in præsenti adhibeatis. Quod cum fuisset allatum, dixit: Quotiescumque Christianis aliquid eligendum est, Christus est ante omnia auscultandus. Videamus ergo in hac electione vestra, quid ipse præcipiat, & vt vestris iussis, & ipsius monitis intendamus. Et reuoluens codicem, venit ad locum, & cœpit legere dicens: Dixit Iesus discipulis suis: Scitis quia principes gentium maiores sunt his quibus dominantur, & principatum eorum gerunt. Apud vos autem non est sic: sed si quis in vobis vult primus esse sit vester vltimus: et si quis inter vos voluerit esse dominus, sit vester seruus. Et his dictis, adiecit: Ecce inquit & vestris iussis obtemperans, decreui primatum suscipere, et Domini iussionibus obedire: vltimum me vestræ charitati constituo. Exhilaratur omnium causa in consensu eius; ipsa tamen ante omnes opus Monasterij, quod infima sciebat exercere persona, suscepit: in omnibus aquam portare, ligna concidere, munditias abluere. In eo denique loco habitaculum sibi elegit, vbi ostiarius* *S. Eugeniæ alia gesta.*

Monasterij manebat, ne vel ipso se superiorem ostenderet. Sanè refectionem fratrum solicitè curabat, et psallendo Deo ordinem fortiter custodiebat; et tertia, sexta, nona, vespertinis vel nocturnis, atque matutinis horis tam cautissimè insistebat, vt videretur iam perisse Deo, si horarum vel quidpiam spatij absq; diuinis laudibus aliqua prateriisset. Ita denique in hoc opere esse Deo charior cœpit, vt dæmones ex obsessis corporibus pelleret, et cæcorum oculos aperiret. Præclara hæc Sanctitatis B. Eugeniæ monumenta silentio præteriri non debuerunt, vt vel in exemplum sint aliorum, qui Monachis, vel Religiosis præsunt. Is porro Abbas, ob cuius decessum Eugenia præfecta Cœnobio fuit, ille videtur Theodorus, de quo *sub ann.* 192. dictum.

Annus Christi 203. & 204. S. Zepherini Pont. 1. & 2. Seuer. Imp. 9. & 10.

Zepherinus Papa. a lib. 5. c. 27. b sub ann. 203.

1 VICTORI Papæ Martyrium passo Romæ die 28. Iulij succedit Zepherinus Romanus octauo Idus Augusti. Eusebius [a], Baronius [b], & alij. Excitatur interim a Seuero persecutio in Christianos adeo grauis, vt illa tempora Antichristi putarentur; cuius vna inter alias causa potuit esse conuersio ad fidem Philippi Augustalis in Ægypto Præfecti, & S. Eugeniæ inter Monachos Essenos conuiuentis patris, de qua inferius. Insaniebat propterea Scapula Africæ Proconsul, ad quem Tertullianus libellum declamatorium potius quam supplicem, vt illius impetus retunderet, scripsit. Tertull. [c] Eusebius [d], & alij. Insaniebant quoque alij Gentiles Christianis improperantes, quod Deus ipsos multa perpeti mala sinebat; nescientes sanè illud Apostolicum: *Omnes qui piè volunt viuere in Christo persecutionem patiuntur.* Illis tamen respondebat Clemens Alexandrinus [e], hoc tempore Alexandriæ docens.

c ad Scapul. d lib. 6. c. 1. e lib. 4. Strom.

Conuersio Philippi patris S. Eugeniæ.

2 Historia porro conuersionis Philippi clarissimi Ægypti Præfecti, ac patris Eugeniæ, quæ simul cum gestis eiusdem Eugeniæ *in Vit. Patr. lib.* 1. & apud Metaphrastem, Antoninum, & alios extat, talis est; diffusè referenda, quòd tam patris quam filiæ, matris, & fratrum, ac etiam Monachorum eius Cœnobij, vbi Essenatus exercebatur, gesta miranda continet: *Matrona quædam Alexandrina cæteris matronis præstantior, nomine Melanthia, audiens opinionem eius, venit ad eam, quia quartana grauissimè, & iam per annum, & eò amplius vexabatur. Quam cum beata Eugenia oleo perunxisset, omnem continuo violentiam fellis euomuit. Et sanissima reddita, pedibus ad suum diuersorium properauit, quod in vicino Monasterij possidebat. Ordinat interea munera, scyphos argenteos tres implet solidis, & hos sanationis suæ gratia mittit ad beatam Eugeniam. Cui gratanter remittens, quæ miserat, ait: Abundamus, & superabundamus omnibus bonis. Vnde te parens charissima Melanthia, vt ista egentibus magis, ac necessitatem patientibus diuidas, hortor, & moneo. Audiens Melanthia, contristata est, & veniens, cœpit rogare, & am-*

ampliora promittere. Fit assidua circa beatam Eugeniam, & in nullo deprehendens quòd esset fœmina, elegantia decipitur iuuentutis. Videns eam iuuenem per veritatem putabat esse terrenum: se autem non sanctitate eius, sed aliqua arte existimans fuisse saluatam, in concupiscentia eius elabitur, & putans amplioris pecuniæ cupidiorem, cœpit infinita offerre, & ampliora promittere. Cumque sæpius eadem precaretur, & grato animo oblata sibi ab Eugenia cerneret reddi, declinat ad maiorem interitum, ægritudinem simulans. Quam cum beata Eugenia rogata visitaret, sedenti ante lectum suum S. Eugeniæ talia cœpit producere: Intolerabilis circa te amor pectus meum exagitat, nec vllum remedium fatigationi meæ reperire potui, nisi vt te omnium rerum mearum dominum instituam. Quid te ipsum vanis, & inanibus abstinentijs crucias? Ecce possessionum locupletatio infinita, & ecce auri pondus immensum, & argenti ministerium copiosum, & familiæ infinitus est numerus: dignitas generositatis est mihi; hoc anno absque filijs viduata sum, succede pro eis in facultatibus meis, & non solum rerum mearum, sed meus esto iam dominus. Cumque hæc, & his similia loqueretur, dixit ad eam Eugenia: Rectè nomen tuum nigredinis testatur perfidiam: magnum enim te diabolo habitaculum præparasti: discede à seruis Dei deceptrix, & illecebrosa Melanthia: nos enim aliter militamus. Habeant opes tuæ tui similes dominos, nos delectat mendicare cum Christo. Affatim diues est, qui cum Christo pauper est. Fugiant à te imagines concupiscentiæ, non est enim salutis tuæ ista, quæ te inuasit insania. Draconis habitaculum facta, venenum effundis; sed nos Christi inuocato nomine venenorum tuorum virus euadimus, & misericordiam Domini inuenimus. Tunc illa deceptionis suæ pudorem non ferens, sperans se detegi, nisi prior ipsa detegeret, reuersa Alexandriam, adire Præfectum statuit, hoc ordine dicens: Scelestum iuuenem, simulantem Christianam religionem incurri, & dum medendi gratia, qua dicitur posse infirmitatibus prodesse, ad me venire permitterem, vnam me ex illis existimans, de quarum pudore bacchatur, ausus est impudenter alloqui, & verbis procacibus ad crimen hortari: & nisi dedissem vocem in præsenti, & ancillæ meæ fuissem liberata solatio, more barbarico suæ me libidini captiuasset. Audiens hæc Præfectus, nimio furore inflammatur, & iubet ad loca Monasterij destinari, qui eum vinctum ferro cum omnibus commorantibus deponerent. Deponuntur itaque omnes in vinculis; & quia vnius carceris eos non ferebat locus, per diuersas custodias diuiduntur. Post hæc statuitur dies funeris: in quo alij ad bestias, alij verò ad ignes, alij ad diuersa supplicia damnarentur. Fit rumor immensus, impudens quoque fama cunctam Ægypti peragrat Prouinciam. Omnes credunt, omnes condemnant, & omnibus verisimile videtur, Melanthiam illustrem fœminam mentiri non posse. Quid multa? Venit dies funerum constitutus, & in qua vniuersæ Ciuitates in vicino positæ conueniunt, vt viderent ferarum tradi morsibus corruptores; introducuntur in catenis, & collaribus ferreis cum beata Eugenia; & nullo agnoscente quod esset fœmina, clamor populi diuersis sententijs ingruebat. Tunc iubetur adduci propinquius, vt non per internuntios eam Præfectus audiret, sed ex ore eius addisceret veritatem.

Aptantur equulei, & verbera, flamma, tortores, & cætera quæ solent abscondita cordis exculpere, præparantur. Tunc Præfectus Philippus dixit: Dic sceleratissime Christianorum, hoc vobis Christus vester tradidit in mandatis, vt operam corruptionibus detis, & pudorem, atque verecundiam matronalem fraudulenta astutia captatis? Dic nunc furcifer, quæ te temeritas coëgit, vt illustrem fœminam Melanthiam appeteres, & ingressus sub specie medici castitatem generosissimam ad lupanariam ignominiam prouocares? Audiens hæc beata Eugenia, capite demisso, ne posset agnosci, taliter dedit Præfecto responsum: Dominus meus Iesus Christus, cui ego seruio, castitatem docuit, & integritatem corporis custodientibus vitam promittit æternam. Hanc autem Melanthiam, falsam testem nunc possumus declarare; sed melius est, vt nos patiamur mala quam illa, dum conuicta fuerit aliquid patiatur, ne & fructus patientiæ nostræ depereat: sed tamen si per victoriam Principum testetur vestra sublimitas; quod non in eam ipsam retorqueatis sententiam, & hæc fallax testis nihil patiatur mali, nunc probabimus crimen, quod nobis obijcit, redundare in eam. At vbi testatus est per Principum salutem Præfectus, promittens ad omnia, quæ postulabat effectum, dixit Eugenia: O Melanthia nigredinis nomen, & tenebrosa Melanthia: applicari fecisti aculeos, suspendi præcipis Christianos. Damna, percute, incende; bene nos accipis, non tamen tales habet famulos Christus, quales tu testaris. Tamen adduci præcipe ancillam, quam testem nostri criminis esse dixisti, vt ex ore eius possit denudari mendacium. Cumque applicata fuisset in conspectu Iudicis, cœpit dicere: Istum iuuenem impudicissimum frequenter quidem circa viles personas detectum in adulterijs, ipsa impunitas ad hoc eum perduxit, vt etiam dominæ meæ circa primam horam diei cubiculum impudenter ingressus, primò quidem sermone quasi pro salute eius veniret, indicaret, secundò pro sua concupiscentia, & tertiò etiam ad violentiam, si cursim ego ingressa familiam non vocassem, quæ hodie huius criminis testis est. Tunc Præfectus ex familia adesse iubet aliquos, qui ita gestum esse suo testimonio confirmarent. Cumque applicarentur, singuli ita esse, vt illa dixerat, testabantur. Tunc iudex vehementer commotus ait: Quid ad hæc, infauste, dicturus es, quem tot reuincunt testes, tantaque indicia manifestant? Ad hæc beata Eugenia ait: Tempus loquendi est, quia tempus tacendi transijt. Optaueram quidem crimen obiectum in futuro iudicio denudari, & castitatem meam illi soli ostendere, cuius amore seruanda est. Tamen ne glorietur in seruos Christi fallax audacia, & paucis pandam verbis veritatem, non ad iactantiam humanæ declamationis, sed ad gloriam nominis Christi. Tanta enim est virtus nominis eius, vt etiam fœminæ in timore eius positæ virilem obtineant dignitatem, & neque ei sexus diuersitas fide potest inueniri superior, cum beatus Paulus Apostolus magister omnium Christianorum dicat, quod apud Dominum non sit discretio masculi, & fœminæ, omnes enim in Christo vnum sumus. Huius ergo normam animo feruente suscepi, & ex confidentia, quam in Christo habui nolui esse fœmina, sed virginitatem immaculatam tota animi intentione conseruans, virum gessi constanter in Christo. Non enim subrunitam honestatis simulationem assumpsi, vt vir fœminam

simu-

simularem, sed fœmina viriliter agendo, virum gessi, virginitatem quæ in Christo est fortiter amplectendo. Et hæc dicens scidit à capite tunicam, qua erat induta, & apparuit fœmina. Et statim ad Præfectum ait: Tu mihi quidem secundum carnem pater, Claudia mater est, & fratres hi duo, qui tecum sedent Auitus, & Sergius, ego autem Eugenia filia tua, quæ pro amore Christi mundum omnem cum delicijs suis respui tanquam stercus. Ecce Prothus, & Hyacinthus eunuchi mei, cum quibus scholam Christi ingressa sum: Christus autem tam idoneus sibi extitit, vt victricem libidinum omnis pollutionis me faceret per misericordiam suam, cui credo vsque in finem me iugiter permansuram. Agnoscentes itaque pater filiam, & sororem fratres, serui dominam, currunt statim ad eam, & effundentes lacrymas in conspectu populi amplexibus eius incumbunt. Nunciatur factum Claudiæ matri, & statim cursu concito ad spectaculum venit. Deferuntur vestimenta auro texta, & licet inuita, induitur, atque in excelso tribunali posita, in sublime attollitur, & ab omni populo clamatur: Vnus Christus, vnus, & verus Deus Christianorum. Sanè Sacerdotes, & Episcopi, qui cum multo populo Christiano ante amphitheatrum erant, vt dum fuissent interfecti hi qui accusabantur, ab eisdem sepelirentur, ingrediuntur, Deo hymnum dicentes, atque omnes vna voce clamantes: Dextera Domini glorificata est in virtute, dextera manus tua Domine confregit inimicos. *Tollitur ergo in triumpho Eugenia, & ne tanto gaudio populi, eius defuisset probatio castitatis, visus est ignis de Cælo descendens: qui ita circundedit domum Melanthiæ, vt nec vestigium alicuius rei, quæ ad eam pertinebat, remanserit. Fit gaudium populi cum timore Dei: Ecclesia quæ iam quasi viduata, octauo anno clausa fuerat, reseratur. Reuocatur Christianorum populus, baptizatur Præfectus in fascibus constitutus, baptizantur filij eius, baptizatur mater eius Claudia. Restituit priuilegia Christianis, & mittit relationem ad Seuerum Imperatorem de Christianis, & memorat satis Reipublicæ Christianos prodesse, ideò debere eos absque persecutione aliqua in vrbibus habitare. Consentit relationibus Imperator, & fit tota Alexandrina Ciuitas quasi vna Ecclesia. Eratque omnibus Ciuitatibus gaudium, & dignitas Christiani nominis florescebat. Sed quia semper sanctitatem æmulatio sequitur inimici, & contra bonitatem pugnat malitia: consilio diaboli aliqui ex honoratis Alexandriæ, cultores idolorum, accipientes ægrè, quod Christianis priuilegia tribuisset, venientes ad Regem, dixerunt: statum Reipublicæ conturbatum à Philippo, qui cum nono anno in fascibus irreprehensibiliter administrauerit, nunc decimo anno perdidit omnia. Denique Deorum immortalium destruit cærimonias, & omnem Ciuitatem ad culturam cuiusdam hominis, quem Iudæi occiderunt, conuertit. Non est legibus vestris vlla reuerentia. Passim quisque vt voluerit, templa reuerenda ingreditur, non vt colendi beneuolentiam prætendat, & non vt Deos esse quos colimus, credat, sed vt dicat infinitas blasphemias, saxa, aut metalla potiùs quàm diuini nominis signa. Hæc & similia multa dicta sunt Seuero, & Antonino Augustis. Qui commoti direxerunt ad eum huiuscemodi decreta: Diuus parens noster, Commodus quondam Augustus, non vt Præfectum, sed vt Regem te Alexandriæ ordinauit, atque constituit*

stituit, vt dum in vita maneres, successorem nullum susciperes. Vnde his beneficijs eius superaddere cupientes, statuimus, vt dijs omnipotentibus solitam culturam exhibeas; vel deposita dignitate etiam proprijs facultatibus cedas. Accepta igitur hac Augusti auctoritate, simulat ægritudinem, quousque vniuersa distraheret, & donaret per omnem Prouinciam Ecclesijs, & pauperibus. Ipse autem Præfectus in timore Dei, & in cultura Christi etiam alios confortabat in Christo. Interea omnis Alexandria conspirat in Episcopatum eius, & cœpit eum Respublica habere Præfectum, quia successor ei nondum venerat, & Ecclesia habere Episcopum, quia merito fidei sibi eum elegerat sacerdotem. Durauit autem in Episcopatu vnum annum, & menses tres. Post hac autem spatia temporum veniens Perennius Præfectus, dum Alexandriæ quæreret percutere eum, & non posset, quia omnis Ciuitas in amore eius durabat, immisit ei, qui se fingerent Christianos, & ingredientes percusserunt eum in oratione Dominica constitutum. Post traduntur percussores Præfecto Perennio. Ille autem conscius iussionis suæ, & quasi audiendos custodiæ mancipauit: post paucos autem dies Principum indulgentia relaxatos dimisit. Beatissimus autem Philippus post percussuram tribus diebus in corpore esse permissus est, non ad aliud, nisi ad corda dubia confirmanda, nam vt migraret ad Dominum martyrij se noluit corona fraudari, & ipse hanc vt reciperet, orauit. Nam qui in corpore positus dæmonia fugabat, & illuminabat oratione cæcos, quanto magis se noluisset palma priuari? Poterat vtique quod volebat, impetrare sine dubio: & ita recepit, vt particeps nominis Philippi, esset particeps & coronæ: & susciperent martyres collegam, quem merito Ecclesia susceperat sacerdotem. Iuxta atria itaque vbi sancta Eugenia filia eius Monasterium Christi virginibus collocauerat, illic suum iussit collocari corpusculum, in quo loco beatissima Claudia xenodochium fabricabat, & constituit prædia, quæ susceptionibus peregrinantium deseruirent: ipsa autem cum Auito, & Sergio filijs, & cum beata Eugenia regressa est Romam.

Notanda. 3 Aliqua circa hanc periucundam, & celebrem Eugeniæ, & aliorum historiam meditanda veniunt. Et primò circa ea Epistolæ Seueri ad Philippum: *Non vt Præfectum, sed vt Regem te Alexandriæ ordinauit*, seu, vt habet Metaphrastes ex versione Herbeti, *Te tanquam Regem potius quam Præfectum elegit*, notat Baronius *sub anno* 204. & Heribertus Rosvverdius [a], cohærere cum ijs quæ de Ægypto habet Tacitus [b], scilicet: *Ægyptum iam inde à Diuo Augusto equites Romani obtinent loco Regum. Ita visum expedire Prouinciam aditu difficilem, annona fæcundam, superstitione, ac lasciuia discordem, & nobilem, & insciam legum, ignaram Magistratuum domi retinere.* Secundò ad illa *In Episcopatum eius*, & *Ecclesia habere Episcopum*, ac ea *Durauit in Episcopatu*, quibus denotatur hunc Philippum Alexandrinum Episcopum electum fuisse notant Baronius, & Heribertus *supra* corrigenda esse veluti errorem continentia; nam illius Præfectura sæcularis fuit, non sacerdotalis; nec Eusebius, Nicephorus Episcopus, Nicephorus Calixtus, aut alij qui seriem Episcoporum Alexandrinorum texerunt inter ipsos eum numerant. Sed

a in Annotat. ad L.1.v.8.Patr sup. hanc vit. S. Eugeniæ.
b lib. 17.

non

non animaduertunt Baronius, & Heribertus nomen Episcopi alicuius Ciuitatis sæpius in Patribus, & Historijs non solum tribui solitum principali Antistiti ipsius, sed quandoque etiam alijs in eo munere coadiutoribus, Coepiscopis, & veluti Vicarijs ipsorum. Hoc enim nouissimè clarius compertum hisce fuit diebus in Vrbe; cum enim quidam Anonymus Gallus libro de ea re edito, & litteris ad Sanctiss. D. N. Innocentium X. missis, probare contendisset S.Paulum Apostolum æquè ac B. Petrum totius Ecclesiæ gubernacula tenuisse, summumque Ouilis Christi Pastorem extitisse, ex eo (inter alia) quod quandoque a Patribus idem Paulus Romæ Episcopus compellatus fuerit, cum eiusdem Sanctissimi iussu causa maturissimè ab Eminentissimis Purpuratis, & aliquibus Theologis (inter quos minimus eram) discussa esset, compertum sanè positionem illam hæreticam esse, & nomen Episcopi sæpius concedi solitum ijs, qui præcipuo Antistiti in Ecclesiæ gubernio deseruiunt, coadiutorum, Coepiscoporum, vel simili munere. Quod etiam in hac historia clarè concipitur: etenim in illa dicitur quod cum beata Eugenia coram patre ipsius Philippo ad tribunal adducta astaret ante amphitheatrum erant *Sacerdotes, & Episcopi*, vt quos credebant martyrio tradendos sepelire possent, & qui postea exclamarunt: *Dextera Domini glorificata est in virtute; dextera manus tua Domine confregit inimicos*. En iam liquido constat Alexandriæ fuisse aliquos, qui *Episcopi* vocarentur. Cur non dicemus eodem prorsus titulo vocatum postea Philippum Episcopum, quia videlicet in eodem munere cooperandi ad regimen Alexandrinæ Ecclesiæ deseruiret? Perennium illum Præfectum ab Imperatoribus Alexandriam missum Terentium vocat Metaphrastes. Baronius autem proximè notatus Terentium Lætum dictum suspicatur. Sed Perennium habent Menæa manuscripta, Ado, & Vsuardus in Martyrologio, Herbetus verò cum Herennio Celso apud Trebellium Pollionem eum collocare videtur. Circa illud *Percusserunt eum* Baronius, & Herbetus supra inquiunt; *quod verò Eusebius de martyribus in Ægypto passis agens nullam de Philippi huius martyrio mentionem habuerit, inde fortasse accidit, quod eum necis ipsius causa præterijt. Quod enim à sicarijs clam occisus esset, nec publica aliqua, quæ sciretur Christiani nominis confessio præcessisset; ab eo prætermissus esse videri potest: cum alioqui permulta maioris quoque momenti ab eo (vt in singulis fere annis videre est) esse silentio prætermissa nullum sit dubium*.

4 Maximè, & ad nostra proprius expendenda illa, quæ ex hac historia relata sunt, videlicet de Virginum Monasterio a beata Eugenia iuxta locum, in quo pater Philippus sepultus est, fabricato, ac Xenodochio a Claudia matre erecto. Hoc namque Monasterium, prout suspicari fas est, eiusdem Essenorum instituti esset, ac illud, in quo eadem Eugenia cum Monachis virili habitu induta moram fecit. Illud namque Cœnobium Essenæ scholæ fuisse testatur Baronius *sub anno* 188. Idque supponunt nostri Ordinis scriptores Palæonydorus, Cassanate, Notanda alia.

nate, & alij; quod tamen iuxta Nitriam fundatum dicunt.

Persecutio in Christianos. a lib. 6. c. 1.

5 Opportunè etiam ad hoc tempus cum Baronio referri possunt, quę ex Eusebio [a] sic habentur: *At cum Seuerus quoque persecutione agitaret Ecclesias, praeclara à militibus Christi pro pietate certamina Martyrij gerebantur; praecipuè tamen apud Alexandriam, quo ex omni Ægypto, & Thebaide, velut in quoddam stadium pietatis athletae deducebantur. Qui per suppliciorum, mortisque patientiam consequebantur à Deo immortalitatis coronas.* Hanc etenim persecutionis procellam, quae tota in Ægypto, Alexandria praesertim, grassabatur, dubio procul Essenos Monachos Monasterij S. Heleni, & in quo B. Eugenia cum socijs Protho, & Hyacintho conuixerat, tetigit. Plures ergo ex illis Martyrij palma donatos facilè coniectari potest.

Annus Chr. 205.206.& 207. Zepherini Pont. 3.4. & 5. Seuer. Imp. 11.12. & 13.

Persecutio crescit.

1 MAGNVS persecutionis ardor contra Ecclesiam succensus de medio tulit Martyres plures. Gundenem Virginem Carthagine; Perpetuam, & Felicitatem Tuburbi; Zoticum Episcopum Montanistarum mastigem in Armenia; Serapionem (diuersum ab eo, de quo *sub ann.* 189. dictum) in Ægypto; Andeolum in Gallijs, & omnium celeberrimum S. Irenaeum a Tertulliano ipso, Eusebio, D. Hieronymo, & alijs iure commendatum. Numerat idem Eusebius [b], plures ex Origenis discipulis, quos ipse tunc magnae expectationis, & virtutis iuuenis, ac scholae Alexandrinae Magister ad Martyrium hortabatur. Hi sunt Plutarchus, Serenus, Heraclides; Heros, & alius Serenus. Deinde *cap.* 4. refert Pontamianam eiusdem Origenis discipulam, ac Basilidem carnificem, qui eam trucidauit. Cum enim eam ad martyrium deduceret, & humanitatis, ac miserationis causa abijceret impudentes, ac impios iuuenes, qui Pontamianae verbis, & iniurijs illudebant; illa gratificare volens Basilidis pium affectum: *Certus esto,* inquit, *quod cum abiero ad Dominum meum sine mora boni huius tibi remunerationem parabo.* Quod ita contigit: postea enim Christianum se esse professus martyrij palmam subijt; & causam subitae, ac laudabilis huius permutationis exquirentibus respondit: *Quod Pontamiana post diem tertium martyrij sui noctu assistens coronam capiti suo imposuerit dicens, deprecatam se pro ipso Dominum, & impetrasse, vt secundum quod scriptum est, qui recepit martyrem mercedem martyris consequetur.*

b lib. 6. hist. c. 3.

An aliqui Martyres Ordinis Prophetici. c cap. 4.

2 Pendendum etiam quod Plutarchus relatus (de quo idem Eusebius [c]) dicatur ab Origene conuersus, & quod *perfectae vitae institutа seruauit*; & quod Eracla eiusdem Plutarchi frater ab ipso quoque Eusebio asseratur fuisse ab Origene *vitae purioris institutionibus ad profectum institutus*. Quibus si addatur, quod de eodem Eracla refert ex Origene, & Eusebio Baronius *sub anno* 197. quod scilicet, non vulgari veste, & communi,

qua

qua antea vsus fuisset, sed pallio (quod idem Baronius putat signum fuisse hominis arctioris vitæ instituto vacantis) insuper quod omnes illi a Marco primum Essenorum institutore, & a Panthæno, de quo in superioribus, eiusdem instituti, vt videtur, professore, successionem veluti hæreditariam in simili institutione traxerint; vnde colligi datur idem de illis suspicandum. Sed in re ancipiti aliorum expectandum iudicium. Ad certiora properemus.

3 De Eugenia videlicet Monasterij Alexandrini cum socijs Protho, & Hyacintho cultrice; de qua & fratribus Romæ iam agentibus post Philippi patris martyrium, hæc habet ipsius historia apud Metaphrastem, & alios, ac *in Vitis Patrum lib.*1. maxime. *Igitur filios Philippi cum omni gaudio Senatus recepit Romanorum, & vnum Proconsulem Carthaginem, alium Vicarium Africæ dirigunt. Ad Beatam autem Eugeniam, cum multæ matronæ conuenirent, & pene omnes virgines, quascumque potuisset, notas aut amicas, faceret etiam Christo credere, & in virginitate Dominica permanere, &c.* Refertur postea historia conuersionis S. Basillæ Virginis opera ipsius Eugeniæ, Prothi, & Hyacinthi facta; sed quia id contigit tempore S. Cornelij Papæ, ad illud remittendum.

4 Ad hoc tamen tempus, quo Romæ versabatur, spectare videtur id quod de erectione Monasterij Monialium ab eadem virgine Eugenia facta, referunt ijdem Palæonydorus, & Cassanate ex Vincentio Belouacensi [a]. Quod equidem satis congruit cum ipsius historia; siquidem in ea adiungitur. *Omnibus virginibus conuentus erat ad beatam Eugeniam*: & inferius: *O quantas per Eugeniam virgines Saluator inuenit.* Item inferius: *Residentibus autem sanctis virginibus Christi, quæ erant cum Eugenia, & Basilla dixit omnibus beata Eugenia.* Credi ergo par est virgineum aliquod contubernium, Monasterij instar, Eugeniæ ascriuisse. De quo etiam Coria [b].

S. Eugeniæ Monasterium.

[a] lib. 12. Speculi Historialis c. 3.

[b] lib. 7. c. 13.

Ann. Chr. 208. 209. 210. 211. & 212. Zepher. Pont. 6. 7. 8. 9. & 10. Seuer. Imp. 14. 15. 16. 17. & 18.

1 PENVRIA historię horum annorum cogit illos simul in vnum colligere. Omissa autem prophana, quoad Ecclesiasticam spectat, affligebatur interim Ecclesia Martyrum nece, & perfidorum impudentissimis calumnijs; siquidem inter alias, occasione accepta quòd Christiani ad Sacerdotum pedes procumberent, contra illos effutirent quod ipsorum genitalia colerent. Qua forsan de causa, & vt ethnicis huiusmodi maledicentiæ occasio subriperetur, & vt inter virgines, & adolescentes, cum quibus conuersabatur, purior esset, malè interpretatus illud Matth. 19. a Christo dictum, *Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt*, Origenes iuuenis se ipsum excidit. Eusebius [c], & alij post ipsum. Quia verò ipsius Origenis pueritia, & adolescentia miris, & velu-

Historia huius temporis.

[c] lib. 6. c. 3.

veluti prodigiosis virtutibus plena fuit, ita vt iudicia Dei abyssum multam esse vel ex hoc homine cerni possit, cum postea in plurium errorum barathrum prolapsus fuerit, ideo quæ de eo idem Eusebius *lib. 6.* refert, etsi pressiùs, & sub epilogo, afferemus, ad omnium institutionem, & præcipuè ad humilitatis exercitium cunctis commendandum, vt *qui stat videat ne cadat.*

2 Primò, de infantia ipsius sic habetur: *Frequenter dicitur dormienti puero religiosus, & solicitus superueniens pater operimentum pectoris detraxisse, & velut Dei Spiritu intus incluso pectus eius tanquam templum quoddam veneratus, & demulcens oculis abscessisse, beatum semetipsum adeo effectum pro tantæ prolis felicitate gratulatus.* De pueritia, cum pater ipsius Leonides Christi fidei causa in carcere detentus fuisset: *In tantum ardorem capescendi Martyrij puerulus tunc adhuc Origenes exarserat, vt sponte sese periculis ingereret, & alijs in certamine positis præceps in medios irrueret.* Impediente tamen matre, ita vt ipsi noctu indumenta quibus in publicum procedere poterat auferret, *ille maternis impeditus dolis, cum nihil aliud agere posset, nec tamen mens quiescere poteretur, audet aliquid supra ætatem; epistolam scribit ad patrem, se quidem maternis artibus detineri, sed illum tenere debere quod cœpit. Et addit etiam hæc. Vide pater ne propter nos aliud aliquid velis.* Timebat enim ne in gratiam vxoris, & septem filiorum, quos relinquebat pauperes, & orphanos, mortem perfidia redimeret. Hæc sunt prima puerilia Origenis rudimenta: *Hinc iam lectioni se cœpit diuinorum voluminum mancipare, & in eruditionibus fidei diuinæ semetipsum haud segniter exercere.* Mirabile etiam, & omnino vulgandum quod de odio quo adhuc puer hæreticos prosequebatur, & qualiter ipsorum consortium fugeret (in confusionem eorum, qui hoc nostro sæculo tam crebrò, & perniciosè cum illis commercia ineunt) refertur apud eundem Eusebium eo *lib. 6. cap. 1.* his verbis: *Vt verò pater eius martyrio consummatus est, puer ipse cum matre vidua, & sex alijs paruulis fratribus septimum decimum agens ætatis annum in summa facultatum penuria derelictus est. Quoniam quidem census paternus, qui vel maximus fuerat, fisco per præscriptionem sociatus est. Nec tamen ei defuit omnipotentis Dei prouidentia. Ob insigne namque vel litterarum, vel religionis studium à quadam nobili, & locupletissima fœmina perfamiliariter foueri cœpit. Quæ tamen Paulum quendam Antiochiæ ortum antiquæ hæreseos famosissimum sectatorem adoptiuum domui suæ illo in tempore habebat. In quo adolescentulus Origenes cum necessitatem haberet apud prædictam fœminam vnà degere, documentum iam inde à puero fidelissimæ, & catholicæ suæ mentis ostendit. Nam cum ad supradictum virum velut ad magistrum, & summi nominis doctorem per dies singulos immensæ multitudines conuenirent, non solum hæreticorum, verum ex nostris multorum, pro eo quod eruditionis ei summa ab omnibus crederetur: nullo tamen pacto vel pro honoris gratia, vel etiam pro necessitate coniunctionis flecti potuit Origenes, vt cum eo saltim in oratione consisteret. Ita ei à prima ætate Ecclesiasticæ regulæ obseruantia honorabilis fuit, & hæreticorum*

corum societas execrabilis. Nec alia prætermittenda de eodem, etiam ab Eusebio [a] sic relata: *Cumque omnes deturbati persecutorum minis, et ferocitatibus aufugissent, aliquanti Gentilium conueniebant ad Origenem tunc adhuc Grammaticam docentem audire ab eo verbum de nostra fide, ac Religione cupientes. Quos ille non solum ad fidem de perfidia conuertebat, verum etiam perfectæ vitæ institutionibus informabat. Quorum primus erat Plutarchus, qui per ipsum conuersus ad fidem nostram non solum perfectæ vitæ instituta seruauit, verum etiam quæ est summa beatitudinis martyrii consecutus est palmam. Secundus cum hoc fuit Eraclas, & natura Plutarchi frater, & meritis. Qui cum eo non solum in fide nostra, atque scientia, sed & vitæ purioris institutionibus ad profectum fuisset institutus, Alexandrinæ Ecclesiæ præesse post Demetrium subrogatus est.* Et inferius: *Sanctos omnes in confessionis vinculis positos non solum sermone, & exhortatione perfectæ, & spiritualis doctrinæ ad Martyrium roborabat, verum etiam multis suis officijs ac ministerijs è vinculorum pœnis, & squalore carceris subleuabat.* Post alia etiam prorsus mirabilia de probitate, doctrina, prædicatione, & gestis Origenis relata subditur, quod de eo diceretur: *Quæ docet, agit, & quæ agit hæc docet.* Vtinam hæc nostris Doctoribus, Magistris, & Præfectis insita menti essent. Item *Manifestè autem, & euidenter aderat ei diuina gratia, per quam innumeros ad imitationem sui in fidem Dei prouocabat.* Sed nullatenus reticenda alia quæ subijcit idem Eusebius de Origene, vel quia ex illis elicitur Essenorum exemplo, qui eo tempore, maximè Alexandriæ vigebant, in Monasterio præsertim vbi S. Eugenia sub virili habitu vitam egerat Religiosam, ea discere potuisse; accedente etiam disciplina Panthæni, & Clementis, quorum discipulus extitit: *In talibus institutis plurimum temporis exigens vita, moribus, exercitijs per omnia Christianus Philosophus habebatur. Cum & pro iuuenilibus cupiditatibus reprimendis, et pro sapientiæ profectibus capescendis die, noctuque arctioribus se abstinentiæ constringeret frænis, & indesinenter diuinorum librorum meditationibus inhæreret. In abstinentia plurima, in ieiunijs indesinentibus, in vigilijs penè iugibus, ita si vt quando parum aliquid somni necessitas naturalis exigeret hanc ille non supra stratum, quo omnino nullo vtebatur, sed supra nudi soli dependeret superficiem. Ante omnia verò præcepta Euangelica, & voces Saluatoris summo amore, & studio implendas esse censebat: quibus præcipitur duas tunicas non habendum, neque calceamentis vtendum, neque de crastino cogitandum. Quæ ille, & singula summa cum diligentia in fide contendebat explere. Et supra vires, atque ætatem suam, secundum Apostoli monita in frigore, & nuditate agones patientiæ desudabat. Ita cunctis auditoribus suis renunciandi omnibus quæ possidebant, & paupertatis præbebat exempla. Erat igitur per hæc carus omnibus, & acceptus. In hoc vno nonnullos offendens quod cupientes de facultatibus proprijs aliquid sibi saltim victus gratia ministrare, pro districta continentiæ disciplina refutabat. Cum vtique pro labore quo in verbo Dei desudabat, non solum duplici secundum Apostolum, sed & multiplici honore dignus ab omnibus duceretur. Sed ille honorem sibi summum*

[a] lib.6.c.2.

mum continentia deputabat. Denique & per multos annos traditur absque omni calceamento nudis incessisse vestigijs. Vini quoque vsum caterorumque similium, nisi ea sola, quæ vita necessitas deposcebat, nullum penitus habuit, vsquequo incommodo stomachi, immò iam pene periculo cogeretur. Hæc, & plura alia de Origene Eusebius, encomiastes potiùs quam Historici munus gerens. Quod notatum, propter ipsius Origenis personam erroribus multis postea a Patribus notatam, etsi valdè ab eodem Eusebio commendatam. A nobis porro hæc allata sunt ad Monastici Instituti cultorum exemplum.

Minutius Felix. 3 Clarus erat sub hoc tempore Minutius Felix; qui pro nostris Annalibus texendis materiam præbet, dum plurium eo tempore viuentium cœlibatum commendat; quod maximè proprium erat Essenorum Instituti, iuxta sæpius inculcata. Eius porro verba in *Octauio* post medium [a], talia sunt, a Gualterio etiam [b] relata: *Plerique inuiolati corporis virginitate perpetua fruuntur, potius quam gloriantur: tantum denique abest incesti cupido, vt nonnullis rubori sit etiam pudica coniunctio.* Fuit hic Minutius Felix Romæ insignis causidicus, vt D. Hieronymus de eo [c] scripsit, vt propterea cœlibatus etiam defensionem inter alias pias causas susceperit. De quibus Baronius, & alij, qui eum sequitur *sub ann. 211.*

a to. 9. Biblioth. Patr. b in Tab. Chronograph. facul. 3. verit. 8. c in lib. de Script. Eccles.

Annus Christi 213. Zepherini Pontif. 11. Antonin. Caracallæ, & Getæ Imp. 1.

Mors Seueri. 1 MORITVR hoc anno Eboraci in Britannia Imperator Seuerus, non tam morbo quam animi mœrore ob filiorum M. Aurelij Antonini Bassiani, & Septimij Getæ dissidium. Ex Seueri filijs Antoninus (a veste quadam talari *Caracallus* nuncupatus) lacte Christiano educatus creditur, honestæ pueritiæ specimen dedit, sed cum honore mutans mores in omnes sæuijt, vt ex dicendis liquescet. De his Dio, Herodianus, & alij, quos æmulantur Iuniores.

S. Serapionis mors. 2 Huic anno Baronius, Gordonus, & alij Eusebium secuti decessum adscribunt sancti Serapionis Antiochensis Antistitis, de quo *sub anno 189. & 192.* est dictum. Vbi simul qualiter ad Eliadum institutum spectet. De eius sancta morte vix constat. In Romano tamen Martyrologio id habetur: *Antiochiæ sancti Serapionis Episcopi eruditione clarissimi.* Circa quæ hæc habent Baronius, *Beda, Vsuardus, & alij recentiores de eodem hac die. Scribit de ipso Euseb. in chron. ann. 10. Commodi Imper. & hist. lib. 6. c. 10. Hieron. de script. Eccles. Niceph. Callist. lib. 4. cap. 20. & 27. Niceph. Episcop. Const. in Chron. In Concil. Alexandrino tempore Athanasij commendatur eius Catholica Fides scriptis olim testata, vt de eo idem Niceph. lib. 10. cap. 14.* Addunt aliqui ex nostris, Petrus Sarracenus maximè [d], hunc Sanctum Serapionem septimum Carmelitarum Generalem extitisse. Cæterum, etsi nostris annumerandum ea quæ in locis relatis diximus non incongruè suadeant,

d in Menolog. in vita S. Dionys. Papæ.

deant; quod verò ipsorum Archimandrita, vel Superior fuerit, maximè sub illa determinatione septimi, aut simili, anceps res est, nobisque incomperta. Eo vel maximè quod Serapion, de quo ibi loquitur, Serapion Martyr fuerit, multis annis post istum Serapionem Episcopum; vt impossibile sit septimum Carmeli Præsulem eum existimari.

Ann.Christi 214.215.& 216. Zepher.Pont.12.13.& 14. Anton.Caracall.Imp. 2.3. & 4.

1 TEMPVS hoc tragicum fuit Romanis, vltione nempè diuina ob fusum Christianorum sanguinem. Antoninus enim, Caracalla dictus, Getam fratrem suum biennio iuniorem in sinu matris custoditum, omnesque fautores occidi iussit. Cæsa sunt viginti millia cum Pipiniano Iurisconsulto, & Senatoribus multis. *Dio, Spartianus, Herodianus, & Iuniores.* Interim tamen Christiani pace fruebantur, sed non ab Hæreticis. Proculus enim Cataphryga, ac Montani sectator (contra quem Caius vir eloquentissimus) & Tertullianus furens in Catholicos librum *de Monogamia* contra Bigamiam, librum *de pudicitia* contra edictum Zepherini reuocantis lapsos etiam si fornicarij fuissent, & denique librum *de Ieiunio* in eos, qui Paraclyti ieiunia abrogassent, contra Catholicos, quos *& Psychicos* appellat, acriter scribens. Hieronym. [a] Euseb. [b] & noui Scriptores post illos. Excommunicati propterea a Papa Zepherino fuerunt Proculus, Tertullianus, & alij Pseudo-prophetæ Montani sectatores, & iam reddita Ecclesiæ pace, diuersis in locis Concilia congregata. Baronius [c], ex Tertulliano [d]. Valde dolendum Ecclesiæ, quod spectatissimum virum (Tertullianum) amiserit, qui tantus fuit, vt de eo Vincentius Lirinensis Augustino coæuus [e] dixerit: *Quid hoc viro doctius? Quid in diuinis, atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philosophiam, & cunctas Philosophorum sectas, auctores, adsertoresque sectarum, omnesque earum disciplinas, omnem historiarum, ac studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio verò nonne tam graui, ac vehementi excelluit, vt nihil sibi, ad impugnandum pene proposuerit, quod non acumine irruperit, aut pondere illiserit? Iam porro orationis suæ laudes quis exequi valeat? quæ tanta nescio qua rationum necessitate conserta est, vt ad consensum sui quos suadere non potuerit, impellat: cuius quot pene verba, tot sententiæ sunt: quot sensus, tot victoriæ.* Sed de eo D. Hieronymus [f] aptè: *Laudo ingenium hominis, damno hæreses.* Has colligit Pamelius diligenter; præcipue verò hæ sunt: *Animam hominis corpoream esse; Deum etiam corporeum; animas impiorum post mortem conuerti in dæmones; baptismum extra Ecclesiam collatum nullum esse; Agapas Ecclesiæ Catholicæ contemptibiles.*

Historia huius temporis.

[a] in Caio. [b] lib.6.c.14. & lib.2. c.24.

[c] sub ann.215. [d] de ieiun. c. 1. & 13.

[e] contra hæres. c.24.

[f] in Apolog. aduers.Ruffin.

2 Quia verò contemptus, & sinistra Agapum Ecclesiæ interpretatio tangere videtur Essenos nostros, qui, iuxta dicta supra *in Appar.c.3. & sub*

Agapes Essenorum.

*ann.*100. ipsarum solemnissimi celebratores erant, ita quòd ab ipsorum ritibus inter Christicolas exordium veluti sumpserint, ideo non tam Tertullianum, qui eas spernebat, impugnando (quod instituti nostri non est) quam earum propugnatores ex Patribus referendo, eos afferemus, qui Tertulliani temeritatem in hoc damnant. Hi sunt Origenes [a], Minutius Felix [b], S. Gregor. Nazianzen. [c] S. Hieronym. [d] Concilium Laodicenum [e], Concil. Gangrense [f], S. Chrysostom. [g] S. Augustinus [h], S. Paulinus [i], Theodoretus [k], S. Gregorius Magnus [l], immò & ipsemet Tertullianus, qui honorifica ante suam Apostasiam de Agapis verba fecerat, tum in *Apologetici cap.*39. tum in *libris ad martyres cap.* 2. De ritu autem quo Agapes celebrabantur dicto *cap.*3.*n.*23.& *sub anno.*100.*n.*4.& 5. sufficienter diximus.

a lib. 1 contra Celsum & l 3. in Iob post med.
b in Octauio.
c in carmine de diuersis vitæ generibus.
d ep.22.ad Eustochium, c 14.
e Can.27.
f Can. 11.
g hom.27. in 1. Cor.11, init.
h lib.20.contra Faustum c. 4. 20.
i epist.81.
k l.8.Græc.Affect.fin.
l lib.1.ep.14.& lib.9. ep.71.

Annus Christi 217.218.& 219. Zepher. Pont. 15.16.& 17. Anton.Carac.Imp.5.& 6. ac Macrini,& Duminiani 1.

Antonini mors.

1 ANTONINUS Imperator sub hoc tempore, peragratis Germania, Asia, & Syria, tandem in Mesopotamia extinguitur occisus a milite, quem submisit Macrinus Prætorio Præfectus; succedentibus, & electis ab exercitu Imperatoribus eodem Macrino natione Mauro cum Dumeniano filio. De his Dio, Herodianus, Spartianus, Lampridius, & posteriores alij.

Ecclesiasticæ historia.

2 Ecclesiastica negotia tragœdia noua deturbabat hoc tempore, ob Agrippinum Episcopum Carthaginensem, & alios existimantes baptismum ab Hæreticis collatum nullum esse. Fauit illis S.Cyprianus, etsi excusabiliter. De quo Baronius, & Asseclæ [m]. Quia etiam Antoninus Alexandriæ agens Christianum sanguinem ea Ciuitate Seueri prædecessoris persecutione fusum, etsi nesciens, vindicauit, vt idem Baronius testatur, credi par est, Essenorum collegium, quod ea tetigit procella, iuxta dicta *sub ann.*204. nihil tunc mali perpessum fuisse. Forsan (vt ipse loquitur) *memor lactis, quod suxerat Christianum* Antoninus.

m sub an. 217.

Annus Christi 220.& 221. Zepherini Pont. 18.& Calisti 1. M. Aurel. Antonin. Heliogabali Imp.1.& 2.

Successio Imperatorum.

1 MACRINO, & Diadumeniano filio Imperatoribus victis, & occisis, Imperator ab exercitu acclamatus M.Aurelius Antoninus, Caracallæ ex scorto filius, Heliogabalus appellatus (alijs Helagabalus) eo quod in Phœniciæ Vrbe *Gabala* dicta Solis Sacerdos in templo fuerit. Hic Romam veniens cum matre, & amita Mammæa laudatissima fœmina, & Origenis discipula Solem solum vt Deum coli voluit, relictis alijs Deorum cultibus. Dio, Herodianus, Lampridius, & asseclæ plures.

Mori-

Moritur etiam Zepherinus Papa, vocatus Martyr tum in Breuiarijs, tum in Martyrologijs, antiqua forsan consuetudine, qua Confessores dicebantur Martyres, vt notat Gordonius [a], vel quia, vt inquit *sub eo anno* Baronius, olim maiores consueuerunt *Martyres appellare omnes, qui Christiana confessionis occasione supplicia aliqua sustinuissent, licet post tormenta superstites diem extremum in pace clausissent*. Vel forsan (quod in idem recidit) quia, iuxta dicta *sub anno* 194. ex eisdem auctoribus Martyris nomen olim tribui consueuit non solum ijs, qui violenta morte Christi causa mori cogebantur, sed & ijs quoque, qui fidei confessionis ergo cruciamentum aliquod subijssent, licet Martyrium non paterentur. Quo autem modo ex ijs id contigerit in Zepherino, incertum. Id certius Calistum Romanum illius fuisse successorem, prout relati auctores, & alij communiter ex vetustioribus id accipientes, tradiderunt.

Successio Rom. Pontific.

a *sub ann.* 221.

3 Obiter tamen, sed opportunè, hinc habere poterunt Carmelitæ nostri causam, cur de S.Dionysio Papa, & B. Petro Thoma quandoq; sub Confessorum, quandoque verò sub Martyrum titulo, etiam Sede Apostolica plaudente, Officia celebrentur. Etsi enim violenta morte extremum diem non clauserint, vt propterea meritò solum inter Confessores censeri debeant; quia tamen pro Ecclesia multa perpessi fuerunt, laboresque tolerati ipsorum accelerasse credantur mortem, ideo Martyrum quoque nomine, Maiorum consuetudine perspecta, insigniri meruere. De quo iterum redibit sermo.

Notanda pro Carmelitis.

4 Obiter quoque notandum velim cunctis Religiosi nominis professoribus ingens Origenis studium in Verbi Dei prædicatione, & sacrarum litterarum meditatione; cum hoc sit Religiosorum omnium commune veluti institutum. De quo Eusebius [b] sic: *Tunc porrò Origenes apud Alexandriam Doctor Ecclesiæ valde clarus habebatur, omnibus, quos fama eius ad audiendum eum conuenire prouocabat, verbum Dei prædicans, sicut Apostolus dixit opportunè, importunè; per diem, per noctem; publicè, priuatè, velut abscissis omnibus impedimentis liber prorsus, & cum omni fiducia rem gerebat*. Deinde [c] de exercitio libros scribendi, quod etiam proprium est Religiosorum, cum ad animarum vtilitatem procurandam dirigatur, prosequitur Eusebius sic: *Ex illo tempore etiam Origenes conscribendi commentarios in Scripturas sanctas initium sumit, compellente se Ambrosio, & multa vt precum obsecrationumque cogente: quique Ambrosius tantum studij adhibuit, vt omnia quæ in hoc opus essent necessaria, affatim, atque affluenter praeberet. Notarios septem adhibuit, qui ei incessabiliter astarent: quiq; sibi inuicem illo pene indesinenter dictante succederent. Scriptores quoq; alios tantos. Sed & puellas apprimè eruditas in scribendo totidem numero in hoc ipsum vacare fecit. Omnibus quoque extrinsecus necessarijs abundantissime ministrat*. Miratur Baronius [d], quod Origenes totidem Scriptores necessarios habuerit; cum ex D.Hieronymo [e], & D.Ambrosio [f] habeatur ipsis satis superque fuisse vnum dumtaxat. Sed neque id hi Patres clarè asserunt; neque ex verbis Eusebij relatis colli-

Origenis studia.

b *lib.6. hist.c.3.*

c *c.16. eiusdem libri.*

Baronij admiratio.

d *sub ann.* 220.

e *in præfat. l.3. Comment. in epist. ad Galat.*

f *ep.45. lib.7.*

colligitur omnes illos Scriptores siue viros, siue fœminas in hoc munere eidem simul ministrasse, congruè enim exponi possunt de successiua, seu alternante ministerij exhibitione, quod creditu difficile non est. Est quidem verum quod Baronius diuersam ac nos Eusebij lectionem est secutus, quæ clariùs hunc scrupulum ipsi ingerere potuit; sed quam nos sequimur, difficultatem tollit. Vt vt res sit *Spiritus vbi vult spirat*, nec est *alligata manus Domini*, vt hanc gratiam cui voluerit concedat, pro aliorum maximè vtilitate.

Annus Christi 222. & 223. Calisti Pont. 2. & 3. Heliogabali Imp. 3. & 4.

Huius temporis historia.

1 HOC tempore præter impurissimam Heliogabali Imperatoris vitam, & quod, in fœminarum forsan gratiam, quibus addictissimus erat, Senatum fœmineum ex solis mulieribus constantem pro fœminarum causis expediendis, creauerit; ac quòd, cum militibus infensus esset, coactus sit Alexianum Mammeæ deuotissimæ fœminæ filium, ipsiusque consobrinum, in Cæsarem creare, Alexiani nomine in Alexandrum mutato, vix aliud historiæ canunt. De quibus Dio, Herodianus, Lampridius, & noui Chronologi.

2 Pro Ecclesiastica etiam historia occurrit Heraclas ille, de quo sub anno 205. aliquid dictum, & sub aliquali dubio relictum, an Essenatus professor extiterit, cum ipsius religiosa vita, & quæ de ipso eo loco relata sunt, id indigitare videantur. Eum ergo adhibitum esse ab Origene in partem solicitudinis, Magisterij, seu doctrinæ latius tradit Eusebius [a], ex quo Baronius, & alij id sumpserunt. Vocatur autem hic Heraclas plenè, & optimè instructus, atque in omnibus virtutibus probatus, diciturque: *Erat enim in sermone disertissimus, & in omnibus philosophicis eruditionibus apprime instructus.*

a lib.6.c.11. vel 12.

Decretum Calixto tributũ.

3 Calisto primo Summo Pontifici hoc tempore Ecclesiæ clauum tenenti tribuit Iacobus Gualterius [b] hæc verba, quæ, vt notat in margine desumpta sunt ex *distinctione* 17. *Can. Presbyteris*, & Gratiano: *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis concubinas habere, seù matrimonia contrahere penitus interdicimus: contra quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi, & personas ad pœnitentiam redigi debere, iuxta Sacrorum Canonum disfinitiones iudicamus.* Cæterum hic Canon non tribuitur *in prima parte Decreti loco relato* nisi Calisto Papæ Secundo, qui circa annum 1119. Pontificatum ascendit. Quamuis de hoc dubitari possit; cum in eodem loco Decreti dicatur hic Canon inuentus in Bibliotheca Vaticana in fragmento cuiusdam Concilij ab Vrbano Secundo habiti; hic enim Vrbanus Secundus per aliquot annos præcessit Calistum Secundum, vnde non videtur quomodo Canon a Calisto Secundo editus reperiatur intrusus in Concilio ab Vrbano Secundo Prædecessore suo edito. Nisi dicatur, post editum

b in Tabulis chronographicis secul.3. vers.8.

cum Concilium ipsi ab aliquo hunc Canonem adiunctum. Si autem ille a Calisto Primo editus fuit, proculdubio per ipsum demonstratur vetustas cœlibatus Monachorum, vt propterea a nobis prætermittendum non esset in his Annalibus de hoc Canone memoriam agere.

Annus Christi 224. 225. & 226. Calisti Pont. 4. 5. & 6. Alexand. Imp. 1. 2. & 3.

1 OCCISO Heliogabalo Imperatore ob nefandas turpitudines, raptato, & in Tyberim proiecto, propter quod *Tractitius*, & *Tyberinus* compellari meruit, S. P. Q. R. Alexandrum ipsius consobrinum, & filium pijssimæ illius Mammææ, ac iam Cæsarem creatum, Imperatorem, dum 16. annorum esset, constitui decreuit. Virum sanè æquitatis amantem, & moribus Christianum, cui sæpius in ore erat totius veræ Philosophiæ moralis principium: *Quod tibi non vis alteri ne feceris*. Filij porro, matrisque pietate cooperante, factum forsan fuit, vt hoc tempore *Taberna meritoria*, id est, locus, vbi propinarij, scilicet obsoniorum, carniumque coctarum venditores eius rei copiam publico vsui venum exponebant, Christianis daretur. In quo nobilem Ecclesiam Sanctissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ partui dicatam erexerunt; ea de causa præsertim quod ibi oleum magno miraculo è terra erumpens Augusti tempore effluxit. Baronius [a], Gordonus, & alij. Non *a sub ann. 224.* tamen propterea varijs prætextibus cessatum fuisse a sanguinis Christiani effusione, eò præsertim quod Vlpianus, & alij Iurisconsulti Alexandri consultores ipsorum hostes essent, conijcit idem Baronius [b], ex Lactantio, & *b sub ann. 225.* alijs. Qui etiam [c] Martyrum sub hoc Imperatore nomina recenset. *c sub ann. 226.*

2 Ad hoc tempus, annum videlicet 226. refert Cassanate noster [d], Ammonius Alexandrinus. Ammonium Alexandrinum, quem vocat Alexandrini Conuentus Mona- *d in Paradis.* chum, & alium dicit ab Ammonio Nitriensi. Cæterum Ammonius iste Ni- *Carmel. stat. 2.* triensis potius *Amon* Græcè, & indeclinabiliter vocari debet, vt notat Heri- *ætat. 4. c. 32.* bertus Rosvvedius [e], ex manu scriptis, & de ipso in sequentibus; cum eius *e in Annot. ad* historia ad nostram spectet. Ammonium autem Alexandrinum Cœno- *vit. Patr. in vit.* *S. Anton. n. 70.* bij Alexandrini Monachum fuisse, ac proinde nostris Essenis annumerandum vix possumus, vel cum leui fundamento asserere; cum nullus nec de exteris, nec de domesticis Auctoribus id dixerit; nec nobis arrideat res incertas nostris Annalibus inserere. Illud certum, virum fuisse disertum, & valde eruditum in Philosophia, Alexandriæ clarum habitum, & qui præclara monumenta de consonantia Moysis, & Iesu, & Canonum Euangelicorum excogitauit. Non è Christiano ethnicum, vt falsò eum Porphyrius accusat; nec illum, qui vna cum Petro Episcopo Alexandrino, & alijs Martyrium subijt, apud Eusebium [f]. Nec etiam illum, qui Monachus *f lib. 8. c. 25.* cum Athanasio Romam venit, & aurem sibi præscidit, ne Episcopus (ra- *g de Scriptor. Ecclesiast.* rum exemplum) eligeretur. De quo D. Hieronymus [g], Baronius [h], *h sub ann. 174. & 234.*

Tri-

Trithemius, & Bellarminus [a], ac maximè Posseuinus [b], vbi plura de illo, & alijs eiusdem nominis. Illud de hoc Ammonio Alexandrino vocato prætermittendum, quòd ipse inter huius æui testes pro cœlibatus defensione, & antiquitate vnus est; prout notant Coccius [c], & Gualterius [d].

a de Scriptorib. Ecclesiast.
b in Appar, sacro litt. A.
c lib. 4. de vit. monast, ar 4.
d in Tab. Chronogr. tertio sac. veris. 8

De Cœmeterijs Vrbis.

3 Plura sub hoc tempore tractant Baronius, & alij de varijs Romæ Cœmeterijs, in quibus Martyres condebantur, sicut & Calistus Papa in ipsorum vno, Calepodij videlicet. Quæ omnino nostræ historiæ extranea non sunt, præsertim cum plura corpora Sanctorum ex illis extracta in nostra S. Siluestri, & Martini in montibus Ecclesia, vt in sequentibus dicetur, sint reposita. Hæc ergo Cœmeteria, quæ interdum areæ, tumbæ, catatumbæ, seu catacumbæ, vel cryptæ arenariæ dicebantur, loca erant extra mœnia Vrbis (eo quod intra mœnia sepeliri lege duodecim tabularum prohibitum erat) vbi Christianorum cadauera seruabantur, non quidem in cineres redacta, prout Gentilium; sed vnguentis delibuta, vtpote credita cum Domino resurrectura, licet interim, obdormirent. Hæc porro loca frequenter, & piè a fidelibus inuisebantur, vt colligitur ex Eusebio [e], Hieronymo [f] (referente id se facere solitum fuisse cum puer esset cum coæuis alijs) Prudentio [g], & alijs. Erant autem huiusmodi cœmeteria quadraginta tria, prout ex tabulis Vaticanis elicitur. Primum erat *Calisti* nuncupatum. Secundum *Calepodij*. Tertium fuit in primis nobilissimum positum in *Vaticano*, in quo Sancti Petri, & aliorum plurimorum Summorum Pontificum corpora condita sunt. Quartum *Ostrianum* via Salaria, in quo idem S. Petrus dicitur baptizasse, cuius mentio est in Actis Liberij Papæ. Quintum, *ad Nymphas* dictum via Numentana in prædio Seueræ, septimo ab Vrbe lapide. Sextum, *Soteris* nominatum non longe a cœmeterio Calisti, iuxta quod situm erat cœmeterium *Zephyrini*. Octauum, *Prætextati* via Appia. Nonum, *Pontiani*. *Cyriacæ* matronæ decimum, in Agro Verano. Vndecimum, *Lucinæ*, via Aurelia. Duodecimum, *Aproniani*, via Latina. Decimumtertium, *Felicis* Papæ, via Aurelia, secundo ab Vrbe lapide. Decimumquartum, *Priscillæ*, via Salaria, tertio ab Vrbe lapide iuxta cryptam S. Crescentionis. Quintumdecimum, *Timothei*, via Ostiensi, in loco vbi nunc est Basilica S. Pauli. Decimumsextum, *Nouellæ* dictum, via Salaria. Decimumseptimum *S. Balbinæ* inter viam Appiam, & Ardeatinam, idemque nominatum *Marci* Papæ. Insuper cœmeterium *Iulij*, via Flaminia, aliud eiusdem nominis via Aurelia: rursus aliud quoque eiusdem nominis via Portuensi, quod numeratur vigesimum. Rursus cœmeterium *Damasi* inter viam Ardeatinam, & Appiam. Vigesimum secundum verò, quod dicebatur *Anastasij* Papæ tempore pacis intra Vrbem in Exquilino factum. Vigesimum tertium *Hermetis*. Aliud *Nicomedis*, via Ardeatina. Vigesimum quintum *S. Agnetis* via Numentana. Vigesimum sextum *S. Felicitatis* via Salaria. Vigesimum septimum dictum Iordanorum. Vigesimum octauum

e lib. 7. c. 10. & 12.
f in Ezech. c. 40
g hym. 11.

Nerei.

Nerei. Vigesimum nonum Sanctorum *Felicis & Adaucti*. Trigesimum verò *Tiburtij, & Valeriani*. Trigesimum primum Sanctorum *Petri, & Marcellini* via Lauicana. Trigesimum secundum *Marci, & Marcelliani*. Quod sequitur trigesimum tertium dictum *Quarti, & Quinti*. S.Agathæ via Aurelia, trigesimum quartum. At verò trigesimum quintum Cœmeterium *Vrsi*, & trigesimum sextum aliud, quod dictum est *Cardianum*. Trigesimum septimum autem dictum est *inter duas Lauros*. Trigesimum octauum ad *Cliuum Cucumeris*, via Salaria. Cœmeterium verò *Thrasonis* ad S.Saturninum ponitur trigesimum nonum. Quadragesimum verò *Cyriaci* via Ostiensi. Quadragesimum primum, *Petronillæ*. Quadragesimum secundum, *Ianuarij*. Et denique quadragesimum tertium, *Simplicij, & Seruiliani*. Ita Baronius [a], & ex ipso, etsi cum aliquibus mendis, Coriolanus [b].

[a] *sub ann. 226.*
[b] *sub eo anno.*

Annus Christi 227.228.& 229. Vrbani Pont. 1.2.& 3. Alexand.Imp.4.5.& 6.

1 CALISTO Papæ Martyrio coronato pridie Idus Octobris anni præcedentis 226. vt scribunt Eusebius [c], Beda, Vsuardus, Ado, & alia Martyrologia; subrogatur Vrbanus Romanus Pontiani filius; prout etiam communiter Scriptores. Alexander etiam Imperator Reipublicæ statum Heliogabali moribus, & institutis omnino deprauatum restituere conatus est. Lenonum enim vectigal, meretricum, & exoletorum (id est, scortorum masculorum) in sacrum ærarium inferri vetuit; genethliacos tamen Romæ agere permisit contra vetustiorum Imperatorum edicta; nec impediuit quorumdam Martyrum, Martinæ præsertim nouissimè ab Vrbano VIII. piè celebratæ, Iulij, Hesychij, & aliorum iniustam necem. Contra hos tamen impios Christi persecutores prouidebat Deus de Gemino Presbytero Antiocheno, Beryllo Episcopo Bostreno, Hippolyto maximè Portuensi Episcopo, cuius statua nunc visitur in introitu Apostolicæ, & toti Orbi celeberrimæ Vaticanæ Bibliothecæ. De his respectiuè Lampridius, Eusebius [d], Baronius [e], & Iuniores.

Pontificum successio.
[c] *lib.6.c.15.*
S.Hippolytus.
[d] *28. August.*
[e] *sub anno 229 §. Porrò cum eius.*

2 Huius autem egregij Episcopi Hippolyti nomen ansam præbet historiæ nostræ amplificandæ. Vocatus namque fuit *Nonnus*, prout eum vocant Martyrologium Romanum [d], Acta eiusdem Hippolyti, B Petrus Damianus scribens *ad Nicolaum Papam*. Baronius [e], & Gualterius [f]. Hoc enim *Nonni* cognomen *Monachum* denotare tradit idem Baronius *ibid.* Et colligitur ex D. Hieronymo [g], Arnobio [h], Synodo Aquisgranensi ann. 817. celebrata, Regula D. Benedicti *cap. 63.* & Additionatore [i]. Præcipuè etiam ex eo quod fœmininum nomen *Nonnæ* significat *Monialem*, prout latè probat idem Baronius [k] ex Cælio Rodiginio [l], ex *lib.5. Capitularium Regum Franc. cap. 2. & 3.* D.Hieronymo [m], & ex eo quod

[f] *in Tab. Chronograph. in 3. secul.*
[g] *epist. 47.*
[h] *in ps 140 & ps. 105.*
[i] *ad Capitular. Ludou. Imp. addit. 1. tit. 54.*
[k] *in not. ad Martyrol. Rom. die 5. Aug.*
[l] *Lection. antiq. l.5. c 13. in fin.*
[m] *in epist 22 ad Eustoch. de Custod. Virginit.*

quod eodem nomine vocatæ fuerint mater Sancti Augustini, quæ propterea Monica (potius Monaca) dicta fuit, & mater S. Gregorij Nazianzeni. Quod etiam facit Heribertus Rosvvedius [a], ex vita S. Hilarionis [b], vita Io. Eleemosynarij [c], vita Mariæ Ægyptiacæ c. 17. Pelagio [d], Hieron. *ep. 22.* relata, & *ep. 99. ad Asellam*, Bonifacio Moguntino Archiep. [e] Synodis a Bonifacio congregatis, quæ habentur in *l. 5. Capitul.* Glossario Camberonensi, & alijs multis. Pro comperto igitur sit *Nonni*, & *Nonnæ* cognomina *Monachum*, & *Monacham*, seu *Monialem* denotare, ac proinde cum S. Hippolyto *Nonni* appellatio tribuatur, ipsa indigitari eum *Monachum* fuisse. Cum ergo hoc primæuo tempore ante Antonium, Hilarionem, Basilium, & alios monastices reformatores Antesignanos, tota Monachismi ratio apud Essenos fuerit, abs re non erit suspicari Hippolytum hunc clarissimum ex illis fuisse. Augetur suspicio, quod ipse Clementis Alexandrini auditor censeatur, prout Baronius [f], & Gordonus etiam [g] credunt: hic enim Clemens non prorsus eisdem extraneus visus est, iuxta dicta *sub ann. 195.* Nec qualemcumque Monachum; aut Essenum fuisse, sed ipsorum Archimandritam, seu Abbatem ex eo elicitur quod in *Capitularib. Ludouici Imperatoris tit. 54.* dicitur: *Qui præponuntur Nonni vocentur*. Quæ ipsissima verba sunt Synodi Aquisgran. anno 817. celebratæ; & adumbrata videntur in Regula B Benedicti *cap. 63.* illis verbis: *Priores iuniores suos fratres nominent: iuniores autem priores suos Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reuerentia*. Hinc videtur constare, plures, & grauissimos Monachos & Monachorum Antistites *Nonnos* appellatos fuisse; quia scilicet Monachorum Archimandritæ, vel saltem insignes Monachi fuissent. Qualis fuit Sanctus ille primò Monachus Tabennensis, & postea Episcopus, *Nonnus* dictus, qui S. Pelagiam quondam meretricem ad bonam frugem reduxit. Item ex posterioribus Benedictini Ordinis professoribus Monachis, & Ecclesiasticis Scriptoribus Galfridus, alijs Galfredus, seu Gaufredus Britannus cognomento Arturus; & Nicolaus a S. Albano Anglus, ac Verembertus Germanus Congregationis Luxouiensis; qui etiam *Nonni* appellati fuerunt, & de quibus Posseuinus [h], ac alij Scriptorum Ecclesiasticorum censores. Inter quos etiam forsan numerandus venit, & alius Panopolita Ægyptius eloquentissimus, de quo Suidas, Posseuinus, & alij: cognominatus enim fuit etiam *Nonnus*. Vt vt res sit, quia ingratum studioso lectori non erit huius clarissimi Hippolyti gesta scire, ea vel summatim referre placet.

Quis Hippolytus.

3 Fuit Metropolitanus Arabiæ, prout Gelasius Papa [i], contra Eutychen refert; & cum Origeni notus esset, eum suo exemplo impulit, vt S. Scripturæ commentarios ederet, vt testatur D. Hieronym. [k] eum propterea vocans idem Origenes *Operis impulsorem*, eodem Hieronymo teste. Cum etiam in Orientis partibus ageret adeo strenuus Christi propugnator, vt plusquam triginta millia Ethnicorum ad fidem perduxerit, teste Petro Damiano *superius* relato, Romam postea veniens a Calisto Papa

Epi-

a Onomastico ad vit. Patr. verb. Nonna.
b in Prolog.
c c. 10. & 46.
d libell. 7. n. 10.
e ep. 19.
f eo ann. 229. S. Quod in primis
g sub eo anno.
h in Appar.
i in Comment. de duabus Christi naturis.
k de Script. Eccl. in Hippolyto.

Episcopatu Portuensi donatus est, eo consilio vt apud eum tam egregium virum in ambiguis consultorem semper haberet. Eo enim pretij Sancti Pontifices vetusti viros sanctos, & eruditos habebant. Passus est, non sub Claudio, vt deprauati Codices habent, sed sub Alexandro Imperatore, & Vlpiano Vrbis Præfecto; cum prius S. Aureæ Virginis corpus a mari proiectum in littus sepultura donauerit. Martyrij porrò palmam promeruit manibus, pedibusq; ligatis in altam foueam aquis plenam præcipitatus. Plura scripsit, de quibus Eusebius, Hieronym. & alij posteriores Scriptorum Ecclesiasticorum censores. Specialiter Baronius [a], & Ciaconius [b]. In eo autem opere seu oratione *de consummatione Mundi* inter lugendas illius temporis miserias hanc numerat non reticendam, ne Monachi, aut Religiosi, qui ipsius, & aliorum vestigia sectari se profitentur, in similis barathri abyssum detrudantur, quod *Monachi rerum Mundi huius cupidi sint futuri*.

[a] sup.
[b] in Calisto Papa.

4 Extat & Summi Pontificis hoc tempore in Ecclesia Pastoris Vrbani celebris epistola omnibus Christianis scripta, quæ in *tomo 1. epistolar. decretal. Summorum Pontif.* inserta manet, in qua pro nostræ historiæ veritate confirmanda manifestè supponitur eo felici æuo vitam communem; iuxta Apostolicam, & antiquam institutionem, voto etiam firmatam, viguisse, quo clare indigitantur Esseni Monachi Eliæ, & Carmeli sectatores, inter quos ante Christi aduentum hic modus viuendi quadantenus, & post Christi, & Apostolorum exempla etiam perfectè, reperiebatur, vt ex dictis tam in hoc, quam in præcedenti tomo innotescit. Vrbani enim verba: *Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter bonos Christianos viguit, & adhuc gratia Dei viget, & maximè inter eos, qui in sortem Domini sunt electi, id est, Clericos, sicut in Actibus legitur Apostolorum. Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi, & gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant vendentes, afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Ioseph autem qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, quod est interpretatum, filius consolationis, Leuites, & Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit illum, & attulit pretium ante pedes Apostolorum.* Inferius quoque sic concinne ad intentum pijs religiosis pro obseruantia sui instituti altè ruminanda: *Quicumque vestrum communem vitam susceptam habet, et vouit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat: sed hoc quod Domino est pollicitus, fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi acquirat: quoniam satius est non vouere, quam votum, prout melius potest, non perficere. Grauius enim puniuntur, qui votum fecerunt, aut fidem perceperunt, & votum non perfecerunt, aut in malis vitam finierunt, quam illi qui vitam sine voto finierunt, aut sine fide mortui sunt, et tamen bona egerunt opera.*

Vrbani epistola.

Annus

Annus Christi 230.231.& 232. Vrban.Pont. 4.5.& 6.
Alexandr.Imp. 7.8.& 9.

Origenis gesta. 1 HOC totum ferme tempus absumunt gesta ab Origene circa Sacræ Scripturæ editiones coadunandas,plurimum laboris ea in re insumens. Vt propterea eiusdem sacræ Scripturæ studiosis, quales sunt, & esse debent Religiosi nostri ingratum non sit scire quot editiones,seu translationes eæ fuerint,& a quibus,& quo tempore factæ.

S. Scripturæ editiones. 2 Prima editio, translatio, & interpretatio Scripturæ diuinæ ex Hebraico fonte in Græcam linguam facta fuit a septuaginta duobus Interpretibus Ptolemæi Philadelphi Regis Ægypti rogatu, diuinaque prouidentia circa annum Mundi 3766. iuxta dicta *to.1. sub eo tempore*, vbi de modo quo facta est, & an aliqui istorum Interpretum ex Essenis, seu Assidæis nostræ propheticæ scholæ alumnis fuerint. Secunda, ab Aquila Pontico, Iudaizante hæretico, sub Adriano. Hic Aquila Ponticus è Gentili Christianus, sed ob studium Astrologicæ vanitatis Ecclesia eiectus, post Iudæus Scripturam ex Hebræo planè vertit contrariè editioni LXX. Tertia fuit Theodotionis primis Commodi annis circiter annum Domini 184. Hic ex Tatiani hæretici sectatore, & mox ex Marcionita, transijt ad Iudæos, & editionem illam ex Hebræo laborauit,multum LXXII. Interpretibus consentaneam. Quarta a Symmacho Samarita Iudæo, vel ex Christiano Ebionita, sub Seuero, circa annum Domini 203. in qua, non verbum ex verbo reddidit, sed sententias ex sententijs, & sensum ex sensu. Quinta porro editio inuenta fuit ab Origene in Hierico sub Antonino ad ann. Dom. 2.9. Sexta denique Nicapoli habita apud Actium, medio tempore Alexandri Imperatoris. Origenes enim antea Tetrapla collegerat, nempe in singulis paginis, quatuor ordine dispositis columnis, vt prima esset editio LXX. Interpretum, secunda Aquilæ, tertia Symmachi, quarta, & vltima Theodotionis. Postea verò ad Hexapla eloborandæ animum adiecit, in quarum singulis paginis, sex essent distinctæ columnæ, quarum prima contineret textum ipsum Hebraicum Hebraicè scriptum; secunda eundem textum Hebraicum, sed Græco charactere exaratum; tertia Aquilæ versionem; quarta Symmachi; quinta editionem LXX. sexta denique Theodotionis translationem. Additis autem ad has, quinta, & sexta Editionibus, ab Hebræis, elaboratis, Octapla perfecit. Hæc ex Epiphanio, Hieronymo, & alijs sumpserunt Baronius, Gordonus, & Coriolanus [a], qui etiam alia de editionibus 72. Interpretum, Vulgata, & D.Hieronymi, quæ omittimus vtpotè nostræ historiæ aliena.

a sub hoc tempore.

Cælibatus. b sub ann. 230. 3 Subiungit idem Baronius [b], ex eo quòd Origenes,& quidam alius Leontius Presbyter postea Episcopus Antiochenus Arrianæ factionis (de quo Athanasius [c], & Socrates [d]) item duo Monachi in Ægypto, se castra-

c ep. ad Solitar d lib. 2. c. 11.

caſtrauerint, rectè colligi cælibatum ſacrorum virorum fuiſſe in Eccleſia Orientali eo tempore. Cæterum id æque bene (forſan melius) elicere poterat ex ijs, quæ de cælibatu Eſſenorum Eliæ noſtri ſectatorum diximus *to.1.ſub ann.3545.n.20.*

4 Pariter etiam quod de ſecta Eunuchorum, quæ ab Origene principium traxiſſe videtur, dicitur ab Epiphanio [a], ſub Valeſiorum nomine (quos dicit *in Bacathis regione Philadelphina vltra Iordanem* degere) videlicet: *Sunt autem omnes execti*; & deinde: *Vbi acceperint hominem in diſciplinam, quanto quidem tempore membris nondum exectus eſt, animatis non veſcitur*, & infra: *Abripiunt tales intus, et vinculis alligatos per vim caſtrant*, prorſus, & omnino nihil derogat Eſſenorum Chriſtianorum inſtituto hoc æuo vigenti. Etſi enim, iuxta dicta *to.1.ſub ann.3341.&* *ſupra in Appar.c.4.* hoc nomen ipſis competere poſſit propter caſtitatis obſeruantiam, cõformiter ad illud *Iſai.53.* quod *ſub eo anno* 3341. expendimus: *Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerunt quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum; dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Item ad illud *Matth.19.* quod etiam expendimus eo loco: *Sunt Eunuchi qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum Cælorum*, nihilominus immanis hæc ſæuitia ſe caſtrandi corporaliter a nullo eſt ipſis affićta: præſertim cum id facientes per antiquos Canones, & veteris Eccleſię Antiſtites excommunicarentur. Vt cõſtat in duobus Monachis, de quibus in *Vitis Patrum lib.5. libello 15.num.88.* habetur, quod cum id feciſſent, ab Archiepiſcopo excommunicati fuerunt, & quod cum deinde ad Hieroſolymitanum Epiſcopum appellarent, & poſtea ad Papam, excommunicatio ab ipſis confirmata fuerit; donec tandem precibus S. Epiphanij, & peracta pœnitentia, ab Alexandrino Epiſcopo ad communionem recepti fuere.

Eunuchorum ſecta.
a hæreſ.58.

5 Verus ergo Eunuchiſmus Euangelij tantum, & Prophetę voce commendatus in Eſſenis tum viris, tum fœminis caſtitatem colentibus maximè obſeruabatur. Quos quoad hunc puritatis amorem ęmulata videtur celeberrima Virgo S. Cęcilia Romana, prout ex Martyrologijs, hiſtorijs Sanctorum, & Chronologis habemus.

Verus Eunuchiſmus.

6 Annus 231. qui hoc tempore cadit, iuxta magis legitimum computum ſecutum a Pontaco, & Heriberto Roſvvedio [b], a quo non multum diſtat Scaliger, & iuxta magis correctum codicem Euſeb.j manuſcriptum ab eodem Heriberto relatum; natalis eſt eiuſdem S. Pauli; in Thebaida inferiori nati, vt propterea Thebæus vocetur a D. Hieronymo [c]. Cuius hiſtoriam noſtris Annalibus propriam eſſe, ex eo conuincitur quod ipſe vitam eremiticam ab Eſſenorum quibuſdam, vt alibi dictum eſt, tęceptam; & ab Elia noſtro primordialiter inſtitutam ſecutus fuit. Hoc enim ſenſu D. Hieronymus [d] ait S. Antonium ipſius hoſpitem de eo dixiſſe: *Vidi Eliam.* Et Caſſianus [e] Paulum, & Antonium Elię, Eliſei, &

S. Pauli Eremitæ natalibus.
b in notationib. ad Vit. Patr. in prælud. ad Vit. S. Pauli primi Eremitæ.
c in prolog. vita ipſius.
d in eius vita.
e Collat.18.c.6

Ioannis æmulatores extitisse. Contra quod non obstat quod ipse *primus Eremita* vocetur. Quo enim sensu id accipiendum sit in sequentibus enodabimus. Nec etiam quod idem Hieronymus *supra*, cum quæstionem propofuisset: *A quo potissimum Monachorum Eremus habitari cœpta sit*, & dixisset: *Quidam enim altius repetentes, à Beato Elia, & Ioanne sumpsere principium*, quasi hos reijciens adiungat; *Quorum & Elias plus nobis propheta videtur fuisse, quam Monachus, & Ioannes ante prophetare cœpisse, quam natus est*. His enim verbis nullatenus existimare potuit Eliam Monachum non esse, aut Eremitam, cum de similibus Monachis, & Eremitis loquens [a] dicat; *Noster princeps Elias, noster Eliseus, nostri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula iuxta fluenta Iordanis*, ac de ipso Elia, & Ioanne id supponat [b]; nosque ex ferme communi Patrum, & Doctorum traditione comprobauerimus *to. 1 in Apparat. cap. 5*. Manifesta ergo antilogia sibi contrarius esset tantus Doctor, si oppositum hoc loco autumaret. In quo solùm loqui videtur de Monachis & Eremitis Euangelicis post Christum, & Apostolos. Vnde hac etiá de causâ S Thomas [c], hunc Paulum, & alios eius sæculi Eremitas inter *Religiosos* computare videtur, a quo nõ multum dissentit Suarez [d]. Huius ergo Pauli vita ab eodem Hieronymo descripta prout colligitur ex Gelasio [e], & ex ipso Hieronymo [f], ac communi traditione Ecclesiæ, quæ etiam extat *in Vit. Patr. lib. 1.* a nobis expendenda, & suis temporibus attexenda, prout in sequentibus faciemus.

a epist. 13. ad Paulin.
b in cap. 7. Michaa.
c 2. 2. q. 186. ar. 5. ad 3.
d to. 4. de Relig. Tract 9 l. 1. c. 2 n. 12. in fin.
e dist 15 Can. Sancta Romana Ecclesia.
f in Chron. an. 19. Constantij Iunioris & ep. 21. 22. 27. & Catal. script. c. 135.

Annus Christi 233. 234. 235. & 236. Pontiani Pont. 1. 2. 3. & 4. Alexand. Imp. 10. 11. 12. & 13.

Huius temporis gesta.

1 HIS quatuor annis Imperium Alexandri continuatum fuit, non valde feliciter; ob bellum contra Persas male peractum. De Ecclesiastica historia primò occurrit, martyrium Vrbani Papæ, cui substituitur Pontianus Romanus. Insignis etiam doctrina Origenis plures parturijt Ecclesiæ discipulos. Inter quos numeratur Dionysius, qui postea Heraclæ (de quo in superioribus actum) in Episcopatu Alexandrino successit; & Theodorus, postea dictus Gregorius Neocæsareæ in Ponto (quæ eius patria fuit) Episcopus; dictus etiam *Thaumaturgus*; item Athenodorus Gregorij frater Episcopus, & Martyr; Tryphon quoque. De his Eusebius [g], Gregorius Nyssenus [h], Hieronymus [i], Baronius [k], & asseclæ.

2 Notandus specialiter pro religiosæ humilitatis sectatoribus, quod sub hoc tempore Alexander quidam ex Philosopho ethnico verus philosophus Christianus effectus, adeò rerum caducarum huius Mundi contemptor euasit, vt abiectam Carbonarij vitam actibus, gestibus, & vestibus coluerit ad sui contemptum; donec, Deo sic iustè prouidente, a Thaumaturgo agnitus, & proditus factus est Episcopus. Felix æuum, quo similes Mun-

g lib. 6. c. 29. & 23.
h in vit. Thaumaturgi.
i de Scriptorib.
k sub hoc tempore.
Alexander Philosophus Christianus.

Mundo despecti homines ad hanc dignitatem meritis euehebantur. De illo Hieron.[a] Nyssen.[b] & Iuniores. a in Theodoro. b in vita Thaumaturg.

3 Ad hoc tempus, annum videlicet 234. refert Cassanate noster[c]. Mariam Virginem Abbatissam Cœnobij a S. Helena Constantini matre in Monte Caluariæ erecti, quam cum sodalibus virginibus sub Eliano vexillo, ac professione vixisse credit. Sed esto id verum sit, de quo in sequentibus; nimis tamen intempestiuè de hac Maria pro hoc tempore fit mentio, nisi dicamus prouectissimæ ætatis fuisse tempore, quo S.Helena Hierosolymam petijt, quod fuit post nonaginta,& amplius annos; circa videlicet 326. vt ibi dicetur. Anticipatè etiam loquitur idem Auctor *ibidem cap.*34. pro anno videlicet 236. de Seleuco Martyre Eliano asceta sub Diocletiani tempore, cum constet hunc Imperatorem non nisi post quinquaginta ferme annos Imperij clauum tenuisse. Confundit etiã hunc Seleucum Martyrem, de quo in Martyrologio sub die 16. Febr. cum alio eiusdem nominis Confessore dumtaxat, de quo idem Martyrologium sub 24.Martj. Hæc pro veritate tuenda dicere cogimur,etiam contra nostros. c in Paradis. Carmel.stat.2. ætat.4.c.33.

Ann.Christ.237.& 238. Pontiani Pont. 5.& Anteri, ac Fabiani 1. Maximini Imp. 1. & 2.

1 ALEXANDER Imperator hoc sub tempore, Deo sic permittente, quòd Pontianum Papam in Sardiniam deportari iusserit, apud Moguntiam in Germania cum Mammæa eius pia matre Maximini dolo occiditur. Hic propterea acclamatur Imperator, filium Maximinum in collegam Imperij adsciscens. Barbarus,& crudelissimus,vt propterea non solùm Germanos ingenti clade affecerit, sed etiam in Christianos magnam moueret persecutionem, sicut & in Alexandri familiam, in qua multi erant Christiani. Imperator Maximinus.

2 Interim quoad Ecclesiasticam historiam spectat,Pontianus Papa Alexandri iussu in Sardiniam relegatus, martyrio coronatur eiusdem Maximini mandato. Subrogatur ipsi Anterus Papa, qui etiam, sæuiente eodem Maximino, martyrium passus est. Causa martyrij dicitur, quod acta martyrum exquisiuisset a Notarijs, qui & *exceptores* dicebantur, quique ipsorum facta & dicta mirabili celeritate per notas quasdam designabant. Hæc porrò acta in Prouincijs sic excepta dicebantur *acta Proconsularia*, eaque solebant Christiani data pecunia coemere; vt mirum non sit quod martyrum facta, & dicta Martyrij tempore posteritati data sint. Notæ autem illæ primum inuentæ dicuntur a Tirone Ciceronis Liberto, & quod celerrime descriptæ fuerint, notauit Martialis[d]. Ecclesiastica. d lib.14.

Currant verba licet, manus est velocior illis:

Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

De his Baron. *hoc tempore*, & alij, qui ipsius vestigijs inhærent.

3 Ad idem tempus, vel circiter referri posse videtur celebris vnus Fructuosus.

Carmeli nostri incola, Fructuosus nomine, de quo noster Petrus Saracenus [a] sic habet: *Fructuosum in Eremiticis nostris Claustris nostri instituti, puerum ætate habitum sumpsisse; atque in Alexandrino Cænobio iura custodisse Nouitiatus, nemo dubio vertere hactenus ausus est.* Et infra: *Hic Patrum nostrorum Eremiticam duxit vitam incredibili quadam austeritate, & cum ob ingentes virtutes, quibus inter omnes mirificè fulgebat, & immensam erga B. Virginem Mariam, cui addictissimus erat, deuotionem summè ab omnibus haberetur reuerentia, Heleno demortuo Ordinis nostri Generalatus dignitate suffectus est. Cum autem in dies sanctitatis eius fama crebresceret, Summo Pontifice Sixto Sanctissimo annuente, Tarraconensis Ecclesiæ in Hispania Episcopus omnium applausu creatur,*

a in Menologio Carmel. in vit. S. Dionysij.

Notanda,

4 Circa quæ notatu aliqua digna occurrunt. Primò quidem, Fructuosum hunc nostris Carmeli Anachoretis iure annumerandum: veluti enim per traditionem Ordinis id habetur, cuius testis est Ioannes Palæonydorus, qui in opere Trimerico *de antiquitate, & sanctimonia Eremit. Montis Carmel.* (quod vt ipse loquitur veluti apis ex diuersis Patrum priscorum libris in vnum congregauit) [b] hunc Fructuosum propaginem Eliæ vocat, quod alij etiá Ordinis Scriptores recipiunt, & de exteris Laurentius Beyerlink [c]. Deinde, quod asserit de Nouitiatu ab ipso habito in Alexádrino Cœnobio satis credibile redditur, ex eo quod præcipua Ordinis pars inter Essenos versabatur in Alexandriæ, & Ægypti partibus, idque Monasterium insigne fuerit, ob Sancti Heleni, & postea Beatæ Eugeniæ, sociorum Prothi, & Hyacinthi; Theodori etiam, ac aliorum, qui ipsum illustrarunt, conuersationem. Quod verò Heleno demortuo ad Generalatus dignitatem suffectus fuerit, nobis incertum, sicut sæpius notauimus de simili Generalium serie a nostris Auctoribus assignata. Temporis enim antiquitas, & monumentorum paucitas, quæ quandoque etiam in summis Ecclesiæ Pastoribus, alijsque Patriarchalium Ecclesiarum Prælatis titubare animos facit, nos quoque in dubium trahit. Eo præsertim quod distantia temporis, quæ est inter Helenum, & Fructuosum dubij ansam præbet. Quod a Sixto Summo Pontifice Tarraconensis Ecclesiæ Episcopus creatus fuerit, subsistere non potest; cum hic Sixtus circa annum 132. Pontificatum ascenderit, ex quo tempore vsque ad Gallienum Imperatorem sub quo cum socijs Martyrium subijt 130. circiter anni currant. Forsan Sixti nomine Sixtum secundum intelligit hic auctor. Sed si hoc ita fuerit proculdubio modico tempore in Tarraconensi Episcopatu vixit, cum ipsius Martyrium sub anno 262. contigisse credatur, & Sixtus iste anno præcedenti pro Christo occisus fuerit. De ipsius Martyrio, pro tempore quo contigit sermo nobis erit.

b lib. 1. c. 3.

c in Theatro vitæ humanæ l. 16 to 6. verb. Religiosus Religio, dum de Ordine Carmelit.

Fructuosi patria.

5 Dumtaxat sub hoc tempore agendum de patria clarissimi huius Fructuosi; neque enim aliquid circa hoc comperti habetur, propter monumentorum penuriam, & longum temporis tractum. Et quidem Flauius Dexter [d] ad ann. 268. eum vocat ciuem, & Episcopum Tarraconensem,

d in Chronic.

ſem, ſic denotans natale ſolum ipſius Tarraconam fuiſſe, quod apud neminem alium ſe inueniſſe teſtatur Viuarius eiuſdem Dextri Scholiaſtes [a]; *a in Comment.*
Cæterum inter Luitprandi Fragmenta [b] ſic habetur: *Antiquiſſimus eſt* *b fragment. 62.*
Epiſcopatus Baſſedenſis, nam S.Fructuoſus Epiſcopus Tarraconenſis, & Martyr prius creditur fuiſſe ciuis, & Epiſcopus Baſſedenſis, & inde translatus Tarraconem, vbi Martyrium obijt illuſtriſſimum. Vbi porrò fuerit hic Baſſedenſis Epiſcopatus ſic notari videtur *in Fragment.* 61. antecedenti: *Lugoduni in Luſitania, quam Vrbem vocauerunt Mauri* Vitigodinum, *S. Iuſtus, vt creditur Epiſcopus Egarenſis, qui Concilio Egaræ congregato ſubſcripſit. Quam Vrbem vocauerunt corruptè Gothi* Egaram, *Latini* Baſſedam *in Caſtellanis, cuius meminit Ptolemæus.* Ex quibus habetur hanc *Baſſedam* idem eſſe ac *Egaram*; de qua *in Fragmento* 60. dicitur fuiſſe Ciuitatem ampliſſimam, ſedem Epiſcopalem, & a Mauris depopulatam, ac iuxta Ciuitatem *Baſim, & Bordel, Paladeram, Monteſam, & Portellam.* Cum tamen *Baſera* Oppidum ſit Phœnicis, in qua Prouincia Carmelus exiſtit, menti occurrit, an Fructuoſi Patria *Baſera* iſta fuerit, & corruptè ipſe *Baſſedenſis* nuncupatus, quod tamen alij diſquirent, cum facile ſit in medijs vmbris cæcutire. Id certius, Fructuoſum hunc diuerſum fuiſſe ab alio eiuſdem nominis in Hiſpania Segouienſi Ciue; & ab alio etiam Fructuoſo Bracarenſi Epiſcopo, de quibus Biuarius ſupra. Alia in ſequentibus de illo.

Annus Chriſti 239. & 240. Fabiani Pont. 2. & 3. Maximini Imp. 3. & 4.

1 POENAS ſuæ crudelitatis in Chriſtianos maximè ſoluebat hoc tempore Maximinus Imperator; dum enim Aquileiam obſidet cum filio a militibus occiditur, Pupieno etiam, & Balbinus Romæ. Iulius Capitol. Herod. & alij poſteriores. *Maximini mors.*

2 Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ huius temporis quaſi tacent. De Origene autem eo tempore celebri tacere non poſſumus, quæ ipſe Monachorum, Eſſenorum, & Cœlibum caſtitatem proprijs oculis in illis partibus Alexandriæ, & Ægypti cernens, ſcripſit, quæ ad intenrum Cœlibatus Eccleſiæ propugnandi contra Hæreticos affert etiam Iacobus Gualterius [c]: *Cæterum* (inquit Origenes [d]) *apud Chriſtianos non propter humanos honores, non propter mercedes pecuniarias, non propter gloriolas viget virginitatis ſtudium, etc:* Et *epiſt. ad Roman.* docet eſſe opus ſupererogationis: *Ea verò quæ ſupra debitum facimus, non facimus ex præceptis. Verbi gratia, Virginitas non ex debito ſoluitur, neque enim per præceptum expetitur, ſed ſupra debitum offertur. Audi denique Paulum dicentem: De Virginibus autem præceptum Domini non habeo.* Huic tempori hæc adſcribimus, etſi ſciamus opus illud Origenis ad Celſum non niſi poſt aliquot annos ab eo conſcriptum fuiſſe. *Cœlibatus celebratus.* *c in Tabul. chronogr. ſecul. 3. verit. 8.* *d lib 7. contra Celſum.*

3 Antequam autem ab hoc Maximini tempore dicebamus, lectori animaduertendum proponimus, huius Maximini perſecutioni adſcribere *Martyrium ſeptem Monachorum.*

aliquos Martyrium septem Monachorum Esseni instituti (vt postea ex Baronio videbimus) in Ægypto pro Christo occisorum, de quibus *in Martyrologio Romano sub die 19. Octobris*, sic habetur: *In Ægypto sancti Vari militis, qui sub Maximino Imperatore dum sanctos septem Monachos in carcere detentos visitaret, atque reficeret, vno ex ipsis defuncto, in eius locum subrogari voluit, & cum illis sæuissima passus Martyrij palmam adeptus est*. Id etiam credere videtur Annotator marginalis Baronij *in notis ad Martyrol. Roman. ea die*, notans annum 238. quasi eo tempore id acciderit, aut eo tempore de his Martyribus ageret ipse Baronius. In eandem quoque sententiam lapsus videtur noster Vvastelius vir doctissimus [a], dum probare intendens ante Antonij Abbatis celeberrimi tempora Monachos fuisse in Ægypto horum Monachorum Martyrium affert. Sed certe tam ipse, quam Annotator ille Baronij in hoc decipiuntur; non enim est Maximinus, sub quo hi Monachi passi sunt, is, de quo in præsenti, sed alius posterior pro tempore Constantini, & Maxentij Orientem tenens, Maximinus etiam vocatur. Quod ex eo manifestè liquet, quod Baronius [b] referat se ad Eusebium [c], vbi non de Maximino, de quo nos modò, & ipse [d] egerat; sed de illo alio Maximino, eiusque in Ecclesiam persecutione agit. Hæc enim scribit, quibus non solum hoc quod dicimus, sed etiam quod siue sub vno, siue sub alio Maximino id acciderit, Esseni tamen instituti hi Monachi fuissent, illudque a Philone, Dionysio Areopagita, & alijs veluti ab initio nascentis Ecclesiæ vigens decantatum: *Complures Monachos sub Maximino martyrio coronatos esse non tantum ex Martyrologijs, & Menolog. expressum habes, sed apud Eusebium hist. lib. 8. Porrò ipsum Monachorum institutum non recens, sed ab initio nascentis Ecclesiæ viguisse, ex his, quæ scribit Philo de Esseis, quæ habet Dionys. Areopag. & alij, facile colliges, licet nomen ipsum non adeo vetus fuerit; vnde Augustinus in Ioann. tract. 97. sic ait, Monasteria, & xenodochia postea sunt appellata nouis nominibus; res autem ipsæ ante sua nomina erant*. Hæc Baronius, quibus ea, quæ sæpe diximus de principatu Essenorum inter Ecclesiæ Monachos, etiam a D. Dionysio commemoratos, maximè roborantur. Id verò quod de Monachi nomine vetustate ex Augustino tangitur, alibi examinabimus.

a in vindicijs Io: Ierosolymitani ad lib. de Inst. Monach. ar. 11. 12. & 13. §. 3. pag. 188.

b in Annotat. ad dictum locũ Martyrolog.

c lib. 8. historiæ.

d lib. 6.

Annus Chr. 241. 242. 243. 244. & 245. Fabiani Pont. 4. 5. 6. 7. & 8. Gordiani Imp. 1. 2. 3. 4. & 5.

Huius temporis historia.

QVINQVENNIVM hoc quod totum tempus continet Imperij Gordiani iunioris, præter aliqua ipsius minus certa gesta, vix aliud de prophana historia profert. De Ecclesiastica tamen Babylam Antiochenum Episcopum Zebeni defuncti successorem, sanctitate valdè clarum, qui sedit annis 12. scilicet vsque ad Decium, Deo ita disponente. Nam ille propheticè præscius acerrimæ sub Decio persecutionis omnes instruebat, & armabat, inflammabatque ad

mar-

martyrium pro Christo subeundum. Fabianus etiam Papa Ecclesiæ tranquillitate potitus plura ædificia in Cœmeterijs fieri iubebat, vt quæ subtus terram latebant in cryptis arenarijs sepulchra Sanctorum Martyrum, erectis desuper ædificijs, reddita essent clara, atque conspicua, Christianorumque vsui opportuna, qui ex more eadem cœmeteria, vt orarent, frequenter adire solebant. Quod etiam imitati sunt alij in suis sedibus Episcopi, specialiter Gregorius Neocæsariensis Episcopus Thaumaturgus appellatus, De quibus Baronius, Gordonus, Ciacon. Coriolan. & alij.

2 Id non prætermittendum contra Baronium, quod ipse *sub ann. 241.* Babylas. maximè *in notis ad Martyrologium Romanum die 24. Ianuarij*, explodit eorum opinionem, quæ asserit duos Babylas Martyres, & Episcopos fuisse. In quo certè fallitur, cum Menologium Græcorum 4. Septembris de duobus agat Babylis, nempè de Antiocheno Episcopo, quem solum agnoscit Baronius, atque alio eius nominis Ludimagistro, vna cum octoginta tribus pueris obtruncato. De Antiocheno passim omnes Scriptores Græci, & Latini, quos apud Baronium habes; dè isto alio præter Menolog. Græc. Luitprandus [a] sic dicens: *Per hæc tempora S. Babylas Episcopus Vironensis, et Pampilonensis (vtrobique enim prædicauit) animo videndi captiuos, & miseros Muzarabes Toletum venit, & inde ad Odonem oppidum, & prope in eremitoriolo pueros docet primas litteras, & venit cum duobus fratribus, qui fiunt eremitæ, & postea omnes martyrium patiuntur.* Et etiam Iulianus [b] sic habens: *S. Babylas Episcopus Pampilonensis capta Pampilone, venit in Carpetaniam, & propè populum Odonem docet pueros, & cum illorum octoginta* (adde ex Menolog. Græc. tribus) *à Sarracenis patitur martyrium 30. Octobris.* Quod etiam confirmat Hispanorum in S. Babylam cultus, quem præter Ecclesias illi sacras manifestat Hymnus a Gothorum tempore in Ecclesia Toletana decantatus; nam tamquam illi, qui in Hispania gloriosè triumphauit, Martyri, vt solet, dedicatur. Quæ notata extant a Thoma Tamaio de Vargas insignis eruditionis viro [c]. Ansam porrò nobis tribuit de hoc secundo Babyla sermonem agere, nedum quia Odone oppido Matriti patrio solo nostro proximo commoratus est, vt propterea erga ipsum specialis deuotio in illis partibus vigeat; sed quia, vt constat ex Luitprando relato, propè illud oppidum in quodam Eremitorio pueros docebat, cum duobus fratribus Eremitis; quæ Essenorum institutum, & morem pueros alienos instruendi redolere videbantur. De quo suo loco in sequenti tomo, si Deo placuerit, iterum dicetur.

[a] in Chron. circa ann. Christ. 715.

[b] in Chronic.

[c] in notis ad Luitprandum loco relato.

Annus Christi 246. Fabiani Pont. 9. Philippi Imp. 1.

1 ANNVS iste Imperij Philippi primus iure censetur, quo, Gordiano apud Ctesiphontem in Oriente ab ipso occiso crudeliter, Imperium inuasit. Tunc fuisse Christianum aliqui existimarunt; Imperatores Philippi successio.

imme-

immeritò tamen, cum non nisi post aliquot annos Christi fidem susceperit. Hunc porro Philippum Augustum Imperij inuasorem non fuisse Philippum illum Augustalem Præfectum Ægypti, & patrem beatæ Eugeniæ, quondam cum socijs Protho, & Hyacintho in Alexandrino Essenorum Cœnobio cum Monachis sub viri veste commorantis, & hoc tempore Romæ agentis, benè Baronius [a].

a sub hoc anno.

Paulus orbatur parentibus

2 Hoc etiam anno, qui, iuxta computum nostrum, & aliorum iuxta dicta *sub anno 231.* quintus decimus fuit ætatis Pauli *primi Eremitæ* vocati, contigit id, quod D. Hieronymus ipsius vitæ historicus per hæc verba dixit: *Per idem ergo tempus quo talia gerebantur apud inferiorem Thebaidam cum sorore iam viro tradita post mortem amborum parentum, in hæreditate locupleti Paulus relictus est annorum circiter quindecim, litteris tam Græcis, quam Ægyptiacis apprimè eruditus, mansueti animi, Deum valdè amans. Et cum persecutionis procella detonaret, in villam remotiorem, & secretiorem secessit. Verùm*

---- quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

sororis maritus cœpit prodere velle, quem celare debuerat. Non illum vxoris lacrymæ, non communio sanguinis, non spectans cuncta ex alto Deus ab scelere reuocabat. Circa hæc autem notat Baronius sub anno Christi 253. sequentia: *Ætas illa Pauli annorum quindecim non ad tempus, quo secessit in solitudinem, referenda est; sed quod tot annos tunc natus erat, cum parentibus suis orbatus: idque manifestè significare voluisse Hieronymum illis verbis:* Post mortem amborum parentum in hæreditate locupleti Paulus relictus est annorum circiter quindecim, *& quod proxime dixerat*; per illud tempus, quo talia gerebantur, *ad ea esse referendum, quæ subdit:* Cum persecutionis procella detonaret: *Quæ sanè verba, si alio accipias sensu, Hieronymum sibi ipsi repugnantem, atque mendacem (quod nefas est dictu) de numero annorum Pauli in eremum secedentis efficies. Sic igitur ex eiusmodi S. Hieronymi sententia, præstat dicere, ipsum annum agentem quindecim parentibus esse orbatum; hocque anno eius ætatis 23.* (scilicet ann. Christi 253. vt eo loco dicemus) *ipso primo persecutionis impetu exturbatum, rus paternum prius, indeque confugisse in longe positos montes, nactumque opportunam sibi ad institutum paratam speluncam, quod superfuit vitæ vsque ad annum 113. incognitum permansisse.* Hæc etiam refert Heribertus Rosvvedius [b], etsi ea non plenè approbet, præsertim quod attinet ad Antonij vitam. Quid tamen nobis congruentius appareat, in sequentibus notabimus. Illud non prætermittendum, quod recessus Pauli in eremum nequaquam ad sextum decimum ætatis suæ annum referendus sit (vt Heribertus approbare videtur) alias non sub Decio id contigisset, sed sub Philippo: cum tamen Hieronymus Auctor vitæ Pauli ad tempus Decij, & occasione persecutionis ab ipso excitatæ casum referat.

b in Annotat. ad Vitam Pauli n. 24.

Annus

Ann. Christi 247.248.& 249. Fabiani Pont.10.11.& 12, Philippi Imp. 2.3.& 4.

1 PHILIPPVS Imperator hoc tempore Philippum filium Augustum creat; & Christianam veritatem recepisse creditur. De Ecclesiastica historia id magis compertum, quod mortuo Heracle Alexandrino Episcopo succeslit Dionysius acriter incipiens impugnare Origenem, vt propterea se purgans professionem rectæ fidei ad Fabianum miserit, immò ipse Romam accesserit. Concilium etiam in Arabia contra hæreticos pro animæ immortalitate tuenda celebratur. De quibus Euseb. Porphyr. Baron. & alij. Huius temporis gesta.

2 Nominatus autem Dionysius Alexandrinus nobis in memoriam reuocat Dionysium alium huius nominis celebrem Pontificem postea Romanum, & nostrarum Annalium dignum subiectum. Quod sic ostenditur. Primò quidem ex Ecclesiæ, & sacræ Congregationis Rituum authoritate, illum inter Ordinis nostri Diuos annua solemnitate pro 19. Ianuarij colendi facultatem tribuentis. Secundò, ex eo quod in ipsius Officij *Lectione* 4. sic de illo eadem S. Congregatio loquitur: *Dionysius imitatus Sanctissimos illos Monastici instituti Duces, qui ædificatis sibi casulis propè fluenta Iordanis, & urbis Vrbium derelictis, herbis agrestibus victitabant, Anachoreticam, seu Monasticam, & verè propheticam vitam aliquandiu egit,&c.* Consonat cōmunis,& concors historicorum,ac Chronologicorum cōsensio, qui eum cum Monachum,tum Anachoretā compellant. Nullus enim vel mediocriter eruditus inficiari poterit quin illi omnes, qui eo æuo saltem ante diuisionem Religionum, Antonij, Hilarionis, & Basilij ætatem in monachismo, aut Anachoretismo effulsere, solùm a primo huius instituti fonte Elia, Eliseo, & filijs Prophetarum, (qui verbis relatis a S. Congregatione indigitantur) Ioanne Baptista, & Essenis Marci discipulis originem traxerit, ac proinde Elianæ scholæ in Carmelo ab eodem Elia erectæ professores nominari debeant. Vnde rectè Didacus Coria [a] excusat Authores de Dionysio scribentes, quòd eum *Monachum*, vel *Anachoretam* appellent, non verò Eliani, Carmelitici, aut Prophetici Ordinis; ex eo videlicet, quod vbi non est pluralitas non sit distinctio, id est, quod cum illlo æuo tantum in Orbe Christiano vna solius Eliani instituti Ascetica vita esset, vnicusque Prophetalis, & Elianus Monachismus, abunde sat esset quempiam *Monachum*, seu *Anachoretam* compellare, vt eius communis Ordinis assecla censeretur. Quod autem Ascanius Tamburinus [b] dicat Dionysium Papam fuisse Ordinis S.Basilij prorsus indignum viro docto est, cum multis annis antequam Basilius ortus esset, Dionysius Monachus fuerit, vt euidenter constat. Consonant specialiter Doctores, qui disertè illum Carmelitis annumerant. Quales sunt ex nostris Palæonydorus, Coria, Baptista Mantuanus, Petrus

S Dionysius Papa.

a lib.7. c.17.

b de iure Abbat. to. 2. disp. 24 quæst.3.n.2.

trus Lucius Belga, Thomas de Iesu, Iosephus Falconius, Franciscus Voersius, Valerius Ximenez, Petrus Saracenus (qui cæteris accuratius pro Dionysio Carmelitis vindicando [a] laborat) Cassanate, Didacus Munotius, & alij innumeri. Ac de exteris Laurentius Beyerlink [b] dum de ordine Carmelitarum sermonem habet; Carolus Tapia [c] de Carmelitis etiam loquens, Ægidius Gelenius [d], Ioannes Carthagena [e], Nicolaus Manerbius [f] cum alijs. Quod & corroborat diuinitus quædam visio facta cuidam eximiæ sanctitatis viro, Ordinis nostri alumno, iuxta dicenda *ad ann.* 258.

a in vita Dion. in Monolog.
b in Theatro vitæ human. l. 16. to. 6. verb. Religiosus Religio.
c in Authentic. ingressi.
d in Colonia Sacra, seu de Coloniæ magnitudine lib 3. syntag 43 §. 1.

Dionysij incunabula.

3 Eius incunabula, longo annorum tractu interpellante, tantum difficultatis, quantum obscuritatis afferunt. Namque eiusdem nec patrium solum, nec parentum originem, nec prouinciam in qua natus est exprimunt Auctores. In eo consentiunt, vt ipsum plures *Græcum Monachum* appellent. Cùm autem hoc nomen plures, ac latissimas significationes admittat, ideo in varias ipsos opiniones distrahere potuit. Prout fecit cum Ciaconio [g], qui illum Italum, Regnicolam ex Turriæ Calabriæ Vrbe (olim magna Græcia) gentilitium duxisse testatur. Melius verò è nostris Petrus Lucius Belga [h] quem sequitur Petrus Saracenus [i], eum ex aliqua Syriæ Prouincia oriundum fuisse suadet. Et sanè Carmeli Religio, seu Essenatus schola ab ipso suscepta id comprobant. Vt omittamus Dionysij nomen potius ex vera Græcia, aut Syria; quàm ex Italia prodijsse, indigitare. Indicat id Mantuanus noster sic de ipso canens.

e in homil. pro Carmelit.
f in Sanctor. Catalogo.
g de vit. Pontif. in Dionys.
h in Carmelit. Biblioth.
i in Monologio Carmel. in vit. eiusdem Dionys.

Hic erat occultus Christi de gente Sacerdos
Graius enim dudum Carmelo à monte profectus
Vertice Carpathijs alto qui prominet vndis.

Refert hæc Mantuani Carmina eis acquiescens Ioannes Balæus, etsi improbus apostata, historicus diligens [k]. Forsan Africanus fuit, vt colligitur ex Luitprandi fragmentis [l] vbi sic: *Sunt qui putent Dionysium Papam fuisse natione Africum*. Et sanè si hoc ita fuit, credibilius redditur ex Monachis Asceticis Esseni fuisse, qui Africæ, id est, Ægypti, coloni erant.

k in Cathal. script. Britannia cent. 1. in append. ad Lucium Pium.
l Fragm. 266.

Annus Christi 250. 251. & 252. Fabian. Pont, 13. 14. & 15. Philipp. Imp. 5. 6. & 7.

Historia huius temporis.

1 PROPHANA huius temporis historia præcipuè profert gesta vtriusque Philippi, patris scilicet Imperatoris, & filij, de quibus Cassiodorus, Capitolinus, Aurelius Victor, Eusebius, Flauius Dexter, & Neotherici post illos. Ex istis Biuarius Dextri Commentator duplicem hanc Philipporum memoriam refert in Hispania repertam, nec reticendam, vel ob antiquam pietatem eius nationis in Christi fidem, quam ambo profiteri sunt crediti, comprobandam. Toleti quidem.

Imp.

Imp. Caes. M. Iulio, Philippo, Pio,
Fel. Aug. Trib. pot. PP.
Consuli.
Toletani deuotissimi Numini,
Maiestatique eius, DD.

Non miretur lector illud *Numini*, poni enim solebat in Gentilium Imperatorum inscriptionibus. Vlyssippone verò.

Imperatori Caesari, Iulio, Philippo
Pio, Felic. August. Pont. Max.
Trib. pot. 2. PP. Consul. 3.
Felic. Iulio.
Olisipo.

2 Inter Ecclesiasticae historiae notabiliora iure censetur electio in Episcopatum Carthaginensem S. Cypriani egregij Doctoris, Caecilij cognominati, quod a Caecilio Presbytero ad fidem conuersus fuerit. Genere fuit illustris, potentia clarus, suaeque Ciuitatis senator, atque disciplinis Philosophicis, & eloquentia insigniter ornatus. Qui propterea Patres meruit habere collaudatores, videlicet Gregorium Nazianzenum [a], Augustin. [b] & alios. Nostrae etiam historiae materiam praebet, propterea quod Castitatis, & paupertatis Religiosae, quae suo etiam tempore vigebat, eximius commendator reperiatur. Etenim *in libro de disciplin. & habitu Virgin.* in quo (vt Iacobus Gualterius [c] inquit) dum Sanctimoniales sui temporis cohortatur, & animat, vsque adeo illustribus exornat laudibus religiosae virginitatis praerogatiuas, vt nihil supra: *Nunc*, inquit, *nobis ad Virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria, maior & cura est. Flos est ille ecclesiastici germinis, decus, atque ornamentum gratiae spiritualis, laeta indoles, laudis, & honoris opus integrum atque incorruptum. Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiae matris gloriosa faecunditas, quantoque plus copiosa Virginitas numero suo addidit, tantò gaudium matris augescit.* Et aliquot paginis interpositis: *Seruate, Virgines, seruate quod esse coepistis, seruate quod eritis; magna vos merces manet, premium grande virtutis, munus maximum castitatis, &c. Domini vox est illa dicentis: Filij seculi huius generant, & generantur: Qui autem habuerint dignationem seculi illius, & resurrectionis à mortuis non nubunt, neque matrimonium faciunt, neque enim incipient mori, aequales enim sunt Angelis Dei, cùm sint filij resurrectionis. Quod futuri sumus, iam vos esse coepistis; vos resurrectionis gloriam in isto seculo iam tenetis, per seculum sine seculi contagione transitis. Cum castae perseueratis, & virgines Angelis Dei estis aequales.* Et paulo post: *Prima sententia crescere, & generare praecepit, secunda continentiam suasit. Cum adhuc rudis mundus, & inanis est copia faecunditatis generante propagamur, & crescimus ad humani generis augmentum, &c. Cum iam refertus est orbis, mundus impletus, qui capere continentiam possunt spadonum more viuentes castran.*

S. Cyprianus.

a. orat. 4.
b lib. 4. doctrin. Christian. c. 15
c in sui Tabul. Chronograph. secul. 3. verit. 8

strantur ad regnum. Nec hoc iubet Dominus, sed hortatur, nec iugum necessitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum. Sed cum habitationes multas apud Patrem suum esse dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat; habitacula ista meliora vos petitis, carnis desideria castrantes maioris gratiæ præmium in cælestibus obtinetis. Et in tractatu de Natiuitate Christi, continentiæ, ac Virginitatis statum esse statum perfectionis affirmat hisce verbis: *Quia etsi bona sunt, & à Deo instituta coniugia, melior tamen est continentia, & virginitas excellentior, quam non cogit necessitas, aut mandatum, sed perfectionis suadet consilium.* Qui legerit eiusdem S. Cypriani librum de disciplina, & bono pudicitiæ, similes multas Virginitatis laudes inueniet, & hanc inter alias: *Sed enim pudicitiæ locum primum in Virginibus tenet, secundum in continentibus, tertium in matrimonijs; verum in omnibus gloriosa est cum gradibus suis. Nam & matrimoniorum fidem tenere, laus est inter tot corporis bella; & matrimonio de continentia modum statuisse, maioris virtutis est, dum etiam licita reijciuntur. Certè ex vtero sanctitatem custodisse, & infantem se vsque in senectutem in sua ætate tota tenuisse, admirandæ vtique potentiæ est.* De paupertate quoque religiosa in *serm. de lapsis ante med.* prout etiam idem Gualterius ad intentum affert, sic loquitur: *Dominus bonorum magister, & præmonens in futurum: Si vis, inquit, perfectus esse, vade, & vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælis, & veni sequere me. Si hoc diuites facerent, per diuitias non perirent; thesaurum in Cælo reponentes, hostem nunc & expugnatorem domesticum non haberent: esset in Cælo cor, & animus, & sensus, si thesaurus esset in Cælo. Nec vinci à seculo posset, qui vnde vinceretur in seculo non haberet. Sequeretur Dominum solutus, & liber, vt Apostoli, & sub Apostolis multi, & nonnulli sæpe fecerunt, qui & rebus suis, & parentibus derelictis indiuiduis Christi nexibus adhæserunt.* Et fere statim: *Dominus autem quibus nos præmijs ad contemptum rei familiaris inuitat? Parua hæc, & exigua huius temporis damna, quibus mercedibus pensat? Nemo est, inquit, qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, & recipiat septies tantum in isto tempore; in seculo autem venturo vitam æternam. Quibus cognitis, & de Domini pollicentis veritate compertis, non tantum timenda non est huiusmodi, sed & optanda iactura, &c.* Et in tractatu de Oratione Dominica: *Contra autem Dominus perfectum & consummatum docet fieri, qui omnibus suis venditis, atque in vsum pauperum distributis thesaurum sibi condit in Cælo. Eum dicit posse se sequi, & gloriam Dominicæ passionis imitari, qui expeditus, & succinctus nullis laqueis rei familiaris inuoluitur, sed solutus, ac liber facultates suas ad Dominum ante præmissas ipse quoque comitatur.*

Tumultus Alexandriæ.

3 Aliqualiter etiam ad nostrum Annalium seriem spectare videtur, quod hoc tempore, anno videlicet 252. vel circiter ante persecutionem a Decio inceptam, grauis tumultus in Christianos Alexandriæ excitatus fuerit, instigante ad eum Ægyptios Alexandrinos Mago quodam obscuri nominis, eo forsan, quem Porphyrius [a] commemorat. Ex hac enim graui

a in vit. Plotini

in

in Christicolas persecutionis procella, adiuncta grauiori a Decio anno sequenti excitata, potuit Paulus *primus Eremita* compellatus, deserti inuia quærere, iuxta dicenda eo anno. Item suscipionis datur locus ad credendum, hac grassante persecutionis furia, Essenorum reliquias, Monachosue Alexandriæ semper commorantes non pauca, nec parua pati potuisse detrimenta, quæ ob temporis intercapedinem longā ac monumentorum iacturam ignorare cogimur. Quæ autem, & quam sæua fuerit hæc repentina grassatio, Dionysius Alexandrinus Episcopus [a] his verbis ab Eusebio [b], & Baronio [c] relatis, habet: *Non ex Imperatoris edicto persecutio apud nos incepta fuit, sed integro anno præuenerat. Nam vates (quisquis ille fuerit) malorum omnium, quæ huic Ciuitati acciderunt, architectus infinitam Gentilium turbam contra nos incitauerat, impuleratque, atque adeo ad patriam suam, & antiquam superstitionem defendendam magnopere instigarat: qui ab illo ad maleuolentiam irritati, omnemque aucupati licentiam ad scelus patrandum; solam pietatem, & verum cultum dæmonum suorum istum censuerunt, vt Christianorum cæde, & sanguine suas crudeles manus respergerent. Primum igitur senem quendam Metram nomine arreptum, impia verba contra Deum loqui mandant, cuius corpus, propterea quod eorum voluntati repugnabat, fustibus cædunt; vultum, oculosque præacutis arundinibus pungunt: ipsumque adeo ad suburbia adductum lapidibus obruunt. Deinde fidelem mulierem, quæ vocabatur Quinta, ad idolorum delubrum deducere, & ad falsos Deos venerandos impellere cœperunt: eamque cum se auerteret, & talem cultum detestaretur, pedibus constrictis per vniuersæ vrbis plateas asperis saxis constratas raptare; & simulac corpus eius ad saxa molaria allisissent, et flagris pariter lacerassent: ad suburbia trahere, ibique crebro saxorum coniectu obterere. Tum verò vno quasi animorum impetu, omnes in ædes piorum irruere; et singuli, quos sibi vicinos esse cognouerant, propere educere, expoliare, diripere, et diuitias, ac supellectilem, si quæ erat preciosior, sibi reponere; si quæ vilior, sordidior, et ex ligno confecta, in vijs dissipare, deinde exurere; adeò vt Ciuitas illa veram speciem vrbis ab hostibus captæ, despoliatæque probè repræsentaret. Fratres ergo deflectere è via, et in loca separata, ac solitaria se subducere, rapinam bonorum suorum similiter cum illis, quibus Paulus illustre perhibet testimonium, cum gaudio suscepere.* Refert postea casum Martyrij S. Apolloniæ Virginis omnibus peruium in Breuiarijs, & propterea omittendum. Item cuiusdam Serapionis ab ipsis è loco edito in præcipitium deiecti; qui tamen sine dubio diuersus est ab alio inter nostros superius commemorato, & eiusdem nominis. Ac tandem: *Atque ista mala hoc modo non ad exiguum temporis spacium grassata sunt; verum tandem seditio, et bellum intestinum, quod illos miseros postea inuasit crudelitatem contra nos excitam in ipsorum capita conuertit. Vnde nos quidem, dum illorum furor in nos incensus alijs rebus implicatus tenebatur, paulisper respirauimus.*

[a] ad Fabium Antiochenum Antistitem. [b] lib.6.c.34. [c] sub ann.252.

S. Afra.

4 Commemoranda hoc loco venit Afra quædam, alijs *Aphra* celebris sancta, quam Laurentius Beyerlinck [d], dum de Ordine Carmelitarum agit,

[d] in Theatro vitæ human. to. 6 l.16 verb. Religiosus Religio.

agit, inter eiusdem Ordinis Diuas, & sub anno 250. recenset. Fatendum sanè historias domesticas nihil de ipsa loqui, cæterum non propterea prætermittenda. Vtvt res fuerit, huius Sanctæ gesta talia sunt. Meretricium pluribus annis exercuit, Augustæ præsertim Vindelicorum, lenocinante matre Hilaria. Adueniente postmodum Narcisso Episcopo, fidem Christianam, cum antea pagana esset, suscepit; ac adeo firmiter, vt vrgente persecutione, ipsa cum matre, ac tres ancillæ ipsius Digna, Eunomia, & Eutropia, quæ simul cum illa impurè vixerant, pro Christi nomine combustæ ignibus fuerint. Virginis titulo cognominatur a Venantio Fortunato [a], & Laurentio Beyerlinck relato. Sed quomodo Virginalis puritas cum obsceno meretricio stare potuit? Sanè hoc denotat confusionem aliquam in hac re esse, & forsan duas Afras, alteram Martyrem, de qua locuti sumus; alteram Virginem, quæ Eliadibus adiungi possit. In re tamen incerta sufficiat hæc indicasse. Qui autem plura de Afra meretrice, & postea Martyre scire cupiat, adeat Episcopum Equilinum [b], Surium [c], Vicellium [d], & Martyrologia, Romanum (vbi Baronius) Vsuardi, Adonis, Bedæ, & aliorum. Ex dictis porrò pro nostra instructione accipiamus ne propter peccatorum multitudinem de Dei diffidamus misericordia, qui meretrices etiam martyres facit, timeamus tamen eum, qui *Matth. 21.* dixit: *Publicani, & meretrices præcedent vos.* Notet etiam Lector in aliquibus Catalogis Sanctorum Ordinis Afram referri, vt videre est in eo quod Palæonydorus habet, sed sub titulo Virginis, & Martyris.

a lib. 4. vit. S. Martini.

b in Catal. l. 7. c. 28.

c 4. to. pro die 5. Augusti.

d in Hagiologio

Annus Christi 253. Fabiani Pont. 16. Decij Imp. 1.

1 COEPIT sub hoc anno noua, & sæuissima Christiani nominis persecutio a Decio excitata, missis ad hoc ad Præsides Regionum edictis; ob capitale odium quo Philippum prosequebatur; ac ob perfidam inuidiam, quod videret, Christianos ipsius Philippi auctoritate fretos, pluribus fanis idolorum demolitis, Deo vero templa dicasse. Causam aliqui dant morum corruptioni eius temporis. Atrocitatem porro persecutionis describit Cyprianus [e], inter alia oculatus testis dicens: *Tormenta venerunt, & tormenta sine fine tortoris, sine exitu damnationis, sine solatio mortis: tormenta quæ ad coronam non facilè dimittant, sed tandiu torqueant quandiu deficiant.* Et Nyssenus [f] inter alia: *Erant autem non solum minæ verborum terribiles, sed cum ijs varius apparatus suppliciorum; enses, & ignes, & bestiæ, & fossæ, & instrumenta ad torquendum membra accommodata, & ferreæ in igne cathedræ, & ligna erecta, in quibus eorum extensa, qui persistebant, corpora, porrectis, horrendis laniabantur vngulis, & alia innumerabilia ad multiplices corporum cruciatus inuenta, ab eis excogitabantur. Alij quidem deferebant, alij verò indicabant, alij verò scrutabantur eos, qui erant absconsi: alij inuadebant eos, qui fugiebant, alij autem inie-*

f in Thaumat.

iniectis oculis in facultates fidelium, vt rebus eorum potirentur, prætextu pietatis, & religionis, eos qui fidem amplectabantur, exagitabant. Item D.Hieronymus *in vit. S.Pauli Eremitæ* sic: *Voti tunc Christianis erat pro Christi nomine gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat iugulare, non corpora.* Hinc plurimi vbique Martyres hac tempestate referuntur, specialiter S. Fabianus Papa pro 20. die Ianuarij; vacante post eius obitum sede vno anno, & vltra.

2 Hoc etiam anno, qui 23. vel circiter erat Pauli Eremitæ, secessit in desertam Eremum. Ita enim colligitur ex vita ipsius a D. Hieronymo descripta, adiunctis ijs, quæ supra sub ann. 231. & 246. diximus. Vnde hunc annum ipsius fugæ assignant Baronius, Gordonus, Coriolanus (etsi non rectè tunc dicat puerum fuisse) ac alij. Quod si quidam in hoc discrepant, ideo est, quia in anno primo Decij Imperij signando variant. Quomodo id acciderit, in ipsius vita sic habet D.Hieronymus: *Adhuc instabat crudelitas, quæ pietatem videbatur imitari. Quod vbi prudentissimus adolescens intellexit, ad montium deserta confugiens, dum persecutionis finem præstolaretur, necessitatem in voluntatem vertit, ac paulatim progrediens, rursusque tantundem, reperit saxeum montem, ad cuius radicem, haud procul erat grandis spelunca, quæ lapide claudebatur. Quo remoto, vt est cupiditas hominum occulta cognoscere, auidius explorans, animaduertit intus grande vestibulum, quod aperto desuper Cælo, patulis diffusa ramis vetus palma contexerat, fontem lucidissimum ostendens, cuius riuum tantummodo foras erumpentem, statim modico foramine eadem, quæ genuerat aquas terra sorbebat. Erant præterea per exesum montem non pauca habitacula, in quibus scalpræ, etiam incudes, & mallei, quibus pecunia olim signata visebantur. Hunc locum Ægyptiorum litteræ ferunt furtiuæ monetæ officinam fuisse ea tempestate, qua Cleopatræ iunctus Antonius est.* Paulus Eremita.

3 Ex hoc porrò Pauli facto plurimi sunt, qui astruant eum fuisse inter homines primum, qui Eremi deserta coluerit; hinc communiter *Primum Eremitam*, vel *Anachoretarum Patriarcham* compellantes. Sed, Deus bone, quantum hi a veritate aberrant, nisi salis grano hoc ipsorum placitum condiatur. Equidem *primum Eremitam* Paulum nuncupari vero aliquo sensu posse refragari non possumus, cum nedū a Hieronymo *in eius vita*, sed ab Ecclesia sæpius tum in ipsius Ecclesiastico officio, tū in alijs publicis Ecclesię Tabulis, Martyrologijs, seu Menologijs nempe, hoc cognomine illustretur. Cæterum quòd primus omnino fuerit, qui Eremū incoluerit, deserta habitauerit, aut anachoreticā egerit vitam, nullus vel mediocriter eruditus affirmare poterit. Et vt omittamus Eliam; & Filios Prophetarum, quos Carmeli antra, & Iordanis fluenta frequentasse, S. Paginæ testimonijs credere conuincimur; vt propterea de ipsis Hieronymus *in Epist. ad Rustic.* dixerit, *ædificabant sibi casulas prope fluenta Iordanis, & turbis Vrbium derelictis*, & in *Epist. 13. ad Paulin.* sæpius referenda: *Habitabant in agris, & solitudinibus*, & Ioannem Baptistam, qui ipsorum secutus An omnino primus Eremita Paulus.

vestigia *Antra deserti teneris sub annis*, vt Ecclesia canit, fugiens petijt; quia solum se dicent loqui de Eremitis post Ioannis, & Apostolorum tempora; sanè etiam post illa, & ante nostrum Paulum plures fideles Eremi cultores fuisse omnino compertum cunctis esse debet. Etenim de Essenis, seu Elisenis nostri Prophetici, & Eliani Instituti, vt sæpius inculcauimus, professoribus, loquentes, clarè constat inter ipsos plures fuisse ex dictis supra *in Apparat. c. 1. 2. 4. & to. 1. sub ann. 3545. n.* 40. Mariam quoque Magdalenam per 30. annos Eremum incoluisse, dicta *sub ann.* 48. sufficienter ostendunt. Item S. Telesphorum Papam, & Martyrem ex nostrorum Anachoretarum instituto ad eam summam dignitatem euectum, quæ diximus cum tota historicorum cohorte *sub anno* 142. dilucidè demonstrant. Casu etiam quod ipse non tam Anachoreta, quam Anachoretæ filius (vt quidam putauit) censeatur, ex eo etiam illo æuo non defuisse Anachoretismi sectatores manifestè elicitur. Adhæc, ex historia S. Frontonij Abbatis, quam ex *lib. 1. Vit. Patr.* extraximus *sub ann.* 151. lucè clarius constat tum ipsum, tum septuaginta alios cum eo Monachos Eremi deserta longo tempore habitasse. Numquid non etiam Basilides ille, de quo *sub ann.* 69. dictum, Carmeli deserta coluit? Et Amator Veronicæ coniux, de quo *sub ann.* 75. quædam recitata, in Gallijs editissimi montis colonus non fuit, ad instar eorum, qui prope Nazareth Carmeli iuga tenebant? De S. Heleno quoque celebri Abbate, Episcopo post, manifestè liquet etiam Eremiticam, & Anachoreticam duxisse vitam, ex Vitis Patrum, & dictis *sub ann.* 170. Serapionem præterea *Anachoretam* aliqui volunt, quos retulimus *sub anno* 189. Adminus Narcissum Ierosolymitanum Antistitem inter Anachoretas vnum fuisse refragabitur nullus, qui legerit scripta *sub anno* 186. Et cur id non etiam dicetur de Fructuoso, de quo *sub anno* 237. & 238. dictum; & de Dionysio hoc tempore superstite, & postea ad Pontificatum euecto, de quo *sub ann.* 247. dicere incepimus. Nonne etiam Marcion Hæresiarcha, vt *sub ann.* 145. ex Epiphanio diximus, solitariam vitam duxit? Quod & alij hæretici æmulati fuerunt, prout ex eodem Epiphanio *sub ann.* 175. multis retro annis ante Pauli ortum, scripsimus. Pro comperto ergo sit Paulum nostrum, de quo in præsenti non ex eo *Primum Eremitam* vocitatum quod primus omnino inter Christianos Eremi inuia coluerit, desertumue habitauerit; sed quia inter eos celeberrimus, a D. Hieronymo scriptis commendatus, per nonaginta annos Eremi colonus, omnibus incognitus, loco remotissimo agens, & vitæ sanctitate valdè conspicuus. Diximus etenim superius *sub ann.* 36. familiarissimum tum sacris tum prophanis litteris esse, vt is primus alicuius rei auctor vocitetur, qui eam iam ab alio cœptam valde perficit, & amplificat; quod & in Paulo manifestè cernitur. Quid ni? Nonne & Hieronymus ipse, qui *in vita eiusdem Pauli Prologo* dum quæreret: *A quo potissimum Monachorum Eremus habitare cœpta sit*; aliorumque opiniones quadamtenus reijciens, suamque promens dixerit *Paulum Thebæum*

Prin-

Principem istius rei fuisse, subiungit proxime: *Quod non tam nomine, quam opinione nos quoque comprobamus*, denotans hunc primum Anachoretismum Paulo tributum opinionis vulgi sensui maximè inniti. Varias sanè huius clausulæ intelligentias, præsertim cum Codices maximè in ea varient, habeat lector ex Matthæo Galeno [a], & Heriberto Rosvvedio [b]. Sed quam adduximus, credimus magis legitimam. Non tamen omnino a veritate discordat ea, quam Genebrardus [c] adduxit his verbis: *Paulus Eremum primus colere incipit. Hinc Eremitarum origo (Hieron.in eius vita) supra tamen audiuimus è Damaso Telesphorum nonum à Petro Pontificem fuisse Anachoretam. Nempe Anachoretica vita potest transigi extra deserta, & inculta loca.* Cæterum nedum Anachoretas, sed etiam Eremitas aliquos etiam ante Paulum extitisse sufficienter comprobant ea quæ adduximus. Quod verò discrimen sit inter Anachoretas, & Eremitas *in Apparatu c.4.* dictum manet. Sed veritatis scopum apprimè attigit Iacobus Gualterius [d], ea dicens, quibus tota nostra historia maximè illustratur: *Anachoreticæ* (inquit) *seu Eremiticæ vitæ status feliciter inchoatus a S. Paulo, communiter vocato primo Eremita. Geneb.in Sixto II. Baron.ann.253.n.111. & seqq. Quamuis, si propriè loquendum sit, auctor potius vocetur, quod illam magnopere illustrarit, ac perfecerit, quam quod inuenerit: siquidem (vt nihil dicam de Elia, qui vt plurimum versabatur in Monte Carmelo, vt ex libris Regum perspicuum est, & quidem pilis indutus, ac zona pellicea præcinctus, vt 4. Reg.1.8. indicatur; nihil item de Ioanne Baptista, qui ab infantia vixit in deserto, pilis camelorum indutus, ac locustis victitans, Matth. 3.1.4. & Luc.1. 80. nihil denique de alijs, qui, teste Paulo Apostolo, Hebr.11.37.38. circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ, quibus dignus non erat mundus) Telesphorus, vt in 2. seculi columna prima obseruatum est, Anachoreta prius fuit, quam in Pontificem eligeretur. Adde quod non solum S. Cyprianus, ac Tertullianus meminerunt voti castitatis, velique Sanctimonialium in Ecclesia factitati; sed præterea S.Dionysius Areopagita Pauli Apostoli discipulus, Eccl. Hierar.c 6. Monasticam professionem extollit, etiam designata inter alias ceremonias, tonsura, atque habitus mutatione suo tempore vsitata. Adeò vt neque dubium cuiptam esse queat, quin vita Anachoretica generalius sumpta sit antiquissima, imò & ante ipsam Christi prædicationem trita: neque negare quis possit statum Monasticum, ac Religiosum pressius acceptum iam ab Apostolorum temporibus in Ecclesia Christiana extitisse.* Hæc Gualterius, præclarè satis ad intentum nostræ historiæ.

4 Aliter rem explicat Nicolaus Serarius [e], cum enim sibi obiecisset quædam Scaligeri verba dicentis nullos ante B. Paulum Eremitam in Ægypto fuisse Monachos, respondet nullos, *qui propriè essent Eremitæ*, id est, qui *soli solus in locis*, prout dixerat *c.* 23. degerent. Quod est dicere ad intentum, S.Paulum vocari *primum Eremitam* inter omnes, quia ipse solus in locis solitarijs nullam cum hominibus conuersationem gerens per multum tempus vixerit; non alio sensu.

a cap. 4. Orig. M. n.18.
b in Annotat. ad vit. S.Pauli Eremit. n.8.
c lib 3. Chronol. circa ann. Chr. 267.
d in suis Tabul Chronograph.3. seculo.
Serarij mens.
e lib 5. Mineru. c. 24.

vestigia *Antra deserti teneris sub annis*, vt Ecclesia canit, fugiens petijt; quia solum se dicent loqui de Eremitis post Ioannis, & Apostolorum tempora; sanè etiam post illa, & ante nostrum Paulum plures fideles Eremi cultores fuisse omnino compertum cunctis esse debet. Etenim de Essenis, seu Elisenis nostri Prophetici, & Eliani Instituti, vt sæpius inculcauimus, professoribus, loquentes, clarè constat inter ipsos plures fuisse ex dictis supra *in Apparat. c. 1. 2. 4.* & *to. 1. sub ann. 3545. n. 40.* Mariam quoque Magdalenam per 30. annos Eremum incoluisse, dicta *sub ann. 48.* sufficienter ostendunt. Item S. Telesphorum Papam, & Martyrem ex nostrorum Anachoretarum instituto ad eam summam dignitatem euectum, quæ diximus cum tota historicorum cohorte *sub anno 142.* dilucidè demonstrant. Casu etiam quod ipse non tam Anachoreta, quam Anachoretæ filius (vt quidam putauit) censeatur, ex eo etiam illo æuo non defuisse Anachoretismi sectatores manifestè elicitur. Adhæc, ex historia S. Frontonij Abbatis, quam ex *lib. 1. Vit. Patr.* extraximus *sub ann. 151.* lucè clarius constat tum ipsum, tum septuaginta alios cum eo Monachos Eremi deserta longo tempore habitasse. Numquid non etiam Basilides ille, de quo *sub ann. 69.* dictum, Carmeli diserta coluit? Et Amator Veronicæ coniux, de quo *sub ann. 75.* quædam recitata, in Gallijs editissimi montis colonus non fuit, ad instar eorum, qui prope Nazareth Carmeli iuga tenebant? De S. Heleno quoque celebri Abbate, Episcopo post, manifestè liquet etiam Eremiticam, & Anachoreticam duxisse vitam, ex Vitis Patrum, & dictis *sub ann. 170.* Serapionem præterea *Anachoretam* aliqui volunt, quos retulimus *sub anno 189.* Adminus Narcissum Ierosolymitanum Antistitem inter Anachoretas vnum fuisse refragabitur nullus, qui legerit scripta *sub anno 186.* Et cur id non etiam dicetur de Fructuoso, de quo *sub anno 237. & 238.* dictum; & de Dionysio hoc tempore superstite, & postea ad Pontificatum euecto, de quo *sub ann. 247.* dicere incepimus. Nonne etiam Marcion Hæresiarcha, vt *sub ann. 145.* ex Epiphanio diximus, solitariam vitam duxit? Quod & alij hæretici æmulati fuerunt, prout ex eodem Epiphanio *sub ann. 175.* multis retro annis ante Pauli ortum, scripsimus. Pro comperto ergo sit Paulum nostrum, de quo in præsenti non ex eo *Primum Eremitam* vocitatum quod primus omnino inter Christianos Eremi inuia coluerit, desertumue habitauerit; sed quia inter eos celeberrimus, a D. Hieronymo scriptis commendatus, per nonaginta annos Eremi colonus, omnibus incognitus, loco remotissimo agens, & vitæ sanctitate valdè conspicuus. Diximus etenim superius *sub ann. 36.* familiarissimum tum sacris tum prophanis litteris esse, vt is primus alicuius rei auctor vocitetur, qui eam iam ab alio cœptam valde perficit, & amplificat; quod & in Paulo manifestè cernitur. Quid ni? Nonne & Hieronymus ipse, qui *in vita eiusdem Pauli Prologo* dum quæreret: *A quo potissimum Monachorum Eremus habitare cœpta sit;* aliorumque opiniones quadamtenus reijciens, suamque promens dixerit *Paulum Thebæum*

Prin-

Principem istius rei fuisse, subiungit proxime: *Quod non tam nomine, quam opinione nos quoque comprobamus*, denotans hunc primum Anachoretismum Paulo tributum opinionis vulgi sensui maximè inniti. Varias sanè huius clausulæ intelligentias, præsertim cum Codices maximè in ea varient, habeat lector ex Matthæo Galeno [a], & Heriberto Rosvvedio [b]. Sed quam adduximus, credimus magis legitimam. Non tamen omnino à veritate discordat ea, quam Genebrardus [c] adduxit his verbis: *Paulus Eremum primus colere incipit. Hinc Eremitarum origo (Hieron.in eius vita) supra tamen audiuimus è Damaso Telesphorum nonum à Petro Pontificem fuisse Anachoretam. Nempe Anachoretica vita potest transigi extra deserta, & inculta loca.* Cæterum nedum Anachoretas, sed etiam Eremitas aliquos etiam ante Paulum extitisse sufficienter comprobant ea quæ adduximus. Quod verò discrimen sit inter Anachoretas, & Eremitas *in Apparatu c.4.* dictum manet. Sed veritatis scopum apprimè attigit Iacobus Gualterius [d], ea dicens, quibus tota nostra historia maximè illustratur: *Anachoreticæ* (inquit) *seu Eremiticæ vitæ status feliciter incohoatus a S. Paulo, communiter vocato primo Eremita. Geneb.in Sixto II. Baron.ann.253.n.111. & seqq. Quamuis, si proprie loquendum sit, auctor potius vocetur, quod illam magnopere illustrarit, ac perfecerit, quam quod inuenerit: siquidem (vt nihil dicam de Elia, qui vt plurimum versabatur in Monte Carmelo, vt ex libris Regum perspicuum est, & quidem pilis indutus, ac zona pellicea pracinctus, vt 4. Reg.1.8. indicatur; nihil item de Ioanne Baptista, qui ab infantia vixit in deserto, pilis camelorum indutus, ac locustis victitans, Matth.3.1.4. & Luc.1.80. nihil denique de alijs, qui, teste Paulo Apostolo, Hebr.11.37.38. circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ, quibus dignus non erat mundus) Telesphorus, vt in 2. seculi columna prima obseruatum est, Anachoreta prius fuit, quam in Pontificem eligeretur. Adde quod non solum S.Cyprianus, ac Tertullianus meminerunt voti castitatis, velique Sanctimonialium in Ecclesia factitati; sed praterea S.Dionysius Areopagita Pauli Apostoli discipulus, Eccl. Hierar.c 6. Monasticam professionem extollit, etiam designata inter alias ceremonias, tonsura, atque habitus mutatione suo tempore vsitata. Adeò vt neque dubium cuipiam esse queat, quin vita Anachoretica generalius sumpta sit antiquissima, imò & ante ipsam Christi prædicationem trita: neque negare quis possit statum Monasticum, ac Religiosum pressius acceptum iam ab Apostolorum temporibus in Ecclesia Christiana extitisse.* Hæc Gualterius, præclarè satis ad intentum nostræ historiæ.

4 Aliter rem explicat Nicolaus Serarius [e], cum enim sibi obiecisset quædam Scaligeri verba dicentis nullos ante B. Paulum Eremitam in Ægypto fuisse Monachos, respondet nullos, *qui propriè essent Eremitæ*, id est, qui *soli solis in locis*, prout dixerat *c.* 23. degerent. Quod est dicere ad intentum, S.Paulum vocari *primum Eremitam* inter omnes, quia ipse solus in locis solitarijs nullam cum hominibus conuersationem gerens per multum tempus vixerit; non alio sensu.

[a] *cap. 4. Orig. M.n.8.*
[b] *in Annotat. ad vit. S.Pauli Eremit. n.8.*
[c] *lib 3.Chronol. circa ann.Chr. 267.*
[d] *in suis Tabul Chronograph.3. seculo.*
Serarij mens.
[e] *lib 5.Minerv. c. 24.*

Ann.Christ. 254. Cornelij Pont. 1. Decij Imp. 2. Æmiliani D. Galli, Volusiani, Valeriani, & Gallieni 1.

Decij persecutio. 1 ACEBAT hoc tempore Decius in Oriente in expeditione, ad quam profectus erat, eiusque in Christiani nominis asseclas persecutio tantum sæuiebat, vt Martyres, qui tunc fuerunt, vix numerari possint. Cum, vt Baronius [a] testatur: *Nulla regio fuerit, quæ subiecta Romano esset Imperio, cuique Christi fides affulsisset, in qua non essent martyres, qui edictis Decij parere recusantes, ne fidem amitterent, præsentis temporis vitam prodegerunt, quam libentissimè. Non cæteræ Galliarum partes, non Britanniæ, & Hispaniæ hisce trophæis victoriæ caruere.* Pro meritas idcirco Decius soluere cœpit pœnas. Etenim aduersus Gothos, Mœsiam, & Thraciam infestantes decertans, a Treboniano Gallo Limitanei exercitus in Mœsia agentis Duce proditus, extincto filio, ipse equo salutem captans, in profundam paludem incidens, ab ea confestim absorptus, nusquam amplius visus est. In quem iure Constantinus Imperator, *in Oratione* quam habuit ad sanctum Episcoporum cœtum, his verbis inuehitur: *Abs te, Deci, iam sciscitari volo, qui aliquando iustorum laborem insectatus es, qui Ecclesiam odio habuisti, qui pœnam sanctè, pieque degentibus irrogasti; quid crudelitatis iam post hanc vitam patras? Immò verò quibus, & quam acerbis calamitatibus ipse quasi irretitus teneris? Tuam porro miseriam, & infelicem conditionem satis declarauit illud temporis interuallum, tanquam inter vitam, & mortem interpositum, cum ipse in agris Scythicis vna cum omnibus copijs prostratus, Imperium Romanum omnium ore celebratum Getis ludibrio, & despectui obiecisti.*

a *sub hoc anno.*

Cornelius Papa. 2 Interim Cornelius ciuis Romanus, patre Castino, post Pascha, mense nimirum Aprili, vel saltem eo tempore, quod intermedium est inter Pascha, & initium Maij, Decio Imp. adhuc viuente, Deo volente, Clero, & plebe approbante, Summus Ecclesiæ Pastor creatur. Nouatus autem Episcopus postquam in Africa contra Cyprianum Carthaginensem Episcopum schisma conflasset, deinde Romæ aliud contra Cornelium, Nouatianum Presbyterum Antipapam creari cum quibusdam discolis suggessit; Quo primum schisma in Ecclesia Romana inuexit, eoque vniuersam Ecclesiam discindere conatus est. Occasio fuit lapsorum ad Ecclesiam susceptio. Cum enim Cyprianus non facilè admittendos existimaret; Cornelius autem Romanus non se difficilem in suscipiendis exhiberet; Nouatus in Africa, suscipiendos quidem omnino, neque tam difficulter; Nouatianus autem Romæ, nulla ratione suscipiendos, variata sententia asserebat. Hæc ex Cypriani Epistolis, & alijs Baronius, & Analistæ.

S. Antonius nascitur. 3 Huic anno Christi 254. numerandus iure venit Natalitius decantatissimi illius Antonij Ægyptij Abbatis, iuxta computum Pontaci, quem sequi-

ſequitur Heribertus Roſvvedius [a], licet hunc annum primum Decij cum alijs teneant. Nec multum diſcrepat Flauius Dexter, & eius ſcholiaſtes Biuarius. Id certius, hunc natiuitatis Antonij computum cohærere maximè cum eius obitu, pro anno 358. ſiquidem Antonius centum quinque annorum erat cum ex hac vita migrauit, quæ ætas adamuſſim prædicto tempori ortus, & obitus correſpondet. Eius porro hiſtoriam noſtris Annalibus inſeri debuiſſe, nulli verè docto dubium afferre poteſt. Pro comperto enim cunctis eſt Antonium magni Eliæ ſectatorem fuiſſe, Eſſenorum Inſtituti æmulatorem (propagatorem imò) ac Prophetici Ordinis cultorem. Id primò ſtatuit S. Athanaſius [b] dicens: *Igitur S. Antonius ſecum reputans oportere Dei famulum ex inſtituto magni Eliæ exemplum eapere, & ad illud ſpeculum vitam ſuam debere componere, &c.* Et Auctor vitæ S. Pachomij [c] aiens: *Erat per id tempus B. Antonij vita cunctis ad imitandum præclarè propoſita, qui magni Eliæ, atque Eliſei, nec non & S. Ioannis Baptiſtæ æmulator exiſtens, &c.* ac Caſſianus, qui [d] idem de Paulo, Antonio, & alijs Anachoretis aſtruit. Vnde noſtris eum accenſent non ſolum Carmelitæ hiſtorici, ſcilicet Palæonydorus, Coria, Caſſanate, & alij, ſed & de exteris Laurentius Beyerlinck *in Theſaur. vit. hum. lib. 16. to. 6. verbo Religioſus Religio,* dum de Carmelitis agit.

a in Prælud. ad Vitam D. Pauli Eremitæ.

b in ipſius Antonij vita c. 7.

c cap. 1.

d collat. 18. c. 6.

4 Huius porro Magni Antonij incunabula D. Athanaſius *in ipſius vita cap. 1.* quæ etiam extat *in lib. 1. Vit. Patr.* ſic deſcribit: *Antonius Nobilibus, religioſiſque parentibus natus, in Ægypto oriundus fuit, tanta ſuorum nutritus cura, vt nihil aliud præter parentes, domumque cognoſceret. Et cum iam puer eſſet, non ſe litteris erudiri, non ineptis infantium iungi paſſus eſt fabulis; ſed Dei deſiderio flagrans, ſecundum quod ſcriptum eſt innocenter habitabat domi. Ad Eccleſiam quoque cum parentibus ſæpe conueniens, nec infantum laſciuias, nec puerorum negligentiam ſectabatur; ſed tantum ea, quæ legebantur auſcultans, vtilitatem præceptorum vitæ inſtitutione ſeruabat, non ſuis, vt ſolet illa ætas pro varijs, & delicatis cibis vnquam tædio fuit; non eſcæ mollioris blandimenta ſectatus eſt; his ſolum, quæ dabantur, contentus, nihil amplius requiſiuit.*

Antonij incunabula.

5 Circa quæ notandum, quod natale ſolum Antonij in Ægypto Sozomen. [e] Comam credit, qui eſt Pagus propè Heracleam: Epiphanius etiam Scholaſticus apud Caſſiodorum [f]; Vicum quendam inſignem in loco Heracleæ apud Ægyptios deſignat. Fauent Muſculus, & Heribert. Roſvved. [g] Pro eo quod etiam ibi dicitur *Non ſe litteris erudiri, &c.* conſulendus Auguſtin. [h] Sozomen. *ſup.* Heribert. *num. 7.* & Vita ipſius Antonij *cap. 43. & 45. cum Annotat.* eiuſdem Heriberti.

Notanda.

e lib. 1. c. 13.

f in Tripartita lib. 1. c. 11.

g in Annot. ad Vit. Antonij, nu. 6.

h lib. 1. de doctrina Chriſt. in proleg.

6 Illud non prætermittendum pro noſtræ hiſtoriæ ſerie; hoc etiam tempore agmina fuiſſe Virginum Deo dicatarum, quas, vt Baronius [i] loquitur *Moniales dicimus*, dubio procul Eſſenorum ſcholæ proles, cum alterius inſtituti alumnæ tunc non eſſent. In Numidia ſanè, prout ex Cypr. [k] conſtat; vbi ſic: *Quantus verò communis omnibus nobis mœror eſt et cruciatus*

Virginum agmina.

i ſub hoc anno S. Reddita, vt vidimus.

k Epiſt. 60. S. Cypriani ad Numidiæ Epiſcopos

921 de

de periculo virginum, quæ illic tenentur; pro quibus non tantum libertatis, sed pudoris iactura olangenda est; nec tam vincula barbarorum, quam Lenonum, et Lupanarium stupra deflenda sunt: ne membra Christo dicata, & in æternum continentiæ honore pudica virtute deuota, insultantium libidine, & contagione fœdentur. Notet Lector *membra Christo dicata*, & verbum illud *in æternum*, quæ denotant Virginum continentiam perpetuam, quæ Sanctimonialium propria est.

Annus Christi 255. Cornelij Pont. 2. Galli, & Volusiani Imp. 2.

Imperatorum successio. 1 HOS Imperatores sub hoc anno statuit Baronius vsq; ad annum 257 Licet Gordonus Valerianum, & Gallienũ, conformiter ad Aurelium Victorem, Orosium, Eutropium, & alios, statuat. Ab his tamen abstinentes, qui non Imperatorum intricatam seriem, sed Ordinis Prophetici, & rerum Ecclesiasticarũ historiam teximus, illud circa hoc tẽpus contigisse credimus, quod Dionysius Alexandr. apud Eusebium [a] refert, dicens: *Gallus neq; Decij recogitauit calamitatem, neq; antea secum quid tandem illum (nempe Decium) de gradu deiecisset diligenter considerauit. Sed in eũdem lapidem, licet perspicuè ante illius oculos positum, cum suo magno malo impegit. Qui cum regnum eius prospero fortunæ flatu ferretur, & res omnes ad voluntatem fluerent; sanctos, ac pios viros, qui pro pace eius Imperij, proque vita incolumitate enixè Deum precabantur, crudeliter exegit; & propterea vna cum illis preces pro ipso ad Deum fusas penitus à se auertit.* Per *sanctos* namque, *ac pios viros*, vel ex parte dumtaxat, denotatos fuisse Monachos, & Essenos Ægyptios, & Alexandrinos, quibus Dionysius præerat, non temere iudicare possumus.

a lib. 7. c. 1.

Cornelij martyrium. 2 Hoc item anno, iuxta Baronij, & Gordoni calculum, Martyrium patitur S. Cornelius Papa, prius cum suis Centumcellas eiectus; deinde Romam reuocatus, & capite plexus. Iuxta alios autem, quos Coriolanus sequitur, sub Decio passus est, quod Breuiarium nostrum secundum antiquum Ecclesiæ Hierosolymitani vsum sequitur, & habetur *in libro de Roman. Pontificibus*, cui inditus titulus est *Damasi.* Vtramque verò opinionem conciliare tentant Baronius [b], & Ciaconius [c], ita vt, quamuis Decio mortuo passus sit Cornelius, quia tamen Gallus, & Volusianus Decij persecutionem continuarunt dictus est sub Decio pati. Si tamen ea quę in dicto Breuiario Carmelitano, olim Hierosolymitano, habentur, expendantur; ex eis non solum elicitur sub Decij persecutione passum fuisse, sed ab ipso personaliter ad Centumcellas relegatum; Romam deinde accersitum, & morti traditum fuisse. Sed ijs relictis, illud certius, quod post Cornelium, Lucius, qui eum in exilio secutus fuerat, in Papam ei successit, vnanimi omnium consensu. Baronius, Ciaconius, Gordonus, Gualterius, & alij concorditer.

b S. antequam. c in Cornelio.

Pro-

3 Propriora nos vocant de B.Eugenia nostri Essenorum Monachorum in Alexandria Cœnobij quondam sub viri veste cum Protho, & Hyacintho socijs, iuxta dicta in superioribus, alumna. De qua *in eius vita c.* 20. sic habemus: *Quædam ex regio germine virgo Basilla nomine, cupiebat eam* (scilicet Eugeniam) *attingere. Sed quia causa nominis Christiani ad eam ire non poterat, rogabat per internuntium fidelem, vt eam de Religione Christiana instrueret. Tunc Beata Eugenia conuocat ad se beatissimos Comites suos Prothum, & Hyacinthum, & dicit eis: Accingimini militia, ad quam vos conuocat Christus, quo vos Basilla offeram sub specie muneris, vt vos eam in Christo faciatis ancillam. Fit itaque huius muneris gratia, & suscipit Basilla quasi famulos, sed eos quasi apostolos honorabat. Vacabat autem cum eis omni hora, & quasi eunuchos seruitio habens non diebus, non noctibus à colloquijs Dei, et orationibus cessabat. Igitur Cornelius cum esset in Vrbe Roma, sacræ legis antistes, peruenit ad eam latenter, et baptizauit eam. Confirmata autem beata Basilla in timore Dei, procurante misericordia Christi, penè omnibus noctibus mutuis se fruebantur aspectibus, ipsa, et beata Eugenia. Omnibus itaque viduis Christianis conuentus erat ad beatam Claudiam, et omnibus virginibus conuentus erat ad beatam Eugeniam.* Et infra post aliqua de Cornelio Papa relata: *O quantas per Eugeniam virgines Saluator inuenit; quantas etiam per Basillam Christus sponsas obtinuit; quantæ per Claudiam viduitatem prompta voluntate seruarunt: quanti iuuenes per Prothum, et Hyacinthum Christo domino crediderunt!* Et paucis interiectis: *Tunc beata Eugenia videns Basillam ait; Reuelatum est mihi à Domino, quod pro virginitate passura sis. Et Basilla ad Eugeniam respondit: Et mihi, inquit, dignatus est Dominus demonstrare, quod martyrij coronam duplicem capias; vnam, quam apud Alexandriam pro iustis laboribus acquisisti, et aliam, quam in effusione tui sanguinis consecratura es. Tunc beata Eugenia expandens manus suas, dixit: Domine Iesu Altissimi Filius, qui ad salutem nostram venisti per virginitatem matris, tu per virginitatis præmium, omnes, quas mihi credidisti, perduc ad regnum gloriæ tuæ. Residentibus autem Sanctis virginibus Christi, quæ erant cum Eugenia, & Basilla, dixit omnibus beata Eugenia: Ecce vindemiæ tempus est, in quo succiduntur botri, & pedibus conculcantur: sed posthac regalibus conuiuijs apponuntur. Absque eorum sanguine nulla potestas Imperij, nulla illustris dignitas decoratur; et vos plamites mei, & meorum viscerum botri, estote parati in Domino. Virginitas enim est primum virtutis indicium, Deo proximum, similis angelis, parens vitæ, amica sanctitatis, domina gaudij, dux virtutis, via securitatis, fomentum, & corona fidei, adminiculum, & subsidium charitatis. Nihil tam nobis est laborandum, nihil tam est enitendum, nisi cum virginitate viuamus; aut quod est gloriosius, pro virginitate etiam moriamur. Quæ sunt huius mundi blandimenta fallacissima, & cum gaudio temporali veniunt, & cum perpetuo dolore discedunt, faciunt momentaneum risum, vt æternum fletum infligant, tribuunt fugitiuos flores, vt marcidiores perseuerantes aduectent; mentiuntur securitatem transeuntis temporis, vt perpetui seculi cruciatibus tradant. Ideoque* B.Eugeniæ gesta.

cha-

charissimæ virgines quæ mecum in agone virginitatis nunc vsque accurristis, permanete in amore Domini, quem cœpistis. Tempus flendi temporaliter, sine fastidio, & horrore sufferte, vt tempora gaudij æterni cum omni possitis dilectione suscipere. Ego enim commendaui vos Spiritui Sancto, & credo quod vos mihi integras omnes illibatasque constituat. Nolite itaque faciem meam ex hoc corporaliter quærere, sed gesta, & actus per Spiritum contemplamini. Et his dictis, osculata est vniuersas, & flentes fortissimo animo consolabatur. Dicentibus autem sibi vale inuicem Basilla, & Eugenia, oratione facta discedunt.

Virginum Cœnobium Romę

4 Circa quæ maximè notandum ex ijs haberi id quod in superioribus, *sub anno scilicet* 205. diximus, aliquod nempe instar Monialium Monasterium Virginum cum Eugenia Romæ tunc conuixisse, prout etiam ex Auctoribus ibi relatis elicitur.

De S. Victoria. a in suo Chronico sub hoc anno 255.

5 Illud nobis non prætermittendum, quod Flauius Dexter [a] sic habeat: *Item hoc eodem tempore (licet alij sub Imperatore Pio Aurelio malint) in Hispania apud Turbulam Batestanorum, in populis Marsis S. Victoria, aufugiens Roma ad Hispanias vbi prædia erant eius sponsi, venit; postque tempus aliquod 23. die Decembris Virginitatis Lauream martyrij laude pro Christi fide passa egregiè cumulat.* Quibus denotare videtur hoc anno 255. ea contigisse. Baronius autem sub Decio Imperatore, & anno 253. huius Virginis Victoriæ, & sociæ Anatholiæ memoriam facit, æmulatus Adonem, Althelmum Episcopum, Petrum de Natalibus Equilinum etiam Episcopum, & alios. Vtrumque tamen conciliari potest, & ita faciendum. Ne tamen quisquam extra chorum psallere (vt dicitur) nos credat, dum huius Diuæ gestam Annalibus nostris inserimus, animaduertat, ipsam Eliæ alumnam æstimari posse, nedum quia dum Virginitatem ei Anatholia suadebat Eliam Virginem allegabat; sed & quia ipsa, prout ex dicendis liquidum erit, Monialium Monasterium extruxit, quæ hoc tempore antequam Antonij, Hilarionis, & Basilij instituta in Ecclesia vigerent, solùm Essenorum fœminas, & institutum sequebantur; quod Elianum, seu Eliseum erat, vt sæpius repetitum.

Quæ eius gesta.

6 Tempore ergo Decij Imperatoris ea contigisse credimus, quæ relatus Equilinus Episcopus his retulit verbis *lib.1. cap.83.* præmisso quod Victoria nobilissima Ciuis Romana tempore illo fuerit: *Quæ illustrissimo cuidam Eugenio fuerat desponsata, tamen à cunabulis Christiana. Dum autem quidam Titus Aurelius virginem Anatoliam, siue Calistenem Christianam per matronas vxorem peteret, & illa multis postulatis inducijs interim omne patrimonium suum pauperibus erogasset: deinde se infirmam fingeret, vt sic in virginitate perseueraret; eamque Titus Aurelius Christianam didicisset, rogauit Eugenium, vt Victoriam sponsam suam ad Anatholiam mitteret, vt eidem Christiana Christianæ coniugium suaderet. Quod dum Eugenius fecisset, & Victoria Anatholiam ad matrimonium hortaretur, dicens & se Christianam sponsum habere mox virum futurum: quia Christus nuptias non contemnat; eo quod & Patriarchæ, & Prophetæ coniuges habuerunt; & posteritas eorum à Deo benedicta est.*

est. E contra Anatholia virginitatem matrimonio præferebat, & coniugia primis temporibus fuisse necessaria propter terræ repletionem astruebat. Sed Eliam qui Cælum lingua clauserat, virginem allegabat. Dixitque præterea se ab Angelo, qui sibi apparuerat fuisse in obseruandæ virginitatis proposito confirmatam. Cumq; & Victoria vt eundem Angelum videret, flagitaret, vt sic & ipsam ad pudicitiam prouocaret; Angelus Domini splendidus veste niuea eiusdem apparuit, qui Victoriam de virginitate admonuit; assimilans virginitatem auro, castitatem argento, & iugalitatem metallo. Quibus confortatis post multa verba Angelus disparuit, & Victoria votum virginitatis emisit, & facultates suas pauperibus largiri cœpit. Quod vbi sponsus eius cognouit, citò conquestus est quod propter coniugem sibi acquirendam ipse amiserat propriam. Et dum eam vti Christianam Eugenius accusare vellet, Titus eidem hoc dissuasit, ei quod sponsa occideretur, & bona sua fisco applicarentur. Sed consuluit vt à Decio impetraret, quatenus sponsam suam extra vrbem ad prædium duceret, vbi ipsam pœnis afflictam ad votum suum facilius inclinaret. Quod & ille fecit, & sponsam eius Victoriam in suburbio Tibulani territorij adduxit, quam fame diebus pluribus afflixit. Post dies aliquot venit ad eam Domitianus patronus Tibulanæ Ciuitatis, qui Virgini panes detulit, & se ab vrbe sua fugisse nunciauit, eo quod draco pessimus iuxta Ciuitatem erat, qui plurimos perimebat, & flatu aërem inficiebat. Cui Virgo si populus vellet in Christum credere promisit se draconem ab oppido effugere, quod & ille populum facturum spopondit. Igitur post biduanum ieiunium Victoria die Dominico, vt promiserat ad Tibulanam Ciuitatem Angelo duce deuenit, & assumpto populo ad specus draconis accessit, eique in Christi nomine confestim abire præcepit, & sic draco cursu rapidissimo exiliens nusquam comparuit. Tunc populus ad fidem conuertitur, & Victoria in ipso draconis specu includitur, eidemque mox nouem Virgines à parentibus oblatæ associantur, & post modicum temporis Monasterio constructo mater 73. Virginum facta est, quas diligenter instruxit, & in Dei laudibus, & vitæ sanctitate perseuerauit. Similia ferme Althelmus Episcopus, qui illud de Virginibus Victoriæ collegialiter sociatis sic refert.

Tunc petijt Ciues felix vernacula Christi,
Quatenus in Crypta sibi, natrix vnde nefandus
Aufugit, pariter dignentur condere cellam.
Mox veneranda Dei supplex vt Virgo poposcit,
Insuper & decies senas iunxere puellas,
Quæ precibus crebris laudarent voce Tonantem,
Odis Dauidicis modulantes carmina sancta.

Et Ado dicens; *Plurimas Virgines Deo* aggregasse. Ac Luitprandi fragmenta [a], vbi dicitur; *Illa celebre condidit sacrarum Virginum Monasterium.* Quia verò eius Martyrium ponitur triennio post contigisse, illud ad tempus sequens referimus, quo triennium adimpletum videtur, vt omnia, prout quærimus, suo tempori aptentur; vbi etiam de Prouincia, & Vrbe, vbi passa est, de quo non parua dissensio. a n. 75.

Annus

Annus Christi 256.& 257. Lucij Pont.1.& 2.& Stephani 1. Galli, & Volusiani Imp.3.& 4.

Gesta hoc tempore.

1 IN pœnam persecutionis Christianorum variè Deus æquissimus vexabat Imperium hoc tempore. Scythæ enim Græciam inuadunt, Persæ Orientem, Marcomanni vicinas sibi Prouincias, ita vt Imperatores contra ipsos arma etiam personaliter mouerint. Lues quoque, ac pestis maxima orbem per decennium affligit. Lucius Papa interim coronatur martyrio: illi succedente Stephano patria Romano. Liber *de Romanis Pontific.* & alij Chronologi. Moritur Origenes anno ætatis 69. damnatus tandem ab Anastasio Papa, & pronunciata contra eum damnatione in Sexta Synodo. Viuens in scribendo sæpè est redargutus erroris, nempe a Demetrio Alexandrino, & alijs; adeo vt apud Fabianum Papam causam dicere coactus fuerit; quamobrem pluribus opus habuit Apologijs, quarum primam a se opera Pamphyli Martyris adiutus elucubratam, Eusebius affirmat. Magnam sane fuisse tanti viri lapsum in Ecclesia Dei offensionem, atque tentationem, pluribus docet Vincentius Lirinensis. Fuisse eam pariter constat, & saluberrimam commonitionem, ne videlicet quempiam, quantumlibet eruditum virum sibi quis sequendum suscipiat, nisi conformiter ad Patrum doctrinam. Scripsisse sex millia librorum quidam dicunt; alij non credunt. Duos fuisse Origenes, vnum celebrem, & alium, a quo Origenistæ, a multis confutatur. De his Euseb. Vincent. Lirinensis, & noui Annalistæ.

Paulus Eremita quid in Eremo.

2 Interim Sanctus Eremita Paulus hanc vitæ rationem in eremo sectabatur, quam D. Hieronymus *in eius vita c.5.* sic describit: *Igitur adamato (quasi quod à Deo sibi offerretur) habitaculo, omnem ibidem in orationibus, & solitudine duxit ætatem, cibum, & vestimentum ei palma præbebat. Quod ne cui impossibile videatur, Iesum testor, & sanctos Angelos eius, in ea eremi parte, quæ iuxta Syriam Saracenis iungitur, vidisse me Monachos, de quibus vnus triginta iam per annos clausus, hordeaceo pane, & lutulenta aqua vixit. Alter in cisterna veteri (quam gentili sermone Syri cubam vocant) quinque caricis per singulos dies sustentabatur. Hæc igitur incredibilia esse videbuntur his, qui non crediderint, quia omnia possibilia sunt credentibus.*

S. Victoriæ Martyrium. a lib.1. c.83.

3 Victoriæ quoque Virginis Martyrium ad id tempus refertur, iuxta dicta in præcedentibus. Illud verò sic narrat Episcopus Equilinus [a], consentientibus Althelmo, Adone, & alijs: *Post triennium autem Eugenius rogauit Iouinianum Pontificem Capitolij, qui misit templorum comitem Taliarchum; vt Victoriam sacrificare compelleret, aut gladio necaret. Qui veniens ad eam, dum Deæ Vestæ immolare renueret, ipsam gladio in corde percussit, & timens populum statim aufugit. Quam Sacerdotes cum populo Ciuitatis in eodem loco sepelierunt decimo Kalend. Ianuarij.*

In

4 In designando autem loco, & Prouincia vbi hæc contigerunt, Scriptores variant. Etenim ex Episcopo Equilino, & alijs communiter creditur, in Tibulana Ciuitate decimo sexto lapide ab Vrbe Roma accidisse. Cum etiam in populis *Marsis* passa dicatur, qui in Italia fuere, proculdubio Italia talis Prouincia fuit. Cæterum Flauius Dexter relatus *Turbulæ* in Bastetanis Tarraconensibus Hispaniæ locis contigisse contendit. De quo Franciscus Biuarius Dextri Commentator, ipsumque defendens sic ait: *Quod mihi verisimillimum facit Althelmus, qui Tribulam vrbem legit, dum ait.* Vbi passa.

Interea Romam linquens Victoria virgo,

Exul in exilium Tribulanæ ducitur vrbis.

Quod certè nomen propius ad Turbulam *accedit, quam ad* Tibulim, *præterquamquod nomen Italicæ vrbis priscum, & germanum* Tibur *fuit, non* Tibuli, *vt vulgò recentiori vocabulo nuncupatur, quod apud omnes probatos auctores videre est. Sanè* Turbula, *Ptolemæo teste, in Bastetanis Tarraconensibus Hispaniæ sita fuit, eo loco, quo nunc* Teruel *visitur. Fallitur sine dubio Villanouanus, dum contendit* Teruel *fuisse* Thyariuliam, *non verò* Turbulam: *constat siquidem ex suismet antiquæ Hispaniæ tabulis* Thyariuliam *non longè à Tarracone sitam fuisse, & mari ferè proximam: cum tamen* Teruel *distet à Tarracone leucas plus* 40. *& à mari ad* 24. *qua videlicet positione* Turbula *extitit. Nec obest, quod dicatur S. Victoria Romana ad prædia sponsi deducta, vt propterea existimetur propè Romam locum prædiorum fuisse, quippè cum Romani, Hispania subiugata, prædia etiam illius possiderent.* Hæc Biuarius, quæ aliorum discussioni relinquenda. Solùm addendum, illis maximè fauere fragmenta Luitprandi. Etenim *fragm.* 75. sic habetur: *Romæ habetur celeberrima memoria S. Victoriæ, & martyris, quæ fugiens ab sponso Eugenio in Hispaniam ad prouinciam Marsorum in Bastetanis passa est in Ciuitate Turbula, quam corrupto vocabulo Touarram Sarraceni vocauerunt. Illa celebre condidit sacrarum Virginum Monasterium, & ibi passa est.* Et *fragm.* 76. sic: *S. Anatholia soror S. Victoriæ secuta S. Victoriam ad Hispaniam, & post relictam Turbulæ martyrem* 23. *Decembris rediens ad Italiam, anno sequenti* 9. *Iulij cum Audace passa est in Ciuitate Thora. Olim Turbulæ soror vtraque culta fuit, sed exoleuit memoria SS. Virginum, & Martyrum aduentu Maurorum.* Item fragm. 77. hoc pacto: *Titus Aurelius, & C. Lucius Eugenius Hispani ciues Turbulani, vel Tribulani (vtroque modo dicitur) in ea vrbe, eiusque territorio versus Hellanes Oppidum Græcorum, vbi nati prædia habuerunt, profectique Romam, Victoriam hic, ille duxit Anatholiam.* Additur *in fragm.* 78. hoc: *Sunt qui putent Corpus S. Virginis Victoriæ à Christianis Turbulanis delatum ad Cataloniam; alij ibidem relictum, metu tamen Sarracenorum absconditum.* Ac *in fragm.* 79. istud: *Sunt qui putent à Rege Suintila Gothorum ædificatam primo Ciuitatem Victoriam in ruinis antiquæ vrbis, sicque nominatam à Rege Gotho in honorem S. Victoriæ passæ Turbulæ, cuius vt aliorum Sanctorum, fuit rex iste Catholicus apprimè deuotus.* Ac denique *fragm.* 81. ita:

ita: *Cum essem Carthagine Spartaria legi inscriptionem in honorem S. Victoriæ; quam vocabant propter egregiam eius sanctitatem Augustissimam, in hunc modum,*

Victoriæ Augustissimæ
Caius Valerius Felix
ex voto DD.
Viuente Maximiano Vrbis Abulanæ
Patricio.

Circa populos Marsos apud quos S. Victoria mortua dicitur, hæc notat idem Biuarius *supra*, aliorum etiam discussioni remittenda: *Quando verò S. Victoria apud Dextrum, & S. Anatholia apud Equilinum dicuntur passæ in populis Marsis, non intelligendum est de illis populis, qui specialiter* Marsi *nuncupati sunt, & Samnitibus* (nunc Abrutio) *vicini erant in Regno Neapolitano; vbi namque nec Thyre, neque Thora, neque Thurium existunt; sed quicunque serpentum morsu infestatis salutia sua medebantur,* Marsi *dici solebant, vt inter alios Carolus Stephanus in Dictionario notauit; aut saltem illi, qui eum serpentibus bellum gerebant, quales eos fuisse constat, quos Victoria, & Anatholia ad Christum conuerterunt, magnis quibusdam serpentibus necatis, atque in eo sensu accipi debere satis constat ex Althelmo, cuius illa sunt.*

Necnon & Marsum, qui toruam carmine dypsam (hoc est, serpentem)
Efferet, ardebat, sanctos, & belua lacertos
Dentibus horrendis, & rictu rodat aperto;
Curauit subito, disrumpens vincla Chelidri.

Et rursus: *Qui prius inspira Marsum sinuarat inertem*
Idcirco cursim pergebat credere Christo,
Agnoscens propriam tanta virtute salutem.

Quod Romanum Martyrologium de S. Victoria agens præmittit, Romæ S. Victoria, &c. certum est non idcirco dici Romæ, quod inibi passa sit, cum constet apud omnes alibi, quam Romæ passam fuisse; sed quia inibi festa dies agitur eius Romanæ. Hæc omnia Biuarius, nobis non omittenda, quia hæc S. Victoria, vt diximus, Monasterij Monialium Parens cum fuerit, Essenum, & Elianum redolet institutum.

Ann. Chr. 258. 259. & 260. Steph. Pont. 2. 3. & 4. ac Sixti II. Pont. 1. Valeriani, & Gallieni Imp. 4. 5. & 6.

Huius temporis historia.

HOC tempore ob plurium barbararum gentium inuasiones nutare cœpit Romanum Imperium; nec mirum, cum Valerianus Imperator in Christianos persecutionem diram excitauerit, instigante Mago Ægyptio, a quo traductus est ad artes magicas. Lata tunc lex, vt proditor Christianorum & bonis, & militia ipsorum potiretur. Martyres ergo occubuerunt Eusebius Presbyter, Marcellus Diaconus, Hippolytus, Paulina, Nemesius, Lucilla, Sempro-

...nius,

nius, & alij. De his Zosimus, Trebellius, Zonaras, Eusebius, & noui Scriptores.

2 Stephanus quoque Papa coronatur Martyrio, locum cedens Sixto II. natione Græco, patria Atheniensi, & ex Philosopho Christi discipulo; qui etiam paulo post, anno videlicet sequenti, Martyrium subijt. Quod & passæ sunt Ruffina, & Secunda sorores, cum alijs. Martyrologia, & Chronologi *sub hoc tempore*.

Pontificum successio.

3 Erant hoc tempore hæretici quidam *Apostolici*, seu etiam *Apoctatic* appellati, qui nihil possidebant, nuptijs renunciabant, ieiunijs etiam, & abstinentijs dediti videbantur. Ne autem vel per somnium, vt dicitur, alicui in mentem veniat hos ex Essenorum contubernio fuisse, animaduertat, quòd, vt Epiphanius, qui de illis loquitur [a] inquit, *circa Phrygiam, Ciliciam, & Pamphyliam* habitabant; at vero Esseni in Palæstina, & maximè in Ægypto, & apud Alexandriam. Esto autem Esseni paupertatis amatores essent, iuxta dicta *to. 1. sub ann. 3545. n. 21. 22. &* 23. in communi tamen bona temporalia possidebant, communem vitam sectantes, quod de his hæreticis non dicitur. Deinde, etsi Esseni castissimè viuerent, non tamen propterea nuptias abhorrebant, cum iuxta eo loco dicta *num.* 20. ex Iosepho [b] eorum quidam (quos vocat ipse *Aliud Collegium*) propter humani generis propagationem vxores ducebant. Quod de his Apoctaticis non legitur. Contra illos tamen rectè Epiphanius *supra*, Augustinus [c], & alij hæreseologi, specialiter Guido noster Carmelita [d].

Hæretici huius temporis.
a hæres. 61.
b lib. 2. de bello Iudaic.
c hæres. 40.
d de hæres. c. 39

4 Refertur circa id tempus hæreticus alius *Noetus* nomine, Sabellianorum, vt creditur origo, ex eo a nobis recensendus, quòd mira impostura dixerit se esse Moysem, fratrem autem eius non Aaron, vt Epiphanius [e] dicit, sed Eliam, prout Philastrius [f] scribit. Sanè rectè simia tanti Prophetæ nomen vsurpans. Sed mirum quomodo Sabelliani, qui illius proles fuerunt, Monachos damnabant, prout ex Basilio [g] referunt Genebrardus [h], & Gualterius [i], cum Elias primus Monachorum Patriarcha in lege veteri fuerit.

Noetus hæreticus.
e hæres. 57.
f de hæres. c. 53.
g Epist. 63.
h in Chronolog. in Stephano I. Papa.
i in Tab. Chronogr. in 3 sæcul. c. 13.

5 Sub hoc tamen tempore Dionysius Græcus, de quo *ann.* 247. dictum, Monachismum exercebat, etiam in Carmelo ipso, prout ex Nicolao Harlemensi *in Chronic.* affert Munozius [k]. Quinimo septimum post Ioannem Baptistam fuisse eiusdem Carmeli Archiphylacem attestatur Cassanate [l]: Sed huiusmodi continuatam seriem Prælatorum Ordinis non rectis oculis aspicimus, quòd incertam putemus, ob temporis vetustatem, & monumentorum penuriam. Id ergo certius ad intentum quod Dionysius noster inter palmites Carmeli recensendus, esto supremus in ipso Pastor non esset, quod saltem quoad residentiam actualem in illo verius videtur, cum anno sequenti ad Summum Pontificatum Romæ assumptus fuerit. Quod porrò Carmeli Religioni accenseri debeat, præter dicta sub anno 247. singulariter confirmat cælestis quædam visio viro magnæ opinionis sanctæ vitæ, quem etsi sciens non nomine proprio

Dionysius Græcus.
k in propugnac. Eliæ lib. 2. tit. 2. c. 4. ar. 1. n. 1.
l in Paradis. Carmel. stat. 2. ætat. 4. c. 39.

refero. Is enim in quadam Ordinis nostri fratrum processione sibi per visum diuinitus demonstrata hunc Dionysium veluti Præsidem agnouit, & quod cum alijs, quibus præibat, ad Ecclesiam quandam Ordinis eum deferrent. Eundem etiam Carmeli incolatum eidem ab Harlemio tributum non reijcit Ioannes Balæus (etsi improbus auctor plura fidei Catholicæ documenta reijciat) [a] vt *sub anno sequenti* referemus.

a in Cathalogo Scriptor. Britan Centur. I. in Append ad Lucium Pium.

6 Huic anno 260. ascribit Balæus relatus secessum Pauli primi Eremitæ cognominati in desertum; & ex eo Monachatus originem sumit referens D. Hieronymum, & Mantuanum nostrum [b]. Sed quod attinet primum ad fugã Pauli in desertum iam a septem annis initium sumpserat, iuxta dicta *sub ann. 253.* Quoad secundum de Monachatus initio Paulo Eremitæ concesso, a veritate prorsu. falsidicus hæreticus aberrat, iuxta ea, quæ sæpius in hoc opere inculcamus; sicut in eo quod eo loco de Pontificibus Romanis inquit ex suo Vincelio: *In prædictis Pontificibus abundabat Christus, sed in posterioribus malesuada caro.* Etenim in omnibus illis quoad Ecclesiæ gubernationem, semper abundauit Christus; etsi in paucis, & quoad priuata pauca *malesuada caro.*

b in vit. S. Blas.

Annus Christi 261. Dionysij Pont. 1. Valeriani, & Gallien. Imp. 7.

Historia huius anni.

1 PROPHANA huius anni historia mortem affert, secundum quosdam, Valeriani Imperatoris. De Ecclesiastica id certum S. Sixtum Papam coronatum fuisse martyrio, ac quod postriduum a morte ipsius, nempe 4. Idus Augusti, Laurentius patria, & natione Hispanus, Diaconorum primarius, clarissimus athleta in fide, illustre certamen obiens, post diuersa tormenta, demum craticulæ impositus, igne assatus, insignem martyrij coronam consecutus, admiranda planè animi virtute de persecutorum perfidia triumphauerit. Numerantur etiam alij martyres, videlicet triduo post Laurentium Hippolytus miles equis raptatus, Concordia eius nutrix, Irenæus, & Albundius. Cyprianus etiam Carthagine hoc eodem anno capitis obtruncatione martyrio coronatur 8. Kalend. Octobris. Eius scripta recepta, præter illa, quæ sunt de Baptismo hæreticorum, fuit enim in ea sententia, vt existimaret baptizatos ab hæreticis iterum baptizari debere, licet in hoc ab alijs excusetur; sed quidquid de hoc sit, & etiam si admittatur quod contra Stephanum Papam prauè se gesserit; sanguine tamen fuso pro Christo omnem diluit maculam. Numerantur etiam martyres Crescentius, Victor, Rosula, & alij. De his martyrologia, Baronius, & alij Annalistæ, & Chronologi noui, vetustiores recensentes.

Dionysius Papa.

2 De proprijs nostræ historiæ occurrit hoc anno Dionysij nostri, de quo in superioribus, in Summum Pontificem creatio, post martyrium S. Sixti triginta quinque diebus, hoc est, duodecimo Septembris. Ex quo

infer-

infertur; quod etsi ex Monachis illius æui, prout cõcorditer astruunt historici, immò ex Carmeli Palmitibus, prout in superioribus diximus, ad eam dignitatem fuerit euectus, tempore tamen suæ creationis, Romæ, vel iuxta Vrbem, non in desertis, aut eremis, Carmeli etiam, longè tunc ageret. Eius origo, quamuis a Damaso Papa, vel auctore libri *de Summis Pontificibus* nõ notetur, Syria melius creditur, iuxta dicta *sub anno* 247. De ipso Ioannes Balæus Auctor aliàs in sanctos Pontifices iniquus [a], sic dicens: *Dionysius Græcus à Damaso Monachus, & à Nicolao Harlemio (in Chronicon tempor.) Carmeli solitudinis incola nuncupatus, fidei documentis sub Claudio II. clarus, & Christianæ Ecclesiæ amplificator insignis effulsit.* De ipso nos alia in sequentibus. Ex eo verò, quod Monachus a cunctis appelletur, immò ex Monacho Papatum ascenderit, bene infert Genebrardus sequentia: *Vnde apparet in prima Ecclesia inter medias persecutiones extitisse, qui hoc sanctum Institutum profiterentur; hoc enim etiam tempore Paulus, cuius vitam scripsit Hieronymus, Eremum incolebat, siue metu persecutionum Decij, & Valeriani, siue sanctæ Philosophiæ studio.* Res hæc, quæ a Genebrardo tangitur de Monachismo eo vetustissimo æuo vigenti tam comperta ex dictis in superioribus est, vt actum agere sit ipsam de nouo comprobare.

[a] *in Catal. Scriptor. Britannia Centur. 1. in append. ad Lucium Papam.*

3 Hic addendum, in martyrio S. Cypriani memoriam fieri Virginum Deo sacrarum, quæ proculdubio, vt sæpius inculcauimus, Essenorum Cælibatum æmulabantur. Dicitur enim in Actis martyrij ipsius: *Custodiri puellas præcepit, quoniam omnes in vico ante ianuam hospitij Principis manserant:* Quod de sacris Virginibus intelligit Baronius [b], vbi sic: *Quod enim militibus omnia conferta essent, ne quid dispendij pateretur virgineus pudor, puellas custodiri mandauit. Fuisse namque Ecclesiam Carthaginensem fecundam prole sacrarum virginum, commentarij ab eo conscripti eo argumento, nempe de Disciplina, & Habitu Virginum, de Disciplina, & Bono pudicitiæ, absque alijs, quæ in diuersis eius Epistolis sparsim leguntur, apertè significant.*

[b] *sub hoc anno* §. *Quid autem.*

4 Is porro Balæus, quem retulimus [c], loquens de tempore Leonis X. Pontificis Maximi, pro magno Mysterio notat hunc annum Christi 261. ac dicit: *Monachi etiam, qui quasi eodem anno sub Eremita Paulo initium habuerunt in varijs vitæ generibus, & doctrinis, eandem hæresim* (loquitur de Arriana, quam dicit inchoatam per Paulum Samosatenum, & qua negatur Filium Dei esse æqualem Patri) *sathana sugerente, fouebant; Antichristo in Dei templo regnante, vel publico in Ecclesia docendi munere fungente 42. mensibus Apocalyps. 11. vel diebus 1260. quod idem est. Qui dies, vt par est, pro annis accepti; addito priore numero 261. annorum, ad annum vsque à Christo nato 1521. peruenerunt.* Pudet referre quæ subiungit. Continent enim quod Antichistus, qui est Papa, reuelatus est eo anno 1521. quo Martinus Lutherus veram de Christo doctrinam, quam præfati hæretici (Arriani videlicet, & Monachi) negabant, & vera Christi Ecclesia renouari denuo cœpit. Cæterum vt omittamus errorem illum de Monachatu hoc anno 261. sub Paulo Eremita incœpto, quo nihil futilius dici potuit, prout

Balæi errores.

[c] *in eo Catalogo Scriptor. Britann. Centur. 8.*

ex dictis, & dicendis luce meridiana clarius innotescit; quamuis nostri instituti solum esset putidam illam assertionem de Arrianismo Monachis imputato exsufflare, quam nullus Satanæ minister vnquam effutijt, vtpote sine fundamento, fulcro, ratione, vel veritatis vmbra, seu vestigio; nihilominus prætermittere vix possumus ea omnia quæ excucullatus iste apostata dicit de Papa Antichristo; reuelato per Lutherum anno 1521. tunc denuo Ecclesia renouata, ac 42. illis mensibus, vel diebus 1260. computandis ab hoc anno 261. adeo absurda, blasphema, & fœculenta esse, vt vix ex Orci tartareis cauernis fumigosius, tenebrosius, aut fœtidius aliquid exhalari potuerit. Relinquantur tamen hæc inferorum flammis crucianda, & Sacris Theologis interim expuenda. Balæum etiam suum Lutherum extollentem linquamus, vt dicitur, *dignum patella operculum*. Vterque excucullatus, vterque Monachus vxoratus.

Ann. Christi 262. Dionys. Pont. 2. Gall. Imp. 8.

Valeriani casus.

1 FERVEBAT persecutio in Christianos sub hoc tempore, vt propterea meritò Valerianus Imperator dum Edessæ obsidionem soluere tentat, daret pœnas; quandoquidem proditione Ducis Macriani capitur a Persis, & Sapore Rege, qui equum conscensurus eo vsus est pro scabello suppedaneo. Gallienus etiam, licet alioquin ferox, paterna tamen clade territus, pacem dedit Ecclesiæ, quæ vsque ad Claudium durauit. Macrianus, & Balista, collectis capti Valeriani copijs, Persas strenuè repellunt, & Imperatores nuncupantur vna cum duobus Macriani filijs. Nihilominus Martyres plures sub hoc tempore numerantur; specialiter Theogines Hipponensis Episcopus, Maxima, Donatilla, Secunda, Priuatus, & Florentinus Episcopus. De quibus Martyrologia, Surius, Baronius, Gordonus, & alij.

B. Eugeniæ martyrium.

2 Specialiter quoad nostra spectat, huic anno, vel paulo ante adscribendum videtur martyrium B. Eugeniæ, Essenorum Alexandriæ sociæ, & Virginum eius Instituti cælibatum sectantium Romæ Matris, iuxta dicta in superioribus. Quod sic contigit, prout ex eius historia, vbi simul de martyrio Basillæ ipsius comitis, Prothi, & Hyacinthi sociorum: *Hac, & his similia dum prosequeretur, & omnis Senatus ea flebili querela depromeret, decreuit Gallienus Augustus, vt aut sponsum suum Basilla acciperet, aut gladio interiret: Eugeniam vero aut sacrificare dijs, aut crudeliter interire: & dedit licentiam, vt quicunque Christianum penes se absconderet, puniretur. Conuenitur Basilla, vt sponsum recipiat. Dicit se illa Regem regum habere sponsum, qui est Christus Filius Dei, Et cum hæc dixisset gladio transfossa est. Tenti statim Prothus, & Hyacinthus, trahuntur ad Templum, sed orationem illis facientibus, simulacrum Iouis, ad quod ducebantur sacrificare, cecidit ad pedes eorum, & ita comminutum est, vt vbi fuerit non pareret. Non virtuti diuinæ,*

sed

sed magicæ hoc arti imputans, iubet eos decollari Nicetius vrbis Præfectus. Qui etiam accersitam ad se Eugeniam cœpit de magicis artibus ab ea flagitare sermonem. At illa constanter os suum aperiens, dixit: Polliceor tibi, quod ars nostra vehementior magis est: nam magister noster habet Patrem sine vlla Matre, & matrem absque patre. Denique sic eum genuit pater, vt omnino fœminam nunquam sciret: sic cum genuit mater, vt masculum omnino non nosset: hic ipse habet vxorem virginem, quæ illi quotidie filios creat, etiam innumerabiles ei filios parit, quotidie suam carnem eius carnibus coniungit. Oscula eius circa eam sine intermissione sociantur, in amore suo inuicem omnino perdurant, & tanta integritate subsistunt, vt omnis virginitas, & omnis charitas, & omnis integritas ex eorum coniugio dirimatur. Audiens hæc Nicetius, obstupuit, & ne ad Imperatorem peruenires, quod eam libenter audiret, iussit eam ad templum duci Dianæ; & ita spiculator imminens, dixit ei: Redime vitam tuam, patrimonium tuum, Eugenia, & sacrifica Deæ Dianæ. Tunc beata Eugenia expandens manus suas, cœpit orare, ac dicere: Deus, qui cordis mei arcana cognoscis, qui virginitatem meam sinceram in tuo amore seruasti, qui me Filio tuo Domino meo Iesu Christo sociare dignatus es, qui Spiritum Sanctum tuum in me regnare fecisti, adesto mihi nunc in confessione nominis tui, vt confundantur omnes, qui adorant hoc Idolum, & qui gloriantur in simulacris suis. Et dum oraret fit terræmotus in eodem loco, & ita templi ipsius fundamenta mersa sunt cum ipso idolo, vt nihil aliud remanserit, nisi sola ara, quæ fuit ante ianuam templi ad quam stabat beata Eugenia. Hæc in Insula Lycaonia (hæc Insula est ea quæ Romæ visitur inter duos pontes, sic appellata quod in ea fuisset templum Iouis Lycaonij) *gesta sunt coram omnibus, qui sequebantur agonem Eugeniæ. Fit concursus Populi Romani, & varia acclamatio. Alij dicunt innocentem, alij magam. Nunciantur ista Præfecto, Præfectus Imperatori manifestat. Imperator eam iubet ligari saxo, & præcipitari in Tyberim; sed statim saxum disruptum est. Beata vero Eugenia ita sedens, super fluuiali aqua efferebatur, vt omnibus Christianis appareret illum fuisse cum Eugenia in flumine, ne absorberetur, qui fuerat cum Petro in mari, ne mergeretur. Item inde sublata, in thermarum Siuerianarum fornacibus mittitur, quæ sic statim extinctæ sunt, vt thermarum calor refrigesceret, & omnia incendia lignorum ad nihilum deuenirent. Sic denique chaos fecerunt, vt vlterius exhiberi non possent. Mittitur posthac in custodiam tenebrarum, & per decem dies iubetur nullum cibum accipere, & lumen penitus non videre. Ibi autem tantus quotidie abundauit splendor, vt dum egrederetur beata Eugenia, quasi lumen aliquod radiaret. Apparuit autem illi Saluator, ferens in manu panem niuei candoris, & immensæ suauitatis, & gratiæ, & dixit ei: Eugenia, accipe cibum de manu mea, ego sum Saluator tuus, quem tota mentis, animique intentione dilexisti, & diligis. Eodem die te in Cælis recipiam, quo ego descendi ad terram. Et hæc dicens, abscessit. Ipso autem die natalis Domini missus est gladiator, qui eam in custodia positam percussit, & sublatum est corpus ab affinibus Christianis, & positum est non longe ab Vrbe via Latina in prædio eius proprio, vbi multorum Sanctorum ipsa sepelierat*

mem-

membra. Claudia autem mater eius, cum ad eius sepulchrum fleret, apparuit ei vigilanti in medio noctis silentio, auro texta cyclade induta cum multo populo Virginum, & dixit ei: Gaude, & latare, quia & me introduxit Christus in exultationem Sanctorum, & patrem meum in Patriarcharum numerum. Ecce, die Dominico & te suscipiet in gaudium sempiternum. Commenda filijs tuis fratribus meis custodire signaculum Crucis, & efficiantur nostri participes. Ecce, loquente ea, facta est claritas, quam oculus ferre non poterat, & Angeli transeuntes, hymnum dicebant Deo inenarrabilibus vocibus. Hoc solum intelligebatur, quod nomen Iesu Christi, & Spiritus Sancti in ipsis laudibus resonabant. Gloria, & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & nunc, & semper, & in sacula saculorum, Amen.

3 Hæc autem, quæ de B. Eugenia tam hoc loco, quam in superioribus diximus, in Martyrologio Romano sic adumbrantur: *Roma in cœmeterio Aproniani S. Eugenia virginis, qua tempore Gallieni Imperatoris post plurima virtutum insignia, post sacros Virginum choros Christo aggregatos, sub Nicetio vrbis Præfecto diu agonizans, nouissime gladio iugulata est.* Menologium autem Græcorum Acta eius compendiosè retexens: *Certamen S. Eugenia martyris, & sociorum. Hac fuit sub Commodo Imp. filia Tribuni in Vrbe Roma. Missus autem Pater ab Imperatore in Ciuitatem Alexandria, vt tribunatus magistratum gereret, secum vexit vxorem, & filios, quorum vna fuit beata Eugenia: qua cum litteras edisceret, & in multorum librorum lectione versaretur, incidit in epistolas Sancti Apostoli Pauli, ex quibus Christi fidem didicit. Itaque patrios tumultus, & mundi fallaciam derelinquens cum duobus Eunuchis ad Monasterium, quod est ante Ciuitatem Alexandria se contulit virili habitu induta. Accepta igitur hospitio ab Eleno Episcopo causam addens quare illuc venisset diuino baptismate cum ijs, quos secum duxerat dignata est, & in ordinem Monachorum aggregata, & post aliquod tempus, Monasterij curam sibi creditam suscepit. Vbi propter miracula, qua per illam Deus efficiebat, facta est familiaris mulieri cuidam ordinis senatorij qua Melanthia vocabatur: accusata postea est ab illa, quasi ad coitum illam prouocasset, crimen obijciens, quod illius natura repugnabat: existimans enim marem esse propter speciem habitus, eius pulchritudine vulnerata cum sape periculum faciens ab ea repulsa esset, detulit illam ad Philippum Tribunum. Cum verò pater illam accersiri iussisset, veritas detecta est, non solum quod in habitu viri esset mulier, sed etiam quod Tribuni esset filia. Quare patrem, & matrem, & multos ex familia ad Christianorum fidem attraxit, & pater quidem Tribuni dignitate deposita baptizatus est, postea & martyrij perfectionem assecutus, irruentibus in eum in templo idolorum infidelibus, qui et illum gladijs interfecerunt: Sancta verò Eugenia Romam adducta est cum matre, & fratribus, Protho, & Hiacyntho eunuchis, qui obtruncati sunt; ipsa verò saxo graui alligata in Tiberim flumen proiecta est, atque illinc seruata, gladio consummationem accepit.* De ipsa quoque Metaphrast. apud Lyppoman. [a] & Surium [b], interprete Gentiano Herueto. Meminerunt etiam Eugeniæ, vt celeberrimæ martyris, Alcimus

a to. 5.
b to. 6.

Aui-

Auitus Episcopus Viennensis [a], Fortunatus [b], Aldelmus quoque [c]. Quibus iunguntur Heribertus Rosvvedius [d], & alij Agiologi.

4 Vocant nos propria nostræ quoque Religionis de Sancto Fructuoso Tarraconensi Episcopo, de quo *supra sub anno* 237. est dictum. De ipso autem, ipsiusque, & sociorum nobili martyrio agit Surius [e], ex D. Augustino [f]. Qui etiam affert carmina quædam Prudentij, quibus hanc totam historiam eleganter concludit. Afferamus & nos quæ Baronius [g] cogitauit, videlicet, Tarraconensis Ciuitatis ruinam, quæ eo tempore contigit, iniquæ neci S. Fructuosi, & sociorum adscribi debere. Eorum Acta non solum apud Surium, & Baronium extant, sed & apud Mombritium [h], Bedam, Adonem, Vsuardum, & alia Martyrologia. Item apud Primum Cabilonensem [i]. Addit Franciscus Biuarius [k], quod in Breuiario veteri Salmantino Acta essent horum Martyrum, fierique de illis Festum in Breuiario S.Isidori cum officio proprio, & Hymno Prudentij.

a in Carmine ad Fuscinam sororem de laude castitatis l. 6 c. 20.
De S. Fructuoso.
b lib. 8. carm. 4. de Virginitate. c de laude Virginitatis.
d in notis ad l. 8 de Vit. Patr. in Vita eiusdem Eugenia.
e to. 1. sub die 21. Ianuarij.
f in serm. de natal. horum Martyrum
g sub ann. 263. §. Hæc de Tarraconensis.
h to. 1.
i in sua Mappa Mundi verbo Tarracon.
k in Comment. ad Chron. Flauij Dextri sub ann 268.

Annus Christi 263. Dionys. Pont. 3. Gallieni Imp. 9.

1 TVRBÆ, seditiones & tumultus hoc tempore Imperium vexabant, ob peccata proculdubio persecutorum Christiani nominis. Nedum enim Imperator Valerianus captus tenebatur a Persis, sed & Alexandriæ rixæ sunt obortæ, bellum secutum, vrbs obsessa a Theodocto, quem misit Imperator contra Æmilianum Tyrannum, qui tunc perijt. Secutæ sunt clades Imperij, terræmotus, pestis grassabatur, Tyranni dominabantur, Scythæ vastant Asiam, & templum Dianæ Ephesinæ exuritur. Iocabatur interim ridiculosè Gallienus: etenim cum accepisset Ægyptum ab Imperio Romano desciuisse: *Quid enim,* inquit, *sine lino Ægyptio esse non possumus?* Perdita Gallia ridens: *Et non est,* inquit, *tuta Respublica sine trabeatis sagis?* Asia Alemanorum, & Scytharum incursionibus vastata: *Quid,* inquit, *sine Aphronitis esse non possumus?* Tragici huiusmodi euentus pro incremento, & pace Ecclesiæ, Deo iustissime sic prouidente, iuuabant, nam interim Christiani solo nomine Christi inuocato signis effulgebant. De illis Trebellius Pollio, Orosius, Eusebius, Sozomenus, Nicephorus, & noui Historici, & Annalistæ.

Imperij vexatio.

2 Ecclesiastica negotia, quæ communiter totam tangunt Ecclesiam, & priuatim nostram historiam, propter Dionysium Summum Pontificem ipsius Ecclesiæ caput, & nostri Carmeli alumnum, sic erant. Dionysius Alexandrinus per hæc tempora obortam, & propagatam hæresim Sabellianam, quæ in Sanctissima Trinitate personarum distinctionem, ac proprietatem penitus auferebat; sicut vnam tantum substantiam, ita pariter & personam in ea prædicans, vt sibi subditi hominis, id est, Lybis, errores refelleret, ac penitus confutaret, eruditas edidit in Sabellium lucubrationes,

nes. Quam hæresim oppugnare aggressus, dum vehementius in eam obnititur, dum personas accuratius distinguere, ac suis proprietatibus ab inuicem exactius discriminare contendit, in contrariam visus est inflecti partem, nimirum diuinas personas, non tantum ab inuicem distinxisse, suis proprietatibus singulis attributis, sed etiam natura diuisisse ab inuicē. Quare a Pentapolitanis quibusdam, tanquam de fide non recte sentiens, delatus est ad Romanum Pontificem Dionysium illi cognominem; qui coacto ea de re Romæ Episcoporum Concilio, cognitaque a maioribus tradita syncera fide, ac stabilita, ipsum Dionysium Alexandrinum commonuit, vt quid de ea re sentiret, litteris declararet. Quod & per epistolam fecit, & post Apologia quatuor libris conscripta, suam Catholicam fidem de personarum distinctione, & naturæ consubstantialitate testatam, seque Romano Pontifici, & vniuersæ Synodo orthodoxum probans. S. Athanasius [a], & ex ipso Baronius, & Coriolanus [b], contra Gennadium, & Ruffinum non recte sentientes de Alexandrino Dionysio.

a In Comment. de sentent. Dionysij.
b sub hoc ann.
Dionysius hæreses profligat.

3 Non contentus Dionysius noster Concilio congregato hæresim prædictam confutare, voluminibus etiam editis contra eam id fecit. Constat hoc ex D. Athanasio de sententia Dionysij contra Arrianos illis verbis: *Porro ex Dionysij Romani Episcopi voluminibus contra eos, qui Filium Dei, opus aut creaturam asseuerant, scriptis clarè ostenditur, hæresim Christo rebellium Arrianorum non tunc tam primum, sed olim ab omnibus damnatam fuisse*. Circa quæ Baronius [c] sic: *Ex quibus planè videas ipsum Dionysium Romanum Pontificem; vt quisque declinaret extrema, mediam, ac plane regiam strauisse viam: atque perinde ac optimus in exercitu Imperator, sic cornui dextro periclitanti tulisse suppetias, vt tamen incolumitati sinistri consultum in omnibus esse voluerit, atque ita in hunc modum sinceræ fidei veritati omni ex parte esse prospectum*. Eadem ferme in lectionibus a S. Congregatione Rituum pro eodem Dionysio in Breuiario Carmelitano approbatis, ibi: *Mediam, ac planè regiam sternens viam, qua contrariæ illæ hæreses, Sabellij scilicet, & Arrij confutarentur*.

c sub hoc anno §. Arius quoque

Annus Chr. 264.265.266.267.& 268. Dionys. Pont. 4.5 6.7. & 8. Gallieni Imp. 10.11.12.13.& 14.

Imperij negotia.

1 EXAGITABATVR etiam hoc tempore Romanum Imperium tyrannis, Trebelliano nempe ab Isauris Imperatore creato, Celso in Africa, Saturnino a suis; qui tamen cito perierunt, Deo adiuuante Gallienum, quod pacem Christianis dederit.

Paulus Samosatenus.

2 Hoc etiam tempore Paulus Samosatenus Episcopus Antiochenus dogmatizabat, Christum hominem iustum, non Deum verum prædicans; & nullam in Trinitate personarum distinctionem admittens; iudaizans quoque circumcisionem docebat; ac ex eisdem principijs asserebat Christi in Eucharistia sanguinem esse corruptibilem; Ecclesiasticos quoque hym-

hymnos tanquam neotericos,& nuper inuentos reiecit. Contra illum celebratur Antiochiæ Synodus septuaginta Episcoporum, vbi errorem confessus, emendationem dolosè pollicitus, Sedem retinere permissus est, damnato ipsius errore. Euseb. [a] Phyliaster [b], & alij posteriores.

3 Ex quibus ad propriora venientes, Dionysius Papa interim sui muneris non oblitus hunc Paulum damnauit, etiam antequam a septuaginta illis damnaretur. Sic enim colligitur ex Athanasio [c] dicente: *Duo enim Dionysij diu ante eos septuaginta fuere; qui Samosatensem sustulere, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ Præsul erat*. Circa quæ Baron. [d] sic inquit: *Quod igitur S. Athanasius ait, à duobus Dionysijs Romano, & Alexandrino Paulum Samosatenum esse sublatum, sic accipiendum est, vt hi primum impium hæreticum oppugnarint, editisque scriptis illius hæresim condemnauerint. Quis dubitat hoc præstitisse ipsum Dionysium Romanum Episcopum, quem constat emergentem quoque Sabellij hæresim editis commentarijs profligasse? De Alexandrino certum est, aduersus Paulum ad dictum Antiochenum Concilium Epistolam conscripsisse: cuius tempore etsi damnata fuerit impietas Pauli, ipse tamen edita professione Catholica, quasi mutata sententia, elusit Episcopos. Sic ergo quod Athanasius ait, à duobus Dionysijs Samosatenum esse sublatum, de eius hæresi ab ijs primum omnium scriptis vulgatis condemnata, esse intelligendum existimamus*. Idem quoque, quod dicimus de Concilio illo Antiocheno contra Paulum congregato, nitente inprimis Dionysio, habetur in Officio ipsius pro Ordine nostro a Sacra Congregatione Rituum approbato Lectione 5. vbi sic: *Sabellij hæresim emergentem editis commentarijs profligauit, mediam, ac planè regiam sternens viam, qua contrariæ illæ hæreses, Sabellij scilicet, & Arij confutarentur. Paulum quoque Samosatenum hæresiarcham duplici Antiochiæ coacto Concilio, condemnauit*.

4 Ex eo etiam quod Paulus iste Ecclesiasticos hymnos reiecerit, occasionem aliqui sumunt ad ipsorum vetustatem roborandam. Cæterum compertissima res est, nec plurima indagine digna, eorum vsum ab antiquissimis temporibus in Ecclesia fuisse. Et, vt omittamus Christum Dominum post Eucharistiæ, & agni Paschalis celebrata solemnia hymnizasse, dicente Euangelista Matthæo [e]: *Et hymno dicto*, id est, decantato; *hymnus enim canitur* (ait S. Augustinus [f]) hic hymnos canendi ritus in Cœna Agni familiaris Hebræis fuit, quem postea secuti sunt Christiani, vt post Eucharistiam, & agapen, id est, conuiuium charitatis omnibus fidelibus commune, Deo in gratiarum actionem psallerent. Colligitur id ex Paulo [g], idque diserte docet Tertullianus [h], & S. Cyprianus [i]. Sic & Gentiles post epulas libabant Baccho, aut alteri cuipiam Deo, & in illorum honorem communi voce pæana, siue hymnum aliquem canebant, & deinde quisque accepto myrti, aut lauri ramo, propriam cantionem canere, atque etiam lyram, quæ per conuiuas circumferebatur, pulsare cogebatur: testibus Plutarcho [k], & Clemente Alexandrino [l]. Et specialiter, quod ad nostrum Elianum institutum attinet, primum Prophetici

a lib. 7. c. 22. & 24.
b de hæres. c. 65.
Damnatur a Papa.
c lib. de Synod.
d sub anno 265 §. quod igitur.
e cap. 26.
f in psal. 72.
g Ephes. 5. 19.
h Apolog. c. 39.
i epist. ad Donatum.
k lib. 1. Sympos. Problem. 1.
l lib. 2. Pæd. c. 4.

Ordinis Patriarcham Eliam hymnorum vsum docuisse suos discipulos filios Prophetarum vocatos, sic habet Ioannes Hierosolymitanus [a] post principium: *Quos etiam docuit prophetare, id est, ad laudem Dei psalmos, & hymnos cum instrumentis musicis canere.* Et inferius sic: *Elias Monachos successores post se instituit, non tantum ad vitam monasticam obseruandam secundum formam à Deo sibi traditam; sed etiam ad hoc officium, vt scilicet prophetarent, hoc est, vt in psalmis, & canticis, & hymnis deuotè Deo psallerent, & vt Deum non solum corde, & ore, sed etiam cum instrumentis musicis laudarent.* Quinimò Esseni eiusdem Eliæ propagines Prophetas veteres in sui instituti cultores æmulantes, Philone teste [b], non solum hymnis canendis solicitè incumbebant; sed etiam ipsis componendis in Dei laudem vacabant. Dicit enim: *Cantica, hymnosque in Dei laudem componunt vario metrorum carminum genere, rhythmis concinnatos in angustiorem, ac religiosam speciem.* Et infra: *Tum ille assurgens hymnum in laudem Dei primus canit, aut recens à se compositum, aut desumptum ab aliquo vatum veterum: extant enim huius generis carmina prisca versu trimetro, & hymni cum suis accentibus inter sacra canendi ante altaria.* Expendat quæso lector illud *Ab aliquo Vatum veterum*, quo non solum veteres vates, filios videlicet Prophetarum, hymnis concinendis, sed etiam componendis vacasse eliciet. Inferius etiam: *Deinde cantant hymnos in laudem Dei compositos varijs metrorum, carminumque generibus.* Plura de hoc in eo libro Philo, omittenda tamen quia legenti obuia. Id non prætermittendum, Nepotem quendam in Ægypto Episcopum, etsi alias non rectæ notæ quod sententiæ Millenariorum a Papia olim, Irenæo, Iustino, Tertulliano, alijsque assertæ, & nondum ab Ecclesia omnino proscriptæ adhæserit hymnis componendis hoc tempore, de quo nostra historia, laudabiliter institisse, prout ex Dionysio Alexandrino, & Eusebio habet Baronius [c]. Eum postea imitati fuere Apollinaris, Harmonius, & (quia illi malæ fidei auctores non curandi) S. Ephrem, Gregorius Nazianzenus, Damasus Papa, Ambrosius, Paulinus, Prudentius, Marius Victorinus, Prosper Aquitanicus, Alcimus Auitus, Sidonius Apollinaris, Venantius Fortunatus, Baptista noster Mantuanus, & alij innumeri, quos etiam æmulatus fuit Vrbanus VIII. Pontifex Maximus, qui in edendis, collimādis, & corrigendis huiusmodi hymnis egregiè laborauit.

[a] in lib. de Instit. primor. Monach. c. 10.

[b] in lib. de vita Contemplat.

[c] sub ann. 264.

Annus Christi 269. Dionys. Pont. 9. Gallieni Imp. 15. & Claudij II. Imp. 1.

Claudius Imperator.

1 SVB hoc anno creditur occisus apud Mediolanum cum fratre Valeriano, & filio Imperator Gallienus, in eum conspirantibus Claudio Martiano, & Cecropio Ducibus exercitus, eisque de medio sublatis Flauium Claudium Imperij clauum, a militibus Imperatorem vocitatum, tenuisse.

De Ecclesiasticis rebus.

2 Quod ad Ecclesiæ historiam & nostram spectat, Claudius Christianorum

norum hostis, etsi bellis intricatus, sæuire, vt optabat, non potuerit, Romam tamen postea veniens, cum audisset longa pace res Ecclesiæ inualuisse, nobilissimosque viros, ac clarissimas fœminas, & inter eas Decij coniugem, seu concubinam Tryphoniam, eiusque filiam Cyrillam, opera Iustini Presbyteri Christo nomen dedisse, milites etiam complures ex castris impietatis ad Christianos defecisse audiens; vehementi furore percitus, eos in custodiam recipi, & Cyrillam (nam mater eius iam spiritum Deo dediderat) sibi præsentari faciens, virginem sic compellat: *Sic tibi visum est præcepta, & morem clarissimorum parentum, regiamque educationem negligere?* Cyrilla respondit: *Ego Christiana sum, ancilla Christi, respuoque dæmonia, quæ vos perducent ad supplicia æterna cum illis pariter perituros.* Claudius dixit: *Assentire nobis, & sacrifica dijs, nubasque viro, qui respondeat natalibus tuis.* Cyrilla respondit: *Ego iam nupsi viro, qui me veram docuit sapientiam, nempe Domino Iesu Christo, cui semel tradita sum.* Claudius ira feruescens, præcepit, vt iugularetur; cumque necata esset gladio; voluit corpus eius in platea canibus relinqui: collegit autem illud beatus Iustinus presbyter, & sepeliuit cum matre eius, vbi iam ante posuerat corpus beati Laurentij, quinto Kalend. Nouembris. Ita habetur *in act. S. Laurentij Martyr.* apud Surium, Zachariam Lippelotum, & alios.

3 Huius porro S.Cyrillæ Virginis, & Martyris historia nostris Annalibus propria censetur a pluribus Ordinis historicis; specialiter Palæonydoro [a] dicente: *Item anno Domini 260. S.Carmelita, & soror nostri Ordinis Cyrilla virgo filia, vt legitur, Decij, martyrio coronata est.* Sequitur Cassanate [b], licet malè confundat hanc Cyrillam Decij filiam existimatam cum alia eiusdem nominis natione Libyca, & patria Cyrenensi, de qua in Martyrologio Romano & Menolog. Græcorum die 5. Iulij; cum de alia Cyrilla 28. die Octobris agatur. Fauet Thomas de Iesu, qui [c] ex Ordinis historijs Cyrillam inter Eliades refert. Nec solum nostri huius opinionis asseclæ sunt, sed & de exteris Laurentius Beyerlinck [d], dum de Carmelitana Religione scribit inter Martyres eiusdem *S.Cyrillam Virginem Decij filiam* accensens. Quo tamen fundamento nobis ratum non est, nisi dicant hanc Sanctam Virginem vnam ex illis fuisse S.Eugeniæ sodalibus in Cœnobio Romano, in quo Essenorum cælibatus seruabatur, iuxta dicta *sub anno 205.* vel ex comitibus S. Victoriæ, de qua etiam *sub ann. 255.* dictum Therapeutidum, seu Monialium Virginum Deo sacrarum matrem extitisse. Quæ eatenus notata, vt quoad possumus Ordinis traditioni, & tabulis antiquis morem geramus, etsi illa firmiori alij congruentiæ subnixa non sint, nec maiori fulcro, quatenus vsque modo nobis compertum, non tamen idcirco spernenda.

Cyrilla Virgo & Martyr.

a lib. 2. c. 3.

b in Paradis. Carmel. decor. stat. 2. stat. 4. c. 41.

c in lib. 1. antiquit. & Sanctor. Ordin. c. 14.

d in Theatr. vit. hum. to. 6. lib. 16. verbo Religiosus Religio.

Ann. Christi 270.& 271. Dionys. Pont. 10.& 11. Claudij Imp. 2.& 3. & Aureliani 1.

Prophana historia.

1 VICTI fuerunt, & penè deleti hoc tempore a Claudio Imperatore Gothi, & occisi ad ter centena millia; duo etiam Victorini Tyranni pater, & filius in Gallia occiduntur, sed quia adhuc sæuiebat in Christianos, Timagenes Ægyptius Ægyptum occupat, nomine, & auxilio Zenobiæ; & ipse Claudius peste tactus occubuit. Succedit fauore militum Marcus Aurelius Valerius Aurelianus, qui etsi obscuris parentibus Syrmij in Pannonia natus, æquitatis tamen amantissimus fuit. Pro quo libet fragmentum Epistolæ ipsius ad Vicarium suum de continentia, & disciplina militum hic referre, quod vtinam Reges, & Principes bellum gerentes alta mente reponant, ne tam iniustè graues sint populis, & pauperibus: *Si vis Tribunus esse, immò si vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat; ouem nemo contigat; vinum nullus auferat: segetem nemo detrahat: oleum, sal, lignum, nemo exigat annona sua contentus sit. De præda hostis, non de lachrymis prouincialium habeat: arma tersa sint: ferramenta samiata, calceamenta fortia: vestis noua, vestem veterem excludat: stipendium in baltheo, non in popina habeat: torquem brachialem, & annulum apponat. Equum saginarium suum defricet: captiuum animal non vendat: mulum centuriatum comiter curet: alter alteri, quasi seruus obsequatur; à medicis gratis curentur, aruspicibus nihil dent: in hospitijs castè se agant: qui litem fecerit, vapulet.*

Dionysij Papæ gesta.

2 Noster interea Dionysius Papa Parochias, & Diœceses ob persecutionem Christianorum confusas, etsi alias primum a suis antecessoribus distinctas, presbyteris diuisit. Ita enim habetur *in lib. de Rom. Pontificib.* appellato, & ex eo id colligunt Baronius, Gordonus, & alij [a]. Id maxime elicitur ex Epistola eiusdem Dionysij ad Seuerum Episcopum Cordubensem, cuius data est *Claudio, & Paterno Consulibus*, vt propterea meritò in hoc tempus referri debeat, cum sub anno 270. hi Consulatum gesserint. Epistolæ autem verba hæc sunt ad intentum: *De Ecclesijs ergo Parochianis, vnde Apostolicam Sedem consulere voluisti, qualiter sint custodiendæ per Cordubensem Prouinciam, ac diuidendæ Sacerdotibus, nihil tuæ charitati melius nobis videtur intimare, quam vt sequaris, quod nos in Romana Ecclesia nuper egisse cognoscitur. Ecclesias verò singulas singulis presbyteris dedimus, parochias, & cœmeteria eis diuisimus, & vnicuique ius proprium habere statuimus, ità videlicet, vt nullus alterius parochiæ terras, terminos, aut ius inuadat, sed vnusquisque suis terminis sit contentus, et taliter Ecclesiam, et plebem sibi commissam custodiat, vt ante tribunal æterni Iudicis, ex omnibus sibi commissis, rationem reddat, & non iudicium, sed gloriam pro suis actibus accipiat. Hanc quoque normam, charissime, te, & omnes Episcopos sequi conuenit, & quod tibi scribitur, omnibus quibuscumque potueris, notum facias, vt non specialis, sed generalis fiat ista perceptio.*

[a] sub hoc tempore.

Annus

Annus Christi 272. Dionys. Pont. 12. Aurel. Imp. 2.

1 QVO tempore Imperator seditiosos Romæ punit, Vrbem mœnibus munire aggreditur, & exercitum in Asiam ducit. Vbi contra Zenobiam acriter pugnans, multo vtrinque sanguine fuso; victor euadit, ipsam capit, ac pro triumpho reseruat; sicque Oriens redit ad Romanum Imperium. Non miremur Zenobiam Christianis addictam Principissam inimicis a Deo traditam, id enim forsan permissum quòd Paulo Samosateno hæretico discipula adsuerit; hæreticum namque hominem vitandum esse Paulus præscribit *in Epist. ad Titum*, eo quod *subuersus est, qui eiusmodi est*. *Aureliani gesta.*

2 Hic ergo Paulus Samosatenus Antiochenus Episcopus abdicatam semel hæresim, atque priori Antiocheno Concilio proscriptam, restituere moliens, nouo Concilio, omnium sententia damnatur, & sede deijcitur. Euseb. [a] qui & synodicam ad Dionysium Papam, & alios Episcopos ex Concilio missam recenset ex parte; nam quatenus ea perstringuntur Ariani, dum Christi natura Diuina Patri consubstantialis asseritur, & prædicatur, Arianorum fautor Eusebius, malo dolo omisit. Professio fidei in hoc Concilio edita extat in Concilio Ephesino, quæ non modò Paulum, sed & Sabellium condemnat. Concilium de eadem ipsa re Romæ a Dionysio habitum, innuit Athanasius [b]. Verùm cum Paulus damnatus Episcopali domo cedere nollet, Aurelianus Imperator rogatus sententiam, sanctissimè præcepit, vt domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ, & Vrbis Romæ Episcopi per litteras tribuendam præscriberent. Notat enim Synodum Episcoporum, de Paulo a Dionysio Romæ habitam, quod & testatur Athanas. [c]. *Pauli Samosateni.* *a lib. 7. cap. 23. & 24.* *b lib. de Synodis.* *c lib. de Synodis.*

3 Obijt hoc eodem anno noster S. Dionysius Papa sub die 26. Decembris, pluribus laboribus exanthlatis pro Ecclesiæ defensione contra hæreticos, & alios ipsius perturbatores. Ad hunc annum peruenisse rectè colligunt Chronologi ex Epistola Synodica a relato Concilio Antiocheno ad eum missa. Sub ea die obijsse habetur ex Martyrologio Romano, Vsuardo, Baronio, & alijs: licet Beda pro die 27. eiusdem mensis eum referat, imo alij pro 28. Ordinis autem nostri Breuiarium non nisi 19. Ianuarij eius festum celebrat; proculdubio quia propter octauas Natalis Domini, S. Stephani, Ioannis Euangelistæ, Innocentium, Epiphaniæ, & aliorum Sanctorum festiuitates proprio die celebrandas, aliter fieri non potuit. Vitam Martyrio consumasse elici videtur ex Martino Polono, Honuphrio, Vvernero Rouelinck, Marco Guazo, & alijs, qui eum Martyrem appellant; quibus fauet Luitprandus in fragmentis *fragment. 266.* de eo dicens: *Qui tulit passionem*, ita vt propterea etiam ab Ordine nostro Martyris cultum habuerit. Cæterum, re accuratius perspecta, *S. Dionysij Papæ obitus.*

cum Martyrologio Romano, & alijs multis non nisi vt Confessor celebratur. Monuimus enim in superioribus *sub ann.* 194. & 220. Martyris nomen olim tribui consueuisse non solum ijs, qui violenta morte pro Christo passi occumbebant, sed & ijs quoque qui fidei confessionis ergo cruciamenta aliquot subijssent; inter quos accenseri poterat Dionysius, qui plurimis exanthlatis laboribus inter Ecclesiæ persecutiones tolerandas, & hæreticorum errores profligandos vitam finijt. De gestis ipsius in relato Carmelitico Breuiario sic habetur: *Fecit ordinationes duas mense Decembri, quibus creauit presbyteros duodecim, Diaconos sex, Episcopos per diuersa loca septem.* In fragmentis autem Luitprandi loco relato additur eum fuisse, vel saltem putatum, *Scriptorem libri de situ Orbis.*

4 Commemoratur hoc tempore Domnus Antiochenus Patriarcha, de quo Honuphrius [a], Genebrardus [b], Baronius *sub ann.* 272. & Iacobus Gualterius [c]. A nobis singulariter recensendus, quia Anonymus quidam vir doctus, & diligens, Gulielmitanus Vallis Sancti Antonij Brugis *in libro Episcopatuum, & Episcoporum Ecclesiæ Dei*, quem Vvastelius noster [d] commendat, de eo dicit: *S. Domnus Eremita montis Carmeli filius D. mentani.* Vrgentiora fundamenta pro monachatu huius Domni in Carmelo videre non licuit. Facilius id dici posset de Domno alio Monacho, Eremita, Episcopo etiã Antiocheno, & discipulo Euthymij in Monasterio Lauræ, de quo Cyrillus Monachus in vita S. Euthymij apud Surium die 20. Ianuarij, & Baronius *sub anno* 432. & 436. ac nos tomo sequenti. Interim hæc de ipsis tangere necessum fuit pro historiæ nostræ complemento.

[a] *sub an.* 270.
[b] *in Chronolog. sub ann.* 273.
[c] *in Tab. Chronograph. in* 3. *sacul.*
[d] *in Vindic. lib. de Inst. Monach Ioannis Ierosol. sect.* 4. *ar.* 1. *S.* 6.

Annus Christi 273. & 274. Felicis Papæ 1. & 2. Aureliani Imp. 3. & 4.

Felix Papa.

1 POST pretiosam mortem Dionysij Papæ vltimo anni 272. die Felix Papa successit. Scripsit Epistolam ad Maximum Alexandrinum contra Paulum Samosatenum, & Sabellium; cuius fragmentum extat *Action.* 1. *Concil. Chalcedonensis*, & citatur a Cyrillo *in Apologia* 12. *capitum*. Hic, quod absque scripto Canone, traditione tantùm seruabatur, decreto stabiliuit supra sepulchra, aut memorias Martyrum Missas celebrari, ipsorumque Martyrum in Missa Commemorationem fieri. Coriolanus *hic* cum alijs.

D. Antonij gesta.

2 Ad propriora vocamur de S. Antonio nostro Eliæ assecla, de quo Diuus Athanasius in eius Vita [e], hæc refert huic tempori congrua, iuxta computum natiuitatis ipsius, de qua sub anno 254. dictum manet. *Post mortem autem parentum annorum circiter decem, & octo, seu viginti, cũ sorore admodum paruula derelictus, & domus, & sororis honestã curam gerebat. Necdum verò sex fluxerant menses, quibus ad Ecclesiam (vt solebat) accurrens recordabatur quomodo & Apostoli, omnibus spretis, secuti fuissent Saluatorem, & multi*

[e] *cap.* 2.

vt

vt legitur in Actis Apostolorum, facultatibus suis venditis, pretia ad pedes eorum detulissent egentibus partienda, quaue, aut quanta spes iisdem reposita esset in Cælis. Talia secum voluens, intrauit Ecclesiam, & accidit vt tunc Euangelium legeretur, in quo Dominus dicit ad diuitem: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua quæcumque habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in Cœlo. *Quo audito quasi diuinitus huiusmodi ante memoriam concepisset, & veluti propter se hæc esset scriptura recitata, ad se Dominicum traxit imperium; statimque regressus, possessiones quas habebat vendidit. Aruræ autem erant ei trecentæ vberes, & valdè optimæ, quas vicinis largitus est; ne in aliquo aut sibi, aut sorori molestia gigneretur. Cætera verò, quæ in mobilibus possidebat, vniuersa vendidit, & aggregato non exiguo pretio, indigentibus dedit, paucis tamen ob sororem reseruatis, quæ & sexu, & ætate videbatur infirmior.* Nota hìc *Aruram* esse quandam terræ mensuram, seu partem agri; de quo Rosvvedius [a] ex alijs.

3 Circa hoc tempus, annum videlicet 274. iuxta congruum Sarraceni nostri [b] placitum, floruisse autumamus Spiridionem Cyprium eius sæculi iubar, & tam in Græcorum, quam in Latinorum Tabulis gloriosè descriptum. Eius autem memoriam nostris Annalibus iure attexendam ea quæ afferimus non mediocriter suadent. Illud primò, quòd a Ruffino celebri Auctore [c] dicatur *Vir vnus ex Ordine Prophetarum*. Loquens enim de Patribus Concilij Niceni inquit: *Ex eorum numero (etsi quid adhuc eminentius) fuisse dicitur Spiridion Cyprius Episcopus, vir vnus ex Ordine Prophetarum, quantum etiam nos eorum, qui eum viderant narratione comperimus.* Etenim *Ordinis Prophetarum* titulus Elianum, & Propheticum nostrum Ordinem designat, vt probauimus *to.* 1. *in Apparat.c.*2. *n.*23. Vnde esto quod Spiridion *Ordinis Prophetarum vnus* dici posset, quia spiritu Prophetico sæpius clarus extitit, vt ex Metaphraste apud Surium *to.* 6. pro die 14. Decembris, & alijs vitæ ipsius Chronologis clarè elicitur; altiori tamen modo hoc ipsi cognomen Ruffinum dedisse, quia videlicet Prophetale Institutum sectaretur, rectè probat ex nostris post Palæonydorum, & alios Petrus Vvastelius [d]. Tum ex eo quod magnam cum Ioanne Ierosolymitano is Ruffinus familiaritatem habuit, prout ex Hieronymo, & Epiphanio infertur; Ioannes autem Ierosolymitanus sæpius [e] Eliæ posteritatem *Ordinem Prophetalem*, seu *Propheticum*, aut *Prophetarum* compellat: ab ipso ergo Ruffinum phrasim istam mutuare potuit. Tum præterea, quia Beda, Ado, & Vsuardus in suis Martyrologijs [f], & Petrus de Natalibus [g] veluti Ruffinum interpretantes dicunt quòd *Propheticam duceret vitam*; qui sanè modus loquendi, nisi credamus graues hos Doctores nedum obscurissime, sed & valde impropriè locutos fuisse: denotat Spiridionem Institutum, & Ordinem Prophetarum amplexatum fuisse. Nec insolitum erat illis temporibus Monasticum Institutum *Ordinem* appellare, prout Vvastelius relatus eo loco probat ex Theodoreto, Sozomeno, & Cyrillo Ierosolymitano; immò ex S.Dionysio Areopagita [h], vbi Monachismum *Ordi-*

S. Spiridon.

a in Annotat. ad vit. S. Antonij, & in Onomast. ad vit. Patr.

b in Menolog. Carmelit.

c lib. 1. *histor. Ecclesiastic. c.* 5.

d in vindic. Ioann. Ierosolymit. ad lib. de instit. Monach. ar 6. §. 2

e in lib. de instit. Monachor.

f ad 14. *diem Decembris.*

g lib. 1. *c.* 66.

h de Ecclesiast. Hierarchia c. 6

dinem Monasticum appellat. Accedit communis traditio Religionis per singulos eiusdem Historicos tum veteres, tum recentes deriuata, qui Spiridionem Elianæ familiæ accensent. Prout faciunt Palæonydorus, Coria, Thom. de Iesu, Emanuel Romanus, Muñozius, En bum, ac alij; & de exteris Franciscus Pisanus [a], Laurentius Beyerlink [b], dum de Ordine Carmelitarum, Rodericus Carus [c], ac alij. Tollitur autem in hoc difficultas Ecclesiæ auctoritate, quæ hunc sanctum Spiridionem in nostro Breuiario pro Sancto Ordinis celebrandum proponit pro die 14. Decembris, hanc Collectam de ipso decantari concedens: *Sancti Spiridionis Confessoris tui, atque Pontificis Domine festa tueantur, & sicut ille Religionis a Propheta Elia institutæ, orationibus, & operibus fuit fidelis imitator, ita nos eius sequentes vestigia cum eo te perfrui valeamus.*

a in Act. Concil. Nicæn.
b in Theatro Vit. hum. l. 8. to. 6. verb. Religiosus Religio.
c in Not. ad Dextrum.

Spiridionis incunabula.

4 Eius incunabula sic a Metaphraste *in ipsius Vita* apud Surium *supra* describuntur. *Eum tulit quidem Insula Cyprus: erat autem non garrulus aliquis, neque vrbanus, & elegans moribus: neque qui multitudine, & foro delectabatur; sed simplex, & quietus, & à negocijs, curisque remotionem colens, si vllus alius. Quocirca ad Patriarchæ Iacob vitam se omnino effingens, sicut diximus, fuit ipse quoque pastor ouium, non tamen omnino pastor, aut nimia simplicitate, aut feris, & agrestibus moribus; sed commodis, & valde facilibus, & qui à vulgi quidem se abducebat congressione: pauperibus autem, & hospitibus tam facilis ad eum patebat aditus, & se eis tam præbebat affabilem, vt esset omnibus hominibus in sermone iucundior, & ad facultates suas communicandas longè liberalissimus. Præterijsse certè aliquem ex ijs, qui accedebant, qui non fuisset ab eo hospitio acceptus, erat ei longe molestissimum, perindè ac si re aliqua maxima, & quaestuosissima esset fraudatus. Et erat quidem alioqui ei liber animus, & alienus ab omni illiberali assentatione, & humilitate: ad eorum autem, qui iter ingrediebantur, labores recreandos, & ad pedes qui erant fatigati, abluendos, & ad mensam apponendam, & alia administranda iure amicitiæ, & moderationis, erat adeò dexter, & officiosus, vt ipse solus hoc magis præstaret, quam famuli, qui sunt in suos dominos maxima præditi beneuolentia. Erat enim ei contemperata cum grauitate quidem simplicitas; cum animi verò magnitudine, lenitas; cum intensa autem, & ardenti charitate grata florebat temperantia, quam non minus dilexit, & ardenter est amplexus, quam reliqua omnia, vt qui cum legitima quidem, & pudica vxore non diù versatus, & liberorum pater ex ea effectus, deinceps voluptate, & omni alia mundana cupiditate permansit superior. Hinc mel virtutis conficiens diligentius, & in lege Domini studiosè meditans, benignissimus euasit, & clementissimus. Et vt semel dicam, erat Spiridon diuinum virtutum exemplar archetypum, habens quidem omnes in se scriptas, sed ad quarum imitationem pauci poterant accedere.* Subiungit deinde plura de ipso miracula, & qualiter ex honorabili illo coniugio filiam (Irenem nomine) habuerit, quod etiam concorditer alij, qui de eo scripserunt, commemorant. Alia nos in sequentibus, pro tempore quo contigisse autumari potest.

Annus

Annus Christi 275. & 276. Felicis Pont. 3. & Eutych. 1. & 2. Aurel. Imp. 5. & 6.

1 DVM hoc tempore Aurelianus Imperator Soli templum erigit, prout Vopiscus, Eusebius, & alij commemorant, verò Soli iustitiæ Christo contrarius extitit, fideles plurimos neci, & martyrio dando, vt propterea, Deo prouidente, apud Bizantium occisus fuerit, vt anno sequenti dicemus. Inter Martyres Felix Papa numeratur; illi succedente Eutychiano Tusco patria Lunensi. Numerantur quoque Synesius Lector, Eutropius, Zosimus, Bonosa, Mamas, & alij tum in Oriente, tum etiam in Occidente. De quibus Baronius, & alij hic. *Huius temporis euentus.*

2 Specialiter pro nostra historia censendi Basilides, Tripos, & Mandalis, quorum corpora in nostri Ordinis Ecclesia S. Mariæ Transpontinæ condita manent. Passi sunt Romæ quarto idus Iunij, qua die Martyrologium Romanum hæc de illis: *Romæ via Aurelia Natalis Sanctorum Basilidis, Tripodis, Mandalis, & aliorum viginti Martyrum, sub Aureliano Imperatore, & Platone Vrbis Præfecto.* Agunt de his Beda, Vsuardus, Ado, Baronius, & alij; maximè Episcopus Equilinus [a], hæc de ipsis scribens, non omittenda in hac historia, vel pro Religiosis, qui in ea S. Mariæ Transpontinæ Ecclesia ipsorum reliquijs perfruuntur. *Basilides, Tripos, & Mandalis affectu martyres: actu verò confessores tempore Aureliani Imperatoris apud Ciuitatem Aureliam claruerunt. Cum enim Basilides esset officialis Plationis Præfecti, in partibus Orientis, Christus eidem apparuit, & Christum in ministerio gentilis esse non debere dixit, eidemque vt renuntiaret officio mandauit. Veniens ergo Basilides ad Præfectum petijt ab eo licentiam, vt parentes, & affines suos reuisere posset in Ciuitate Aurelia, quæ erat in Italia consistens; eo quod annis 25. in officio Præfecturæ fideliter seruisset: promittens se vsque ad annum reuersurum. Præfectus eius fidelitatem attendens non solum vnius anni, sed biennij licentiam gratanter concessit. Reuersusque ad locum vbi ei Christus apparuerat; ipsum iterum se expectantem inuenit. Cui cum Basilides quæ fecerat enarrasset, vt causam differendi officij inuenisset; mandauit ei Dominus, vt socios suos Tripodem, & Mandalem secum assumeret, & ad littus accedentes diuinam ibi nauiculam inuenirent. Qui cum iussa dominica compleuisset, ac omnia socijs ambobus retulisset: omnes vnanimiter relinquentes cuncta, quæ habebant, ad littus deuenerunt, & nauiculam paratam inueniunt, in qua erat ipse Christus gubernator, & Angeli remigantes, qui ad pedes Saluatoris procidentes nauiculam intrauerunt, & cælico ab Angelis pane refecti vnius noctis spacio mare transfretantes ad portum Ciuitatis Aureliæ, quæ est in finibus Italiæ peruenerunt, & milliario octauo ab ipsa vrbe in terram descenderunt. Cum autem Vrbi predictæ appropinquantes audiuissent qualiter Aurelianus Imperator Christianos persequebatur, ad Ciuitatem ire formidantes Domino Iesu Christo, qui* *Basilides, Tripos, & Mandalis.* *a Lib. 5. c. 103.*

corum

eorum dux, & nauta fuerat, se commendabat. Quibus iterum Christus apparuit, eosque per Angelorum ministerium pane, & aqua refecit. Et postquam comedissent obdormierunt. Mane verò se excitantes ad ipsum locum vbi & de naui exierant, videlicet in ipso se littore inuenerunt. Et orauerunt ad Christum, vt animas eorum in pace susciperet, eademque hora spiritum emiserunt quarto Idus Iunij. Quorum corpora ibidem sepulta sunt, & Ecclesia fabricata, vbi & miraculorum beneficijs elucescunt. Videat hìc lector quam diuerse Episcopus Equilinus de horum Sanctorum historia loquatur, ab ea quæ in Martyrologijs Romano, & Vsuardi, ac apud alios habetur, vt vel ex hoc nouerit quam difficile sit veritatem in historijs antiquis inuenire.

Charitonis historia.

3 Huic etiam tempori cum Baronio, & alijs adscribenda videtur historia Abbatis Charitonis; nostris Annalibus digna, quia inter Elianos iure ipse censendus, cum Monachatus cultor extiterit tempore quo nullus alius nisi Propheticus in Orbe Christiano erat, habitatorque fuerit desertorum Iordanis, quæ Essenorum habitacula erant, iuxta dicta *to. 1. sub ann. 3545. n. 40.* de quo Bollandus [a], recensens tres lauras eo loco a Charitone extructas; fuerat etiam discipulus magnæ illius Teclæ Apostolicæ fœmine (prout ex eiusdem Carithonis historia referenda habetur) quæ inter Therapeutides Elianas recensetur; vt propterea nostro Ordini illum annumerent Didacus de Coria [b], Casanate [c], & alij. Quæ porro passus fuerit sub ista Aureliani persecutione (alia ipsius gesta ad tempus in quo contigerunt remittentes) sic habetur ex Metaphraste apud Lippomanum [d], & Surium [e], quibus ferme similia in Paulo Morigia Iesuato [f], Ascanio Tamburino [g], & alijs. *Tunc enim in Ciuitate Iconiensi Prouinciæ Lycaoniæ hoc annunciato edicto, quæ quidem erat patria Charitonis, quoniam mandatis Saluatoris hic vir magnus illuminatus, clarus erat apud omnes, arreptus statim ducitur ad tribunal impij Præsidis. Sed audiamus cum quanta interrogatus Sanctus loquebatur fiducia. Quid ergo Præses? Prius interrogauit, quod esset ei nomen, & quæ Religio. Postquam autem esse Christianum intellexit, & primas obtinere partes in Ciuitate: quare, inquit, ò tu sententiæ, ac decreto repugnans Imperatoris, minime vis sacrificare dijs immortalibus? Quoniam non sunt dij, ò Consularis, vestri dij, respondit generosus Christi martyr, sed mala dæmonia, sicut dicunt diuina eloquia: Omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem Cælos fecit. Et alibi: Dij, qui Cælum, & terram non fecerunt, pereant. Ipsi ergo vobis, qui non probatis Deum, vt ait Apostolus, habere in agnitione, persuadent eos deos existimare duabus de causis, nempe, vt ipsi quidem glorificentur hac appellatione (Gaudent enim, vt qui sine pleni arrogantia, se tanquam deos honorari) vos autem, quos deceperunt, attrahant in sibi paratum ignem, qui non extinguitur. Præses dixit: Oporteret quidem indignari, & protinus tibi vltimum inferre supplicium, qui dijs omnipotentibus ita insultaueris: sed quoniam ij sunt placidi, & ad iram non propensi, eos ego quoque in præsentia imitans, suggero, vt facias id, quod tibi conducit. Illud autem est, vt longis relictis orationibus, dijs offeras sacrificium. Sic enim tibi licebit laudem parare*

[a] *in Actis Sanctor. to. 2. pro die 20. Ianuar. n. 2.*
[b] *lib. 8. c. 15.*
[c] *in Paradis. Carmel. stat. 2. etat. 5. c. 72.*
[d] *to. 6. pro die 28. Septemb.*
[e] *to. 5. ead. die.*
[f] *in lib. de Relig. orig.*
[g] *de iure Abbatum to. 2. disp. 24. quæst. 2. n. 3.*

ex

ex Imperatore. Si dij quidem sunt hæc surda, & inanima, respondit Christi seruus, non rectè facis, ò Consularis, leuiter ferens eas, quibus afficimus ipsos, contumelias. Sin autem non sunt dij, sicut reuera non sunt, temere minaris, & te incassum inique geris. Me enim non vincet vllum periculum, neque quicquam persuadebit ex omnibus, Deum quidem relinquere viuentem, scelestos autem, & impudos venerari dæmones. Nam ipse quoque sum discipulus Teclæ, quæ instar luminaris in hac Ciuitate Iconiensium resplendet splendoribus martyrij, & Pauli magni Præconis veritatis, qui ipsam quoque instruxit, & adornauit ad certamina propter Christum suscipienda. Et ideo ego quoque cum ipso hodie dico: Quis me separabit à charitate Dei? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an periculum, an gladius, an aliquid aliud ex omnibus? Dixit Præses: Si non sunt dij, vt dicis, quos pij adorant Imperatores, quomodo nos, qui in ipsos credimus, illinc vitæ habemus occasionem? Erratis, ò Præses, dicit magnus Chariton, deos esse dicentes ea, quæ fabricatæ fuerunt manus hominum, & quæ carent omni ratione, sensu, & sapientia. De quibus dicit etiam diuina nostra scriptura: Os habent, & non loquentur: Oculos habent, et non videbunt: Aures habent, et non audient: neque enim est spiritus in ore ipsorum. Similes eis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis. An non verè dicie hæc proferens scriptura? Admoue, si velis, ignem eorum lateribus, aut iube securi frangi eorum tibias, et setes omnino, nisi ipse quoque sis similiter affectus, ea esse nullo sensu prædita, et neque omnino posse moueri, aut loqui. His ad iram motus iniquus Consularis, iubet sanctum veste nudari, et in quatuor partes extensum, neruis crudeliter verberari. Deinde cum hoc processisset ad effectum, dicit ei Iudex: Sacrificabis ne, ò Chariton, dijs immortalibus, an vis tuo corpori plures inferri plagas? Non, inquit Martyr, eis sacrificabo. Si enim fieri posset, vt millies morerer pro meo Saluatore, lubenter id susciperem prompto, et alacri animo, potius quam eius negarem diuinitatem, et exitialibus dæmonibus offerrem sacrificium. Tamdiu ergo iussit eum rursus verberari boum neruis, vt qui eum torquebant, viscera propemodum tangerent. Cum ergo multas horas mutus mansisset sanctus, lictoribus in infligendis plagis minimè cedentibus eos cessare iubet scelestus Præses, non quod ei censeret parcendum (Quomodo enim?) sed ne citius per mortem longiora effugeret supplicia. Atque eum quidem cum, qui ministrabant, sustulissent humeris (neque enim fieri poterat, vt suis ingrederetur pedibus) et in carcere deposuissent, eum secundæ reseruant examinationi, et vt paucis dicam (oportet enim rem in pauca conferre) rursus deducitur ad deos colendos more gentium. Et prius blanditijs, deinde etiam honorum promissis, vt sacrificaret simulacris, conabatur callidissimus Præses eius constantiam dissoluere. Postquam autem et tormentis, et blanditijs Christi martyr visus est superior, et ea, quæ is dicebat, subsannare, cum maioribus quam prius affectus fuisset supplicijs, et fuissent eius pectora lampadibus vstulata, ferro vinctus iterum traditur in custodiam. Non multum intercessit temporis, et meritas luens pœnas eorum, quæ ausus fuerat in Christianos Imperator malus, è vita excessit humana. Alia in sequentibus dabimus.

Ascri-

S.Antonij gesta a cap. 3. 4 Ascribendum quoque huic tempori prudenti coniectura ducimus, quæ de S.Antonio eius vitæ auctor Athanasius [a] inquit: *Rursus autem Ecclesiam ingressus, cum audisset Dominum in Euangelio dicentem:* Nolite cogitare de crastino, *reliquam quoque portionem pauperibus distribuit; neque se versari passus est domi, sed sorore fidelibus, ac notis virginibus commendata, vt earum nutriretur exemplo, ipse iam omnibus sæculi vinculis liber, asperum, atque arduum arripuit institutum. Necdum autem tam crebra erant in Ægypto monasteria, neque omninò quisquam auiam solitudinem nouerat; sed quicumque in Christi seruitute sibimet ipsi prodesse cupiebat, non longè à sua villula separatus instituebatur.* Hic notet Lector illa *Nec dum autem tam crebra erant in Ægypto Monasteria;* ex eis enim elicitur, quod in sequentibus magis illustrabimus, fuisse etiam ante Antonij tempora aliquot in Ægypto *Asceteria*, etsi non *tam crebra*, vt hoc loco dicitur.

Annus Christi 277.& 278. Eutychiani Pont. 3. & 4. Aurel.Imp.7. Taciti, & Floriani, ac Probi 1.

Imperatorum historia. 1 CONFVSIM incedunt historiæ circa Chronologiam Imperatorum, vt propterea & nos etiam confusim eos recensere debeamus. Illud compertum, Aurelianum Imperatorem dolo cuiusdam Mnestei Notarij, seu liberti ipsius inter Byzantium, & Heracleam, dum iter ageret, interemptum fuisse; ac ex Senatus consulto Tacitum creatum; sed post menses sex è vita sublato successisse Florianum ipsius germanum, ac ipso occiso M. Aurelium Valerium Probum. Hæc Vopiscus, & alij post ipsum.

Charitonis gesta. 2 Christianorum porro res, ac Charitonis nostri sic erant, prout ex eiusdem historia apud Lypomanum, Surium, Morigiam, & alios habemus: *Quid deindè consequitur? Qui impij Aureliani sceptra suscepit, eius, qui prius imperauerat, exemplo castigatur: & timens ne fortè eadem faciens aduersus Christianos, fieret etiam obnoxius eisdem supplicijs, iussit persecutionem aduersus Christianos cessare per omnes Prouincias. Ne autem fine martyrij diuino hoc viro consummato, multi maximum damnum acciperent priuati, vtilitate, quam erant consequuturi, vita ab eo formati, & verbis incitati ad virtutem, à prouidentia, quæ omnia rectè dispensat, prouidetur aliquod vtilius. Et à vinculis quidem & custodia martyr relaxatur, Imperatoris hoc iussu concedente. Tanquam autem iam morte affectus esset, & Christo tantùm volens viuere, etiamsi à morte subeunda pro Christo sit relaxatus, illiusque stigmata in suo corpore circumferens, incipit iter ingredi ad sanctam Ciuitatem. Et arctam quidem viam protinus aggreditur: in tentationes autem, quæ scopum impediebant, incidit. Cum enim non procul ab ea abesset, in alios incidit persecutores, qui prioribus nihil omninò cedebant improbitate. Viri enim mali, & sæui, & qui vel in itinere spoliabant eos, qui accedebant, vel pro ludo ducebant homines interficere, cùm vidissent Sanctum solum per viam euntem, si quid quidem afferebat viatici,*

id

id citò abstulerunt: pene autem vinctum ambabus manibus, & ferreo collari collo eius iniecto, veluti quandam prædam feræ immanes in suam speluncam abduxerunt. Atque olim quidem fuit accusatus populus Iudæorum, quod sacrum illud templum fecisset speluncam latronum: in præsentia autem res contra se habet. Nam hanc latronum speluncam videbis ab eo fuisse factam Dei Ecclesiam. Quemadmodum autem, deinceps ostendemus. Illi autem scelerati, cum sanctum reliquissent vinctum in dicta spelunca huc, & illuc, vt eis mos erat, vias obibant publicas, si fortè viatoribus solitum afferre possent exitium. Ille autem primum quidem fudit preces, & Deo agit gratias, molestias lubenter suscipiens propter eam, quæ illinc speratur remunerationem: deinde etiam malignum dæmonem, qui hæc aduersus eum erat machinatus, sic fortissimè alloquitur: Tanquam qui mortis periculum formidarem, bis ne me tradidisti parricidis, ò scelestę: an prohibiturus, ne ad effectum meum veniat propositum? Si primum quidem, vt qui Dei gratiam bonum habeam custodem, mortem omnino despicio. Sin autem, vt me prohibeas à meo ex Christo viuendi desiderio, nihil omninò efficies, si ipse velit: vult verò omninò, quoniam gaudet vita, & anima videns purgationem, vtque habeat occasionem, cum sit bonus, bona præbendi ijs, qui sunt studiosi virtutis. Sed cum hæc quidem sic ab eo dicerentur, vipera in vas quoddam proserpens, quod erat vino plenum, impleta est vsque ad satietatem: deindè non secus atque mali homines pro beneficio malum reddens, & potum veneno remunerans, recessit. Latrones autem cùm domum rediissent, vt qui sici laborarent, merum quidem statim hauriunt, & simul moriuntur: & sic mali à malo puniuntur, et pro multis iniuria affectis, diuina iustitia de ijs meritas sumit pœnas. Dehinc execrandorum illorum Latronum habitaculum, sicut sum pollicitus dicere, fit sanctum Dei templum, quod nunc vocatur antiqua Ecclesia, & sita est propè Sanctissimam Lauram, *quæ* Pharus *dicitur, condita ab hoc magno Charitone. Vide autem, hæc quoque quàm pulchram, & admirabilem inuenerunt dispensationem. Quid enim fit: & quo res eius procedunt? Captus improborum manibus, vt iam ante ostendimus à via, quæ tendebat Hierosolymam vtiliter arcetur; instar captiui ducitur in speluncam; aduersus parricidas struit aciem, non ensem, non clypeum, non telum, non aliqua alia arma inferens, quibus se posset vlcisci: sed sanctis precibus, sicut olim aduersus Amalecitas Moses, etiamsi non extensis manibus (erat enim vinctus) sed quæ easdem haberent vires, & ex æquo audiri possent, veluti quibusdam telis sceleratos ferit veneno viperæ. Deinde quid? Sua sponte soluitur ab ijs, quibus tenebatur vinculis, fit autem successor pecuniæ, quæ malè collecta fuerat. Ea verò rectè distribuitur: fitque ipse diuini præcepti administer, vt qui partem quidem pauperibus, & ijs, qui in solitudine agebant patribus distribuerit. Erant autem tunc rari, & non valde magno numero; qui ipsi quoque tempore persecutionis patriæ præferebant solitudinem, & sparsim versabantur in speluncis arundineti, quod situm est propè mare mortuum. Reliquis autem pecunijs ædificat sacram* Lauram, *cuius prius meminimus. Prætereà autem sanctissimam quoque eius Ecclesiam, quam diuinus dedicat Macarius, clauum tenens*

Dei Ecclesiæ, quæ tunc erat Hierosolymis; qui etiam fuit vnus ex pio catalogo, qui conuenit Nicea.

D. Antonij gesta. a cap. 3. 3 Diui Antonij etiam gesta sic narrat [a] ipsius vitæ auctor Athanasius. *Erat igitur in agello vicino senex quidam vitam solitariam à prima sectatus ætate: hunc Antonius cum vidisset æmulatus est ad bonum. Et primo quidem incipiens etiam ipse, in locis paululum à villa remotioribus manebat: exinde autem, si quem vigilantem in hoc studio compererat, procedens, quærebat vt apis prudentissima: nec ad habitaculum suum ante remeabat, nisi eius, quem cupiebat frueretur aspectibus; & sic tanquam munere mellis accepto, abibat ad sua. Tali ibidem institutus exordio, cum per dies singulos ita animum roboraret, vt nec opum paternarum, nec suorum meminisset affinium, omne etiam desiderium, & solicitudinem erga id, quod cœperat, exerceret, operabatur manibus suis, sciens scriptum esse: Qui non operatur non manducet. Mercedem tamen operis sui, pretio panis excepto, egentibus largiebatur. Orabat frequenter: quippe qui didicerat, quod oporteret sine intermissione Dominum orare. Auditioni etiam scripturarum ità studium commodabat, vt nihil ex eius animo laberetur: sed vniuersa Domini præcepta custodiens memoriam pro libris haberet. Sic suam vitam instituens ab vniuersis fratribus puro diligebatur affectu, & omnibus, ad quos studio discendi pergebat, obediens proprias singulorum gratias hauriebat: huius continentiam, iucunditatem illius sectabatur; istius lenitatem, illius vigilantiam, alterius legendi æmulabatur industriam: istum ieiunantem, illum humi quiescentem mirabatur: alterius patientiam, alterius mansuetudinem prædicabat. Omnium quoque vicariam erga se retinens charitatem, atque vniuersis virtutum partibus irrigatus ad sedem propriam regrediebatur. Ibi secum vniuersa pertractans, omnium in se bona nitebatur exprimere. Neque verò aduersum coæuos aliquando mouebatur, sed ea tantummodo flamma egregio viro crescebat in pectore, ne secundus cuiquam in prædictis operibus inueniretur. Et hoc ità faciebat, vt cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen charus esset. Nam & vicini, & monachi, ad quos sæpè veniebat, Antonium videntes, Deicolam nuncupabant: indultisque naturæ vocabulis, quidam vt filium, alij vt fratrem diligebant.*

Notanda. 4 Ex his porro manifeste retunditur quorumdam parum scitum placitum autumantium Antonium primum in Orbe monastices cultorem, primumuè Monachorum Antesignanum Patriarcham nuncupandum. Vt enim omittamus ea, quæ sæpius de monachatu Essenorum, maximè sub disciplina S. Marci Euangelistæ Alexandrinæ Ecclesiæ primi Patriarchæ, inculcauimus; & quæ de Agabo, Enoch, Basilide, Dionysio Papa, Fructuoso Episcopo, ipsius quoque Carmeli colonis, etiam suis locis diximus; ac de Demophilo, & Caio Therapeutis S. Dionysij Areopagitæ tempore; item quæ de Frontonio, Heleno, Theodoro, Narcisso, Serapione, & alijs suis quoque locis tractauimus; ex ipsamet Antonij vita luce splendidius elicitur ante ipsum ascetas aliquot fuisse Monachismi sectatores. Dicitur enim, *vt sub ann.* 275. expendimus *cap.* 3: ipsius vitæ nec

dum autem iam crebra erant in Ægypto Monasteria, quo denotatur aliquot tunc fuisse, etsi non *tam crebra*. Similiter in verbis relatis manifestè supponitur hoc tempore, quo vix monachatum primoribus, vt aiunt, labris degustare cœperat Antonius, fuisse monachos, quos visitaret, coleret, ac æmulari curaret, quique ipsum *vt filium*, vel *fratrem diligebant*. Senex quoque ille, qui in agello vicino *vitam solitariam a prima ætate sectatus* erat, vt hìc dicitur, cur non Essenus esset, cuius instituti homines similem viuendi rationem æmulabantur? Sanè Baronius [a] eum monachum vocat, & ab eo dicit Antonium *prima rudimenta monasticæ institutionis* accepisse. Bollanus autem *in Actis Sanctorum to. 1. in vit. S. Antonij* § 3. n. 12. ex Essenis fuisse subindicat. Qua ergo veritate affirmari potest, Antonium ipsum monachorum primum fuisse? Adde, Charitonem, de quo in præcedentibus, in Palæstina, forsan nec nomine Antonium cognoscentem, monachatus disciplinæ vacasse; vt meritò reprehendendus veniat Casanate, qui ipsum Antonij discipulum autumat. Quin etiam ex ijs quę retulimus supra ex eius historia, manifestè habetur eo tempore quo Chariton speluncæ larronum, qui eum ceperant, ipsorumque pecuniæ hæres extitit, aliquos in speluncis illius Maris mortui vicinis Ascetarum more vixisse, quibus & pecuniæ partem distribuerit, vt ibi dicitur. Imò & eos Essenæ scholæ alumnos credi posse id suadet, quod desertum illud Mari mortuo proximum antiquam fuisse Essenorum mansionem comprobant dicta *to. 1. sub ann.* 3545. n. 40. & *sub ann.* 4082. n. 5. & 6. Sed quid in hoc immoramur, cum ex D. Hieronymo Monachorum fidissimo Chronologo expresè habeatur S. Antonium, non authorem, sed illustratorem Monastices fuisse? Sic enim [b] ait: *Huius vitæ author Paulus, illustrator Antonius, & vt ad superiora conscendam Princeps Ioannes Baptista.* Et in vitæ eiusdem Pauli *Prologo*, cum quæstionem de Monachismi Principatu tractaret, varijs opinionibus circa id relatis, de Antonio loquens inquit: *Alij autem (in quam etiam opinionem vulgus omne consentit) asserunt Antonium huius propositi caput, quod ex parte verum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quam ab eo omnium sunt incitata studia.* En lector, qualiter vulgi opinionem appellet dicentem quod Antonius Caput Monastices fuerit; & qualiter id solùm verum putet, *quatenus ab eo omnium sunt incitata studia*. Id est, quatenus Antonius incitator, aut excitator huiusmodi propositi fuerit. Vnde Baronius *supra* relatus de eodem Antonio inquit, quòd *Cœnobitarum Monachorum idem Institutor sit habitus, vel potius restitutor, si Essenorum, qui in Ægypto sub Marco primo Alexandrinorum Episcopo floruerunt, ratio aliqua habenda esse videatur.* Habendam porrò esse, ex eodem præsertim Baronio conuincemus *eo sub anno* 328. Antonij ergo Primatus in Monachos eatenus dumtaxat admittendus, quatenus ipse Monachismi *Illustrator*, seu *Incitator*, vt Hieronymo placuit, fuit, vel potius *Restitutor*, vt Baronio; vel denique quia ipsum mirificè amplificauit. Etenim iuxta dicta *sub ann.* 36. familiarissimum est Sacris, & propha-

[a] to. 3. sub an. 328. § cum ergo.

[b] in epist. 22. ad Eustochium.

nis scripturis, vt in illis author alicuius rei is commendetur, qui eam multum, valdeque nobilitasse, aut celebrasse reperitur. Pro quo Ductorem habemus Theodoretum [a] sic de Monachismo aientem: *Quod vitæ genus tametsi alij complures colere inceperant, tamen Antonius ille multorum ore, ac sermone celebratus, se ordinum illorum, qui seueram hanc, & Monasticam viuendi disciplinam sectati sunt, magistrum longè præstantissimum præbuit, atque solitudinem palæstram virtutis monachis effecit.*

[a] Ecclesiast. histor. lib. 4, c. 19. alias 21.

Deicola cur Antonius.

5 Ex eo quoque quòd (prout ex relatis historiæ Antonij verbis elicitur) monachi & conuicini eum *Deicolam* nuncuparent, ad memoriam reuocat, id quod diximus *to. 1. in Appar, c. 7. n. 5.* priscos videlicet Eliæ in lege veteri sectatores appellari solitos *viros Dei*, vel *homines Dei*, prout millies ex S. Paginæ testimonijs constat. Cum ergo Antonius, vt ex eadem historia [b] habetur, & sequentibus notabimus, *ex Instituto magni Eliæ exemplum capere* curaret, meritò proinde *Deicola* nuncupabatur. Addit Dionysius Carthusianus *in exposit. Dion. Areopag. de Eccles. Hierarch. cap. 6.* (quod ad idem tendit) *Deicolam* nuncupatum Antonium quasi *Dei famulum*, quo titulo insigniri solitos fuisse Essenos diximus *in Apparatu cap. 4.*

[b] c. 7.

6 Quia ergo Antonius, eiusque discipulus Hilarion, alijque plures, qui sub eorum disciplina in Ægypto præsertim, & Palæstina, exercebantur, monachi, ascetæ, eremitæ, vel similibus titulis cognominati, illud institutum sequebantur quod Elias in Carmelo monte omnium mortalium primus inchoauit, illudque nunc temporis ab eo monte cognominatum Carmelitarum communiter appelletur, idcirco Arnoldus Bostius nostri Ordinis antiquus, & celebris Chronologus [c] meritò hæc protulit ad intentum: *Per hunc Antonium Religio Carmelitarum in Ægypti partibus, & per S. Hilarionem eius discipulum in Terra Sancta regionibus mirabiliter extitit dilatata. Vnde tam dicti Carmelitæ Eremitæ, sectatores videlicet Eliæ, & Elisei Prophetarum quamuis manebant in eremis Terræ Sanctæ, & Ægypti in separatis cellulis ab inuicem dispersi fuerunt, tamen in obseruantia Monasticæ Eremiticæ vitæ, & charitate nimia adinuicem connexi.* Quo autem iure omnes isti Carmelitæ appellari queant, agit idem author in sequentibus, & nos diximus *in Apparatu c. 5 n. 30. & 31.*

[c] In suo Speculo histor. lib. 1. c. 2.

Annus Chr. 279. 280. 281, & 282. Eutychiani Pont. 5. 6. 7. & 8. Prob. Imper. 2. 3. 4. & 5.

Hæresis Manichæorum.

1 INTERIM Manichæorum hæresis, cuius author fuit Manes, pullulare cœpit. Hi negabant liberum arbitrium, Christum esse verè natum, baptismum esse necessarium, transmigrationem ponebant animarum, & duo principia, duoquè regna æterna. Lege Epiph. [d], & Augustinum [e]. Sæuiente etiam adhuc Probi persecutione apud Antiochiam Trophymus, & Sabbatius illustres

[d] hæres. 66.
[e] contra Faustum, & alios Manichæos.

Christi Martyres fuerunt. Metaphrastes [a] apud Lippoman. *to. 6.* & Surium *to. 5. ea die.* [a] *die 19. Sept.*

2. Alia de nostro illo relato Charitone ex eius historia apud Lippoman. Surium, & alios desumpta adijcimus, quæ illi contigere in spelunca illa, primitus latronum, postmodum verò sanctorum Monachorum habitaculo. *Cum in hac ergo spelunca silentium, & quietem agere statuisset Chariton, & omnibus per miracula euasisset manifestus, efficit, vt innumerabilis multitudo gentilium, & Iudæorum sanctum baptismum accipiat: & non illic consistat, sed etiam vitam eligat monasticam. Non solùm autem miraculis, sed etiam vita multos attrahebat. Erat enim mirandum videre, illum tantum ponere studium ad vitam ex Christo agendam, & delicias quidem existimare continentiam: diuitias autem nihil possidere: humi verò cubationem, & in psalmodijs pernoctationem adeò diligere, vt nihilo melius agi existimaret cum ijs, qui vitæ sunt cupidi, si tota nocte dormiant in mollibus stragulis super lectos eburneos: ciliciòque sacros eius premente vibices, magis delectari, quam ij, qui sunt mollibus induti vestibus. Spes enim æternæ beatitudinis ei facilè persuadebat omnem ferre laborem. Erat clemens, misericors, hospitalis, mansuetus, quietus, ad quem omnibus facilis patebat aditus, habens sermonem, qui magis lætificabat corda auditorum, quam vinum. Quamobrem instar fluuij vniuerso ad eum confluente populo, & turbæ multitudinem quodammodo efficiente solitudinem, cum vidisset beatus se exeo, qui hinc oriebatur, tumultu, à sibi grata abduci solitudine, & maximè cum studeret fugere gloriam hominum (sciebat enim eam magnam vim habere ad confundendum animæ ornatum) de omnibus quidem, suis mandat discipulis, ea quæ statui monastico conueniunt, tempus cibi sumendi statuens, quod quidem est die desinente, & non vesci ad satietatem; sed ventre adhuc postulante cessare: esse autem alimentum panem solum, & salem, qui impleat locum condimenti: potum autem aquam, quæ ipsa quoque modicè, & parcè sumatur. Deinde cum de Psalmodia mandasset, & oratione, tam diurna, quam quæ noctu fieret, iubet eos odio habere otium, vt causam multorum malorum: opus autem tradere manibus, quod sacris psalmis irrigetur. Si qua verò mala cogitatio, veluti quædam zizania à communi hoste omnium sata fuerit in terra cordis, ieiunio, & assiduæ orationis ense eam excindere, ne locum occupet ad producendum acerbum fructum voluptatis. Sic enim impletum iri illud Christi: Hoc genus dæmoniorum nihil aliud expellet, quam ieiunium, & oratio. Præterea autem docebat non oportere assiduè procedere; silentio verò, & quiete gaudere, vt plurimum, quæ est mater virtutum, & aptè expurgare lemam oculorum animæ. Neque verò, prætermisit benignitatis facere mentionem; sed de illa ei quoque studio fuit dicere quæ conueniebant. Dicebat enim, neminem si fieri posset, oportere vacuis manibus dimittere ex ijs, qui accedunt ad ostium, ne fortè Christum inscientes despiciant, qui suscipit personam pauperum.*

3. Hauriat ex ijs Lector, Charitonem hoc tempore Monachorum Patrem in ea spelunca egisse, antequam Antonius in Ægypto discipulos habere cœperit; vt vel ex hoc eorum assertum corruat, qui Antonium pri- *Notanda.*

mum, & vnum in Orbe Christi Ascetarum Archimandritam autumant; quos ex alijs etiam fundamentis in superioribus reiecimus. Conferat quoque hanc Charitonis vitæ rationem cum ea, quam Esseni gerebant & facile comperiet Essenatus professorem extitisse. Quid enim aliud diuitiarum contemptus, in Psalmodijs pernoctatio, ieiunia vsque ad occasum Solis protracta, panis cum sale pro alimento, & aqua pro potu, indicant, nisi Essenorum mores ijsdem notis à Philone [a] descriptos? Inter Monachorum legislatores etiam hunc Carithonem referre possumus ante Antonium, Hilarionem, Pachomium, Orisesium, & alios; propter documenta, quæ ipsis præbuisse ex historia allata agnouimus.

a in lib. de vit. contempl.

Annus Christi 283. Euthychiani Pont. 9. Cari Imp. & Numeriani 1.

Imperatorum successio.

1 MARCVS Aurelius Carus Romanus, aut prout alij volunt, Narbonensis, a militibus creatus Imperator, filios Carinum, & Numerianum Cæsares dicit. Numerianum ducit secum ad bellum Persicum, vbi Mesopotamiam, Persis ciuili bello implicitis, occupat; sed ad Ctesiphontem cum peruenisset lethali morbo absumptus est, licet alij fulminis ictu percussum dicant. Vopisc. Euthychianus etiam Papa martyrio coronatur. De quo in Martyrologio Romano sexto Idus Decembris sic: *Romæ beati Eutychiani Papæ, qui per diuersa loca trecentos quadraginta duos Martyres manu sua sepeliuit; quibus & ipse sociatus, sub Numeriano Imperatore martyrio coronatus est, & in Cœmeterio Callisti sepultus.* De eodem hac die Beda, Vsuardus, Ado, & alij recentiores.

D. Antonij tentationes.

2 Nouus interim Christi miles Antonius diabolicis impetitus insidijs, quibus armis Monachi, & Religiosi cuncti ipsas superare possent facto ipso ostendit. Sic rem narrat Athanasius [b], nobis non prætermittendam in exemplum vitæ religiosæ sectatorum. *Dum hæc gereret Antonius, quibus omnium in se prouocaret affectum, inimicus nominis Christiani diabolus, impatienter ferens tantas in adolescente virtutes, veteranis eum aggressus est fraudibus. Et primò quidem tentans, si quo modo posset ab arrepto eum instituto detrahere, immittebat ei memoriam possessionum, sororis defensionem, generis nobilitatem, amorem rerum, fluxam seculi gloriam, escæ variam delectationem, & reliqua vitæ remissioris blandimenta; postremo virtutis arduum finem, & maximum perueniendi laborem, necnon & corporis fragilitatem suggerebat, & ætatis spatia prolixa: prorsus maximam ei cogitationum caliginem suscitabat, volens eum a recto proposito reuocare. Postquam autem diabolus orationibus eius ad Deum per passionis fidem se intellexit elidi, consueta aduersus omnes adolescentes arma arripiens, nocturnis eum inquietabat illecebris. Et primùm noctibus infesta multitudine, & horribili metu sonitus eum exagitare conabatur. Per dies etiam tam apertis in eum telis irruebat, vt nullus ambigeret,*

b in eius Vita cap. 4.

ret, quin Antonius contra diabolum dimicaret. Nam & ille cogitationes sordidas conabatur inserere, & hic eas oratu submouebat assiduo. Ille titillabat sensus naturali carnis ardore: hic fide, vigilijs, & ieiunijs corpus omne vallabat. Ille per noctes in pulchræ mulieris vertebatur ornatum, nulla omittens figmenta lasciuiæ: hic vltrices gehennæ flammas, & dolorem vermium recordans, ingestæ sibi libidini opponebat. Ille lubricum adolescentiæ iter, & ad ruinam facile proponebat: hic æterna futuri iudicij tormenta considerans, illæsam animæ puritatem per tentamenta seruabat. Et post alia. *Postremò cum nec hoc argumento destruere posset Antonium draco deterrimus, & videret se semper ab eius cogitationibus repelli, secundùm quod scriptum est, stridens dentibus, & eiulans, qualis est, talis meritò apparebat, & vultu: puer horridus, atque niger, ad eius se genua prouoluens, humana voce flebat, dicens: Multos seduxi, plurimos decepi: nunc autem vt a ceteris sanctis, ita & tuo sum labore superatus. Quem cum interrogaret Antonius, quisnam esset, qui talia loqueretur, ait: Ego sum fornicationis amicus, ego multimoda aduersum omnes adolescentes turpitudinis arma suscepi, hinc & Spiritus fornicationis vocor. Quantos pudicè viuere disponentes, fefelli? Quot tenuiter incipientes, ad sordes pristinas redire persuasi? Ego sum propter quem Propheta lapsos increpat, dicens: Spiritu fornicationis seducti estis: & reuera per me, & illi fuerant supplantati. Ego sum, qui te ipsum sæpè tentaui, & semper repulsus sum. Cum hoc Christi miles audisset, gratias agens Deo, & largiore aduersus inimicum confortatus audacia, ait: Multum ergo despicabilis, multumque contemptibilis es: nam & obscuritas tua, & ætas, infirmarum signa sunt rerum. Nulla mihi iam de te cura est. Dominus mihi adiutor est, & ego exultabo super inimicos meos. Et statim ad vocem cantantis, phantasma, quod videbatur, euanuit.*

3 Ad hunc etiam annum referri potest Martyrium Sanctorum Monachorum Fabritiani, & Philiberti, quos ex Monachis Essenis fuisse *sub anno* 308. ostendetur. Etenim Silo Rex Ouetensis in Hispania, qui circa ann. 777. in Asturijs tempore Sarracenæ tyrannidis regnabat in Epistola, quam ad Cyxillanem Toletanum Antistitem scripsit, a Francisco Biuatio [a], relata, hæc habet de ipsis: *Mittimus ad vos hymnum de sanctis Martyribus Philiberto, & Socio eius, passis in Vrbe Titulcia (quos audiuis esse Toletanos) sub Marco Aurelio Valentiniano anno* 283. *cum esset Melanthius Archiepiscopus Toleti*. Quia tamen Flauius Dexter, & ipse Biuarius de ijs agunt *sub eo anno* 308. ideo alia quæ de ipsis desiderantur, eo loco dicemus. Id vnum non prætermittimus, ex hoc Silonis Regis testimonio, & epistola, satis constare, hoc tempore ante Antonij disciplinam, & Basilij natiuitatem Monachos in Hispania fuisse. De quo ibi.

Fabritianus, & Philibertus.

a in Annotat. ad Chron. Flauij Dextr. circ. an. 286.

Annus Christi 284.285.&286. Caij Pont,1,2.& 3.Diocletiani, & Maximiani Imp. 1.2.& 3.

Imperatorum successio.

1 POST Cari Imperatoris mortem, cum Numerianus capesseret Imperium, insidijs Apri soceri sui occiditur; sed Apro occiso ab Aurelio Valerio Diocletiano, Diocletianus Imperare incipit, vt Druidorum, vt dicitur, de suo Imperio vaticinium compleret, qui Imperaturum prædixerant Diocletianum, si Aprum aliquando occideret. Socium hic Romam veniens Imperij fecit M. Aurelium Valerium Maximianum, qui Herculius appellari voluit. Eutychiano etiam martyrium passo,Caius natione Dalmata ex genere Diocletiani Imperatoris, cum nouem diebus Pontificia Sedes vacasset,16. Kalend.Ian. Pontifex creatur, tempore Carini, & Numeriani Imperatorum. Constituit ne prophanus quispiam sacris initiatum in iudicium vocaret, neue paganus, aut hæreticus accusandi Christianum hominem potestatem haberet. Baron.Gordon.Coriolan,& alij.

Diocletiani in Christianos persecutio.

2 Excitata est hoc tempore sæuissima persecutio sub isto Diocletiano in Christianos, quæ *decima* vocatur. Quanta porrò fuerit, ex numero Martyrum, & qualitate martyrorum, quæ in Martyrologijs leguntur, liquidò constat. Nam quiescentibus vndique bellis externis, ac ciuilibus penitus extirpatis, ad expugnandos penitusque delendos Deorum inimicos infestissimos Christianos, ijdem Imperatores, Diocletianus, & Maximianus, in Oriente, & Occidente conspirant: omnes comparant vires, cunctas admouent machinas. Diabolus ad exterminium Christianorum non modo calcaribus eos vrget, sed & Pontifices, & Sacerdotes Gentilitiæ superstitionis, per se satis incensos, magis, ac magis inflammat; & ignobile vulgus pariter sponte furens excitat, & ad fidelium bonorum prædam allicit, & impellit: omnes denique ad horribilium, & terribilium instrumentorum ad excruciandum adinuentiones acuit, & accendit. Tot,tantaque ab inferis deorsum, & ab hominibus desuper terram,aduersus Christianam Religionem inermem vndique compararunt, vt eorum tantum cogitatio, vel aspectus fortia quæque pectora timore concutere, robustos quosque animos prosternere potuisset, si proprijs tantum viribus Christianis obtinendum foret, & non magis fide, qua alias sæpe sancti *vicerunt regna, effugauerunt aciem gladij, fortes facti sunt in bello,&c. Hebr.*11. Martyres porrò qui hoc Diocletiani tempore animas pro Christo reddiderunt innumeri sunt. Ex sola Hispania hi numerantur a Flauio Dextro: Vitalis pater SS. Martyrum Complutensium Iusti, & Pastoris, ipsi pueri Iustus, & Pastor; Maximus, Dadas, Eleutherius, Theodosius, Zoilus, mille ducenti duo cum Zenone; ac trecenti quinquaginta alij cum Saturnino; Carithina Virgo apud Carthaginem Hispaniæ; Felix, & Ianuarius Heracleæ, & Euthychius prope Palentiam: Item Eulaliæ duæ,alia Emeritensis,

Barci-

Barcinonensis altera; Toleti leocadia. Sed quis Cæsaraugustæ inclytæ Vrbis Martyrum carnificinæ, & Metropolis, vt propterea Prudentius [a], eam quoad hoc Romæ conferat, & Isidorus [b], illustriorem inter Hispaniæ Vrbes celebret, innumerabiles Martyres recensere poterit? Numerandos relinquamus ei, *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*, eos, quos ex alijs Orbis Regionibus Diocletiani, & Maximiani canina rabies è terra auferens Cæli colonos effecit.

[a] hymn. 4.
[b] Orig. lib. 15.

3 Carithonis nostri, de quo in præcedentibus, gesta sic prosequitur ipsius historia ex Metaphraste desumpta apud Lippoman. Surium, & alios, quæ huic tempori adaptanda videntur: *Cum sic dixisset, & elegisset vnum ex discipulis, qui & vita præstabat alijs, & aptus erat, vt eius fidei fratrum crederetur præfectura, ei ex sententia aliorum etiam discipulorum committit rectionem. Ipse autem egreditur e Laura, multas quidem lachrymas ex oculis emittentibus monachis, & vt ipse maneret rogantibus, ipso autem nulli cedente, vt qui adspiceret ad id solum, quod est vtile. Si enim, inquit, ò filij, hinc migrauero nemine huc ventitante, & quietem conturbante, bene erit vtrisque. Facilius enim & ego vester pater Spiritu, & vos, quos in Christo genui per Euangelium, veluti in quibusdam aluearium cellis tranquille habitantes, instar apum mel virtutis producemus. Cum omnes ergo sancto impertijsset osculo, benedixissetque, & Christo commendasset, iter est ingressus. Et cum peregisset iter vnius diei, accedit ad aliam speluncam, quæ sita quidem erat ad partes Hierichuntinas: erat autem deserta, & erat aptissima ad silentium præbendum, & quietem. Cum longum autem tempus illic esset versatus; & quæ se offerebant herbis vteretur ad alimentum, Deo soli, vt erat ei gratum, viuebat perpetuo. Sic autem eum rursus Deus aperit, & denuo manifestum reddit eum, qui erat absconsus. Manifestum autem reddit per ea, quæ faciebat, miracula. Morbi enim per ipsum expellebantur, corporumque simul vitia, & animarum. Harum autem magis, quoniam, ea sæpe corporis vitia conciliant. Cum multi ergo ab ipso consecuti essent curationem, et statuissent vitam illius imitari, hìc quoque ædificat alterum virtutum habitaculum, quod Elpidius quidem postea amplificauit, vir præclarus recte factis in exercitatione. Ducem autem eum appellabant, quod tanquam Dux quidam sacra illi Lauræ præesset, et arceret impetus, qui in eam fiebant, quos quidem Hebræi inferebant, qui habitabant Noeron prædium, quod sic vocabatur, magnum inuidiæ fœtum parturientes.* En monastici Instituti dilatationem conspicimus ante Antonium, & alios Duces Monachismi.

Carithonis alia gesta.

4 Eidem Eliano, & Esseno Instituto adscribendus videtur Pierius Alexandrinus presbyter, cum ob ea, quæ Eusebius, & Hieronymus de ipso referunt, *asceticam* vitam, & *voluntariam paupertatem*, monasticamque disciplinam, seu philosophiam professus videatur. De ipso ergo Eusebius [c] sic: *Pierius quidem acer ingenio, in diuinis scripturis nobiliter eruditus, vita purissimus, atque ad Christianam philosophiam nudus, & penitus expeditus, doctor Ecclesiæ incomparabilis, priuatim, & publicè mirabiliter disputans.* Hierony-

Pierius Alexandrinus.

[c] lib. 7. c. vlt.

[a] *in tractat. de script. Ecclesi.*

ronymus autem [a] explicatius hæc ait de ipso: *Pierius Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter sub Caro, & Diocletiano Principibus eo tempore quo eandem Ecclesiam Theonas Episcopus regebat, florentissime docuit populos, & in tantam sermonis, diuersorumque tractatuum, qui vsque hodie extant, venit elegantiam, vt Origenes Iunior vocaretur. Constat hunc miræ ἀσκήσεως, & appetitorem voluntariæ paupertatis, scientissimumque Dialecticæ, & Rethoricæ artis, & post persecutionem omne vitæ tempus Romæ fuisse versatum. Huius est longissimus tractatus de Propheta Osee, quem in peruigilio Paschæ habitum, ipse sermo demonstrat.* Ipsius etiam meminit idem Hieronymus [b], Sanctus Epiphanius [c], dicens Alexandriæ fuisse Ecclesiam eiusdem Pierij titulo. Maximè verò illum commemorat Martyrologium Romanum sub die 4. Nouembris his verbis: *Eodem die natalis sancti Pierij presbyteri Alexandrini, qui in diuinis scripturis nobiliter eruditus, vita purissimus, & ad Christianam philosophiam nudus penitus, & expeditus sub Caro, & Diocletiano Principibus, regente Alexandrinam Ecclesiam Theona, florentissime docuit populos, & diuersos tractatus edidit: post persecutionem verò omne vitæ suæ tempus Romæ versatus, in pace quieuit.* De eo etiam Beda, Vsuardus, Ado, Equilinus, & alij, qui etsi deprauatè, eum vocant *Hierium*, vel *Irenæum*. Antonius etiam Posseuinus in Apparatu sacro de ipso agit, Photium quoque referens, qui aliquot errores in huius Pierij libris annotauit; ex Origenis forsan, vel alterius vitiatis fontibus insertos, cum hic Pierius vt sanctus habeatur, immò ipso Photio teste, martyrium cum Isidoro fratre subierit.

[b] *in epist 84. ad Magnum.*
[c] *hæres. 69.*

Iulianus, Basilissa, & socij.

5 Ad horum quoque sæuissimorum Imperatorum Diocletiani, & Maximiani tempus referri debent historia, vita, & gesta SS. Iuliani, Basilissæ, & Sociorum, nostris Annalibus propria, propter dicenda inferius. Contigere in Antiochia Syriæ, prout passim interpretantur recentiores, seu Antiochia Ægypti, Antinoi nuncupatæ, iuxta Bollandum [d], vbi ipsorum Acta ex pluribus Martyrologijs, fastis, & Auctoribus diligenter colligit. Consulat specialiter lector Siluestrum Marulum [e], Maurolicum [f], & ex ipsis Ascanium Tamburinum [g]. Ex quibus nos breuitati, & proposito nostro attendentes hæc sub compendio damus. Iulianus nobili familia ortus a parentibus compulsus coniugem accepit Basilissam, genere, & nobilitate coæqualem; quam tamen intactam relinquens, cum ipsa votum virginitatis emisit, Deo miraculosè tam egregium facinus approbante. Mortuis autem vtriusque parentibus, non solum pro sua, sed pro aliorum salute soliciti Monasteria virorum, & fœminarum instituunt, ita vt ille pater fieret Monachorum decem millium; illa mater Monialium plurimarum. Grassante postmodum horum Imperatorum persecutione, Basilissa pro sua, suarumque Virginum salute Deum deprecata ab ipso audire meruit omnes ipsas in statu gratiæ esse, & ante persecutionem ad cælestia regna intra breue spatium temporis migraturas. Res sic contigit: Iulianus verò post coniugis sepulturam cum pluribus socijs suis Marciani Præsidis iussu comprehensi, primum ipsi, deinde Iulianus illustri Martyrio coronantur.

[d] *in Actis Sanctor. to. 1. pro die 9. Ianuar.*
[e] *in hist. Relig. lib. 1. pag. 41.*
[f] *in Martyrol. sub die 9. Ian.*
[g] *de Iure Abbatum disp. 24 quæst. 2.*

Cum

Cum autem Celsus Præsidis filius videret Iulianum ab Angelis coronari ad Christum conuersus cum multis alijs Martyrij palma etiam decorati fuerunt. Hæc fusius in dictis Actis, vbi etiam Bollandus §. 1. *n.*4. quòd huius Iuliani nomine atttulatum fuerit Monasterium Toletanum Agaliense, de quo plura in sequenti tomo dicentur.

6 Pariter etiam ad idem tempus horum Imperatorum referendi veniunt Sancti Sabba, Isaias, & alij triginta sex Martyres, & Monachi, qui in Sina monte Arabiæ degentes martyrij palmam obtinere meruerunt. De quibus Martyrologium Romanum die 14 Ianuar j, Molanus, & Menologium Græcorum, & alia monumenta apud Bollandum [a] pro ea die. Sabbas, Isaias, & 36.Monachi

a in *Act.Sanct.*

7 Ex præmissis autem, & conformiter ad ea, quæ contra vulgarem opinionem sæpius inculcauimus, rectè infert Bollandus relatus *in Vit. S. Antonij pro die 17.Ianuarij* § 3.*n.*13. inter Monasteria, quæ priusquam vlla Antonius colligeret, erecta fuerunt, censeri posse illa relata, a Iuliano, & Basilissa instituta, quæ credere videtur eadem persecutione Diocletiani euersa, quando centum quadraginta quatuor millia fidelium in Thebaide martyrio coronata sunt. Idemque de Sanctis Sabba, Isaia, alijsque triginta sex Monachis, qui in Sina Arabiæ monte sub Diocletiano passi sunt, subindicat. Ac de alijs, qui alibi terrarum vitam monasticam, etsi non adeò illustri fama celebratam, tribus prioribus seculis floruerunt. Non igitur vt quidam parum scite autumant, omnium omnino Monachorum Pater, & Antesignanus Antonius habendus. Notanda.

8 Referri etiam posse ad hanc barbarissimam huius temporis persecutionem videtur casus illius Episcopi, de quo mentio fit *in 6.lib.Vit.Patr. libell.3.n.*12. qui cum multis supplicijs afficeretur, vi tormentorum dijs immolauit; sed postea facti pœnitens ad eremum se contulit; & per 49. annos in confessione fidei & oratione pro sui peccati venia postulanda perstitit. Obtinuit illam a Dei benignissima pietate, & in signum consecutæ salutis, vt in hora mortis illi adfuisset eremita quidam mirabiliter ad eum perueniens, qui corpus sepeliret; tugurium tamen eius occupare non posset, quia post ipsius obitum in terram cecidit, & palma, ex cuius fructibus alebatur, statim aruit. En quantum vera, & perpes pœnitentia apud Deum valeat. Episcopus negans fidem, sed postea pœnitens celebris.

Annus Christi 287.288.&289. Caij Pont.4.5 &6. Dioclet. & Maximiani Imp.4.5.&6.

1 HOC tempore sæuissimæ persecutionis surrexit quidam, *Hierax* nomine, a quo appellati sunt Hieracitæ. *Hic in Leonto Ægypti vixit, non exiguæ eruditionis, & Græcæ totius doctrinæ studijs exercitatus, & in medicina sophistica, alijsque omnium Ægyptiorum, & Græcorum disciplinis exactè versatus, denique & Astronomiam, &* Hierax hæreticus.

Magiam attigerat: expertissimus enim fuit multarum doctrinarum in exponendo, ac narrando, velut indicant ipsius orationes: egregie verò nouit Ægyptiam linguam, erat enim vir Ægyptius, & in Graca non modice clarus erat; omnibusque modis acutus. Et fuit sane Christianus, verum non permansit in politia Christi; impegit enim, & lapsus excidit: nam vt clare dicam, à veteri ac Nouo Testamento discedens, & in ipso expositiones faciens, docuit à se ipso, à propria vanitate, quod ipsi visum est, et quod ipsi in mentem venit. Ita Epiphan. [a], cui consonant Philastr. & alij hæreticorum mastiges.

a hæres. 67.

De Macario Monacho.

2 Propterea huic tempori adscribit Coriolanus historiam de quodam Hieracita, & Macario Monacho. Loquens enim de anno 287. sic habet: *Hoc anno quidam Hieracita ex Manichaeorum haeresi natus, venerat ad Macarium in Ægypto, et cum per multam loquendi artem plurimos fratrum, qui habitabant in Eremo, conturbare ausus esset, etiam coram ipso præsumpsit fidei suæ asserere prauitatem. Cui cum resisteret senior, & contradiceret, ille verba simplicia argumentis callidis eludebat. Sed cum videret Sanctus fidem fratrum periclitari: quid opus est, inquit, nos verbis contendere ad subuersionem audientium? Exeamus ad sepulchra fratrum, qui nos præcesserunt in Domino, & cui nostrum concesserit Deus suscitare mortuum de sepulchro, sciant omnes, quia illius fides probatur à Deo. Hic sermo, omnibus, qui aderant fratribus, placuit. At ille: Tu, inquit, qui proposuisti, prior reuoca. Et Macarius prosternens se in oratione ante Dominum, vbi sufficienter orauit, eleuatis sursum oculis ad Deum: Tu, inquit, Domine, quis ex duobus nobis rectam fidem teneat, ostende, eleuato hoc mortuo. Et cum hæc dixisset, Fratris cuiusdam nomen, qui nuper fuerat sepultus, euocauit; cui ille, cum de tumulo respondisset, accedentes Fratres continuo, quæ superposita erant, auferunt, & eductum eum de sepulchro, resolutis fasciolis, quibus constrictus erat, exhibuerunt viuentem. Hieracita verò vbi hæc vidit, obstupefactus, in fugam versus est; quem Fratres quoque omnes insequentes extra terminos terræ illius exturbarunt.* Hæc autem etsi veram historiam contineant, habentur enim *in lib. 2. vit. Patr.* ex Palladio; ea tamen perperam huic tempori ascribuntur, cum Macarius *Ægyptius*, seu *senior* appellatus, cum quo contigerunt, discipulus fuerit S. Antonij, Antonius verò tunc discipulos nondum habere cœperit, sed ipse tyro in Monastica esset disciplina. Sic facile etiam errant viri alias docti, dum in veritate historiæ inuestiganda ad tempus quo contigisse dicitur non attendunt.

Antonij gesta.

3 Melius tamen huic tempori gesta eiusdem Sancti Antonij iuuenis, aliquibus relictis, quæ minus deseruiunt instituto nostro, adscribenda, quæ talia erant (teste Diuo Athanasio [b]) *Sed neque Antonio securitatem dedit hic vnus triumphus, nec diabolo semel fractæ defecere vires. Nam & ille, vt leo rugiens, quærebat aditum per quem posset irrumpere; & ille scripturarum doctus eloquijs, multas esse dæmonum captiones, solerti propositum labore seruabat; considerans, quia posset satanas in carnis colluctatione superatus, nouarum aduersus se artium machinas acrius commouere. Idcirco magis, ac magis subiugabat*

b in ipsius vita cap. 5. & 6.

gabat corpus suum, ne victor aliorum in alijs vinceretur. Disponens igitur duriori se vitæ lege constringere eum omnes infatigabilem adolescentis mirarentur instantiam, sanctum toleranter ferebat laborem, quia voluntariæ seruitutis longum in Dei opere studium, consuetudinem in naturam verterat. Inedia autem, et vigiliarum in tantum patiens erat, vt incredulitatem viribus vinceret. Perseuerabat in oratione sæpissimè, edebat semel in die post Solis occasum nonnunquam biduo, triduoque sic permanens, quarta demum die reficiebatur. Sumebat verò panem, & sal, potumque aquæ perparum. De carnibus verò, & vino tacere melius puto, quam quidquam dicere: quando nec apud plurimos quidem Monachorum istiusmodi aliquid reperiatur. Quieti autem membra concedens, iunco contexto, atque cilicio vtebatur. Nonnunquam etiam super nudam humum iacebat, vnguenta penitus repudians. Dicebat enim, minimè posse iuuentium, & præcipuè iuuenum corpora roborari, si oleo essent lenitate mollita: oportere verò asperos carni labores imperari, secundum Apostoli preceptum, dicentis: Quando infirmior, tunc fortior sum. Asserebatque sensum animi sic posse reuiuiscere, si corporis fuisset impetus fatigatus. Et infra post pauca: *Meminerat quoque Eliæ prophetæ dicentis: Viuit Dominus, cui adsto hodie ante ipsum: & disserebat, cur, hodie, esset appositum, quia non computabat Elias præteritum tempus; sed tanquam quotidie in certamine constitutus, talem se prabere cupiebat, qualem sciebat dignum Dei esse conspectibus, purum corde, & paratum obedire voluntati eius.* Hæc pensitent Eliæ sectatores.

4 Expendat quoq. hic lector Antonij victum, scilicet solum panem, salem, & aquam clare denotare Essenatus professionem; cum teste Philone [a], similis abstinentia apud Essenos Alexandrinos conspiceretur. Quin & illud: *De carnibus verò & vino tacere melius puto quam quidquam dicere, quando nec apud plurimos quidem Monachorum istiusmodi aliquid reperiatur*, ipsos proculdubio indigitat. Vide dicta *in Appar. c. 1.* Meditanda. a in lib. de vit. contempl.

5 Quia verò idem Antonius sub hoc tempore triginta quinque annorum natus erat, computo facto ab anno 254. quo ipsius natalitium contigit, iuxta dicta eo loco; ideo hic ascribenda, quæ ipsius Chronologus Athanasius [b] scripsit, cum in fine [c] dicat fuisse tunc temporis annorum triginta quinque; eo libentius quo ipsius sanctitatis egregia tyrocinia, & Religiosæ militiæ exempla continent: *Igitur S. Antonius secum reputans oportere Dei famulum ex instituto magni Eliæ exemplum capere, & ad illud speculum vitam suam debere componere: ad sepulchra non longè à villa constituta secessit, vni de cognitis mandans, vt statutis diebus sibi alimenta deferret. Et cum in vna memoria supra dictus frater eum clausisset, solus ibidem morabatur. Metuens ergo diabolus, ne accessu temporis eremum quoque habitari faceret, ita eum aggregatis satellitibus suis, varia cæde lacerauit, vt doloris magnitudo & motum auferret, & vocem. Nam & ipse postea sæpe referebat, vulnera fuisse tam grauia, vt vniuersa hominum tormenta superarent. Sed Dei prouidentia, quæ nunquam in se sperantibus deest, conseruauit eum. Alio die is, quem supra diximus, frater, aduenit, cibos deferens assuetos: atque eum iacentem in* Alia Antonij gesta. b c.7.8.& 9. c cap. 9.

terra semimortuum, fractis foribus, inuenit. Quem impositum humeris, ad villæ domicilium reportauit. Quo audito, ingens vicinorum, atque affinium multitudo concurrens, triste in medio positi funeris reddebat officium. Et iam media noctis parte transgressa, grauis peruigiles omnium oculos vicerat sopor. Tum Antonius anima paulum redeunte suspirans, eleuauit caput: cæteris verò alta quiete prostratis, eum, à quo delatus fuerat, vigilare conspexit, eumque nutu aduocans, obsecrauit, vt nullo penitus excitato, ad pristinum se referret habitaculum. Relatus ergo, iuxta consuetudinem solus iterum permanebat; & stare quidem propter recentes plagas non poterat, orans verò prostratus, post orationem clara voce dicebat: Ecce hic sum ego Antonius, non fugio vestra certamina: etiamsi maiora faciatis, nullus me separabit à charitate Christi. Psallebatque dicens: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Talia eo dicente, bonorum hostis diabolus, admiratus, quod post tot verbera fuisset ausus reuerti, congregatis canibus suis, & proprio se furore dilanians: Videtis, ait, quia nec spiritu fornicationis, nec corporis doloribus superatus, insuper audacter lacessit nos. Omnia arma corripite, acrius à nobis impugnandus est. Sentiat, sentiat. Debet scire quos prouocet. Dixit, & ad hortantis vocem audientium turba consensit, quia innumeras diabolus habet artes nocendi. Sonitus igitur repentinus increpuit, ita vt loco funditus agitato, & parietibus patefactis, multifaria dæmonum exinde turba se effunderet; nam & bestiarum, & serpentium formas induentes omnem protinus locum repleuere phantasijs leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentium, scorpionum, necnon & pardorum, atque vrsorum. Et hæc singula secundum suam fremebant naturam. Rugiebat leo, occidere volens: taurus mugitu, & cornibus minabatur: serpens sibilo personabat: luporum impetus ingerebantur: pardus discoloriter auctoris sui calliditates varias indicabat. Truces omnium vultus, & vocis horrida dirus auditus, Antonius flagellatus, atque confossus, sentiebat quidem asperiores corporis dolores, sed imperterritus durabat mente peruigili. Et licet gemitum vulnera carnis exprimerent, sensu tamen idem permanens quasi de inimicis luderet, loquebatur: Si virium aliquid haberetis, sufficeret vnus ad prælium: sed quoniam Domino vos eneruante frangimini, multitudine tentatis inferre terrores, cum hoc ipsum infirmitatis indicium sit, quod irrationabilium induitis formas bestiarum. Rursumque confidens, aiebat: Si quid valetis, si vobis in me potestatem Dominus dedit, ecce præsto sum: deuorate concessum: si verò non potestis, cur frustra nitimini? Signum enim crucis, & fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est. Multum contra Sanctum Antonium minantes fremebant dentibus suis, quod nullus eorum tentamenta consequeretur effectus: sed maximè è contrario gigneretur illusio. Non oblitus Iesus colluctationis serui sui, eidem protector factus est. Denique cum eleuaret oculos, vidit desuper culmen aperiri, & deductis tenebris, radium ad se lucis influere. Post cuius splendoris aduentum nec dæmonum aliquis apparuit, & corporis dolor extemplo deletus est. Ædificium quoque quod paulò ante dissolutum fuerat, instauratum est. Illicò præsentiam Domini intellexit Antonius, & ex intimo pectore trahens longa suspiria, ad lumen, quod

ei apparuerat, loquebatur, dicens: Vbi eras bone Iesu? vbi eras? Quare non à principio affuisti, vt sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta est dicens: Antoni, hic eram, sed expectabam videre certamen tuum. Nunc quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, & faciam te in omni orbe nominari. His auditis, exurgens intantum roboratus orabat, vt intelligeret se plus recepisse tunc virium, quam ante perdiderat. Erat autem tunc Antonius annos natus triginta quinque. En militiæ monasticæ œconomiam.

6 Pendat in istis lector verba illa in principio posita: *Igitur S. Antonius secum reputans oportere Dei famulum ex instituto magni Eliæ exemplum capere, & ad illud speculum vitam suam debere componere.* Ex eis enim dilucide elicitur, iuxta in superioribus præiacta, hunc magnum Antonium Eliani instituti sectatorem esse, ac proinde ipsius historiam, etsi aliquatenus oblongam, à nostris Annalibus non ablegandam. Illud, *Et cum in vna memoria supradictus Frater eum clausisset, &c.* denotat ipsum in quodam sepulchro abditum fuisse. Sepulchra enim *memoriæ* vocari solent. Sic Martyrum memoria, & Augustinus [a] de reliquijs S. Stephani: *Ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concursus, & occursus:* & passim apud sacros scriptores. Heribert Rosvved. [b] Pensanda.

[a] lib. 22. de Ciu. Dei, cap. 8.

[b] in notis ad vit. S. Ant. n. 16

7 Hoc tempore natum fuisse coniectamur S. Epiphanium, Episcopum postea Salaminæ, seu Constantiæ, sui sæculi iubar, & Catholicæ Religionis præclarum pugilem. Ne tamen sine fundamento huic tempori ipsius Natalem ascribi videatur, audiat lector sequentia. Peruenit hic pater ad annum saltem 403. Christi, prout Baronius ex Palladio *in Dialogo* colligit *sub ann.* 402. Adeo etiam longæuus fuit, vt vixerit 115. annis: ac tribus mensibus, prout Menologium Græcum die 12. Maij, Metaphrastes [c] apud Surium *ea die*, Baronius [d], & Antonius Posseuinus [e] testantur. Recte ergo ipsius Natalitius anno 388. vel 389. ascribitur. Eius porro gesta a nostris Annalibus ablegan da non esse ex eo liquido innotescit, quod ipse inter huius æui Monachos, qui omnes Eliam, & Prophetas in monachismo æmulabantur, vnus fuit, prout eius Acta apud Metaphrastem *supra*, Baronius, Posseuinus, & alij profitentur. Qui quoque id sumere potuerunt ex Sozomeno [f], dum Palæstinæ Monachos describens dicit: *Ex eorum numero fuere Hesychius Hilarionis sodalis, & Epiphanius, qui postea Salamine, quæ est vrbs Cypri, fuit Episcopus. At Hesychius eo ipso in loco, in quo magister eius, vitam egit monasticam: Epiphanius autem circiter Besanducem pagum in tractu Eleutheropolitano situm, vnde etiam ortus fuerat, in eodem vitæ genere colendo se collocauit; qui ab ineunte ætate à monachis præstantissimis institutus, & in Ægypto longissimo tempore eadem de causa versatus in disciplina monastica cum apud Ægyptios tum apud Palæstinos illustrissimus habitus est.* Idem colligitur ex Epistola Acatij, & Pauli Archimandritarum, & monachorum Patrum, quam *sub ann.* 375. referemus. Vnde eum propterea nostris Eliadibus accensent historici nostri; specialiter Palæonydorus [g], Thomas de Iesu, Franciscus a Epiphanius.

[c] in eius vita.

[d] in Annot. ad Martyrologium Rom. ea etiam die.

[e] in Appar. sacro in Epiphanio.

[f] lib. 6. c. 32.

[g] lib. 3. c. 15.

S. Angelo, Emmanuel Romanus, Caſanate, & alij. Imo de exteris Laurentius Beyerlinck [a], dum de Ordine Carmelitarum agit. Ipſius ergo geſta congruis locis referenda.

[a] in Theat. vit. hum. lib. 16. to. 6. verb. Religioſus Religio

Epiphanij incunabula.

7 Eius autem incunabula, prout ex ipſius vita ſuperius relata, & compendioſe perſtricta, habetur, talia erant: *Natus eſt in Phœnicia circa Eleutheropolim parentibus pauperibus, & humilibus. In tenera autem ætate patre orbatus cum vidua matre, & ſorore virgine Calitrope relinquitur. Quibus cum adeo tenues eſſent fortunæ, vt vix commode alerentur, eorum inopiam miſeratus Tryphon, Epiphanium ſibi adoptauit, & matri, & ſorori neceſſaria ad victum ſuppeditauit. Erat Tryphon profeſſione Iudæus, & in lege Moyſis non mediocriter inſtructus, qui eo etiam conſilio Epiphanium in familiam aſciuit, vt filiam ei quam vnicam habebat, matrimonio iungeret. Degebat itaque cum Tryphone Epiphanius ætate, & Hebraica ſapientia proficiens, cum decedente tam eodem Tryphone, quam eius filia, hæres ex aſſe ab eo ſcriptus eſt. Quare opulenta hæreditate potitus, matre iam vita defuncta, ſororem in domum recepit, cum qua iucunde vitam agebat.* Qualiter vero poſtea Luciani monachi doctrina, & virtute allectus, fidem Chriſtianam cum monachiſmo imbiberit, in ſequentibus dicetur.

Annus Chriſti 290. Caij Pont. 7. Dioclet. & Maxim. Imp. 7.

Anni huius geſta.

1 QVIESCEBAT hoc anno in Oriente, & Occidente Imperium, vt habet Mamertinus [b], ſed non perſecutio in Chriſtianos. Etenim præter alios qui paſſi ſunt; apud Tharſum Ciliciæ celebre teſtimonium Chriſto reddiderunt Tharacus, Probus, & Andronicus, vt patet ex Actis apud Baronium.

[b] in ſuo ſecund. Panegyrico.

Lucius Serenus Monachus

2 Extat apud Luitprandi fragmenta memoria Lucij Sereni monachi & Martyris Diocletiani familiaris, ac cognati Serenæ ipſius Diocletiani vxoris; qui a noſtra hiſtoria alienus nō eſt, cum *Monachi* nomen, hoc tempore, quo Monachiſmus in ramos ſectus nō erat, vnum dumtaxat primordiale Elianum, & Eſſenum inſtitutum redoleat; iuxta dicta in præcedentibus. Huic porro anno aſcribendus, cum ipſius Martyrium nunc contigiſſe dicatur. Sic ergo inter dicta Luitprandi fragmenta [c] habetur: *Deceſſit Q. Serenus Samone in Gallecia cum opinione ſanctitatis anno 165. relicto filio adoleſcentulo, qui fuit egregius Medicus, & virtutis ac religionis amantiſſimus. Dies Senioris Q. Sereni dicitur fuiſſe 14. Kal. Martij illo anno. Medici duo filij Quinctus, & Marcus Sereni paſſi ſunt ſub Seuero Alexandro. Item tertius, & quartus Sereni paſſi cum alijs in Africa ſub Diocletiano. Horum filij L. Serenus Monachus familiaris Diocletiani, & Publius Serenus, Martyr in Africa hic, ille verò in Hiſpania Sexti Firmij in Betica paſſus eſt ſub Diocletiano anno 290. Horum erat cognata S. Serena vxor Diocletiani. Serena vxor Imperatoris Philippi mater fuit Serenæ vxoris Diocletiani.* Dubitari autem poteſt, an

[c] fragmen. 158

hic

hic Serenus Monachus & Martyr sit idē ac *Sirenus*, seu *Syrenus* alius etiam Martyr, & Monachus, de quo in Martyrologio Romano post Bedam, Vsuardum, & alios sub die 23. Febrarij, vbi dicitur passus iubente Maximiano. Etsi autem id primo aspectu credi facile sit propter affinitatem nominum, & quia Diocletiani, & Maximiani in persequendis Christianis socij fuerint, ita vt gesta sub vno sub alio quoque numerari possint; nihilominus, quia in multis differunt hi duo Martyres: hic enim a Luitprando relato Lucius Serenus vocatur, & in Hispaniæ Vrbe Syrmio, seu Sextifirmio, aut Sexifirmio dicta, quæ quibusdam est *Motril*, alijs *Velez malaga* (de quo Biuarius [a]) passus: alius vero *Sirenus*, seu *Syrenus* est; & apud Sirmium, quæ communiter creditur vrbs Pannoniæ (etsi alia *Sirmio Castello* dicta in Italia cernatur) tentus & occisus, ipso iubente Maximiano; ideo duos fuisse existimandum; nisi forte credatur errorem in historiam (quod plus æquo contingit) irrepsisse.

[a] in Annot. ad Dextrum circa ann. 50. & circa ann. 100.

3 Alter ergo Sirenus, seu Syrenus monachus etiam & Martyr sic in Martyrologio Romano & alijs celebratur die 23. Februarij: *Apud Sirmium Beati Sireni monachi, & Martyris, qui iubente Maximiano Imperatore tentus, cum se Christianum esse confiteretur, capite cæsus est.* Causam vero cur tentus, & capite cæsus sit sic habet Vsuardus: *Qui cum vnius ex domesticis Imperatoris Maximiani vxorem hora incongrua in horto, quem ipse sibi excolebat, deambulantem acrius increpando repulisset, iubente Maximiano Imperatore tentus, cum se Christianum esse confiteretur, capite cæsus est.* Id susius sic Episcopus Equilinus [b] expressit. *Serenus monachus, & Martyr sub Maximiano Imperatore apud Syrmium passus est. Nam cum ipse sibi hortum excoleret, & vnus ex domesticis Imperatoris amicus intimus esset: quadam die vxorem illius in horto suo hora incongrua deambulantem reperit, eamq; acriter de inhonestate increpauit, quod sola hora inepta Monachi pomerium introisset, eam quoque cum indignatione eiecit. Quæ viro suo de Sereno conqueritur, & quod eam turpiter eiecerit lamentatur. Qui verbis coniugis ad iracundiam motus, quem dudum vt amicum celauerat, Maximiano vt Christianum accusat. Sicque Serenus, iubente Imperatore, tentus se Christianum confessus capite cæsus est VII. Kalend. Martij.* Baronius autem in eum Martyrolog. Rom. locum hæc animaduertit de isto Sereno: *Hic cum dicatur fuisse Monachus; satis apparet ex Euseb. hist. lib. 8. Cap. 22. Maximiani temporibus fuisse Monachos, & ex eis quamplurimos coronatos esse Martyrio, vt & Seleucus, de quo supra egimus, quin & ipse sanctus Antonius Martyrij cupidus conuolauit Alexandriam, sed consequi non potuit, vt scribit sanctus Athanasius in vita ipsius. Agit etiam de Sireno Petrus in catal. lib. 3. Cap. 147. licet eum etiam Episcopum fuisse dicat.* Cæterum etsi id quod Baronius dicit de Monachis Martyribus Maximiani temporibus ex Eusebij doctrina veritati cohæreat, vt sæpius animaduertimus, quod tamen hic Sirenus à Petro (idest Episcopo Equilino) Episcopus vocitetur, in eo non reperi.

Sirenus, seu Syrenus Monachus.

[b] lib. 3. c. 147.

4 Congruit etiam huic anno historia S. Astionis monachi, & Mar-

Astion Monachus, & Martyr.

Martyris, quæ, authore incerto, habetur *in lib. 1. vit. Patr.* Etenim in Florario ſanctorum apud Heribertum [a] notatur hic annus pro ipſius, & Epicteti Presbyteri paſſione. Huius porro hiſtoriæ compendium ſic eſt. Agebat Epictetus in cella ſua in Orientis partibus Religioſam, & miraculis illuſtrem vitam, vt propterea plures ad eum conuenirent; & inter eos adoleſcens nimium decorus vultu, & aſpectu pulcher, natuque nobiliſſimus Aſtion, viſitationis gratia. Qua nactus occaſione eum ſenior blandis ſermonibus inſtruens ad fidem Chriſti, & baptiſmum perduxit. Cæterum patrem Aſtionis fugientes in Almiridenſem Scytharum Vrbem fugiunt. Ibi manentes miraculis coruſcant. Cum autem Aſtion ſine ſui Presbyteri licentia ad flumen quoddam perrexiſſet, turpi cogitatione a diabolo tentatur, confeſſione tamen curatur, & inimicus expellitur. Qui propterea Latronianũ Ducem aduerſus ſanctos inſtigans, eos comprehendi coëgit, verberari equuleo torqueri, iterum cruciari, ieiunio triginta dierũ affligi; ac demum gladio plecti. Eorum corpora candida, & fulgida apparuerũt, & à Chriſtianis pie ſepulturæ tradita ſunt. Latronianus vero a dæmone correptus & poſt biduũ ſuffocatus miſere perijt. Apparuit deinde Aſtion Vigilantio ad ſepulchrũ oranti, ac parentibus, a quibus bona ſua pauperibus erogare poſtulauit. Accidit horum Martyrium octaua die Iulij temporibus Diocletiani Imperatoris, prout in principio, & fine hiſtoriæ notatur. Vnde quædam quæ in ipſa habentur ſpectantia ad poſteriora tempora poſt Diocletianum merito vt aſſumenta addita ab Heriberto *ſupra n. 3.* æſtimantur. Huius porro Aſtionis geſta lubenti animo noſtris Annalibus inſerimus, nedum quia monachum fuiſſe in ea hiſtoria ſæpius dicetur, quod nomen noſtram non abhorrere ſæpius inculcauimus, ſed, & quia pia iſtorum Martyrum cantilena crebro ab ipſis in tormentis repetita *fiat voluntas Dei in nobis*, in corde, & ore cunctorum Religioſorum, pro quibus hæc ſcribimus, merito eſſe debeat.

[a] *in notat. ad vit. Patr. lib. 1.*

Annus Chr. 291. 292. 293. 294. & 295. Caij Pont. 8. 9. 10. 11. & 12. Dioclet. & Maxim. Imp. 8. 9. 10. 11. & 12.

Imperatorum geſta.

1 BELLIS grauati Diocletianus, & Maximianus ne illis deinceps non ſufficerent, communi conſilio habito quiſque ſibi ſocium deſignat; alter Conſtantium Chlorum; alter vero Galerium Maximianum, quos etiam Cæſares appellarunt. Nec ceſſabat tempeſtas perſecutionis in Chriſtianos, cum Suſanna Sabini filia, Caij Papæ neptis, recuſans nuptias Galerij Maximiani; & Serena quondam vxor Diocletiani; Claudius quoque, Maximus, & Socij pro Chriſto ſanguinem fuderint. Baronius, Gordonus, & alij. De hac etiam Serena Diocletiani quondam vxore *ſub ann. 290.* ex fragmentis Luitprandi aliqua diximus.

Charitonis.

2 Ad id tempus referri merito debent geſta alia illius noſtri Charitonis

nis in superioribus relata apud Surium, & Lippomanum ex Metaphraste desumpta, quæ talia sunt. *Quoniam ergo hic quoque multis accedentibus interrumpebatur ei quies, ac silentium, tum istis quoque monachis dedisset constitutiones, & præcepisset quomodo oporteat viuere eos, qui curam gerunt animæ, & eum designasset, qui esset præfuturus, hinc rursus recedit, & accedit ad aliam partem solitudinis, quæ quatuordecim stadijs paulo plus, aut minus distat a regione Thecoorum. Sic enim Saluator mundi eum mutare facit habitationes. Quid sibi volens, & quo vtens consilio? Illum quidem reddens cognitum, & illarum omnibus: eos autem, qui ad ipsum ventitabant (erant verò ex ijs complures gentiles) partim quidem inducens ad expurgandas baptismo animas, partim autem ad monachismum per illum deducens. Cum autem rursus multi fratres congregarentur, qui mundi quidem, vt ita dixerim, immunditiæ renunciabant (Audiuerant enim diuinum hoc, & sacrum verbum: Bonum homini, quando tulerit iugum a iuuentute sua, & sederit seorsum) processit ad opus, quod erat ex eorum sententia. Propterea aliam quoque illic ædificat Lauram admirabilis hic Chariton: quam nonnulli quidem lingua Syra* Sucam *nominant, alij autem voce græca veterem* Lauram *appellant*. Expendat in his lector monachismum a Charitone propagatum.

3 Sed & alia magni Antonij gesta, quæ in initio vitæ eremiticæ sibi contigerunt, ex D. Athanasio in ipsius Vita [a] sic haurimus. *Exinde eum voluntate prompta per merita religiosa succresceret, vadens ad supradictum senem, precabatur vt in deserto habitarent pariter. Causante illo senile æuum, & rei nouitatem, solus contendit ad montem, & eremi adhuc monachis ignotæ vitæ rupto metu, viam conatus est pandere; Sed nec tunc cessauit infatigabilis aduersarius: nam impedire eius propositum volens, argenteum discum in itinere proiecit; quo viso, Antonius callidi artificis agnouit astutiam: stansque intrepidus & discum toruis intuens oculis, doli auctorem in phantasmate obiurgabat argenti, talia secum reputans: Vnde hic in deserto discus? Auium hoc iter est, nulla sunt vestigia commeantium; lapsus de sarcina, præ magnitudine latere non potuit: sed & qui perdiderat reuersus, ob solitudinem locorum, inuenisset profecto, quod ruerat. Hoc artificium, diabole, tuum est: non impedies voluntatem meam, argentum tuum tecum sit in perditionem. Hæc illo dicente, discus vt fumus a facie ignis euanuit. Dehinc non vt ante in phantasmate, sed ingentem auri massam iacentem in itinere conspexit. Verum hanc vtrum diabolus simulauerit, an ad Antonium comprobandum, quia nec veris opibus inescaretur virtus cælestis ostenderit, ignoratur; hoc tamen agnouimus, quia quod visum est, aurum fuit. At ille magnitudinem admiratus radiantis metalli, rapido cursu, quasi quoddam vitaret incendium, ad montem vsque perrexit, ibique flumine transuadato, inuenit castellum desertum, plenum, ob tempus, & solitudinem, venenatorum animalium, in quo se constituens nouus hospes habitauit. Statim ad eius aduentum ingens turba serpentium, quasi persecutorem passa, profugit. At ille obstructo lapidibus introitu, panes mensium sex, vt Thebæis mos est, secum recondens (nam crebro per annum incorrupti durare solent) nec*

S. Antonij gesta.

[a] cap. 10. 11.

non & exiguum habens aquæ, solitarius perdurabat; nusquam inde procedens, nunquam aliquem suscipiens, intantum vt cum bis in anno per tectum desuper panes acciperet, nullum cum deferentibus haberet alloquium.

Notatu digna. 4. Ad quæ nota, *senem*, de quo hic est sermo, & ad quem accessisse Antonium describitur, vt *in deserto habitarent pariter*, illum fuisse qui *sub anno* 277. a nobis commemoratur, & Essenæ scholæ ascribitur; vt ex hoc etiam eiusdem instituti asseclam Antonium suspicemur. Idquod dicitur hoc loco: *Solus contendit ad montem, & eremi adhuc Monachis ignotæ vitæ rupto metu, viam conatus est pandere*, solum denotat, vt bene Coria [a] Antonium fuisse præcipuum, primarium, & qui maiori studio, ac perfectione magis singulari Eremi culturam monachis præscripsit. Quod & indigitat Dionysius exiguus, seu author vitæ Pachomij [b] dicens: *Erat per id tempus beati Antonij vita cunctis ad imitandum præclare proposita: qui magni Eliæ, atque Elisei nec non & Sancti Ioannis Baptistæ æmulator existens, secreta interioris eremi studio sectatus est singulari, vitamque cælestium in terris gessit amore virtutis.* Expendenda namq. verba illa *studio singulari*, quibus indicatur Antonij prærogatiua & studium in Eremo sectanda, non prioritas. Quod & luculentius constat ex ijs quæ etiam de Telesphoro, & Dionysio etiam Papa Frontonio Abbate, Heleno etiam Abbate, & Episcopo Basilide, Fructuoso, Serapione & alijs diximus in præcedentibus, ac sub compendio notauimus *sub ann.* 253 dum de Paulo primo Eremita vulgo nuncupato sermo esset. Quin hoc etiam Antonij æuo, Charitonem, de quo in superioribus, Syriæ deserta cum socijs incolere cæpisse, ex eius historia manifeste liquet. Addit Coria *supra* etiam Amon ante Antonium Nitriæ Montis eremum hac quoque tempestate cum discipulis frequentasse; de quo inferius. Addimus vltra, quod ex historia Indæ, & Domnæ, aliorumque Nicomediensium Martyrum, quam ex Metaphraste, Surio, & Baronio afferemus *circa ann.* 301. luce clarius constat ante Antoniana Asceteria, monasticem, Monasteriaq; ea ciuitate floruisse. Fauent & dicta sub ann. 290. de Sereno, seu Sireno, vel Syreno, ac Astione monachis. Id præterea quod in eadem Antonij historia dicitur de panibus mensium sex ab ipso in suo isto nouo montis habitaculo secum reconditis, *vt Thebais mos est*, proculdubio panes *bis coctos* vulgo denotat. Vt doctè Heribertus Rosvvedius *in Annotat. ad vit. S. Anton.* ac maximè *in Onomastico* de *Paximatibus*; seu *Paxamis* loquens.

a lib. 8. c. 3.
b in princip.

S. Hilarionis ortus. 5 Ad hoc etiam tempus, annum videlicet 292, iuxta Baronij computum [c], vel saltem circiter, iuxta Rosvvedium [d], Natalis dies S. Hilarionis Abbatis assignandus est. Non sine causa nobis commemorandus. Fuit etenim celeberrimus hic Pater Eliætani instituti sectator, Essenæ scholæ studiosus, imo & Carmeli Montis colonus, prout non solum Ordinis Tabulæ, & Calendaria testantur, in quibus *Hilarionis Confessoris Ordinis nostri* festum exprimitur; & concorditer nostri Scriptores scriptis com-

c to. 4. sub ann. Christ 372.
d in Annotat. ad vit. S. Hilarion.

commendarunt, sed & de exteris multi rei veritate conuicti profitentur. De illis porro, pluribus prætermissis, vnus non omittendus, Beatus videlicet Cyrillus presbyter, Doctor, & Carmeli ipsius Eremita, qui *in Epistola ad Abbatem Ioachimum*, quæ cum ipsius Cyrilli Oraculo Angelico in Apostolica Vaticana Bibliotheca reseruatur, sic scripsit: *Igitur cum pro veneranda celebritate Beati Hilarionis coeremitæ nostri quondam, sacrarum Missarum solemnia inchoassem cum fratre Eusebio comite &c.* En Carmeli Eremitam Cyrillum, Hilarionem coeremitam sibi nuncupantem. De exteris autem vnus specialiter in testem vocandus, quippe rem expressius testificatur. Is est Aubertus Miræus Canonicus insignis, & Bibliothecarius, qui e Græcorum monumentis hanc vitæ Synopsim eiusdem Hilarionis æternitati memorabilem scripsit.

Hilarion Thabathensis Palæstinus natu Gentilis.
Alexandriæ Christum cognoscit,
Bimestris Antonij discipulus. Eremi cultor,
Essenorum dispersorum in Carmelo Palæst. Reparator magnificus,
Quos item Gazæ, Betheliæ, Pelusij, Lychni mire propagat.
Episcopos exulatos visitat,
Sub Augusto Imperatore Const. & Const. Iulianum fugit.
Siciliam, Dalmatiam, & Cyprum peragratus.
Ieiunijs maceratus, senio moritur sancto.

A. CCC LXXII.

Idem profitetur Laurentius Beyerlink [a], dum de Ordine Carmelitarum agit, inter Confessores ipsius Hilarionem referens. Et Carolus de Tapia [b] inter Carmeli accolas eum censens. Essenatus porro instituti, studiosum fuisse, vel ex eo elicitur, quod cum in Cypri latebris maneret, cupiebat, vt habet D.Hieronymus [c], iterum pergere in Ægyptum, ad locum *Bucolia* nuncupatum. Hic enim locus Essenorum habitatio erat, vt diximus *in Appar. c. 4. & sub ann. 64.*

6 Illius ortus hoc pacto describitur a D. Hieronymo *in Vita ipsius cap. 1.* (habetur autem *in lib. 1. Vitar. Patr.*) *Hilarion ortus vico Thabatha, qui circiter quinque millia a Gaza vrbe Palæstinæ ad Austrum situs est: cum haberet parentes idolis deditos, rosa (vt dicitur) de spinis floruit.* Notat autem Heribertus [d] alibi haberi pro *Thabatha Thabacca*, alibi *Tharata*, & alibi *Thabasa*. Id certum, hunc Vicum, & Gazam in Palæstina fuisse, ac proinde non longe a Carmelo, quem incoluisse diximus. Vnde quod de eo dicitur in Romano Martyrologio 21. Octobris: *In Cypro Natalis S. Hilarionis Abbatis*, (ex quo aliqui male inferunt ipsum Cyprium genere fuisse) eatenus accipiendum, quatenus in Cypro diem vltimum clausit, qui vere Sanctis viris Natalitius est. Alioquin cum Palæstinum esse diserte asserit D. Hieronymus non solum in ipsius vita verbis relatis; sed & *in Epist. 13. ad Paulin.* dicens: *Beatus Hilarion cum Palæstinus esset, & in Palæstina viueret.*

[a] *in Theatro vit. humanæ to. 6. lib. 16 verb. Religiosus Religio.*

[b] *in Authent. ingressi verbo Monasteria n. 10.*

[c] *in eius vita c. 36.*

Ex D. Hieronymo.

[d] *in annotat. ad Hilarion. vitam c. 9.*

Annus

Annus Christi 296. 297. 298. 299. & 300. Caij Pont. 13. & Marcellini 1. 2. 3. 4. & 5. Dioclet. & Maximiani Imp. 13. 14. 15. 16. & 17.

Pontificum successio.

1 CRESCENTE persecutione Caius summus Pontifex, cum sedisset annos duodecim, menses quatuor, & dies quinque, quo quidem tempore Presbyteros quinque, & viginti; Diaconos octo, Episcopos quinq; creauit, quater ordinationibus sacris mense Decembri habitis, captus a persecutoribus vna cum Gabino fratre, eiusque filia Susanna, Martyrio coronatur, & via Appia in cœmeterio Callisti sepelitur decimo Calend. Maij. Marcellinus natione Romanus, patre Proiecto, post interregnum vndecim dierum 3. Maij, ad Pontificatus apicem ascendit. Quem Augustinus, Optatus, Martyrologia, & qui rectius sentiunt, faciunt diuersum a Marcello: licet Eusebius hos duos confundat. De ijs Genebrardus, Onuphrius, Baronius, Coriolanus, & alij.

Amon Nitriotes.

2 Ad hoc tempus referri videtur Amon Nitriotes Ægyptius, sanctitate, & castitate celebris, quod Virginem sibi desponsatam intactam relinquens Nitriæ montis Archimandrita primus effectus fuerit. Contigit hoc antequam Antonius Pater fieret monachorum, prout notat Coria [a], & colligitur ex Palladio [b], vbi Arsisius Abbas Montis Nitriæ dicitur æqualis fuisse tempore magno Antonio, ex hoc enim elicitur hunc Amon, qui vetustior Arsisio fuit, vtpote Nitriæ monachorum Parens (prout habet D. Hieronymus [c] dicens: ab eo *primum facta sunt fundamenta conuersationis eorum fratrum, qui nunc in Monte Nitriæ commorantur*, Ruffinus Aquileiensis [d] & alij) fuisse Antonio antiquiorem. Id quoque infertur ex Menologio Græcorum die 4. Octobris, vbi sic. *Commemoratio S. Patris Ammonis Aegyptij. Hic cum esset Ægyptius genere, parentibus orbatus, a patruo coactus vxorem duxit sub Maximiano Imperatore. Vixit autem cum illa annos decem & octo, quam non vt vxorem, sed vt sororem habebat: quin etiam illi persuasit, vt virginitatem seruaret. Itaque & ipsa & omnibus rebus derelictis in monte Nitria prope Ægypti desertum secessit, vna tantum veste nocte, & die corpus tegens. Produxit autem vitam vsque ad Magni Antonij tempora sub Magno Constantino, celebri, & primo Christianorum Imperatore.* En lector qualiter Amon iste Antonio vetustior fuit in monachismo, vt propterea clarius expendere possis id quod in superioribus quoque demonstratum manet, toto cælo a veritatis tramite aberrasse, qui Antonium primum Monachorum parentem agnoscunt. De ipso autem agere nostri muneris est, cum Elisenum, & Elianum institutum antequam aliud esset in orbe, æmulatus fuerit; vt propterea inter nostrates recenseatur a Coria [e], eum quoque Prophetici Ordinis Archimandritam, seu Præfectum appellante; & Casanate qui [f] sextum a Ioanne Baptista Car-

a lib. 8. c. 3.
b in Lausiaca historia in l. 8. vit. Patr. c. 7. in fin.
c in vit. Pachomij c. 1.
d in vit. Patr. lib 3. c 30.
e lib. 7. c. 14.
f in parad. Carmel. decor. stat. 3. ætat. 4. c. 38.

Carmeli Archiphylacem, quod omittimus propter sæpius dicta, & quia clariora desideramus.

3 Amon ergo iste, vt ex Palladio supra [a] habetur: *Cum esset parentibus orbatus adolescens circiter viginti duos annos natus, vi a suo patruo mulieri iunctus est matrimonio: & cum non posset resistere necessitati quam ei afferebat patruus, visum est ei, & corona redimiri, & sedere in thalamo, & omnia sustinere quæ fiunt in matrimonio. Postquam autem omnes essent egressi, qui in thalamo, & lecto dormituros collocauerant, surgit beatus Amon, & claudit fores, & sedens vocat beatam, & germanam suam Coniugem, & ei dicit: Adesdum domina, & soror, deinde rem tibi narrabo. Hoc quo coniuncti sumus matrimonium, nihil habet eximium, recte ergo faciemus, si abhinc vnusquisque nostrum seorsum dormierit, vt Christo placeamus, intactam nostram reddentes virginitatem. Et cum e sinu suo paruum libellum protulisset, tanquam ex persona Apostoli, & Seruatoris, legebat puellæ, quæ erat ignara litterarum, plurimam lectionis partem, adijciens ex sua diuinitus inspirata doctrina, & in vita, in virginitate, & castitate degenda eam instituens. Quo facto factum est, vt illa Christi gratia repleta diceret: Ego quoque, domine mi, persuasum habeo, fore vt castam vitam libenter agam; & si quid iubes, hoc deinceps faciam. Ille vero: Ego, inquit, iubeo, & rogo, vt vnusquisque nostrum seorsum maneat. Ea vero hoc non tulit, dicens: Maneamus in eadem domo, sed in diuersis lectis. Viuens ergo cum ea decem & octo annos in ijsdem ædibus, toto die vacabat horto, & balsameto. Operabatur enim balsamum; quæ balsamus instar vitis plantatur, vt in qua colenda, & putanda multum laboris ponatur. Vespere ergo demum ingrediens, faciens orationes, cum ea comedebat. Et rursus nocturnas preces fundens, & Synaxim peragens summo mane ibat in hortum. Cum hæc sic fierent, & peruenisset vterque ad impatibilitatem, vim, & efficaciam habuere preces Amonis. Postremo autem ei dicit illa beata: Est aliquid quod tibi dicam, domine mi, vt si me audieris, mihi plane constabit, quod vere ex Deo me diligas. Is vero eidicit: Dic quod velis. Ea vero dicit illi: Æquum est, vt tu qui es vir pius, & religiosus, & exerces iustitiam, & similiter ego, qui eandem viam institui sum secuta, seorsum maneamus, & multi ex eo capiant vtilitatem. Non par est enim, vt propter me tanta, & talis occultetur tua virtus philosophiæ, qui mecum propter Christum cohabitas in castitate. Is vero cum ei gratias egisset, & gloriam Deo dedisset, ei dicit: Recte tibi visum est, domina, & soror, & si hoc tibi places, tu habeto hanc domum; ego vero abibo, & aliam mihi domum faciam. Qui cum ab ea esset egressus, ingressus est in interiora montis Nitriæ: nondum enim tunc illic erant frequentia monasteria, & ibi fecit duos cellarũ tholos.* His similia habet Ruffinus [b]. Aliqua vero Socrates [c], Sozomenus [d], Cassiodorus [e], Nizephorus [f]. Nota circa illa illud *Corona redimiri*, sponsorũ morem fuisse, prout ex Tertulliano, Claudiano, & alijs comprobat Heribertus Rosvvedius [g]. Illud *Cum peruenisset vterque ad impatibilitatem*, sano modo intelligendum, & cum grano salis Theologico, ne impeccabilitatem, aut immutabilitatem denotet.

Huius gesta.
a in Lib. 8. Vit. Patr. c.8.

b lib. 2. vit. Patr. c.30.
c lib.4.c.18.
d lib.8.c.14.
e in Tripar.l.1. c.11.
f lib.8. c.41.
g in Onomast.

Ex

Ex illis autem, *Nondum enim tunc illic erant frequentia Monasteria* elici potest aliquot eo Monte fuisse, etsi non frequentia. Præterea cum dicitur *fecit duos cellarum tholos* indicatur fecisse sibi duas domunculas rotundas in fastigio; *Tholus* enim significat vmbilicum testudinis structuræ apud Calepinum, & alios.

Alia eius gesta. 4 Gesta porro eiusdem Amon sic prosequitur Palladius relatus: *Cum is ergo solus esset in Nitrijs, ferunt ad eum puerum rabie exagitatum, vinctum catenis; canis enim rabiosus mordendo illi rabiem dederat. Se ipsum ergo totum laniabat, vt qui intolerabilem morbum ferre non posset. Postquam ergo vidit eius parentes ad supplicandum procedentes: Quid mihi, inquit, labores exhibetis, o homines, ea petentes, quæ mea merita superant, cum in vestris manibus præsto sit auxilium. Reddite enim viduæ bouem, quem clanculum occidistis, & sanus reddetur vobis puer. Illi vero cum conuicti essent, læti fecerunt quæ iussa fuerant, & eo orante, puer sanus euasit. Accesserunt autem alij eius visendi gratia. Ad quos dixit vir sanctus, tentandi eorum animi gratia: Afferte ad me dolium vnum, vt habeam satis aquæ ad eos qui veniunt excipiendos. Ii autem promiserunt se ipsos allaturos. Cum autem alterum pœnituisset vbi in vicum venisset dicit alteri: Nolo occidere Camelum, neque ei dolium imponere, ne moriatur. His auditis, alius suis iunctis asinis magno labore dolium sursum portauit. Præueniens autem Amon ei dixit: Quid? quod socij tui Camelus est mortuus interim dum huc venisti? Is autem reuersus inuenit eum a lupis deuoratum. Multa quoque alia hic vir fecit. Hoc autem miraculum narrauit beatus Athanasius Alexandriæ Episcopus, scribens in vita Antonij, quod eum aliquando monachi ad ipsum missi essent ab Antonio (erat enim in interiori solitudine Antonius) cum ad ipsum venissent, surrexit senex, & ambulabat cum eis. Et cum esset transiturus Lycum fluuium cum eius discipulo Theodoro, verebatur exui, ne ipsum videret aliquando nudum: & interea dum de ea re differeret, inuentus est trans fluuium; vt qui absque cymba in ecstasi traiecisset, translatus ab Angelo: fratres autem natatu transmiserunt. Postquam autem accessit ad Antonium, primus ei dixit Antonius: Cum Deus mihi multa de te reuelasset, & tuam translationem mihi significasset, te ad me accersiui necessario, vt cum nobis inuicem frui licuisset, pro nobis inuicem intercederemus. Cum autem eum collocasset in quodam loco longe separato, hortatus est ne recederet ante translationem. Cum autem ipse seorsum fuisset consummatus, vidit Antonius eius animam in Cælum assumptam ab Angelis. Hic est ergo Amon, qui sic vixit, & sic obijt. Hunc Lycum fluuium ego cum metu pontone aliquando transmisi; est enim fossa, & deriuatio magni Nili.* Hæc apud Palladium loco relato. Quibus similia apud Ruffinum Aquileiensem [a] & alios. Quos porro discipulos eo loco Amon habuerit, in sequentibus enodabitur.

a lib. 2. vit. Patr. c. 30.

Nitrienses Monachi Esseni. 5 Id solum non reticendum, quia valde pro nostro instituto necessarium; Monachos videlicet Nitrienses huius Amon in eo monte vestigia sectantes ex Essenorum schola fuisse manifeste deduci ex ijs, quæ de illis habet Palladius [b]. Dicit enim: *Alij quidem ex ipsis versabantur in contemplatio-*

b lib. 8. vit. Patr. seu in hist. Lausiaca c. 68.

platione, alij vero in actione. Deinde: *Habitant locum desertum, & habent cellas magno inter se interuallo disiunctas.* Item: *solum autem sabbato, & Dominico congregantur in Ecclesijs.* Has vero notas quasi tesseras Esseni instituti esse ex ijs, quæ de Essenis inquiunt Philo, & Iosephus, quorum testimonia *in Apparatu c. 1. & 2.* retulimus, eliciet lector.

6 Nec prætermittendum interim salutare valde huius Amon (si nomen non fallit) documentum pro Monachis, quod [a] his verbis describitur. *Frater quidam interrogauit Abbatem Ammonem, dicens: Dic mihi aliquod verbum. Dixit ei senex: Vade, & talem fac cogitationem tuam sicut faciunt iniqui, qui sunt in carcere. Illi enim interrogant homines, vbi est iudex, & quando veniet? & in ipsa expectatione pœnarum suarum plorant. Ita & Monachus debet semper suspectus esse, & animam suam obiurgare, dicendo. Væ mihi quomodo habeo adstare ante tribunal Christi, & quomodo habeo ei actuum meorum reddere rationem? Si igitur semper sic meditatus fueris, poteris saluus esse.* Sic etiam si fecerimus nos, vtile satis erit pro animæ nostræ salute. Amonis documentum. a in lib. 5. Vit. Patr. libell. 3.

7 Clarus erat circa hoc tempus inter Monachos Eliæ sectatores vnus Lucianus nomine. De quo in Actis S.Epiphanij ex Metaphraste & quodam Ioanne apud Surium 12. Maij dicitur, quod esset *Admirandus, & eruditus, qui vitam exercebat monasticam, & elegantis librarij artem apprime tenebat, eique strenue nauans operam, ex ea panem quærebat quotidianum & quod supererat impartiebat egentibus.* Item: *Accidit vero vt pauper quidam pedes Luciani prehenderet, & ei diceret: Homo Dei, miserere mei, iam enim tres dies permaneo ieiunus, vt qui nihil habeam; Beatus autem Lucianus, cum nihil aliud posset dare pauperi, se amictu exuens eum illi donat, dicens: Ingredere Ciuitatem, & vende, & eme tibi panes.* Subiungitur: *Aduertit autem Epiphanius quod cum se exuisset Lucianus, & dedisset pauperi, vestis candida de cælo descendens eum texerat.* Subditur, quod hac de causa Epiphanius, qui tunc Iudæus erat, ei se iunxerit, baptismum ab eo, & Monachatum petierit, ac obtinuerit. De eo quoque adijcitur, quod sibi Monasterium construxerat, & haberet secum *decem Monachos, qui diligenter libros scribentes ex ijs sibi victum parabant.* Quæ notent, obsecro, Religiosi, vt videant librorum scriptionem opus esse Monachis genuinum, congruum, & peruetustum. Notatur demum ibi eius mors, & quod Hilarion fuerit eius collega, cum altero etiam Claudio. Alia de ipso in sequentibus. Lucianus.

8 Hoc anno, iuxta Flauium Dextrum in Chronico, eiusque scholiastem Biuarium *ibid comment.* 1. celebratum est insigne illud Illiberritanum (alijs Eliberinum) Concilium in Hispania, in saltu, quem nunc dicunt Hispani *Elbira*, vel Sierra *de Elbira*, duas Leucas a Granata distanti. Etsi enim quoad tempus, quo illud coactum est, magna dissensio sit, non solum quia hæretici Magdeburgenses, & Angli omnino excutientes multo post hoc tempus id actum dicant: sed etiam Catholici Auctores inter se, etsi non multum, discrepent; nihilominus quia Dextro, qui Illiberitanum Concilium.

pro-

proximus huic tempori cæteris fuit, & natione Hiſpanus, ac Biuario; qui rem diligenter diſcutit, maxime videatur aſsentiendum, ideo huic tempori, vel paulo poſt id aſcribimus. In hoc ergo Concilio (quod valde pro noſtra hiſtoria deſeruit) *cap.13.* & 27. mentio fit Virginum Deo dedicatarum, & grauiſſime puniuntur, ſi pactum Virginitatis perdidiſſe ſuiſſent repertæ. Ex quo anſa nobis datur exiſtimandi eas vere Moniales fuiſſe, quibus vtique proprium eſt ſe Deo per pactum, votum videlicet, conſecrare. Quia tamen nullum omnino Monachorum inſtitutum hoc tempore vigere potuit niſi vnicũ Elianum, ab eo originem trahens, quod Toleti fundaſſe S. Elpidium diximus *ſub anno* 40. ideo ſimilis inſtituti iſtæ credendæ, prout expreſſis verbis tradit author extra Ordinem noſtrum Franciſcus Ruſpuerta Biacenſis [a] dicens de illis: *Tengo por ſin duda que fueron del Orden Prophetico Carmelitas.*

[a] in Hiſt. Eccleſ. Gtennenſi ſaecul 7. c. 5.

Ann. Chriſti 301. 302. & 303. Marcellini Pont. 6. 7. & 8. Dioclet. & Maximiani Imp. 18. 19. & 20.

Magna Eccleſiæ perſecutio.

1 SÆVIESCENTIBVS hoc tempore vndique bellis, ingrati Imperatores in Chriſtianos ſæuius conſpirant; magna in Eccleſia excitata perſecutione, ita vt intra triginta dies 17. millia hominum promiſcui ſexus per diuerſas Prouincias martyrio coronata dicantur. Ciaconius [b] ex Euſebio, Oroſio, & Nicephoro. Coriolanus [c]. Item viginti millia apud Nicomediam, prout ex Actis Sanctorum Indæ, & Domnæ inſerius referendis, per Metaphraſtem deſcriptis, & per Baronium approbatis, conſtabit. Cauſa autem huius acerbiſſimæ perſecutionis ea videtur fuiſſe, quod cum Maximianus Herculius Romæ eſſet, & decimo quinto Kalend. Maij in Circo Maximo ſpectaret Circenſes ludos, acclamatum eſt duodecies: *Chriſtiani tollantur* & decies: *Auguſte, Chriſtiani non ſint.* Solitum quippe populum theatralibus acclamationibus ab Imperatoribus quæ vellet efflagitare, qui ipſorum vitas percurrerit, pro comperto inueniet; quod & hodie quodammodo conſpicitur; cum ſæpius Summo Pontifice in publicum prodeunte, Romana plebs ſoleat panem, vinum, vel aliqua ſibi neceſſaria clamando poſtulare. Quamuis autem vanis populi vocibus annuendum non eſſet, prout ex *l. Decurionum C. de pœnis* elicitur; nihilominus impie a Senatu illis acquieſcente perſecutionis exijt edictum.

[b] in Marcellino
[c] hic.

Indes, & Domna.

2 Mirabilis porro hiſtoria de Martyrio Sanctorum Indæ, & Domnę & viginti millium, vt diximus, a Metaphraſte deſcripta, & a Baronio [d] commendata, quæ etiam habetur apud Surium [e] huic tempori cum eodem Baronio aſcribenda; noſtriſque inſerenda Annalibus, etſi aliquibus de ipſa relictis, vitandæ prolixitatis gratia: continet enim plura, quibus noſtræ hiſtoriæ ſeries, & antiquitas Monachorum, & Monaſteriorum in Nicomediæ partibus, elucidatur. Quod, etſi videamur per eandem lineam

[d] ſub ann. 301.
[e] 6. 10. pro die 26 Decemb.

neam (cum Tertulliano loquimur (serram nostram cum tædio aurium reciprocare, & eandem incudem semper tundere; sæpius nobis inculcandum est, & vt hæreticorum conteramus superbiam, qui monasticum institutum nouitium, & tyronicum autumant, & quorundam Catholicorum notemus incuriam, dum ante Antonium, & Basilium Ascetas, & Asceteria monastica nõ agnoscunt. Primo ergo de Cyrillo egregio Ecclesiæ Nicomediensis Episcopo, Monasteriorum Institutore, & directore hæc habet: *Præ cæteris verò omnibus Ecclesiæ nostræ musica hirundo, qui propter rectam in fide sententiam, & in ea dicendi libertatem, fuit celebratus Cyrillus. Is Nicomediam moribus magis ornans, quam sede Episcopali, & vitam orationi habens consentientem, Monasteria constituebat, & eorum curam gerebat, & ea quæ iam facta fuerant continens, & noua præter vetera ædificans.* Deinde de Domna virgine illustrissima, in thalamo educata Imperatorio; & ab Imperatore constituta prima Sacerdotum, & Præfecta Sacrificijs inanium Deorum, qualiter cum socio Inde eunucho fidem susceperit, & ab eodem Cyrillo instructionem, sic prosequitur: *Ipsa ergo cum fidei sermo dilataretur, & ad diuinarum scripturarum venisset auditionem, & mentis aptitudine rapuisset scintillam pietatis, breui impletur amore spirituali; & eum illum librum accepisset, Pauli, inquam, qui sermone complexus est orbem terræ, & actiones reliqui chori Apostolorum, diligenter, & continenter ea percurrit: & eum cognouisset ea quæ dicebantur esse & vera, & delectabilia & quod est omnium maximum, animæ vtilia, variè afficiebatur: lætabatur, admirabatur, dolore animi implebatur. Lætabatur quidem, quòd in talem thesaurum incidisset, admirabatur autem, considerans fidem Christianorum, eiusque veri studium, & coniunctionem eum virtute suscipiens: angebatur verò, damnum quod eo vsque acceperat, reputans, & noctem profundam ea, quæ præcesserant, existimans: Hanc certè piam fidem desiderans, nihil omninò cunctata, accersit quandam filiam vnius ex Senatoribus (quæ opinione quidem erat Christiana, erat autem ipsa quoque virgo perfecta) verum cultum scire desiderans, & vti ea duce ad religionem. A qua in mysterijs pulcherrimè instituta properat ad baptismum: & media nocte, inscientibus omnibus, venit ad Cyrillum Pontificem. Ille autem cùm modulate diuinas ei cecinisset scripturas, & veneranda Christi Cruce eam obsignasset, tunc quidem eam facit catechumenam, & iubet eá quæ de more prius fiunt, fieri à pio quodam Diacono: erat autem ei nomen Agapius. Illa verò cum & his, & ieiunio, & orationi simul vacaret, non minus hæc agens studuit latere, quam hæc facere. Non erat itaque aliquis, qui horum esset conscius, nisi solus quidam Eunuchus, qui erat ei virtute similis, Indes quidem nomine, genere autem barbarus, etiamsi eius mores non essent barbaris similes, sed mites, & mansueti, & qui significabant magnam internam quietem, & tranquillitatem. Is non solum æque atque ipsa ad fidem accessit, sed etiam, vocante occasione, se primum tradidit martyrio. Ambo ergò, quando venit tempus præstitutum, assequuntur baptismum, & fit post primam generationem cito puella secundò quoque regeneratur, cùm non nata esset*

esset plures, quàm quatuordecim annos. Post quæ & omnium bonorum in pauperes distributionem, ieiunia, & preces; ac amentiæ simulationem, vt meliùs Christum occultaret, qualiter in quodam Monasterio recondita fuerit cum socio, sic prosequitur eadem historia: *Præfectus ergò rogauit Episcopum* (Anthymum videlicet Cyrilli successorem) *vt assumeret virginem, cum ea autem etiam Iudem; & vt eos in sacra aliqua æde traderet in custodiam honestam. Simul etiam dedit pecunias, quæ ad alimentum sufficerent, & vsus corporis necessarios. Ille autem his quidem valdè lubenter suscepit, sed non etiam pecunias. Eos verò misit ad quoddam monasterium, dici non potest quantùm lætantes, quod successisset eis cœptum ex sententia.* Post plura verò quæ nobis ad historiam nostram parum vtilia sunt, sic ad ipsius intentum eo loco habetur: *Ille autem cùm multa dixisset de Archieunucho, & valde ægrè tulisset, quod ei vita fuisset conseruata, iubet ei quidem caput amputari: virginem verò quæri in monasterijs, & dijs illius seruari. Hæc cùm rescivisset ea, quæ monasterio præerat, in quo erat sancta, in primis virili suscepta cogitatione, virili tonsu, & veste ornata virgine, & preces cum lachrymis, ei præbens viæ custodes, & duces eam clam emittit ex sacro thalamo. Sed sceleratus non cessabat quærere; & cum eam non inueniret, furebat communiter in omnia monasteria. Atque sacra quidem omnia monasteria crudeliter diruebantur: virgines verò turpiter probris afficiebantur. Virgines, proh dolor, quas ne masculorum quidem oculis videri erat vnquam tolerandum; atque ita per omnia peruadebat calamitas quasi capta esset ciuitas ab hostibus. Quibuscunque ergo earum erant corpora valentia, & neque senectus, neque morbus aliquis tardabat earum pedes, ipsæ statim fugam spectabant, & ad montes, & speluncas, & ignotas solitudines celeriter abibant, malentes vitam degere cum feris, quam habitare cum hominibus, feris longe immanioribus, & qui corpora virginitatem exercentia probro afficere inhonestum non esse existimant. Sed eo, quod cogitaras, frustratus es ò inimice omnium: & per quæ sperasti tyrannidem exercere, per ea ipsa fracta fuit tibi tyrannis. Non enim neglexit Deus, qui natus est ex Virgine, ipsas virgines vel in medio lictorum conseruare, & quomodo fidem, ità etiam continentiam ipsas prodere non permittere.*

Notanda pro hac historia.

3 Circa quam historiam, & in ipsa contenta præmittendum hic Baronij acerrimi authoris iudicium *sub anno* 301. §. *Reddemus*, his verbis: *Reddemus hic ea quæ in superius citatis sanctorum martyrum Actis fidelissima scripta esse inueniuntur: quorum fidem exploratam in omnibus esse reperimus: nec (quod diximus superius) quemquam moueat, si in eis de Asceterijs, siue monasterijs mentio habeatur; quod errore decepti multi putant non nisi à temporibus Constantini fuisse eiusmodi res, & nomen inuentum: nam præter illa, quæ superius dicta sunt, cum de Essenis actum est, & quæ de existentibus temporibus Apostolorum collegijs Virginum testificatione Ignatij a nobis etiam paulo ante citati narrauimus: si de his dubitans, Eusebio fidem adhibet, equidem ipse (vt suis locis dicemus) hac eadem persecutione vrgente nonnullos ex Ascetis passos esse martyrium tradit: plane si Ascetæ erant, oportuit Asceteria quoque*

fuisse

fuisse, quibus ij continerentur, vnde & nomen quoque fuerint consecuti: quod si virorum, multo magis sanè sacrarum virginum erant, quas timor, facilis lapsus, & virgineus pudor magis includi debere suadent. Et infra §. *Quod audis* hæc subiungentis. *Quod audis de monasterio virginum; haud id tibi videatur esse nouum, quandoquidem iam diu ante & S. Ignatius Apostolorum discipulus meminit de Collegijs Virginum suo tempore existentibus. Ad de his plura superius.*

4 Ex hac ergo historia, & Baronij mente habeat lector non solum hoc æuo ante Antonij Magni Monachatum, Monasteria seu asceteria cum ascetis, Monachis, Deoque Sacris Virginibus Nicomediæ sub Cyrilli primum Episcopi, deinde sub Anthymi gubernio extitisse; sed & antiquitus quoque similia fuisse pietatis sacra templa, prout ex illis verbis *noua præter vetera ædificans* elicitur. Ad hæc, nonnullos ex ijs Ascetis, seu Monachis hac Diocletiani, & Maximiani persecutione feruente martyrium passos esse Baronius relatus Eusebium sequens testatur. Qui porrò hi fuerint, in sequentibus dicemus. Hos verò omnes vtriusque sexus Christicolas Essenum sectatos fuisse institutum idem etiam Baronius relatus subindicat. Qui etiam meritò carpit eos, qui in historia cæcutientes solum sub Constantini tempore Asceteria agnoscunt. Ex quo id quod sæpius inculcauimus de monastices antiquitate ante Antonij institutionem, qui sub Constantino maximè claruit, Baronium quoque habebit propugnatorem. Expendat & lector (quod pro alibi dicendis vtile erit) qualiter in eo Virginum Cœnobio vbi Domna clausa tenebatur, quædam etiam ex illis erat *quæ Monasterio præerat*, Abbatissa, Priorissa, vel simili nomine vocitata. Cum autem Domna & Indes Asceticæ, & Essenæ vitæ comparticipes aliquandiu fuerint; idcirco Martyrium ab ipsis perpessum nostris Annalibus, etsi sub compendio, referre ex eadem historia alienum non erit. Primo ergo flagris cæduntur; deinde Indes cum Dorotheo, & alijs neruis boum verberantur, cum essent eorum colla vincta collaribus, manus & pedes compedibus. Postea Indes cum alijs Martyribus eorum collo molaribus lapidibus alligatis in mare proijcitur. Domna verò in antro latens subterraneo primum, deinde e latebris exiens Indæ, & aliorum corpora reperit, religiose veneratur, ad Maximianum defertur, ac tandem desiderio Martyrij quo tenebatur, potita, amputato capite comburitur. Hic pretiosissimus finis Sanctissimæ Virginis Domnæ, quem etiam commemorant Martyrologium Romanum, & Menologium Græcorum die 28. Decembris, Lippomanus [a], & ex antiquoribus Nicephorus [b].

Corollarium

a to. 5. & b lib. 7. histor. c. 6.

5 Fit etiam mentio in eadem historia de Agape Virgine matre secundum Spiritum Domnæ, quæ quia cursum Martyrij peregisse dicitur cum multis alijs Virginibus, quæ simul cum Templo quodam exustæ fuerunt, ex Deo Sacris videtur vna fuisse, ac proinde a nobis cursim saltem non prætermittenda, vtpote qui huiusmodi Therapeutiadum gesta percurrimus.

Agape Virgo.

Theophila Virgo.

6 Quia verò in historia hac alterius virginis memoria extat, Theophila nomine, quæ ex illis Deo sacratis, & in Monasterijs reclusis vna quoque videtur fuisse, ac per consequens Esenum, & Elianum sapere institutum, ideo hic quoque adiungenda, etsi sub compendio. Erat pulchritudine, sicut & genere, ac virtute inter cæteras clarissima. Cum autem *traheretur à lictoribus, & iam ad probri, ac contumeliæ officinam (lupanar videlicet) violenter introduceretur, manus simul, & oculos in Cælum tollens, miserabiliter adspiciens, mi Iesu, dixit, meus amor, mea lux, meus spiritus, meus custos castitatis, et vita, vide eam quæ est tibi desponsata. Vide ò sponse, in quem nulla cadit reprehensio, et festina: quoniam nec est quidem tempus precandi, ne pactum conuentum fallam, ne prodas me bestijs, ne lupi tuam pecudem dilanient. Serua sponse sponsam, meam conserua castitatem fons castitatis: vt tuum quoque nomen nunc maximè glorificetur, quod intelligenter glorificatur ab Angelis; Hæc illa quidem orauit cum lachrymis, effecta autem Deus reddidit.* Nam, vt in ea historia narratur, cum ingressa in prostibulum sacrum Euangelium, quod habebat in sinu, legere cœpisset, vnus intemperans qui ad eam accedere volebat, humi procubuit mortuas; alius obtutu orbatus vix egredi poterat; alij similia & horribiliora passi sunt; ita vt iam non pro libidine sed pro curiositate alij ad ipsam intrarent. Inueniebant autem *Puellam quidem honestè sedentem, & libro incumbentem: adolescentem autem quendam prope eam stantem, luce quidem ineffabili, pulchritudine verò incredibili veluti quadam tela fulgoris emittentem ex oculis. Hæc postquam viderunt, & metu diriguerunt, & vix tandem, Quis est sicut Christianorum Deus? exclamauerunt: & simul non ferentes spectaculum, rectè secum agi putabant si fugerent, & celeritate maxima domo exibant: omnes quidem obliti libidinis, nonnulli autem etiam ipsa impietate abiurata.* Magicis artibus tribuebat ista Maximianus; sed Dei gratia, & fauore illius adolescentis splendidissimi, qui iuxta eam erat, gesta fuerunt. Qui etiam illam e prostibulo eduxit, ad Ecclesiam detulit, & Christianis, qui in ipsa erant, consignauit. Inferius quoque pro Christo passa martyrium describitur, idque in Tabulis Ecclesiasticis relatis affertur. Baronius etiam [a], hanc virginem vnam ex sacris virginibus appellans a D. Basilio [b] commemoratam esse dicit, dum de electis Virginibus memoriam agit.

a *sub ann. 301. §. Hic opportune.*
b *in Comment. de ver. Virginit.*

Ecclesiæ cremabantur.

7 Ex ea quoque historia dilucide constat in hac sæuissima, ac truculentissima Christianorum persecutione ipsorum Ecclesias, & Templa (sicut & ascetarum Monasteria) ab impijs tyrannis solo æquata, deturbata, seu incendio tradita fuisse, Diocletiani præsertim edicto, cuius meminit Eusebius *lib. 8. c. 3.* & alij post ipsum. Quod nostris Annalibus materiam suppeditat; siquidem hac procellosa tempestate Templum illud Toletanum Deiparæ ab Elpidio nostro, iuxta dicta *sub anno 40.* consecratum, etiam perijsse habetur *in fragmentis Luitprandi numero vndecimo*, his verbis: *Anno Domini 302. Constantio Cloro, & Galerio Maximino Cæsaribus, Consulatu quarto, die 3. Aprilis die Veneris S. Passionis Domini per totum*

Orbem

Orbem & anno 16. Melantij Toletani Pontificis ijsdem Coss. mense, & die, diruta est Ecclesia Toletana B. Mariæ Virginis Assumptioni à S. Elpidio erecta, & à B. Marco Marcello spatijs ampliata, solo æquata est à Duumviris, iussu Diocletiani, edictoque P. Datiani Hispaniæ Præsidis, qui demolitioni præfuisse dicitur. Extunc creditur per Orbem sacras Synaxes fieri solitas in speluncis, vt Romæ in cœmeterijs, Augustobrigæ, quæ dicitur à Mauris Cobisa, in fine Carpetaniæ in antro: Toleti in spelunca, quæ vulgò dicitur Herculis, *opere Romano; Libariæ in Celtiberia in speluncis, quas à Ciuitate Foratas vocant, & sic in alijs antris.* Eadem fermè apud Iulianum Petri, & alios, quos retulimus *sub anno* 40.

8 Nec modo in Templa, Sacrasue Ædes edictis promulgatis tyrannica sæuiebat impietas, sed & in libros, sacraque Christianorum volumina, teste Eusebio relato, Augustino [a], Arnobio [b], & alijs post ipsos. Quibus accedit & Luitprandus [c] sic dicens: *Dici non potest quanta defectio Christianorum animis accesserit hac demolitione, & librorum incensione. Tales tamen libros loco tuto posuit S. vir Melantius, & animabat Christianos ad tolerantiam cruciatuum.* De libris ergo comburendis promulgato edicto, in omni Prouincia Præsides, & in singulis Ciuitatibus, Oppidis, atque vicis officio inuigilabant, vt a Christianis Codices traderentur; ad hocque ijdem vrgebantur, additisque tormentis crudeliter cogebantur. Qui ergo atrocitate pœnarum perterriti, quos apud se haberent Codices traderent, *Traditores* eiusmodi vocabantur; erat horum ingens numerus, sed propè infinitus illorum, quorum constantia nulla est concussa formidine tormentorum, qui ne Codices sacros traderent lubentissimo animo mortem oppetiuerunt: horum omnium coronas, quod impossibile visum sit, singulorum memoriam prosequi, vna die; nempe secunda Ianuarij Romana Ecclesia celebrat hoc præconio: *Romæ commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum, qui spreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo tradi sacri Codices iubebantur, potius corpora carnificibus, quam sancta dare canibus maluerunt.* Baronius, Gordonus, Coriolanus, & alij. Notanda specialiter Seueri [e] verba: *Hac tempestate omnis fere sacro Martyrum cruore orbis infectus est, quippe certatim glorioso in certamine ruebatur, multoque auidius tunc Martyria quærebantur, quam nunc Episcopatus ambitionibus appetuntur.* O felix sæculum!

Libri etiam.

a de Baptismo lib. 7. c. 2.

b aduers. Gent. lib. 4. in fin.

c in fragm. 11.

e lib. 2. c. 31. & 32.

9 Tanta præterea, tam immanis, & acerba hoc tempore in Christi fideles persecutio efferbuit, vt vel solo hoc vnico argumento, quòd ea Christiana Religio non flaccesceret, sed cresceret; non minueretur, sed augeretur, Christianorum animi firmari possunt, prout diuina prouidentia sic dirigente ostendit Arnobius ex Rhetore ethnico Christianus eo æuo factus [d]. Ostendit id quoque relatus Seuerus dicens: *Nullis vnquam magis bellis mundus exhaustus est, neque maiore vnquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus.* Quanta porrò hæc persecutio fuerit, ex Eusebio relato [e] oculato vtique teste habeat lector, &

Acerbitas persecutionis.

d lib. 1. in fin.

e c. 3.

cap.6. videat qualiter inter Martyres homines etiam Religiosos recenseat. Plura quoque *cap.9.* Inferius etiam [a] totam & integram vnam Ciuitatem in Phrygia quod Christiana esset, igne concrematam esse cum fœminis, pueris, cunctisque in illa existentibus, Duce Adancto Italo genere, refert. Hæc, etsi historiæ nostræ non propria, ex Eusebio compendiose retulimus quia fidem augent, pietatem excitant, deuotionem acuunt; & Religiosorum (propter quos præsertim hoc opus elaboramus) animos instruunt, vt ad austeritates Religionis fortiter tolerandas animosiores reddantur, qui tam acerba inspiciunt Martyres pro Christo perpessos.

a cap.11.

Maginus, seu Maximus

10 Inter Martyres huius temporis, pro anno scilicet 302. Maginus, seu Maximus refertur, Eremiticæ vitæ cultor, vt propterea nobis omittendus non esset, qui horum Eremitarum, seu Monachorum Eliani instituti æmulatorum historiam atteximus. De eo sic inter Fragmenta Luitprandi [b] legitur: *S. Maginus, alias Maximus passus est 8. M. passus à Tarracone in monte Palfuriano 15. Augusti sub Diocletiano, Preside Hispaniarum Datiano anno 302. fuit Ciuis Tarraconensis, egit vitam eremiticam.* Eius memoria videtur haberi in Martyrologio Romano pro die 25. Augusti, vbi Baronius ex Flore SS. Hispaniæ, & Tabulis Ecclesiæ Tarraconensis.

b n. 54.

Sacræ Virgines

11 Plurium quoque Sacrarum Virginum, & Martyrum historia pro hoc tempore nobis omittenda non est, in illis namque cum sacra virginitate Eliani, & Esseni instituti odor fragrat. Præsertim, quia iuxta dicta sæpius in præcedentibus, maximè sub anno 46. & 98. Sacrarum virginum nomen virginitatis votũ subindicat, cuius voti quodammodò Primicerium in lege veteri Eliam Patres agnoscunt. Ex illis vna Eulalia Emeritensis est quæ nedum virgo, sed & *Sanctimonialis* ac *cum Sodalibus* habitasse, in Actis ipsius afferendis dicitur, quod proculdubio Monasticem redolet, ac proinde nostrum calamum vocat, qui Monachorum, & Monialium gesta, vt pote ad Eliæ scholam, qui Monachorum Patriarcha primus extitit, spectantia. Esto autem sacerrima hæc virgo nullatenus ad nostram spectaret historiam; mihi prætermittenda non fuit vel sub compendio, & aliquibus prætermissis, breuitatis ergo; cum inter Hispanas illustrissima iure meritoque censeatur. Ex Breuiarijs ergo Palentino, Salmantino, & Asturicensi, quæ suppeditat Franciscus Biuarius [c], hæc colligimus: *In diebus illis Virgo beatissima Eulalia sanctimonialis puella, (notet hic lector Sanctimonialis titulum) patrem habuit Liberium Emeritensis vrbis primarium. Cumesset annorum circiter tredecim, Deo timorata mente, & corpore casta, ac religione pudica, docebatur a quodam Donato Presbytero, ab eius infantiæ rudimentis, vt Christum fateretur. Quæ dum annos adolescentiæ fuisset ingressa, fidem quam sancta deuotione conceperat, animo fortiore seruabat.* Deinde post alia: *Ad passionem ducta sic Calpurianum Præsidem vrbis Emeritensis allocuta est: Quid ingrederis vrbem inimice Dei excelsi? Quid persequeris Christianos, & niteris perdere Virginem Dei? Dominus me docet in veritate sua, nec auferes à me castitatem meam, quia non seduces adolescentiam meam. Calpurnianus*

c in Annotat. ad Flauium Dextrum cir. annum 300.

Præses

Præses dixit: O infantula, antequam crescas, florem ætatis tuæ perdere quæris. Eulalia Beata respondit: Ego annorum circiter sum tredecim; putasne infantiam meam tuo posse terrore turbari? Sufficit mihi hac transitoria vita; & quia terrena vita blandimentis non delector, alteram futuram beatam expecto vitam, qua beatior dono diuinitatis efficiar. Calpurnianus Præses dixit: Istæc vanitas misere non seducat; accede, & sacrifica dijs secundum præceptum Imperiale quo possis tormenta euadere, & honorari, & sponsum diuitem promereri. Beata Eulalia respondit: Habeo sponsum diuitem immortalem Christum, qui te, tuosque perdet, & patrem tuum Diabolum, qui dicitur Sathanas. Tunc misit Præses, vt in carcerem mitteretur. Deinde post alia, in quibus habetur more puerorum sanctam puellam in natibus flagellatam fuisse. *Virgo perseuerans in constantia, audacter plena fide, & libera voce, ita vt omnes audirent, dixit: Calpurniane da sententiam; Regibus enim tuis, ac Dijs eorum, ea quæ sæpius dixi repeto, & maledixi, & maledico. His verbis auditis B. Virginis exacerbatus vehementer, & accensus Calpurnianus furore nimio, iussit sibi sequenti die aptari tribunal in foro. Tum præcepit ex sententia Beatam Virginem cruciari, & primò iussit eam cædi cum fustibus madefactis, & mammillas eius candente oleo perfundi, & ipsam in calcem viuam demergi, & aquam desuper fundi, & liquatum plumbum in olla super eam poni. Ad vltimum verò Calpurnianus videns se victum, & confusum, iubet B. Eulaliam extra Ciuitatem duci, & in equuleo suspendi, & exungulari, & circa latera eius lampades ardentes applicari, & viuam flammis cremari. Post hæc verò B. Eulalia diuersis tormentorum generibus macerata, pendens in cruce super his omnibus gloriabatur, commemorans se ipsam, in quibus se ab infantia præparauerat omnibus etiam audientibus se dicebat: Credi oportet vnum, & verum Deum, Patrem Cælestem, & Iesum Christum filium eius omnipotentem, cum Spiritu sancto adorandum, qui est benedictus in sæcula. Sicque beata, & gloriosa in suo fine festinans ad Dominum quo celerius ire properabat. Ergo flamma ignis de vtraque parte apposita, aperto ore suo vim rapuit, & auxit incendium; quo facto ex ore eius in specie Columbæ, in conspectu omnium Sanctæ Martyris Spiritus migrauit ad Dominum.* Eam etiam dignè commemorant Martyrologia, Bedæ, & aliorum cum Romano *pro decima die Decembris*, Prudentius [a], Venantius Fortunatus [b], Aldelm. [c] Gregor. Turonens. [d] Isidorus [e], scribens Gothos ab Emerita abstinuisse territos ab hac Virgine: Equilinus [f] eam confundens cum alia Eulalia Virgine & Martyre Barcinonensi hoc tempore etiam passa, de qua Martyrologia 12. *Februarij* alijque historici, Hispani præsertim.

a hymn. Peristeph. & hymn. 4.
b lib. 7. carm. & de gaudio vit. atern.
c lib. de laudib. Virg. [illegible]
d de glor. Martyr. lib. 1. c. 91.
e in Hystor. Gothic. æra 491.
f lib. 1. c. 54.

12 Potiori iure huiusmodi Virginibus sacris Eliadibus, & Therapeutidis accensenda videtur nobilissima alia Leocadia Toleti Imperialis vrbis Hispaniæ Patrona deuotissima, nedum quia Deo dicata Virgo fuit, sed quia Luitprandi Fragmenta eam *Ordinis Carmelitani monialem* dicant; & cum Ordinem à Monachis Carmelitanis nuper ad fidem Christi conuersis in Hispaniam illatum esse asserant. Quod etsi multis ambiguum forsan videLeocadia.

vide-

videbitur; eruditis tamen, & qui Prophetici Ordinis scholam per orbem totum, tum virorum, tum fœminarum numero propagatam hoc æuo inspexerint, mirabile non erit. Vtvt res fuerit, nos qui, etsi veritatis [a] professores existimari volumus, nihilominus quia iuxta Boethij [a] sententiam *de vnoquoque vt ipsum est fidem capere, & tentare* debemus, hanc sacram virginem prætermittere non possumus. De ipsa ergo in relatis fragmentis *n.* 100. sic: *Sunt qui putent, quod & ego credo, S. Leocadiam Monialem fuisse Ordinis Carmelitani, quem Ordinem Monachi Carmelitani ad fidem Christi conuersi in Hispaniam intulerunt, ex quibus fuit Elpidius primus Toletanus Præsul à S. Iacobo constitutus.* Sane quidem ex hoc secundo primum illud consequitur. Si enim Elpidius primus Toleti Antistes extitit, & is ex Carmeli filijs, de quo in superioribus actum, credi etiam datur Eliæ aliquot propagines eam Vrbem decorasse, & inter eas hanc Deo sacram Virginem. Acta verò ipsius à Biuario supra ex Breuiario Palentino extracta hæc sunt: *Impijssimi Diocletianus, & Maximianus Imper. crudelissimum Dacianum Præsidem destinauerunt, qui post multorum sanctorum cædes, Toletanam vrbem ingressus est, vbi reperit Deo dicatam Virginem Leocadiam* (expendat lector illud *dicatam Virginem*, quod vt sæpius diximus *Sanctimonialem* denotat) *de nobilissimo genere exortam; quæ non diebus, neque noctibus, peruigili cura, ab oratione cessabat. Qui quidem Dacianus, cum eam suis conspectibus præsentari præcepisset, ita affatus est: Cur te tam leuis, & vana ludit circumuentio, vt de tam præclaro genere nata, relinqueres ceremonias Deorum nostrorum, & nescio cui Christo te offeras seruituram? B. verò Leocadia respondit: Non me tua suasio à proposito Christi reuocabit, nam illi me seruituram deuoui. Non illusio verborum tuorum, nec blandimenta natalium quibus me suaderi conaris, retrahent à seruitute Domini mei Iesu Christi, qui nos suo pretioso sanguine redimens, magnam indidit libertatem. Furens itaque Dacianus præcepit eam trudi in carcerem arctissimis vinculis colligatam, donec excogitaret, quibus pœnis, vel tormentis eam affligeret. Deinde profectus Elboram Ciuitatem, multos sanctos sanguine fuso transmisit ad Dominum. Cumque in Toletana vrbe ad beatam Leocadiam borum fama percurrisset, genibus in oratione positis in eodem loco, quo reclusa tenebatur, completa oratione suum Domino commendans spiritum misit ad Cælum.* De ea non solum Martyrologia *sub die* 9. *Decembris*, sed & cæteri Hispanicarum rerum authores, specialiter Vasæus, Padilla, Mariana, Marieta, Villegas, Truxillus, Maldonatus, Marinæus. Iunge Baronium [b], Biuarium [c] & Thomam Tamaium de Vargas [d], apud quos etiam multa de Basilicis ipsius nomine dicatis, Concilijs in eis celebratis, ac de eiusdem Leocadiæ corporis translationibus. De loco autem in quo condita fuit sic in fragmentis Luitprandi *nu.* 208. reperimus hæc, alibi examinanda: *Nulli tempore Romanorum permissum est sepeliri, vel vri corpora mortuorum intra Ciuitatem, sed extra: sic Christiani sepelierunt S. Leucadiam in pomario, vel suburbio, quod tunc muro veteri longius distabat, separatim corpora Sanctorum; & Pontifi-*

[a] in lib. de Trinit.

[b] ann. 303. & in not. ad Martyrolog.

[c] supra.

[d] in notis ad Luitprandum.

tificam seorsum Christianorum, dicebatur locus sepultura Sanctorum:

13 Eidem tempori accensenda cum Baronio supra aliorum Martyrum historia, qui cum in Basilicas, Sacrasue Ædes, ac Sacrosancta Volumina persecutionem sæuire cernerent, & ad priuatam domum Occani Felicis in ciuitate seu Colonia Alutinensi pro Dominicis Sacramentis celebrandis confugerent, a Coloniæ Magistratibus comprehensi Martyrio coronati sunt. Ea porro nostris Annalibus etiam attexenda, quod in ipsa duæ sanctæ fœminæ recensentur, quæ Essenarum Virginum institutum æmulatæ apparent. Vna enim vocatur *Maria Sanctimonialis*, quæ suopse nomine, sine alio teste, rem indicat; cum *Sanctimonialis* titulus nunquam nisi Virginibus Religiosam & monasticam vitam gerentibus concessus reperiatur. Secunda dicitur *Victoria*; quæ etiam eiusdem instituti videtur, vt ex sequentibus constabit, vbi ex sacrarum Virginum choro fuisse dicitur, & suam virginitatem *in æde pudicitiæ, portu pudoris, & Ecclesia* (Monasterium intellige) relictis nuptijs Deo consecrasse. Huius historiæ aliquot verba apud Baronium relatum, & Surium *sub die vndecima Februarij* sunt talia: *Et ne deuotissimus feminarum sexus, florentissimusque sacrarum virginum chorus certaminis tanti gloria priuaretur, omnes fœminæ Christo Domino auxiliante, in Victoria Congressa sunt, & coronatæ. Etenim Victoria sanctissima feminarum, flos virginum, decus, & dignitas Confessorum, honesta natalibus, religione sanctissima, moribus temperata, in qua naturæ bonum candida pudicitia relucebat, respondebatque pulchritudini corporis fides pulchrior mentis, & integritas sanctitatis, ad secundam palmam restitutam se in Domini martyrio latabatur.* Et post pauca: *Denique postquam plena virginitas vltimum ætatis tempus expleuit, cum puella nolens, & reluctans in nuptias à parentibus cogeretur, inuitamque tradere sponso prædo suggereret, clam se per præceps puella demittit, aurisque famulantibus supportata incolumis gremio terræ suscipitur. Neque fuerat postmodùm pro Christo Domino passura, si pro sola tunc pudicitia moreretur. Liberata igitur nuptialibus tędis, illusoque simul cum parentibus sponso, media pene de ipsa nuptiarum frequentia prosiliens ad Ædem pudicitia, portumque pudoris, Ecclesiam intacta virgo confugit: ibi consecrati Deo, dicatique capitis in perpetuam virginitatem, sacratissimum crinem inconcusso pudore seruauit.* Post quæ de eius Martyrio hæc: *Mox cum hæc Anulinus audisset, furijs agitatus exarsit, & puellam, sacratissimam martyrem Christi in carcerem vna cum cæteris relegans, passioni omnes reseruauit.*

Alix Virgines.

Annus Christi 304. Marcellini Pont. 9. & Marcelli 1. Constantij & Galerij Imp. 1.

1 CONTINET hic annus singulare facinus Imperatorum Diocletiani, & Maximiani: eo enim per duos mẽses inchoato purpuram deposuerunt Imperio renuntiato. Succedunt designati ab ipsis Successores Maximianus Galerius perperam nomi-

Imperatorum successio.

nominatus Maximinus in Oriente, Græcia, & Illyrico; & Constantius Chlorus in Occidente, & Africa. Qua vero de causa id fecerint, non
a lib. 8. c. 16. compertum apud omnes. Eusebius enim [a] eam affert, quod Diocletianus primus huius truculentissimæ persecutionis author *in tam lethalem, & pestiferum morbum delapsus est, vt mens inde de statu suo deturbaretur.*
b cap. 25. Eam magis explicat Constantinus apud eundem Eusebium [b] in celebri illa oratione quam habuit ad Sanctorum Cœtum: *Diocletianus quoque cum post cruentam cædem in persecutione factam ipse contra se quodammodo propter vitium amentiæ, & delirationis suffragium tulisset, se vnius abiectæ, & humilis mansionis munitioni, ac præsidio concredens, pœnas dedit.* Aliam ad-
c to. 6. di 10. Decembris. dunt Acta Menæ & sociorum Martyrum apud Surium [c], quam etiam ap-
d Annal. p. 3. probant Zonaras [d], Baron. [e] & alij. Quod scilicet truculenti hi Impe-
e sub hoc anno. ratores *quando cognouerunt se ea aggredi, quæ non possent fieri, & vt dicitur iaculari aërem, & conari mouere quæ sunt immobilia, vterque eorum deposuit Imperium: apud alios quidem prætexentes fortunæ satietatem, & amorem mutationis: ijs autem quibus poterant secreta communicare, & animum aperire, dicentes Christi virtutem, & quæ ex signis proficiscebatur persuasionem, & quod cum hoc non potuissent efficere, alia posthabentes, & parua existimantes, nec imperare quidem volebant.* Desperati ergo, mœrore confecti, rubore suffusi, mente turbati, iam regni pertæsi, victi, & superati Christi virtute semetipsos Imperio spoliarunt, in vindictam sanguinis innoxij fidelium. Sed non per hoc satis, nam Diocletianus velut Cain tremens, ac pauens, miserrimè viuens diem extremum infelicissime clausit; Maximianus verò spontaneo laqueo se præfocans vitam abrupit. Genebrardus, & Baronius ex alijs.

Marcellus Papa. 2 Hoc eodem anno Marcellino Martyrio coronato succedit Marcellus primus Romanus Benedicti filius. Onuphrius, Ciaconius, Baronius, & alij. Maxime pro historia Marcellini quomodo prius Idolis incensum obtulerit, & postea rei pœnitens Sinuessæ Vrbe Campaniæ, nunc *Sessa* dicta, crimen in Concilio fassus sit, legendus Ciaconius *in Marcellino.*

Antonij gesta. 3 Vt ad propriora veniamus Antonij Magni Eliæ sectatoris contra Dæmones gesta huic tempori prudenti computo apranda (teste Athana-
f in eius vita cap. 12. sio [f]) sic erant: *Audiebantur vt vulgi voces aduersum Antonium, tumultusque dicentium: Quid te nostris ingeris habitaculis? Quid tibi, & deserto? Abscede à finibus alienis, non potes hic habitare, non nostras insidias sustinere. Et primo quidem, qui foris erant, existimabant aliquos homines scalis appositis introisse, ibique contendere. Postquam autem per cauernas introspicientes, nullum viderunt, demones intellexerunt contra eum contendere, & nimio metu perterriti, Antonij auxilium flagitabant. At ille ostio propinquans ad consolandos fratres ne timerent, atque vt inde recederent, precabatur, trepidantibusque afferebat cunctis à dæmonibus incussi metum: Signate vos, inquiens, & abite securi, ipsosque semetipsos finite deludere. Rursusque ad eremum venientibus turbis, quem tam mortuum cum se existimauerant reperturos; ille psallebat intrinsecus:*

Exur-

Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant; vt liquescit cera à facie ignis, ita pereant peccatores à facie Dei, & iterum: Omnes gentes circumdederunt me in nomine Domini vindicaui in eis.

4. Quia etiam, quantum conijci datur ex historia Charitonis, de quo in superioribus, circa hoc tempus grassantis persecutionis in Christianos superuixit, animamque Deo, Cæloque tradidit, ideo vltima ipsius gesta, præclaram præsertim ad fratres exhortationem, quæ pro regula probis Religiosis deseruiet, ex eadem historia hic apponimus: *Cum curam gereret quietis, & silentij, vt nullius alterius rei magis, non ignorans quantum posset conferre ad virtutem, cum resciuisset esse quandam speluncam in præcipiti quidem, & prærupto monte sitam, sed non longe distantem ab hac sacra Laura, quæ vsque in hodiernum diem appellatur Cremastos, id est, pensilis, non enim potest quis ad ipsam accedere, nisi scalis, eam habitat vir ille egregius; cum autem multum temporis præterijsset, & partim quidem senio, partim autem longis laboribus exercitationis ei remissum esset corpus; & neque sibi posset ministrare; & aquam afferre, ipse nolens alij rursus hoc mandare ministerium quid, quid facit? Deum rogat, qui quæ fieri non possunt facere potest, vt fiant, & petra rursus, non virga percussa, sed precatione aquam emittit, non inobedienti, contumaci que populo, & iniquo, sed valdè obedienti, & cedenti Dei legibus. Ex vno enim antri latere protinus scaturijt aqua frigidissima, & limpidissima, quæ manet vsque in hodiernum diem, non solam sitim sedans, sed quæ est etiam perfectum testimonium necessitudinis, quam cum Deo habebat Chariton. Quid amplius? Cum suum à corpore excessum, vel potius ad Deum accessum, sic enim magis conuenit dicere, ex diuina relatione in foribus adesse cognouisset, omnes quidem dictorum trium Monasteriorum pastores simul, & greges ad se accersit, & simul cum his omnibus venit ad sacram Lauram, Pharum dictam, vbi* (quædam pauca prætermittimus) *sic loqui incipit: Ego quidem, ô filij, iam ad Deum contendo, & venit tempus meæ resolutionis, oportet ergo vos vestrarum animarum curam gerere, dum est tempus, scientes post mortem nullas esse vires pœnitentiæ, sed illic quidem esse tempus remunerationum, hic autem laborum, & certaminum, & præsentium quidem, seu sit aliquid iucundum, & quod delectat oculos, aut gutturi, id citò fluere, & redigi ad nihilum: seu molestum, & laboriosum, id quoque habere, qui resoluitur, & est ad tempus, dolorem; futurorum autem, & quod delectat esse æternum, & quod molestia afficit semper permanere. Atque primum quidem sit vobis recta, & firma fides, nullo labascens periculo; deinde vita quoque sit pura, aut expurgetur. Et ante omnia vobis sit curæ corporis sanctificatio, vt in templa impolluta ad vos accedat, & inhabitet, qui est purus, & sanctificatione sua, & bono odore animam impleat. Res enim mala, est ira & si quid aliud lædere potest fratrum amorem. A vobis autem omnino retineatur, ac foueatur pax, & mansuetudo. Quod si inter vos aliquando contigerit offensio, nè sol occidat vobis, à luce adeo remotis ex odio. Sed reuocandum est quam diligentissimè fieri poterit bonum charitatis, vtpote quod sine eo non liceat* vide-

videre Solem, qui percipitur intelligentia. Si mala autem cogitatio in vestris sita sit animis, curæ vobis sit eam citò expellere. Sic eam enim faciliùs ejicietis. Quo enim magis ea sinitur permanere, eo plus exhibebit negocij, & erit expugnatu difficilior ei, qui aduersus illam voluerit decertare. Sint autem vobis arma ad bellum, ieiunium, oratio, lachryma, memoria mortis, & gehenna, & quod est omnium validissimum, & inimicis maximè terribile, beata humilitas, cautioque ne vnquam vos prauæ occupent cogitationes, ac obseruatio sensuum, & prætereris, oculorum, & aurium. Hinc enim est illis aduersus nos ingressus, & mors quæ ad nos ingreditur per fenestras. Possessionem omnium pretiosissimam noui nil possidere, & hæ sunt veræ diuitiæ ei, qui est verè generosus, & plane liber, nulla eorum, quæ adsunt vinctos esse cupiditate. Dimetitur autem Diuinus Apostolus vsum corpori necessarium: Habentes, dicens, alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Res est grauis elatè de se sentire, neque est aliud, quod magis possit euertere. Id autem solet vt plurimum consequi opes recte factorum, & tunc timendum est earum naufragium. Sed stat dexteram porrigens nobis rursus diuinus Apostolus, & verbo ijs, qui habent aures, magnam præbens securitatem. Qui enim videtur stare, inquit, videat ne cadat. Fratrem iudicare, cauendum est pro viribus. Hic est enim fœtus animæ, more Pharisaico alios despicientis, & eius, qui per aliorum condemnationem se vult iustificare. Sed tu, eo dimisso, si iudicandi tenearis desiderio, cum te proxime habeas ne cesses te quotidie iudicare, & examinare, & quam optime corrigere. Ad petulantiam, ac contumeliam propensa res est venter, qui curatur, & qui curantem misere remuneratur. Laboribus autem flectitur, & ieiunio domatur, & vt audax equus, ab immodestis arcetur saltationibus. Non est à vobis obliuioni mandanda hospitalitas. Hospitio autem excipientes, pedes quoque humiliter lauate: hoc est enim Christi preceptum, & quod ipse primus fecit, nos iussit facere similiter. Per id enim non solum geritur cura proximi, sed potest etiam curari grauis animæ morbus, nempe nimia de se persuasio, atque multas quidem etiam alias peccati sordium expiationes inuenit Creator, & Saluator nostrarum animarum, vtpote lachrymas, gemitus, cordis contritionem, ieiunium, precationem, humi cubationem, etsi quod est aliud medicamentum benignæ pœnitentiæ. Sed difficilia sunt hæc, & laboriosa, etiam si multam præbeant vtilitatem. Vnum autem noui, quod est admodum quidem expers laboris, ad purgandas autem animæ sordes est validissimum. Quid hoc est? Iis qui delinquunt, peccata dimittere. Quod quidem non est solum Deo gratum, & nostrorum malorum ab eo exorat solutionem, sed etiam supplicio sæpe vehementius attingit eum, qui peccauit, & pro libero facit seruum ei, qui ignouit: quomodo etiam videtur externis dicentibus: Est venia supplicio potentior. Cum hæc, et multa alia eiusmodi dixisset discipulis, et precatus esset salutem animæ, et eis benedixisset, nullum autem accepisset morbi sensum, neque partium corporis vllum sensisset dolorem, in quodam lecto accumbens, remisit quidem pedes, emisit autem beatam quoque animam lætantibus lætam eam tradens Angelis; manibusque sanctis, vt par erat, mandatus sepulturæ, transit ad vitam, quæ nunquam desinit.

Ad

5 Ad Gallerij Imperatoris tempus referenda historia de Sancti Romani martyris passione, quæ nostrorum Annalium propria est, vt inferius dicetur. Ipsam porrò Petrus de Natalibus Equilinus Episcopus [a] fideliter refert, eo enim solum à veritate deuiare videtur, quod sub Maximiano rem referat, cum tamen non nisi sub Gallerio gesta videatur, prout Martyrologium Romanum die 18. Nouembris, & alia monumenta profitentur. Sic ergo Equilinus Episcopus: *Romanus Martyr apud Antiochiam passus est tempore Maximiani Imperatoris sub Asclepiade Præfecto. Cum enim dictus Præfectus in ipsam Vrbem ab Imperatore missu ingressus esset, vt Christianos immolare compelleret, & Ecclesiam destrueret, Romanus Monachus Christianis suadebat, ne Præfectum in Ecclesia eorum intrare permitterent, neque ei in aliquo obedirent, quod cum Præfecto nunciatum esset, fecit eum comprehendi, & sibi præsentari, mandans, vt dijs immolaret iuxta Imperatoris decretum. Cum autem ille Christianum se assereret, & nulla ratione dijs sacrificaturum dixisset, iussit eum Præfectus in equuleo leuari. Sed audito quod esset de prioribus Ciuitatis, fecit eum deponi, & cœpit blandis sermonibus ipsum ad suum consensum prouocare, eo quod nobilitati eius vellet deferre. Ille autem è contra dicebat nobilitatem suam in sola Christi confessione consistere. Tunc Præfectus iussit os eius cum lapidibus percuti, ne tam indisciplinate responderet. Deinde fecit illum acriter torqueri. Cum autem Romanus diceret, quod Deos qui ab hominibus facti sunt, nemo colere deberet, & in huius testimonium infantem vnum in platea deambulantem produceret, puer quoque hæc eadem affirmaret. Iratus Præfectus puerum teneri fecit, & catominis cædi, matrem quoque illius adduci, & in eius conspectu filium suspendi, & torqueri; quæ mater in nullo perturbata filium in Domino confortabat. Romanum autem mandauit Asclepiades diutius fustigari; deinde ipsum vna cum puero in carcerem recipi ambos in crastinum exurendos. Sequenti verò die fecit extra Ciuitatem ignem copiosum accendi, & Romanum, ac puerum eductos de custodia cremandos adduci. Sed eadem hora pluuia copiosa descendit, & ignem extinxit. Quod audiens Præfectus præcepit puerum capite truncari, Romano vero linguam præcidi. Mater verò pueri corpus filij sublatum sepeliuit. Romanus autem lingua præscissa nihilominus disertè loquebatur, & de sanguine proprio laudes Dei scribens Christianos astantes hortabatur. Præfectus verò cum hæc audisset, carnificem qui linguam eius absciderat, teneri fecit, eumque occidi mandauit, eo quod linguam eius modico præcidisset, qui vt Præfecto satisfaceret porci vnius linguam excidit, & mox porcus dolore defecit. Sicque Præfectus carnificem inculpabilem dimisit. Romanum autem fecit in carcerem trudi, eo quod populum timeret, quia de nobili progenie esset. Noctu autem mandauit eum Asclepiades in carcere præfocari. Cuius corpus à Christianis in ipsa Vrbe honorifice sepultum est. Passus est autem 14. Kalend. Decembris.*

6 Diximus porrò hunc Romanum Martyrem Ordinis nostri alumnum fuisse, non solum eo fundamento ducti quod eo tempore quo *terra erat labij vnius*, quia vnus tantum in Orbe Monachalis Ordo, monachus fue-

S. Romanus Martyr.

a lib. 10. c. 35.

An Ordinis Eliani.

fuerit(prout Equilinus relatus, Alphonsus Villegas [a] & Breuiaria Palentinæ, & Pacensis Ecclesiarum in Hispania asserunt, quibus astant celebres eiusdem Sancti in Parochialibus Ecclesijs Toleti, & Hispali ipsi dicatis imagines habitu monachali depictæ) sed & quia inter Eliæ successores, etiam in Carmelo ab aliquibus recensetur. Inter quos Villegas relatus Hispanice sic: *Estaba en la Ciudad vn Varon de claro linaje, y de santas costumbres llamado Roman; era Religioso, y segun algunos autores, y buenas conjecturas, conforme al tiempo de los que seguian el instituto del Profeta Elias, y residian comunmente en el Carmelo*. Expressius in Italica editione Venetijs 1611. *Si ritrouaua nella Città vn'huomo di sangue nobile, religioso di quelli del monte Carmelo di costumi santi, e chiamato Romano*. Quod & sequuntur ex nostris Coria [b] Franciscus S. Angelo [c], Thomas de Iesu [d], Marcus de Guadalaxara [e], Valerius Ximenes de Embum [f], Casanate [g] & Petrus de Quesada [h] speciali notitia pro hac re edita Granatæ an. 1638. vbi de illa fusè, comprobans etiam diuersum hunc Romanum fuisse ab alijs eiusdẽ nominis specialiter ab eo qui etiam pro die 18. Nouemb. simul cum isto refertur in Menologio Græcorum. Quem Cassanate etiam inter nostros connumerat; sed vix vllo fundamento. Quod verò ipse & Embum aiunt de huius posterioris corpore, quod Sangolæ in Regno Nauarræ conditum manet, admitti facile potest.

a in Vlerario Sanctorum ia ... ipsius in ten Extrauagantes relata.

b lib. 7. c. 19.
c in Catal. S S. Ordinis c. 25.
d de antiq. Ord. lib. 1. c. 11.
e in Catal. Sanctor.
f 1. par. Rom. c. 1. §. 1.
g in Parad. stat. 2. etat. 5. c. 59.
h in notitia quadam.

Annus Christi 305. & 306. Marcelli Pont. 2. & 3. Constantij, & Galerij Imper. 2. & 3. ac Constantini 1.

Persecutio sæuiens.

VIGEBAT hoc tempore in Christianos iam cæpta sæua persecutio, ita vt propter ipsam multi in Idololatriam lapsi essent. In Hispania etiam (iuxta Baronium, Gordonum, Coriolanum, & alios) Illiberi in Bætica Prouincia Concilium celebratur, in quo de ea re actum, etsi austeriori spiritu. Interfuerunt & Synodo Osius Episcopus Cordubensis a Patribus Magnus appellatus, Valerius Cæsaraugustanus, Tuccitanus, & Malacitanus Episcopi, alijque. De hoc autem Concilio nos sub anno 300. diximus, quo secundum Dextrum, & Biuarium referendos coactum fuit. Etenim Flauius Dexter [i] sic loquitur: *Iliberri in Batica Concilium multorum Episcoporum contrahitur; praest Felix Episcopus Accitanus; cogitur iussu, mandatoque Melantij Toletani Pontificis, & Hispaniarum Episcopi primæ Sedis*. Pro quibus, & huius Concilij antiquitate, authoritate, ac dignitate legendi Ferdinandus de Mendoza *in egregio Opere* à se scripto sub titulo *De confirmando Concilio Iliberritano ad Clementem Papam Octauum*, & Franciscus Viuarius [k]. Interim moritur Constantius Imperator Eboraci in Britannia, & Deo pro sua Ecclesia prouidente, vt *post persecutionis nubila Phœbus* oriretur, Constantinus Constantij, & Helenæ Brittannæ proles capessit Imperium. Quo Romæ audito, Maxentius Maximiani Herculij filius illud inuadit

i in Chron. sub ann. 300.
k in Annotat. ad Dextrum.

Prætorianorum militum fauore. Eusebius [a], & plures post ipsum.

[a] lib. 1. vit. Constantin. c. 11.

2 Propriora nobis sunt, quæ ex Marcello Papa referuntur in Decreto Gratiani *causa* 20. *q.* 1. *cap.* 10: quæ etsi sub nomine *Palea* notentur, nihilominus in vetustis Codicibus sine tali nota inueniebantur, & propterea à Iacobo Gualterio [b] ad intentum nostrum afferuntur. Illo ergò Canone sic decernit Marcellus Papa, qui hoc tempore Ecclesiæ præerat: *Illud autem statuendum esse censemus, vt si in minori ætate filij monasterio oblati fuerint, & sacram tonsuram, vel velamina susceperint, dignum quidem duximus, vt 15 anno à Prælatis moniti inquirantur, verum in ipso habitu permanere cupiant, an non. Si verò permanere professi fuerint: vlterius pœnitendi locum minime amplecti possunt. Sin autem ad secularem habitum reuerti voluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur: quia satis inutile est, vt coacta seruitia Domino præstentur.* Hic animaduertat lector *Monasterij, tonsuræ, velaminis, habitus, & professionis* mentionem fieri antè Basilium, imo antequam Antonius Monachorum Pater agnosceretur, vt vel hinc innotescat quam insulsè aliqui Antonium, & Basilium primitiuos Monachorum Patriarchas vocitent, si eos omnino primos existimare velint.

[b] in Tab. Chronograph. in 4 secul. verst. 8. §. 1.

3 Ad idem tempus referri potest Theodorus Monachus Abbatis Ammon Montis Nitriæ Archimandritæ discipulus, & propterea eiusdem instituti Eliani, & Esseni asseclа. De eo in vita S. Pachomij [c] sic fit mentio: *Nec non & Theodorum, Sanctum admodum virum, qui cum sene præfato fuerat, idem nobis Pontifex indicauit, quem singulari, ac perfecto proposito & fide non ficta Deo subditum, multiplicia retulit diaboli machinamenta superasse.* Erat cum suo Magistro Ammon quando absque cymba traiecit flumen Lycum, prout ex Historia Lausiaca Palladij [d] habetur. Commendatur *in lib.* 10. *vit. Patr. c.* 7. dum inter magnos, & excellentes Patres Antonium, & Pachomium recensetur. Forsan est ille Abbas Theodorus, de quo [e] sic refert Abbas Pastor: *Sedebat in cella sua plangens semet ipsum, & discipulus in altera cella sedebat. Venit autem discipulus senis ad eum, & inuenit eum flentem, & dicit illi Pater, quid ploras? Respondit illi senior: Certè fili, si permissum fuerit flere peccata mea, non viderem aliorum; nec tamen sufficeret mihi flere peccata mea, etiamsi alij tres vel quatuor plangerent mecum. Qui semetipsum videt homo est, iudicare autem alios solius Dei est. Derelinquimus splendidam, & directam viam, hoc est vt plangat seipsum homo, & sit contentus peccatis suis, & spinosam ambulamus viam, & tenebrosam, vt proximi tantum videamus delicta, & non nostra.*

Theodorus Monachus.

[c] cap. 1.

[d] in lib. 8. vit. Patr. c. 8.

[e] in Append. ad vit. Patr. & Palladij Lausiac. c. 20.

4 Erat & alius circa hoc tempus Theodorus Anachoreta in Hispania, in Eremo Metellinensi, vulgo de *Medellin*, nomine & vita mirabilis; & propterea a nobis commemorandus, quod huius instituti homines in lege veteri Eliam, & in nostra Ioannem Baptistam, Paulum, & alios, de quibus in superioribus egimus, æmulari studebant. De eo autem Flauius Dexter [f] sic: *In Eremo Metellinensi in Lusitania Theodorus admirabilis.* Martyrologium autem Romanum *die* 20. *April.* eius gesta sic narrat:

Theodorus Metellinensis.

[f] in Chronic. circa ann. 300.

Eodem die S. Theodori Confessoris ab aspera cilicij veste, qua tegebatur, cognomento Trichinas, qui multis virtutibus, præsertim aduersus dæmones claruit; ex cuius corpore vnguentum scaturiens, ægrotis sanitatem impertit. Id verò ex Græcis desumptum fuit, qui in Menologio habent: *Hic propter ærumnas, & vitæ duritiam cui se subiecit frigore, & gelu propter Christum vexatus, crassa, & aspera veste corpus tegebat, ex quo factum est, vt Trichinas cognomento appellaretur, ob idque contra dæmones potestatem accepit; cumque ita vixisset, & ad Dominum, quem desiderauerat, migrasset, omnibus fidelibus sanitates confert vnguento ex sancto eius sepulchro scaturiente.* Forsan hic idem Theodorus est ille, qui in fragmentis Luitprandi *n.* 23. Monachus vocatur, & pro secunda die Aprilis refertur; facile namque secunda dies pro vigessima per errorem posita fuit. De eo autem sic: *Muris oppido in Gallæcia in populis Clamerianis, vbi ex mari exundantique flumine fiebat peninsula, de qua Plinius lib. 4. S. Theodorus Monachus cultus est, vita, miraculisque clarus 2. Aprilis.*

Epiphanius. 5 Circa hoc tempus, cum Epiphanius, de quo in superioribus, decimum sextum ageret annum, Monachatui nomen dedit a Luciano Monacho, de quo etiam in præcedentibus actum, in Monasterio receptus. Sic enim habetur in Actis eiusdem Epiphanij apud Surium die 12. Maij. *Epiphanius autem cum omnia vendidisset, dedit indigentibus, relictis sibi quadraginta nummis ad diuinos, vitalesque libros comparandos, & è ciuitate egressus est cum Luciano; quoniam is construxerat sibi monasterium. Habebat autem secum decem monachos, qui quidem libros diligenter scribentes, ex ijs sibi victum parabant. Erat verò Epiphanius, quando fuit monachus, sexdecim annos natus.* Permanens autem in Monasterio Spanydrion dicto multis claruit miraculis, & discipulum ibi habuit nomine Callistum Vrbis Præfecti filium. Perrexit postea in Ægyptum, vbi per quadriennium consistens a Sanctis illis monachis addiscere potuit, quæ postea in patriam reuersus, & in Eleutheropilitarum loco consistens exercuit in Monasterio ab eo condito. Ac tandem in Episcopum ordinatus est Salaminiorum in Cypro, quo cum Polybio, & Ioanne Monachis contendit. Hæc ex Actis relatis, vbi plura alia. Ex allatis porro, scilicet de quadraginta nummis reseruatis *ad diuinos libros comparandos*, & de Monachis decem, qui libros scribebant, inferant pij lectores, litterarum exercitium, & librorum scriptionem genuina Monachorum opera esse. De quo in libro *de Reformatione Regularium* late scripsimus.

Annus

Annus Christi 307. Marcelli Pont. 4. Constantini Imp. 2.

1 CONSTANTINVS hoc tempore in Gallijs vicit Francos, & Alemannos, captis eorum Regibus, quos bestijs obiecisse aliqui tradunt. Accidit etiam hoc tempore duplex in Africa schisma, alterum Carthagine, vbi contra Cecilianum Carthaginensem Episcopum electum in locum Mensurij insurrexerunt tum ambientes illum Episcopatum, tum Presbyteri quidam nolentes reddere rationem de auro, & argento sibi commendato, adiutrice Lucilla factiosa, & pecuniosa fœmina. Optatus [a], Augustinus [b], & alij. Aliud in Ægypto contra Petrum Alexandrinum Episcopum, eo quod Meletium de multis conuictum criminibus, & quod Idolis sacrificasset deposuisset. Athanasius [c], Socrates [d], Sozomenus [e]. Ab hoc Meletio denominati sunt Meletiani hæretici, quorum duo præcipui errores fuerunt; alterum, nolle orare cum conuersis lapsis, & qui pœnitentiam egerant; alterum, adiunxisse se Arianis. De illis D. Augustinus [f] & alij post eum.

Gesta huius temporis.

a lib. contr. Parmen. b lib. 1. c. 3. contra Parmen. c Apolog. 2. d lib. 1. c. 3. e lib. 2. c. 20. f hæres. 48.

2 Quis porrò non credat hęc Christianorum crimina a Deo vindice iustissimo punita esse persecutione alia a Maximino Tyranno in Oriente restituta hoc tempore? Eam refert Eusebius [g], & ex ipso Baronius [h]. Passi in ea sunt centum viri cum mulieribus, & tenellis liberis (tribus exceptis) duæ aliæ fæminæ; quidam Paulus nomine; item centum, & triginta alij; alij quoque tres, scilicet Antoninus, Zebinas, & Germanus; & virgo Ennathas nomine, ac alij. Quorum necem (res mira) terra ipsa sine vllo cœli rore, aut pluuia madefacta veluti lachrymans & gemebunda fleuit.

Persecutio Maximini.

g lib 8. c. 18. h sub hoc ann.

3 Cum autem, eodem Eusebio teste plures litteræ a Maximino contra Christianos ad Præsides Prouinciarum missæ essent, ideo ad hoc tempus referendum Martyrium S. Vari militis cum septem monachis, de quibus Martyrologium Romanum [i] sic: *In Ægypto sancti Vari militis, qui sub Maximino Imperatore, dum sanctos septem Monachos in carcere detentos visitaret, atque reficeret, vno ex ipsis defuncto, in eius locum subrogari voluit, & cum illis sæuissima passus Martyrij palmam adeptus est.* Etenim, vt colligitur ex horum historia apud Lippomanum, & Surium *ea die* ex Metaphraste extracta, sub hac persecutione, & ratione talis edicti Maximini passi fuerunt. Non sub Maximino Imperatore antiquiori, vt diximus *sub anu.* 239. Quomodo verò Monachi isti ex Essæis essent (ac proinde iure a nobis commemorandi) Baronius in eum locum Martyrologij testatur, & nos retulimus sub *eo anno* 239. ac propterea inter Eliades eos refert Casanate [k]. Eorum ergo historia, quia pietatem, & deuotionem spirat, hoc loco attexenda, summarie tamen ex authoribus relatis. Maximinus tyrannus in Oriente ad Pręsides etiam Ægypti litteras misit, ipsis præcipiens, vt Christiani ad sacrificandum Idolis, vel ad necem conqui-

Varus, & septé Monachi.

i sub die 19. Octobr.

k in Paradis. Carmel. stat. 2. etat. 4. c. 43.

rerentur. Inter quorum plures monachi septem in solitudine habitantes comprehensi sunt, & custodiæ addicti, postera die ad tribunal ducendi. Hoc resciens Varus quidam egregius Ægyptiorum miles, sicut cum alijs fidelibus carceri mancipatis agere solitus erat, clam inuisit, a vinculis soluit, ciboque refecit; deprecatus illos, vt pro se, qui occultus Christianus erat, ad Dominum orarent. Ad quem ipsi ad Martyrium subeundem exhortati sunt. Cum autem post hæc ad Præsidem ducerentur, isque pro septem interrogasset, Varus illis adiunctus se personam septimi (qui mortuus erat) agere professus est. Traditur ergo Varus tortoribus, qui inuicto animo, orantibus socijs, tormenta sustinet acerbissima, & morte consummatus per ciuitatem tractus canibus obiectus. Monachi verò (quos propterea dum torqueretur patres appellabat) postridie etiam post varia supplicia gladio perempti Martyrij palmam meruerunt.

Hilarionis gesta. 4 Ad hunc etiam 307. annum Christi, qui quintus decimus erat ætatis Hilarionis, referenda, quæ de ipso affert D. Hieronymus in ipsius vita [a]. Ait enim, quod cum Antonij nomen celebre esse in Ægypto audijsset, incensus videndi illũ desiderio, ad eum in eremum perrexit, & statim vt eum vidit, *mutato pristino habitu duobus fere mensibus apud eum mansit*; postea verò reuersum esse *cum quibusdam monachis ad patriam*; vbi parentibus iam defunctis, & substantia sua inter fratres, & pauperes diuisa, nihil sibi omnino reseruando, in solitudinem, quæ est in septimo millario a Maiuma Gazæ emporio ingressum esse, cum quindecim annorum tunc esset. *Igitur* (pergit Hieronimus) *sacco tantum membra coopertus, & pelliceum habens ependyten, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumque rusticum, inter mare, & paludem, vasta, & terribili solitudine fruebatur, quindecim tantum caricas post solis occasum comedens, & quia regio latrocinijs, vt supra iam dictum est, infamis erat, nunquam in eodem loco homo commanserat. Videns hoc diabolus quid faceret, quo se verteret, torquebatur. Et qui ante gloriabatur, dicens: In cælum ascendam, super sydera cæli ponam thronum meum, & ero similis Altissimo: cernebat se vinci à puero, & prius ab eo calcatum fuisse, quam per ætatem peccare potuisset. Titillabat itaque sensus eius, & pubescenti corpori insolita voluptatum incendia suggerebat. Cogebatur tirunculus Christi cogitare quod nesciebat, & eius rei animo pompam voluere, cuius experimenta non nouerat. Iratus itaque sibi, & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cæde manus posset excludere: Ego te, inquit, aselle, faciam vt non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis; fame te conficiam, & siti, graui onerabo pondere, per æstus indagabo & frigora, vt cibum potius, quam lasciuiam cogites. Herbarum ergo succo, & paucis caricis post triduum, vel quatriduum deficientem animam sustentabat, orans frequenter, & psallens & rostro humum fodiens, vt ieiuniorum laborem labor operis duplicaret. Simulque fiscellas iunco texens, æmulabatur Ægyptiorum monachorum disciplinam, & Apostoli sententiam, dicentis: Qui autem non operatur, nec manducet: sic attenuatus, & intantum exhausto corpore, vt ossibus vix hæreret;*

[a] cap. 2. 3. & 4

Circa

Circa quæ, quod attinet ad indumenta Hilarionis, quia similia credi debent illis, quibus Antonius vtebatur, siquidem ab eo illa accepit, consule dicenda infra *sub anno* 310. dum de vestibus eiusdem Antonij erit sermo, & Heribertum Rosvvedium [a]. Illud *æmulabatur Ægyptiorum Monacorum disciplinam*, quamuis solum restringi videatur ad fiscellarum iunco texturam, etiam quoad alia extendendum, ita vt Essenorum vitam, quam in Antonio reperit in Ægypto, ipse quoque in Palæstina æmularetur. [a in Annotat. ad vit. Hilar. n.13. & 14.]

5 Prosequitur Hieronymus [b] describere varias, & terribiles Sathanæ tentationes, quas Sanctus iuuenis, Christi nomine inuocato, ipsiusque Cruce se signans in fronte superauit. *Quoties illi* (inquit Hieronymus) *nudæ mulieres cubitanti, quoties esurienti largissimæ apparuere dapes? Interdum orantem lupus vlulans, & vulpecula ganniens transiliuit, psallentique gladiatorum pugna spectaculum præbuit, & vnus quasi interfectus, & ante pedes eius corruens sepulturam rogauit.* Multa ibi de huiusmodi præstigijs: *Multæ enim sunt tribulationes iustorum. Sed de omnibus his liberauit eos Dominus.* [Alia Hilarionis] [b cap. 4.]

Annus Christi 308. Marcelli Pont. 5. Imper. Constantini 3.

1 DVM Constantinus sub hoc tempore Germaniam subiugabat, & Maxentius Imperij inuasor in eo se conseruare studeban, Christianorum persecutio in Oriente grassabatur. Quæ ex Essenorum Monachorum schola Petrum, qui & *Abselamus* dicebatur, Seleucum quondam militem, & postea propter Christi fidem exauthoratum, ac Monachum deinde factum, in cælum euexit. Hæc ex Eusebio [c], quem Baronius [d] imitatur, sic habemus. De Petro Abselamo sic: *Vndecimo die mensis Audinæi, id est ad tertium Idus Ianuarij Petrus qui & Abselamus dicebatur ἀσκητής, idest religiosus, vel monachus, vitam solitariam, & meditationi deditam sequutus, ex pago Anea in finibus Eleutheropolis sita prognatus, cum Iudex, & qui ei aderant in consilio, sæpissime eum orassent, vt sui ipsius misereretur, suæque adolescentiæ, & ætati florenti parceret: eorum hortationibus penitus neglectis, & spe quam in Deo omnipotente collocasset, cum alijs rebus omnibus, tum vitæ ipsius longe prælata, Cæsareæ per ignem, veluti aurum purissimum, fidem in Christum Dei generoso & excelso animo accurate probauit.* De Seleuco autem sic idem Eusebius: *Iste tanquam sui profectionem maturans, quo Porphyrio comes itineris ad cælum suscepti adiungeretur, extemplo capitis supplicio mulctari iubet. Hic in Cappadocia natus, præ delecto iuuenum globo, qui in exercitu Romano militabant, præque illis qui erant apud Romanos in amplius dignitatum gradibus locati, non exiguum honorem adeptus est: ætate enim florente, robore, proceritate, firmitateque corporis plurimum omnibus militibus antecelluit: adeo vt aspectus eius celebris, & omnium sermone prædicatus existeret, tota corporis forma, & specie, tum ob* [Huius temporis Martyres.] [c lib.8.c.20. & 21.] [d sub hoc ann.]

magni-

magnitudinem, tum ob pulchritudinem, & aptam membrorum compositionem admirabilis; qui in ipso persecutionis initio, plagarum perpessione in certaminibus pro fidei confessione susceptis admodum enituit: & vbi militiæ munere, quo fungebatur, spoliatus fuit, eorum qui ἀσκηταὶ, id est pietatis cultores, vel Monachi, qui dies, noctesque diuinis meditationibus se exercent, æmulum se, & imitatorem effecit: orphanis desertis, viduis omni ope destitutis, hominibus inopia, & corporis infirmitate afflictatis, instar patris alicuius indulgentis, & curatoris, benigne prospexit, & opitulatus est. Vnde meritò quidem, cum Deus ab huiusmodi pietatis officijs plus capiat oblectationis, quam a victimis fumo redundantibus, & sanguine aspersis, ad insigne, & eximium martyrij decus per eius gratiam accersitus fuit.

Baronij obseruatio.

2 Circa quæ ab Eusebio de Seleuco narrata sic notat Cardin. Baronius: *Qui cum dicat hunc, ipso persecutionis exordio, quod Christianus esset, fuisse militia spoliatum; planè declarat, confirmatque quod superius dictum est, Christianos omnes Imperatorum edicto esse notatos infamia, & tanquam infames militia fuisse existimatos indignos. Ignominiosa enim hæc dicebatur missio, cum ob delictum quis militia solutus esset; cui inter alias pœnas, nec in vrbe, nec alibi vbi Imperator esset morari licebat. Consulto igitur Seleucus Christianæ religionis causa exauctoratus, & ignominiosa missione ablegatus, monasticæ vitæ institutum arripuit. Videas ex his insuper, non fuisse asceticam vitam, cui se Seleucus mancipauit, institutionem anachoreticam ab hominum remotam consortio; quippe qui viduarum, ac pupillorum prospiciebat necessitatibus: sed in illorum vitæ statu positum, quos communiori voce Religiosos nominamus; fuisseque in Ecclesia præter anachoretas, vel Monachos qui degerent solitarij, aliud quoque genus Christianorum etiam necessitatibus fratrum post precum studia inseruientium.* Hæc porro Baronij aduertentia maxime elucidatur ex ijs quæ diximus *to.* 1. vbi ostendimus inter filios Prophetarum, Rechabitas, & Essenos Prophetici & Eliani instituti cultores fuisse aliquos, qui vitam purè Anachoreticam, seu Eremiticam agebant; alios verò qui in Vrbibus, & Oppidis morabantur. Vide dicta eo *to. sub anno* 3154. præsertim *n.* 8. vbi ex Ioanne Ierosolymitano habes qualiter filij Prophetarum in eremis quandoque, in Vrbibus etiam habitationem habuissent;

Vvastelij. *a in vita Ioan. Ierosolymit. ad lib. de Instit. primor. Monach. ar. 11. 12 & 13. §. 3.*

3 Considerat etiam noster Petrus Vvastelius [a] hos duos Martyres Petrum, & Seleucum, quandoquidem vterq; passus est Cæsareæ Palæstinæ, vterque etiam Asceta, seu Monachus fuit, valde simile vero esse tanquam videlicet solitarios cœnobitas, & non vagè discurrentes, Cœnobium habuisse in desertis haud procul à Cæsarea inde positis: ac proinde in Carmelo qui proximus mons est illi Vrbi. Etenim iuxta Baronium [b] de quibusdam Asceris loquentem: *Planè si Asceta erant, oportuit Asceteria quoquè fuisse, quibus ij continerentur.* Græca enim vox *Asceta* latine est *Cœnobita*. In Carmeli ergo Cœnobio hos duos Ascetæ vitam duxisse prudenter existimandum.

b sub ann. 301. S. reddemus.

4 Qua etiam grassante in Orientis partibus persecutione contigisse vide-

videtur deuastatio mansionis Sanctimonialium Prophetici nostri Institu- Monasterium Ierosolymitanum.
ti, quæ erat Ierosolymis circa Sancti Sepulchri Domini Iesu Christi locū, ipsarumque dispersio, quam noster Bostius [a] his verbis commemorat: a lib. 5 hist. c. 11.
Cumque S. Helena venisset Ierosolymis, quæsiuit inprimis Sepulchrum Domini nostri Iesu Christi, quod primo inuenire non potuit. Tandem inuenit illud reuelatione duarum Sanctimonialium Carmelitæ Religionis in spelunca quadam latitantium ob graues Tyrannorum præcedentes persecutiones. Habuerant enim prædictæ Sanctimoniales pacis tempore suas mansiones prope præfatum locum in humili structura, sed feruente persecutione passæ fuerant tam deuastationem loci, quam dispersionem Consororum suarum. An verò huiusmodi Sanctimonialium circa Sanctum Christi Sepulchrum mansio Sanctæ Helenæ Constantini Imperatoris matris auspicijs, sicut & aliæ Christianorum Ecclesiæ, & Monachorum Cœnobia, restituta fuerit, *sub an. 326.* dicetur.

5 Nec in occiduis Orbis partibus, Hispania scilicet, deerant hoc Martyres in Hispania. tempore, & anno Martyres, & Monachi Eliadum sectatores. Etenim Flauius Dexter [b] sic habet: *Titulciæ in Carpetania prope Thermedam Ciuitatem, Sancti Christi Martyres, & Monachi Philibertus, & Fabritianus, qui in confluenti Fenarij Fluminis, Tagonijque Monasterium Deo Optimo Maximo, & Beatæ Virgini dedicarunt.*

b in chron. sub hoc ann.

6 Circa quæ in primis id expendendum, hos Diuos Martyres Phi- Monachi. libertum, & Fabritianum Monachos appellari a Dextro. Cui maximè standum, etsi in Martyrologio Romano sub die 22. Augusti solum dicatur: *In Hispania Sanctorum Martyrum Fabritiani, & Philiberti*, quia Hispanus author, cui eius nationis res & gesta nota erant. Vnde (quod etiam magni ponderis est) in Hispanico S. Isidori Breuiario de ijs sic legitur eo die: *Sanctorum Fabritiani, & Philiberti Abbatum, & Martyrum, omnia dicantur Plurimorum Martyrum &c.* Abbatis enim cognomen non Monachum modo, sed & Monachorum Patrem, seu Archimandritam denotat. Erant ergo nedum Monachi, sed & monachorum duces. Id quoque tuetur Franciscus Biuarius [c] sic disertè animaduertens: *Cum Monachorum, seu Abbatum audis nomen, ne quæso veniat in mentem, institutum obseruasse Basilij, Augustini, aut Benedicti, qui necdum nati erant: sed illud Monachorum genus, quod à S. Marco sumpsit initium, & de quo S. Dionysius Areopagita in Gallia existens scripsit in lib. de Ecclesiast. Hierarchia. Inde habemus in Hispania inductum fuisse Monachorum genus, antequam S. Antonius monachos colligere, & instruere cœpisset, vt ex natali eiusdem, & anno martyrij SS. Monachorum Fabritiani, & Philiberti facile constat.* Ex quibus non solum habetur hoc duos Martyres ex monachorū numero, sed & ex Essenorum schola fuisse, quales erant hi qui sub Marco Euangelista Alexandriæ instructi fuerunt, iuxta dicta *sub anno 45.* Item ex Therapeutis, de quibus loquitur S. Dionysius eo libro de Ecclesiastica Hierarchia *c. 6.* verbis relatis supra *sub anno 93.* Ac proinde ex Elianis, quorum alumni Esseni, & Therapeutæ monachi erant, vt sæpius inculcatum, prout & ex-

c in Annot. ad hunc locum Dextri.

a in histor. Eccles. Regni Giennensis seculo 7. fol. 218.

pressis verbis tradit Franciscus Ruspuerta exterus author [a], qui eos ex Ordine Prophetico Carmelitarum fuisse describit. Addere possent Biuarius & Ruspuerta, quod cum hi sancti Toletani fuerint, vt habet Rex Ouetensis in Hispania Silo [b], quem idem Biuarius refert, vel saltem in Toleti Prouincia, ad quam Carpetania spectat, commorati, non abs re erit existimare eos S. Elpidij primi Toletanorum Antistis, qui cum alijs Monachismum e Carmelo in Hispaniam introduxerunt, iuxta dicta *sub anno* 40. soboles fuisse. Ex quo proinde magis subsistet illud Biuarij: *Vnde habemus in Hispania inductum fuisse Monachorum genus, antequam S. Antonius Monachos colligere, & instruere cœpisset.* Pro quo etiam videnda quæ *sub anno* 393. dicemus de Monachis quibusdam Canali in Lusitania eo anno notatis; ac quæ *sub ann.* 61. diximus de monachis quibusdam Galilæis S. Matthæi Apostoli discipulis, qui Hispaniam eo tempore peragrarunt. Quæ verò sit *Titulcia* illa *in Carpetania prope Thermedam ciuitatem*, rectè probat idem Author ex Ambrosio Morales [c] Aurelio de Frias ab ipso relato, imo ex ipso contextu Dextri illis verbis, *In confluenti Fenarij fluminis Tagonijque*, fuisse eo loco quo nunc est oppidum *Bayona* nuncupatum prope Regum Hispaniarum egregium Viridarium *Aranguez* dictum. Eo enim loco *Fenarius*, id est fluuius *Henares*, & *Tagonius*, id est *Taguna*. in vnum, eundemque alueum concurrunt. Quo autem tempore Monasterium illud *Deo Opt. Max. & B. Virgini* hi Sancti dicauerint, vt Dexter ait, incertum omnino.

b in epist. ad Cixillam Toletanum Antistitem.

c in antiq. Hisp. verb. Carpetania fol. 77.

Susanna.

7 Adest & alia Prophetici Ordinis alumna vtpote Monacha, & Monasterij cuiusdam proles sub hoc anno ab eodem Dextro relata, *Susanna* nomine. Etsi enim nec ab ipso, nec in Martyrologio Romano sub hoc titulo habeatur; in Menologio tamen Græcorum sub die 20. Septembris talis de ea fit mentio: *Eadem die commemoratio S. Martyris Christi Susanna filia Arthemij Sacerdotis Idolorum, & Marthæ, quæ genus duxerat à Iudæis. Hæc, mortuis parentibus, baptizata est à Syluano presbytero & Christi fidem edocta: postea facultates suas pauperibus distribuit, & mundo relicto monasterium adijt, Monacha effecta, licet virili habitu pro fœmineo induta se Ioannem vocari fecerit. Sed post ab alia quadam muliere accusata, quod in illam per vim egisset virilia, in habitu virili deprehensa est virgo; & inuenta natura mulier accusatricem redarguit. Profecta verò Soliensem vrbem, delata Præsidi Alexandro, quod multis Gentilibus persuaderet ne adorarent Idola, illam apprehensam vehementer cruciauit, & nihilominus tamen eius ipsius miraculis multi ad Christi fidem conuertebantur; postremo in carcerem iniecta Deo spiritum tradidit.* Notat circa ista Biuarius [d] hunc Syluanum presbyterum, de quo hoc in loco est mentio, vnum fuisse ex Patribus Illiberritanæ Synodi, prout ex subscriptionibus illius patet; & Soliensem Ciuitatem, de qua hìc sermo, fuisse non longe à Carthagine sitam; Carthagine inquam Hispaniæ, non Africæ; eamque dicit [e] fuisse appellatam *Solia* prope Granatam in Turdulis. Notare & nos possumus, hanc Sanctam Susan-

d in Annot. ad Dextrum.

e Comment. 1. in Dextrum ad ann. 300. n. 5.

Susannam Virginem Monialem ex ijs potuisse esse, quibus Monasterium Toleti erexit S. Elpidius primus Toletanus Antistes, prout diximus *sub anno* 40. Forsan etiam Eremitorium quoddam Toleti vetustissimum S. Susannæ nomine insigne, cuius meminit Luitprandus [a], & eius Scholiastes Tamaius [b] huic Virgini dicatum fuit, & ea de causa quod ex illis Toletani Cœnobij Virginibus sacris vna fuerit. Hæc coniecturaliter dicta. *a in chronic. Æra 66x.* *b Ibid.*

Annus Christi 309. Marcelli Pont. 6. & Eusebij 1. Imper. Constantini 4.

1 HOC anno Marcellus Papa vsus Ecclesiæ pace, quam simulatio Christianæ Religionis in Maxentio præbebat, ordinandæ Ecclesiæ, superiori persecutione perturbatę, insistens, nouum cœmeterium via Salaria, & vigintiquinque titulos in Vrbe constituit, quasi Diœceses ad baptismum, & pœnitentiam multorum, qui ad fidem veniebant, & ad sepulturas Martyrum in Vrbe, quod iure Romano vetitum erat. Quo innuitur, impetrasse à Maxentio, vt corpora Sanctorum Martyrum in Vrbe sepelirentur. Post quæ retractus in stabulum iumentorum, vel equorum publicorum à Maxentio, moritur 17. Kal. Februarij. Succedit autem illi Eusebius Græcus pro die 5. Februarij. Coriolan. Gordon. & alij ex *lib. de Rom. Pontific.* *Marcelli gesta.*

2 Transegerat Antonius per viginti annos solitariam vitam, quibus adiunctis triginta quinque, quos antea peregerat, quinquaginta quinque annorum cum hoc anno esset, de eo D. Athanasius in ipsius Vita [c] hæc scribit: *Sic Antonius annis viginti solitarie transactis, atque ab hominum segregatus conspectibus perdurauit. Cum ergo multorum & propositum imitari cupientium, & notorum multitudo ad eum concurreret, nec non & patientium infinita se caterua conglomeraret, tandem penè iam per vim foribus euulsis, quasi ex aliquo cœlesti aditu consecratus apparuit. Obstupuerunt vniuersi, & oris gratiam, & corporis dignitatem, quod nec per quietem intumuerat, nec ieiunijs, dæmonumque certamine faciem eius pallor obsederat: sed è contrario, quasi nihil temporis exegisset, antiquus membrorum decor perseuerauit. Pro quanto miraculo! Quæ in illo animi puritas fuit? Nunquam hilaritate nimia resolutus in risum est, nunquam recordatione peccati tristitia ora contraxit, non magnis stupentium se elatus est laudibus. Nihil in illo indecens solitudo, nihil asperum quotidiana cum hostibus bella contulerant: sed temperata mens, æquali ad cuncta ferebatur examine. Plurimos igitur ab immundis spiritibus, & infirmitatibus varijs, Dei gratia per Antonium liberauit. Sermo eius sale conditus consolabatur mæstos, docebat inscios, concordabat iratos, omnibus suadens nihil amori Christi anteponendum. Proponebatque ante oculos bonorum magnitudinem futurorum, & Dei clementia, & beneficia retexebat indulta, quod proprio filio suo non pepercerit Deus, sed pro nostra omnium salute eum tradiderit. Nec mora, plura audentium corda ad humanarum rerum contemptum hac* *c Cap. 13. & 14.*

eius

eius suasit oratio, & habitandæ eremi istud eius exordium fuit. Quid sanè & in Arsinoitarum oppido gestum sit, non transibo silentio. Namcum fratres vellet inuisere, & riuulum fluminis Nili, qui Crocodilis, & multis sæuis fluminis bestijs plenus erat, transuadare esset necesse; tam cum comitibus suis transiuit illæsus, quam inde redibat incolumis. Rursusque in pristinis laboribus perseuerans multos magisterio suo fratres confirmauit, ita vt breui tempore plurima fieret monasteria. Nouos antiquosque monachos pro ætate vel tempore, paterno moderabatur affectu.

Notanda. 3 Ex illis verbis *Arsinoitarum oppido*, & *cum fratres vellet inuisere* rimari possumus tempore Antonii fuisse Monachos Arsinoitas, quos tunc inuiseret, & qui *fratres* vocarentur. De duplici Arsinoë legendus Heribertus Rosvvedius [a] Illa etiam *Multos magisterio suo fratres confirmauit*, & illa *Nouos, antiquosque monachos moderabatur &c.* nisi cæcutientes simus, proculdubio indigitant aliquos ante Antonium monachos fuisse, quos *antiquos monachos* & ab Antonio confirmatos historia appellat. Quomodo ergo stare potest nouellum placitum quorundam, qui nullum ante ipsum monachum agnoscunt? Illud autem *Plurima fierent Monasteria* absque controuersia denotat Antonij industria, & sub ipsius disciplina plurima condita fuisse Cœnobia. Solum mirandum quod cum hoc sub isto tempore contigerit, prout rectè supputanti annos vitæ Antonij, & consideranti quæ Athanasius de ipso scribit, clare innotescere poterit, nihilominus Cardinalis Baronius ad annum 328. ea referre nimis sero videatur. De quo nos eo sub anno limam quoque eiusdem Baronij verbis adjicientes dicemus.

a In Onomastico.

De Hilarione. 4 Hilarionis etiã Antonij discipuli gesta ab hoc anno, vel præcedenti, qui decimus sextus erat suæ ætatis, sic habentur c. 5. vitæ ipsius per D. Hieronymum scriptæ: *Igitur a sexto decimo vsque ad vigesimum suæ ætatis annũ, æstus, & pluuias breui tuguriunculo declinauit, quod iunco, & carice texerat. Extructa deinceps breui cellula, quæ vsq. hodie permanet, latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque, hoc est, statura sua humiliori; porro longitudine paulo ampliore quam eius corpusculum patiebatur, vt sepulchrum potius, quam domum crederes. Capillum sanè semel in anno Paschæ die totondit, super nudam humum, stratumque iunceum vsque ad mortem cubitauit; saccum quo semel fuerat indutus nunquam lauans, & superfluum esse dicens, munditias in cilicio quærere. Nec mutauit alteram tunicam nisi cum prior penitus scissa esset. Scripturas quoque sanctas memoriter tenens, post orationes, & psalmos quasi Deo præsente recitabat.*

Notanda. 5 Nota hic *caricem* esse iunci genus acuti, & durissimi, simile sparto, prout notat Rosvvedius [b] & haberi in vliginosis, & palustribus locis, vt Calepinus. De qua Virgil. [c] Hac ergo spinosa, vilissima, & durissima materia Hilarionis tuguriolum contextum erat; ad confusionem sanè nostram, qui vix cameris ingentibus, (vtinam aliquando non aulæis, aut tapetibus, versicolori textura spectabilibus ornatis.) contenti sumus.

b In Annotat. ad vit. Hilarion. n. 18.

c 4 Georg. Et carice pastus acuta.

Gesta

6. Gesta alia tum eiusdem Diui Hilarionis, (quantum conijci datur) tum etiam Diui Epiphanij simul cum eo monachalem vitam agentis, ex eiusdem Epiphanij Actis, quæ habentur in Simone Metaphraste, & Surio [a] (etsi non omnino certa æstimentur) hæc habemus: *Erat autem in Monasterio Luciani quidam monachus, nomine Hilarion secundus à Luciano, ætate iuuenis, & omnibus signis ornatus. Ad cuius imitationem sequebatur etiam alius nomine Claudius. Eos cùm vidisset Epiphanius pulchrè est æmulatus. Magnus enim Lucianus dedit Epiphanium maximo Hilarioni, vt doceret eum scribere diuinas scripturas. Epiphanius autem laborioso studio deditus, & bonos mores Hilarionis effingens traditione, proficiebat in Dei gratia, & arte pulcherrima. Contigit verò, vt magnus Lucianus è vita humana excederet. Præfuit autem Hilarion choro fratrum, vereque licebat videre eum locum, non tanquam in eo homines habitarent, sed tanquam sancti Angeli ministrarent sanctissimo, & misericordi Deo. Erat enim beati Hilarionis cibus, panis, & sal, & modicum aquæ. Comedebat autem post duos dies, sæpè etiam post tres, sæpissime verò post quatuor, vel post hebdomadam. Hoc vitæ institutum elegit Epiphanius toto tempore vitæ suæ.* Pergit author dicens qualiter idem Epiphanius vinum in aquam meritis suis conuerterit; Saraceno vnum oculum habenti alterum restituerit, & quomodo vnus ex ijs Saracenis ad Christum conuersus fuerit, & ad Monasterium Hilarionis ductus. Eiecit quoque ab homine dæmonium, mortuum excitauit, aquæ scaturiginem emergere fecit. Habitauit etiam tunc Epiphanius in loco Phœniciæ, qui dicebatur Spanydrion, vnde aliquoties ad videndum Hilarionem ad ipsius Monasterium pergebat.

Epiphanij, & Hilarionis gesta.

[a] 12. Maij.

7. Circa idem tempus historia Mutij quondam latronis postea sanctissimi monachi contigisse coniectamur; Quam Copretes presbyter & monachus apud Ruffinum [b] sic narrat: *Hic fuit primus in hoc loco monachus, & in omni hac eremo viam salutis omnibus nobis primus ostendit. Hic autem primò gentilis fuit, latronum maximus, & sepulchrorum violator, atque in omnibus flagitijs opinatissimus ad quem tali ex modo occasio salutis aduenit. Nocte quadam ad domum cuiusdam Virginis Deo sacratæ expoliandi causa perrexit, cumque machinis quibusdam, quæ huiusmodi artificibus satis nota sunt, domus eius tecta conscendisset, quærens quali arte, vel quo aditu ad penetralia eius irruperet, difficultate perpetrandi operis innexus, plurimum noctis tempus in tectis positus sine vllo transegit effectu. Post multos verò animi conatus frustra adhibitos, veluti fessus, somno opprimitur, & per visum assistere sibi videt quendam regio habitu, dicentem: Desine iam ab his flagitijs, & ab effusione humani sanguinis cessa, atque ab execrabilibus furtis ad laborem religiosum conuerte vigilias, & suscipe cælestem, angelicamque militiam, atque ex hoc iam animi virtutibus viue, & ego te huius militiæ ducem, atque principem faciam: Ac ille cum gratulanter, quæ sibi offerebatur, audisset, ostenditur ei exercitus monachorum, & principatum super eos iubetur tenere. In his euigilans, astantem videt sibi Virginem, & requirentem, quis, aut vnde, vel cur illuc aduenisset.*

Mutius latro, Monachus.

[b] Lib. 2. de Vit.Patr. Cap. 9.

nisset. At ille quasi amens effectus, nihil ei respondit, sed tantum vt Ecclesiam sibi ostenderet rogat. Illa verò cum intellexisset, esse in se aliquid operis diuini; hominem perducit ad Ecclesiam, ac presbyteris offert. Ad quorum ille vestigia prorvens, rogabat Christianum se fieri, & illico sibi pœnitentiam dari. Presbyteri verò qui cognoscebant virum hunc esse omnium flagitiorum principem, mirabantur si hæc vera loqueretur. Et cum perseuerantia sui fidem rei fecisset, monent eum, vt si hæc vellet illa penitus omitteret. Dehinc cum religionis initia suscepisset, erat sibi præcepta dari quibus viam salutis deberet incedere. At illi tres et primi psalmi versiculos tradunt: Quibus ille diligenter consideratis, sufficere sibi ait eos ad viam salutis, & scientiam pietatis. Tribusque diebus permanens apud eos ad eremum proficiscitur, vbi plurimo tempore demoratus, & die, ac nocte in oratione cum lacrymis perdurans, cibum ex radicibus accipiebat herbarum. Regressus autem ad Ecclesiam, tres versiculos psalmi, quos à presbyteris perceperat non solum verbis, sed & rebus, atque operibus reddidit. Presbyteri vero mirabantur quod subito conuersus acerrimam statim ingesserit sibi abstinentiam: & instruentes eum plenius diuinis Scripturis hortabantur secum demorari. At ille ne videretur esse inobediens, vnam apud eos exigens hebdomadam, rursus pergit ad eremum, atque ibi per septem continuos annos in omni abstinentia degens, plenitudinem gratiæ consequitur à Domino; ita vt pene omnes scripturas memoriter teneret. Panem vero Dominica tantum die sumebat, & hunc diuinitus delatum. Nam cum oraret, surgens ab oratione inueniebat panem positum; quem nemo hominum detulerat. Hunc vbi cum gratiarum actione sumpsisset sufficiebat vsque ad alteram Dominicam diem. Post multum vero temporis iterum regressus a deserto, exemplo abstinentiæ suæ quamplurimos ad imitationem sui inuitauit; inter quos accessit ad eum adolescens quidam, cupiens eius esse discipulus. Cui ille cum habitum monachorum, hoc est, lebetam, & cucullam, ac melotem, quæ est caprina pellis, imposuisset, docere eum de cæteris monachorum institutionibus cœpit. Multa tamen cum solicitudine curabat sicubi Christianorum quis fuisset defunctus, vt sepeliret eum. Quem cum vidisset adolescens ille discipulus suus summa cum diligentia mortuis indumenta aptantem, dicit ad eum: Vellem vt me mortuum ita indueres, ac sepelires, magister. At ille ais: Ita faciam, fili mi, & tam copiose te induam, donec dicas: sufficit. Post non multum verò temporis defunctus est adolescens, & prædictus sermo completur. Cum enim plurima ei circumdedisset indumenta, ait ad eum coram omnibus: sufficiunt tibi hæc ad sepulturam, filiole, an adhuc vis vt aliquid addamus? Tunc defunctus vocem cunctis audientibus emisit, obuelata iam facie, vultuque constricto, & dixit; Sufficit, pater; implesti quod promiseras. Obstupuerunt autem qui præsentes aderant, & admirati sunt valde super tam mirabili facto eius. At ille sepulto adolescente, continuo ad eremum rediit summo studio iactantiam declinans. Plura etiam alia mirabilia de eo refert idem Copres; præsertim quod Nilum flumen pedibus frequenter transierit, ianuis clausis ad fratres quodam tempore ingressus fuerit; & quod osculatus mortuum ab eo de vitæ desiderio responsum expostulauerit. Vocatur hic

Mutius aliquando *Patermutius* vna dictione, vt credo, quia *Mutius* erat nomen eius, & *Pater* Monachorum. Vide dicenda de Copre *sub anno* 369.

8 Ad hoc tempus refert Baronius [a] passionem Iuliani illius, qui cum Basilissa coniuge votum castitatis emiserat, & Monasticam vitam exercens plurium Monachorum, & Monasteriorum pater fuit, sicut ipsa Monialium mater, iuxta dicta in superioribus. Quia tamen Iulianus iste Basilissæ socius sub Diocletiano, & Maximiano passus dicitur in Martyrologijs, & festis sanctorum, & ipsorum vita, incongrue huic tempori aptari videtur. Legat pius lector ipsorum pijssimam historiam apud Bollandum *in Actis Sanctor. to.1. pro die* 9. *Ianuarij*, ex multis alijs concinnatam, & quæ nos ad intentum nostrorum Annalium diximus *sub anno* 284.

Iuliani, & Basilissæ passio.

a hic

Annus Christi 310. Eusebij Pont. 2. Constantini Imper. 5.

1 PATITVR nunc Martyrium celebris ille Petrus Alexandrinus Episcopus; eo mirabilius, quod cum, etiamsi in carcere detentus esset, posset tamen a Christianis liberari, sed nihilominus ipse clanculum admonuit tyrannum, vt mitteret carnificem ad sibi inferendam mortem. Eusebius [b], & Acta ipsius Petri per Anastasium Bibliothecarium translata apud Surium [c] & Baronium [d].

Petrus Alexandrinus.

b lib. 7. c. vlt. & lib. 9. c. 5.

c to.6. die 25. Nouembr.

2 Ex ijs porro Actis S. Petri, prout a Baronio hic referuntur, aliqua venari possumus, nostræ historiæ propriora. Primum, quod cum in carcere detineretur, ad eum venerunt plures Christiani, & inter eos complures sanctissimi Monachi e solitudine, desertisque locis Alexandriam conuenientes; quos Acta illa apud Surium vocant *Monachos Religiosos, ac Virgines*; qui proculdubio Esseni, & Prophetici Instituti cultores essent. Secundum, quod *Sacrata Christo virgo* (quæ vel hoc solo titulo eiusdem professionis esse monstratur) hac diuina reuelatione a Deo dignata est: *Petrus initium Apostolorum; Petrus finis Episcoporum Martyrum Alexandriæ*, quod & omnino completum est, siquidem nouissimus omnium Martyrum Episcoporum Alexandriæ Petrus iste fuit. Tertium, deductum fuisse a militibus ad locum qui dicitur *Bucula*, seu vt habet Episcopus Equilinus [e] ad locum dictum *Bucali*, vbi S. Marcus quoque martyrium consummauerat. Ex hac enim voce Bucula, seu Buculi veram rationem habemus, etsi paucis notam, cur Esseni vocati sint *Bucolini*; ea enim est iuxta dicta *in Appar. c.* 4. & *sub anno* 64. quia discipuli erant S. Marci Euangelistæ, qui eo loco passus est, & ibi cœmeterium habebat quem propterea maximè colebant Esseni.

d in Annotat. ad Martyrologium Rom. sub die 26 Nouembr. & sub. hoc anno.

Notanda.

e lib. 10. c. 109.

3 Quartum, inter hoc monachos, qui tunc Alexandriæ erant, illuc e varijs partibus conuenientes, vnum fuisse Magnum Antonium cũ aliquot è suis discipulis; sic enim colligitur ex Athanasio in ipsius vita [f] vbi

De S. Antonio.

sic: *His rebus transactis, cum persecutio impiissima Maximiani furore vesana vastaret Ecclesiam, sanctus quoque martyribus Alexandriam perductis, relicto & ipse monasterio secutus est futuras Christi victimas dicens: Pergamus ad gloriosos fratrum triumphos, vt aut ipsi congrediamur, aut spectemus alios praeliantes. Et amore quidem iam martyr erat, sed cum tradere se vltro non valeret, & sociari confessoribus in metallis vel in carceribus constitutis; magna cum libertate, & cura ingrediens ad iudicem, exhortabatur ne terrore impiorum subacti Dominum negarent. Iamque sententia coronatus exultans, quasi ipse vicisset, vsque ad locum felicis sanguinis prosequebatur. Quamobrem motus Iudex, ob Antonij, sociorumque eius constantiam, praecepit nullum penitus Monachorum aut obseruare iudicium, aut in ciuitate versari. Et caeteris quidem omnibus in illa die placuit abscondi. Antonius autem impauidus, neglecto persecutoris imperio lauit ependyten suum. Et alia die stans in quodam eminenti loco candente praecinctus veste procedentem Iudicem suo prouocabat adspectu, flagrans cupiditate martyrij: ostendebatque nobis contemptorem poenarum, & mortis in Christianis animum perseuerare debere; in tantum, vt contristaretur; quia volenti pati pro Dei nomine, martyrium non dabatur. Sed Dominus, qui suo gregi parcebat, magistrum seruauit Antonium: vt institutum (sicuti factum est) Monachorum non solum oratione eius, sed & conspectibus firmaretur. Numquam tamen à sanctorum Confessorum vestigijs separatus est, quin anxia circa eos cura, & charitatis vinculis colligatus, magis carcerem patiebatur exclusus. Postquam autem persecutionis turbo defluxerat, & beato Episcopo Petro iam ob martyrij gloriam coronato, ad pristinum Monasterium regressus, quotidianum fidei, ac conscientia martyrium merebatur, acrioribus se ieiunijs, vigilijsque conficiens: vestimento cilicino intrinsecus, desuper pelliceo vtebatur, numquam corpus lauans, numquam pedibus sordes abluens, nisi cum per aquas transire necessitas compulisset. Nullus denique Antonij corpus nudum, antequam moreretur, vnquam vidit.*

Animaduertenda. 4 Circa quae Athanasij verba aliqua nobis annotanda nostris Annalibus digna. Primo illud *lauit ependyten suum*, id est, *Scapulare*; prout Heribertius Rosvvedius [a] ex aliquibus editionibus approbat; dicens etiam apud Asceticos scriptores propriam esse vestem monachorum. Vnde & S. Hilarion ea vsus fuit, vt constat ex eius vita *c.* 3. & alij Asceticci, vt apparet ex eodem Athanasio [b] ibi, *Niger tibi ependytes*, & rursus: *Cuculla & Superhumerale lacinias non habeat*. Ex hoc enim elicitur *Scapularis*, vel vestis ipsi similis vsum, modo apud nostros vigentem, apud antiquos quoque ascetas fuisse; sicut & inchoatum in filijs Prophetarum veteris legis *Ephod vel superhumerale* gestantibus, iuxta dicta *to.* 1. *sub an.* 3183. *n.* 6. Deinde illud *Candente praecinctus veste* indicat illum Essenae scholae asseclam fuisse. Essenos namque alba veste vsos probant, quae adduximus *to.* 1. *sub anno* 3545, *n.* 29. & supra *in Appar. c.* 1. Et de ipsorum Principe Ioanne Praecursore, quod in veste candida visus fuerit Iacobo cuidam celebri Eremitae, narrat Theodoretus [c]. Nec obuiat quod

a Annot. 55. ad hunc locum & in Onomastico.

b in lib. de Virgin.

c in Philotheo cap. 21.

pulla

pulla, seu nigra propria monachorum videatur, vt probat Heribertus [a] ex Actis sanctorum Martyrum Galactionis,& Epistomes,Synesio [b], Athanasio [c] Vtrumque namque cohæret si dicamus pro veste intima seu *ependyte*, veste pulla, prout ex relato Athanasio elicitur; pro extima vero seu pallio, alba vsos fuisse, prout nostrates æmulantur. Vnde in dictis Actis Galactionis, & Epistemes de Honofrio monacho dicitur: *Alba veste tegens Monasticam*, id est alba externa veste, seu pallio,nigrum,seu pullum internum cooperiens habitũ,seu scapulare. Similiter relatus Athanasius [d] sic cũ quadam Virgine loquitur: *Indumentum tuum fuscum sit, non tinctum, sed natiui coloris; aut saltem album amiculum fimbrijs careat*. En lector, *fuscum indumentum* pro interno habitu, & *album amiculum* pro externo. Pariter de sancta Euphemia martyre, quæ ab Asterio Amasiæ Episcopo [e] vocatur *Sacra Virgo*, quo subindicatur ex Sanctimonialibus eius temporis fuisse, inquit idem Asterius: *Stat autem Virgo in pulla tunica, & in pallio philosophiam significante*. Vbi *pulla tunica*, interior vestis sub nigra; *pallio* autem *philosophiam significante* alba exterior denotari videtur. Id quoque in eodem Antonio indicatur verbis illis relatis: *Vestimento cilicino intrinsecus, desuper pellicio vtebatur*. Etenim per *vestimentum cilicinum*, niger, subniger, aut pullus, vestis, seu habitus color, per *pellicium* verò albus (clericorum instar qui *super pellicium* album gestant) denotari videtur.

a supra Annot. 16.
b Epist. 1. 46.
c supra.
d in lib. de Virgin. seu medit. ad Virg. Relig. ingredientem.
e in 2. Synodi Nicænæ act. 6.

5 Ad quod etiam tempus, vel paulò ante, iuxta ordinem historiæ eiusdem Antonij, referendam censemus pijssimam illam concionem, quam ad fratres habuit relatam ab Athanasio in ipsius vita [f]. Vbi plura de præsentis vitæ miseria, pretio æternæ, virtute sectanda, inertia fugienda, ira superanda, Dæmonum nequitia ob Christi virtutem vincenda, armis quibus superantur, & signis quibus cognoscuntur; quæ vt pote offusiora omittimus. Hæc ex eo c. 20. ab eodem Antonio dicta, non prætermittenda, quia præ cæteris vtiliora Regularis vitæ studiosis mihi videntur. *Pulsauit aliquando dæmon Monasterij ostium: egrediens, video hominem enormi sublimitate, porrectum caput vsque ad Cælum. Cum ab hoc quisnam, inquirerem, ait: Ego sum Satanas. Et ego: Quid inquam hic quaris? respondit: Cur mihi frustra imputant monachi? Cur mihi omnes Christianorum populi maledicunt? Et ego: Iuste faciunt: tuis enim frequenter molestantur insidijs: at ille ait: Nihil ego facio, sed ipsi se inuicem turbant. Nam ego miserabilis factus sum. Rogo: Nonne legisti: Quia defecerunt inimici framea in finem, & ciuitates eorum destruxisti? En nullum iam habeo locum, nullam possideo ciuitatem, iam mihi nulla sunt arma; per omnes nationes cunctasque prouincias Christi personat nomen: solitudines quoque monachorum stipantur choris. Ipsi se quæso tueantur, & me sine causa non lacerent. Tunc ego Dei gratiam cum alacritate miratus, sic ad eum locutus sum: Non tuæ veritati, quæ nulla est, tam nouam, & tam inauditam adscribo sententiam. Nam cum fallacia caput sis hoc sine mendacio coactus es confiteri. Verè enim*

De eodem Antonio.
f a cap. 15. vsq. ad 20.

Iesus tuas funditus subruit vires, & honore nudatus angelico, volutaris in sordibus. Vix dum verba compleueram, & ille sublimis aspectu Saluatoris nominatione deiectus est. Quæ ergo iam, ô filioli poterit residere cunctatio? Quæ trepidatio manebit vlterius? Quis nos eorum turbo poterit conuellere? Secura sint animæ singulorum, non sibi fingat vana cogitatio vana discrimina: non aliquis timeat à diabolo sublatum ad præcipitia se posse deferri. Pellatur omnis anxietas: Dominus enim, qui nostros prostrauit inimicos, manens, vt promisit, in nobis à varijs nos satanæ muniuit incursibus. En ipse diabolus, qui huiusmodi cum suis satellitibus exercet astutias, nihil se posse contra Christianos fatetur. Iam cura Christianorum, & Monachorum sit, ne per eorum inertiam vires dæmonibus præbeantur. Et post pauca sic: *Si alacres fuerimus in Domino, & futurorum bonorum cupido nos succenderit; si semper omnia manibus Dei committamus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere.*

Alia de eodem. 6 Pariter etiam iuxta seriem historiæ eiusdem Antonij huic tempori accensenda videntur illa, quæ [a] narrat Athanasius ipsius vitæ auctor: *Erant igitur in monte monasteria tamquam tabernacula plena diuinis choris psallentium, legentium, orantium: tantumq; ieiunandi, & vigiliarum ardorem cunctorum mentibus sermo eius aflauerat, vt futuræ spei auiditate ad charitatem mutuam, & misericordias indigentibus exhibendas iugi studio laborarent: qui infinitam regionem quandam, & oppidum à mundana conuersatione seiunctum, plenum pietatis, & iustitiæ videbantur incolere. Quis tantum monachorum agmen adspiciens, quis virilem illum concordiæ cœtum cernens in quo nullus nocens, nulla detractio susurronis, sed multitudo abstinentium, & certamen officiorum erat, non in hanc statim erumperet vocem? Quam bonæ domus tuæ Iacob?*

[a] cap. 21. & 22.

Onuphrius. 7 Huic quoque anno attexendus videtur secessus magni illius Eremitæ Onuphrij in desertum, Angelo duce, prout ex eius vita per Paphnutium Abbatem descripta, & *lib. 1. vit. Patr.* inserta, elici videtur, ac infert noster Vvastelius [b]. Cum enim iuxta Floriarium sanctorum ab hoc sæculo migrauerit anno salutis 370. & iuxta Martyrologium Romanum, Menologium Græcorum, Menæa, & Metaphrastem sexaginta annis in Eremo vixerit (esto in veteribus editionibus cum Coloniensi, & ea quam transcripsit Heribertus Rosvvedius [c], septuaginta dicatur) manifeste colligitur sub hoc anno id contigisse. Quomodo verò id gestum fuerit sic narrat ipse Paphnutio Abbati, qui eum in Eremo hirsutum totum, in modum bestiæ, pilis vndique circumseptum, capillis prolixum, & pro vestimento folijs, herbisque indutum reperit: *Ego licet immeritus vocor Onuphrius. Et ecce non minus sunt quam septuaginta* (corrige *sexaginta*, iuxta dicta) *anni, quod in hoc deserto laboriose vixi. Cum feris conuersatus sum crebrius, pro pane comedi iugiter herbarum fructus, in montibus, & speluncis, & in vallibus meum reclinaui miserabile corpus. Tot annis neminem, nisi te solum adspexi, alimentum à nullo hominum sumpsi. In Monasterio Hermopolim*

[b] in Vindicijs Ioann. Berefel lib. de institut. monach. ar. 11. 12. & 13. §. 2.

[c] in Vit. Patr.

dicto

dicto nutritus, in Prouincia Thebaida nominata: ubi simul penè centum monachi degebant. Porrò vita illorum talis extitit, vt more, & actione aequanimiter omnes viuerent, & vno corde, & vno spiritu, iugo, ac disciplina sanctæ regula colla submitterent, atque fluctus huius saeculi omninò non formidarent. Quidquid vni placebat, cunctis placebat; mente sancta, fide pura, charitate perfecta ante Deum incedebant: cui die, noctuque omni mansuetudine, & patientia ministrare non cessabant. Tanta his erat taciturnitas cum abstinentia, vt nullus auderet nisi cum iusta interrogatione, vel recto responso, reddere verbum. Ibi quoque pabulum sanctæ doctrinæ ab adolescentia suscepi: ibi regularis vitæ normam à fratribus didici, à quibus amabiliter diligebar: ab his qualiter instituta mandatorum Dei seruare deberem, diligenter instruebar. Profectò vitam beati Patris nostri Eliæ venerabiles fratres meos audiui frequenter laudare, qui se in eremo in tanta abstinentia, & oratione studuit affligere, vt maximam virtutem à Domino meruisset accipere: & igneo curru transuectus, spiritus sancti dona, quæ habuerat, discipulo impartiri, ac adhuc longæuus senio, mortis pœnam non videre. Insuper ad exemplum beatum Baptistam Ioannem protulerunt, qui in noui Testamenti serie clarissimus effulsit, perque plurima annorum spatia diuino mancipatus officio corpus suum macerauit, donec in Iordanis vnda Redemptorem mundi baptizare dignus existeret, atque ipsum Dei Agnum esse, digito suo demonstraret.

8 Quis porro ex his non eliciat duo illa persæpe in superioribus, vsque ad nauseam etiam, repetita; alterum quidem, quod monachi huius æui Essenorum institutum profiterentur, eorumque assecla essent, sicut & illi, qui eiusdem status professores erant ante Antonij institutionem; alterum vero de primo monachismi fonte, primaue origine, Elia videlicet, ascetarum omnium primo Patriarcha. Primum etenim ex eo euincitur, quod ea quæ de Hermopolitani Monasterij Monachorum silentio, abstinentia, & vitæ norma hoc loco refert Onuphrius, similia prorsus sunt ijs, quæ de Essenorum schola sæpius diximus, maxime *in Apparatu Cap. 1. & 2.* Clarius vero in ijs cernitur secundum de Eliano Patriarchatu in monachos. Verba namque illa *B. Patris nostri Eliæ* se ipsis indicant tum Onuphrium, tum ipsius eo in Cœnobio sodales, tum & alios totius Thebaidæ monachos pro primo Monastices Antesignano, & vexillifero Duce Eliam agnouisse. Hinc monachismum ab hoc Propheta auctores auspicantes huius Onuphrij testimonij in primis meminerunt, quos æmulati fuimus *to. 1. in Appar. c. 5. n. 5.* Hinc quoque in Menologio Græcorum [a] sic habetur: *Sancti Patris nostri Onuphrij Ægyptij; qui cum esset in cœnobio in vrbe Hermopoli Thebarum, & audiret de Elia Prophetæ, & Ioannis Præcursoris vita, egressus ex cœnobio habitauit eremum annos sexaginta, hominem omnino non videns, vbi post admirabilem vitæ monasticæ conuersationem in Cœlum migrauit, quem magnus Paphnutius sepeliuit.* Vnde hunc Onuphrium nostro Ordini ascribunt eiusdem Scriptores communiter, sed & de exteris Laurentius Beyerlink [b] dum de Ordine Carmelitarum, Alfonsus Villegas

Corollarium.

a Pro die 11. Iunij.

b in Theat. vit. hum. to. 6. l. 16. Verbo Religio, sui Religio.

Tole-

a in Floriario sanctorum in vita eiusdem Hermogenis. Toletanus [a]. Infert etiam recte Vuastelius noster superius relatus ex hoc Hermopolitano Monasterio, & monachis in eo degentibus, & Deo seruientibus, eo præsertim quod inferius *Seniores* appellentur, antiquius fuisse eorum institutum Antonij nominis celebratione, & disciplina; cum nec ab ipso ea acceperint, & hoc tempore quo ille discipulos instruere cœperat, iam Monasterium illud cum centum monachis ipsius in charitate, obedientia, silientio, & regulari obseruantia instructum esset. Quod confirmant ea quæ sæpius a nobis circa hoc repetita sunt. Videat lector alia sub anno 370. dicenda.

S. Spiridion. b lib. 1. c. 3. 9 Ad idem tempus congrue cum Palæonydoro [b] referimus ingressum S. Spiridionis Cyprij, de quo *sub anno* 274. agere cœptum, in Eliadum Religionem. Sic enim ille: *Circa annos Domini* 310. *Sanctus Pater noster Spiridion Eliæ Religionem magnis virtutibus decorauit*. Quomodo autem id gestum sic refert Petrus Saracenus [c] post narratam vxoris mortem, de qua *sub anno* 274. dictum. *Iam loca reparationis nostræ humili gressu calcat, & vestigia sacro sanguine respersa lustrat, Carmelique tandem iugum, Deo ducente, conscendit. Alta eremi mœnia ab interuallo veneratur, & inclytum Virginis templum propius pronus adorat, trepido quodam gaudio exhilaratus sacra sacelli limina pie osculatur, dein ad aram lachrymatus preces fundit; rite precatus, Claustri viscera intrat! O Dei prouidentiam. Eremitarum Patrem in limine obuium habet, ei salutem dicit, & de salute animæ suæ sermonem instituit, vtrique numen aderat. Noctu superueniente, ignoto hospiti paratur hospitium, & cum Deus qui sunt eius noscat monastico illo conclaui adeò amabilem illum reddit; vt paulo post Eremitarum nostrorum habitum griseum scilicet, Sagum, Zonam, Melotem, Palliolum album cum baculo (hic vestimentorum vsus primæuus illis Ecclesiæ sæculis apud nostros) in honorem beatissimæ Virginis Mariæ ingenti omnium lætitia obtinet*. Inferius etiam hæc subiungit: *Quanto temporis spatio in Carmeli antris, & speluncis solitarie versatus, aperte non apparet. Nostri tamen octenos circiter annos inibi commoraſſe coniectant, in quo annorum curriculo religionis rigorem adeò diligit, vt in exequendis suorum Superiorum preceptis nulli vnquam secundus. Is in simplicitatis corde Deo seruire studet, & zelatus diuinorum zelo, atque Sacramentorum venerationis calore feruescens, nisi ad salutem monita prabet, sanctorum scientiam humiliter a Deo quotidie petit: quare dæmonibus terrificus, Angelis admirabundus, & hominibus inimitabilis, vbique locorum existimatus, acclamatur*. Addit idem Auctor cum alijs ex nostris in Generalem Ordinis post Fructuosum defunctũ institutum Spiridionem. Sed quamuis ipsum ob vitæ mirabilia gesta eidem Ordini Præfectum fuisse facile credi possit, quo tamen tempore id contigerit, cuiusue successor eo in munere extiterit, vix nisi diuinando, ob monumentorum egestatem, dici potest. Propterea ergo ab hac, & similibus incertis Chronologijs abstinendum censemus.

c in Menolog. Carmelit. in vita ipsius.

Annus

Ann. Christi 311. Eusebij Pont. 3. Melchiadis 1. Constantini Imp. 6.

1 REMISSIOR videbatur hoc tempore in Christianos persecutio; etenim solum oculos effodi, & alterum crus illis suffringi præcipiebatur, sicq. ad æris metalla condemnari. Eusebius [a]. Aliqui nihilominus alio mortis genere mori cogebantur; vt Lucianus Antiochenus Presbyter præstantissimus. De quo, & eius operibus Athanasius [b], Hieronymus [c], Nicephorus [d]. Interim Eusebio Papa mortuo succedit Melchiades vulgo Afer ab Auctoribus nominatus; sed, quod verum est, Afer fuit origine, ortu tamen, seu natiuitate Hispanus, & Matritensis, seu ex Mantua Carpetanorum, nunc *Madrid*, vt habent Flauuius Dexter [e], Iulianus Petri [f], Ciaconius [g], Ægidius Gondisaluus de Auila Regius Chronologus [h], Franciscus Biuarius [i], Thomas Thamaius [k], & plures alij Hispani; quibus magis fidendum in propria historia, quam exteris, qui eam solum a longe salutant. Præsertim, cum de exteris quoque idem fateantur Luitprandus [l], Primus Cabilonensis [m], & Franciscus Maurolicus [n].

a lib. 8. cap. 14.
b in Synopsi.
c de Scriptorib. Ecclesiast.
d lib. 8. cap. 3.
e in Chronic. Ann. 248. & ann. 299.
f in Chron. ad ann. 345.
g in Vit. Melchiadis.
h in Madritia historia.

2 Cum esset sub hoc tempore Hilarion annorum decem & octo, hæc ille contigere, teste in eius vita [o] D. Hieronymo: *Cum habitaret adhuc in tuguriunculo annos natus decem, & octo, latrones ad eum nocte venerunt, vel æstimantes habere aliquid quod tollerent, vel in contemptum sui rei reputantes fieri, si puer solitarius eorum impetus non pertimesceret. Itaque inter mare, & paludem à vespere vsque ad solis ortum discurrentes numquam locum cubilis eius inuenire potuerunt. Porrò clara luce reperto puero, quasi per iocum: Quid inquiunt faceres, si latrones ad te venirent? Quibus ille respondit: Nudus latrones non timet. Et illi: Certe aiunt, occidi potest. Possum, inquit, possum: & ideò latrones non timeo, quia mori paratus sum. Tunc admirati constantiam eius, & fidem confessi sunt noctis errorem, cæcatosque oculos correctiorem deinceps vitam pollicentes.*

De Hilarione.
i in Comment. ad Dextrum.
k in Annot. ad ann. 299. & 266. Dextri & in not. ad Luitprand. ar. 714.
l in Chron. ar. 714.
m in Mappa mundi dum de Mantua Carpetaner.
n in Typographia Christi mare. addita Martyrologio.

3 Inter eos quoque qui hoc tempore, hacque Maximini in Oriente grassante persecutione, Christum confessi fuerunt, vnus fuit Spiridion noster, de quo in superioribus. Sic enim post tripartitam historiam [p] recipiunt communiter Doctores, specialiter Petrus de Natalibus [q], Baronius [r], & Martyrologia Bedæ, Adonis, Vsuardi, & aliorum. De hac etiam persecutione loquens Saracenus noster [s] sic inquit: *In hac maxima impijssimi Maximini Christianorum persecutione, vbiq; locorum fugati sunt omnes Christi fideles, vnde Carmelus noster languescens, tyrannide impiorum debacchante, comprouincialium syluæ, & cauernæ Monachorum turbis replebantur. Quorsum autem venerandus Spiridion cum cæteris, ab infidelibus vulneratus tendat, ad quem exulatus se recipiat locum, inuenire nonpotuimus.*

Alia de Spiridione.
o cap. 7.
p lib. 1. cap. 10.
q lib. 1. cap. 66.
r sub ann. 325. S. Præterea verò.
s in Menologio Carmel. in vit. S. Spiridionis.

4 Huic autem Saraceni dubio de loco ad quem Spiridion pro Chri-

sto

sto vulneratus secesserit, videtur respondere voluisse Franciscum Biuarium Cistercienfem Flauij Dextri Commentatorem: Cum enim is Dexter [a] dixisset; *Oreti in Hispania Tarraconensi S. Spiridion, prius Episcopus Toletanus, qui pro Christi nomine egregiè pugnauit*; sic habet ipse: *Oreti &c. Ptolemæus vocat Oreton Germanorum, à quo Oretani populi nuncupati; Strabo corrupte Oriam. Multi in quibus Tarapha, Villanoua, & Carolus Clusius existimarunt veterem Oreton nunc dici Calatrauam; sed Morales in antiquit. verbo Oreton erudite probat non ibi, sed prope Calatrauam extitisse, quo loco nunc Ecclesiola in honorem B. Dei Genitricis videtur constructa inter Granatulam, & Calatrauam ad ripam Xabalonis fluminis, ruinis ipsis, & eremitorij nomenclatura pariter attestantibus, nam dicitur sancta Maria de Oreto alias del Aruqueca. Difficilius nonnullis visum est quod de S. Spiridone asseritur, nimirum Episcopum fuisse Toletanum, & egregie Oreti pro Christi nomine pugnasse. Nam Spiridion in Cyprio Episcopus fuit, vt Ruffin lib. 1. cap. 5. Sozomenus lib. 1. cap. 11. Socrates lib. 1. cap. 8. & eius acta apud Surium à Triphillo eius discipulo edita manifestant. Cæterum si quis vellet duos Spiridiones asserere; Cyprium alterum; alterum Toletanum, non posset falsitatis manifeste redargui. Ego sane probabilius iudico vnum eundemque Spiridionem fuisse, de quo Dexter, & Ruffinus scribunt, qui quidem in Cypro Insula natus, in Hispaniam profectus, ob vitæ candorem factus sit Toletanus Episcopus, ac demum in patriam post multos annos reuersus; inibi Episcopus Trimeruntinus electus fuerit; inde Nicæam ad Concilium generale petierit, ac Sardicensi etiam interfuerit. Sic enim omnia consonant. Cui suffragatur, quod in Martyrologio Romano de S. Spiridione die 14. Decembris dicitur; quod nimirum vnus fuit ex illis Confessoribus, quos Maximianus dextro oculo effosso, & sinistro poplite succiso, ad metalla damnauerat. Quis autem nescit præcipuas metallorum fodinas, quas Romanum habebat Imperium in Hispanijs fuisse? Id nos alibi ex lib. Machabeorum, & alijs fuse monstrauimus. Igitur ad auri, vel argenti fodinas Oretanas damnatus fuit S. Spiridion à Maximiano, cum iam Toletanam aliquandiu rexisset Ecclesiam; & Oreti ad metalla damnatus egregiè pro Christi nomine pugnauit. Sed à Constantino Imperatore, agente Hosio Cordubensi absolutus, in Cyprum rediyt.*

[a] in Chron. sub ann. Chr. 300. num. 16.

Ipsius gesta. 5 Ex quo Biuarij placito, ad intentum nostrũ, & Saraceni quæsitum; habetur, Spiridionem è patria pulsum Cyprio, dextero priuatum oculo, & sinistro poplite succisum; ad Hispaniæ Fodinas Oretanas damnatum venisse, ibique Toletanam, ob vitæ candorem, gubernasse Ecclesiam; sed deinde, Hispania relicta, patriam repetijsse, & in ea Episcopum Trimythuntinum factum Nicæno, & Sardicensi postea Concilijs adesse potuisse. Quæ etsi incerta, probabilitate tamen non carent, suffraganetibus præsertim Thoma Tamaio, & Roderico Caro Dextri Chronici propugnatoribus. Etsi hic posterior non Toletanum, sed Oretanum Episcopum Spiridionem credat, prout in Dextri Autographo M.S. habetur. Fauet congruentia Oretanæ Fodinæ, ad quam damnatus dicitur. Acta

huius sancti Episcopi per Triphillum Episcopum iambicis versibus descripta perierunt, vt testatur Baronius [a], & propterea in his cæcutire necesse est. Id apud omnes in confesso est, Trimythuntinum Antistitem sanctum Conciliis præfatis affuisse, & vbique pluribus signis sanctitatis effulsisse quorum aliqua in sequentibus congruis locis referemus. Carmeli ergo post incolatum has peregrinationes sanctum Spiridionem subiisse, ex dictis elici datur.

[a] *in Annot. ad Martyr. Rom. 14. Decemb.*

Annus Christi 312. Melchiadis Pont. 2. Imper. Constantini 7.

1 ILLVXIT Ecclesiæ hic annus felicissimus: nam Maximus in Oriente cladibus belli, & peste consternatus pacem dedit Christianis; & in Occidente Maxentius Crucis virtute victus à Constantino occubuit lapsus e ponte Miluio in Tyberim, quando nec pacem oblatam, nec Imperij Collegam admittere voluit. Nunc etiam Constantinus edicta promulgauit pro Christianis, bonorum restitutione, clericorum immunitate, quos etiam pecuniis & ædibus decorauit. Eusebius, Socrates, Sozomenus, Eutropius, & iuniores. Quibus specialiter iungendus Flauius Dexter [b] hæc dicens: *Hoc anno deuicto Maxentio Tyranno, & ad pontem Miluium in Tyberim demerso, Constantinus Magnus mirabili Crucis Signo admonitus gloriosissime triumphat, maximaque tranquillitas Ecclesiis effulsit; nam templa diruta edictis Imperatorum, curante præsertim Helena matre, & Hosio Cordubensi Episcopo Hispano; per totum orbem terrarum, præsertim in Hispania, primum omnium restituuntur; vt Prouincia quæ primum viderat radios limpidissimæ lucis Euangelicæ, prima quoque beneficiis pacis, & fructibus gauderet.* Quo autem anno Ecclesia Assumptioni Dei Genitricis ab Elpidio nostro primum consecrata reparata fuerit, *sub anno* 318. cum Luitprando [c] dicemus.

Pax Christianorum.

[b] *in Chron. sub hoc anno.*

[c] *In Fragm. n. 11.*

2 Ex nostra historia huic tempori attexenda videntur, quæ D. Athanasius in vita Antonij de ipso refert, perstrictim tamen, & sub compendio, proxilioris sermonis vitandi causa, Sanat Dæmoniacam Martiniani Militiæ Præpositi filiam, & alios: ac metu gloriæ, & honoris fugere tentat ad pastoralia, seu *Bucolia*, (Essenorum stationem vt diximus *sub ann.* 64.) sed a Deo mittitur ad montem quendam, *cap.* 24. Cum ibi a fratribus alimenta transmissa haberet, eorum parcens labori terram seminat, & bestiis messem depascentibus accessum prohibet, obtemperant ipsæ; & illic a Dæmonibus impetitur, quos Dei virtute superat, & aquæ fontem erumpere facit, piisque exhortationibus cunctos munit. *cap.* 25. 26. 27. 28. & 29.

De Antonio.

3 Fit etiam mentio in eadem historia Antonij [c] Paphnutij Monachi, & Confessoris, qui effossis pro Christo oculis sub persecutore tyranno tali corporis defectu gloriabatur. Est autem eius memoria nostris Annalibus

digna, quia eiusdem instituti Antonij & Essenorum particeps fuit. Prius tamen præmonendus lector, plures fuisse huius nominis; vnum scilicet, qui Thaidem insignis formæ meretricem conuertit, & fuit Abbas, ac Eremi Heracliæ cultor, de quo Ruffinus [a], Palladius [b], & nos *sub ann.* 321. & 346. Alium martyrem, & Hierosolymitam, de quo Menolog. Græcor. 19. *Apxil.* Alium Ægyptium patrem S. Euphrosynæ, de quo idem Menologium 25. *Septembr.* Alium *Meletianum*, de quo Athanasius [c], & Epiphanius [d], quem etsi monachum inter pseudomonachos computamus, quia & de Meletij schismate, & fautor Arrij fuit. Alium dictum *Cephalam*, de quo Paladius *c.* 91. Alium presbyterum Scetiotem cognomento *Bubalum* apud Cassianum [e]. Alium verò eum qui auctor fuit vitæ S. Onufrij, ipsumque sepeliuit, de quo an vnus ex prædictis fuerit, vel ab ipsis diuersus, sub lite est. Sed inter istos hic, de quo in præsenti, celeberimus, & omnium historicorum præconio notus. De ipso enim agunt Ruffinus [f], Socrates [g], Theodoretus [h], Sozomenus [i], Nicephorus [k], Honufrius Panuinus [l], Gualterius [m], Baronius [n], & pro omnibus Martyrologium Romanum die vndecima Septembris his verbis: *In Ægypto sancti Paphnutij Episcopi, qui vnus fuit ex ijs Confessoribus, qui sub Galerio Maximiano Imperatore, dextro oculo effosso, & sinistro poplite exciso, ad metalla damnati fuerunt: deinde sub Constantino Magno aduersus Arianos pro fide Catholica strenue decertauit, & demum multis coronis auctus in pace quieuit.* Fuit Episcopus Thebaidis superioris, vt ex Socrate approbat Baronius [o]. Astitit Concilio Nicæno vna cum cæteris Episcopis contra Arianam perfidiam Catholicam veritatem defendens. Fuit & miraculorum patrandorum Apostolica virtute præditus, vt de eo scribunt Ruffinus, & Socrates [p]. Adeò in veneratione apud Constantinum Imperatorem, vt partem illam vultus eius effossi oculi miro religionis affectu exosculatus fuerit. Socrates, Theodoretus, Nicephorus, Sozomenus [q], Episcopus Equilinus [r], Baronius [r]. Maxime Ruffinus qui [s] de eo inquit: *Quem Constantinus in tanta veneratione, & affectu habuit, vt sæpius eum intra Palatium euocatum complecteretur; & oculum illum, qui in confessione fidei euulsus fuerat auidioribus osculis demulceret.* Quis non miretur tantam Principis pietatem? Appellatur ab eodem Ruffino *Homo Dei*; vt vel sic eiusdem Propheticæ professionis cum credamus; ac illos, qui hoc nomine in veteri testamento cognominati sunt, quos retulimus *to.* 1. *in Appar. cap.* 7. *num.* 5.

Pachomius. 3 Maxime quoque ex nostra historia huic tempori adiungenda conuersio celeberrimi illius Pachomij Abbatis Tabennensis, de quo *in lib.* 1. *vit. Patr.* late agitur, ab auctore Græco incerto, interprete Dionysio exiguo Abbate Romano. Cum enim, vt ibi *c.* 4. dicitur, Constantino contra tyrannum Maxentium prælium gerente inter lectissimos iuuenes pro militia ascriptos Pachomius viginti annos natus teneretur, & vt traditur *c.* 5. post victoriam consecutam tyrones iussisset absolui Constan-

a in lib. 2. vit. Patr. c. 16.
b c. 8 lib. vit. Patr. c. 62. & 63.
c Apolog. 2.
d in Patr. hær. 68.
e Collat. 3. c. 1. & Collat. 18. cap. 15.
f lib. 1. suæ hist. c. 4. & 17.
g lib. 1. c. 6.
h lib. 1. c. 7.
i lib. 1. c. 22.
k lib. 8. c. 14 & 19.
l sub ann. 307.
m in Tabul. Chronograph. Sæcul. 4.
n sub ann. 325.
o sub ann. 325.
p supra.
q supra.
r lib. 11. c. 33.
r in notis ad Martyr. Rom.
s lib. 1. c. 14.

ſtantinus,& cum ipſis Pachomium,iã liber a militia terrena,cæleſti nomen dare protinus aggreſſus eſt. Huic tempori Maxentij interitus res iure aſcribenda,vt bene Heribertus Roſvvedius [a] ex Euſebij ac Sigeberti chronico contra Baronium qui minus ſcitè tempori Licinij *ſub ann.316.* eam aptat. Ergo in dicta Pachomij hiſtoria *c.5.* habetur qualiter Pachomius a militia abſolutus, ad Thebaidē reuerſus, baptiſmi lauacro regeneratus fuit, & poſt viſionem quandã diuinitus ſibi in ſomnis factã Deo ſe dicare ſtatuit. Subiungitur: *Audiuit autem quendam Anachoretam, cui nomen erat Palæmon intra eremi ſecreta Deo ſeruientem: ad quem confeſtim, cum eo cupiens habitare, perrexit, & pulſans oſtium cellulæ eius, precabatur ingreſſum. Cui ſenex aliquantulum patefaciens aditum dixit: quid vis? aut quem quæris? Erat enim ſeuero adſpectu, propterquod multo tempore ſolitarius vitam rigidæ conuerſationis egerat. Reſpondens autem Pachomius, ait: Deus me miſit ad te, vt monachus fiam. Cui ſenior: Non potes hic, inquit, monachus fieri: non enim parua res agitur, ſi veri monachi conuerſatio caſta penſetur: nam plures huc dudum venientes affecti tædio, perſeuerantiæ non tenuere virtutem. Et Pachomius: Non ſunt, inquit, æquales omnium mores; idcirco precor vt me digneris excipere, & proceſſu temporis tam voluntatem meam, quam poſſibilitatem plenius approbabis. Et ſenior ait: Iam tibi præfatus ſum, quod hic fieri monachus nullo modo poſſis perge magis ad aliud monaſterium, & cum tantiſper ibidem continentiæ operam dederis, tunc ad me regredere, teque ſine mora ſuſcipiam. Veruntamen aduerte quod dico. Ego hic, fili, ſatis frugaliter viuo. Nam nimis ardua, & duriſſima conuerſatione me caſtigo, nullus rei ciborum vtens, niſi tantùm panis, & ſalis: oleo autem, & vino in totum prorſus abſtineo. Vigilo dimidium noctis: quod ſpatium vel in oratione ſolemni, vel in meditatione diuinæ lectionis inſumo: interdum quoque totam noctem duco peruigilem. Hæc autem audiens Pachomius, expauit: vt ſolent pueri magiſtrorum vereri præſentiam, ſed gratia Domini roboratus omnem hunc laborem tolerare propoſuit, ſeniique reſpondit: Credo in Domino Ieſu Chriſto, qui mihi fortitudinem patientiamque præſtabit, vt dignus efficiar tuis adiutus precibus, in ſancta conuerſatione per omnia vitæ meæ curricula permanere. Tunc ſanctus Palæmon ſpiritualibus oculis intuens Pachomij fidem tandem patefecit aditum: eumque ſuſcipiens habitu Monachi conſecrauit.*

5 Paucis hic lector præmonendus. Primo ſane, non abs re nec extra chorum huius clariſſimi Pachomij memoriam noſtris Annalibus inſeri debuiſſe; cum ipſe ſectator Antonij fuerit: ad hoc enim intentum in principio vitæ Pachomij [b] ipſius auctor hæc verba appoſuit: *Erat per id tempus beati Antonij vita cunctis ad imitandum præclare propoſita: qui magni Eliæ, atque Eliſæi, necnon & S. Ioannis Baptiſtæ æmulator exiſtens, ſecreta interioris eremi ſtudio ſectatus eſt ſingulari, vitamque cæleſtium in terris geſſit amore virtutis.* Et inferius [c] ſic: *Hinc itaque Patres Monachorum, viri mirabiles in vniuerſis propemodum regionibus extiterunt, quorum nomina in libro viuentium probantur adſcripta.* Quibus plane denotatur quod quem-

[a] *in Annot. ad vit. Pachomij n.6. & 7.*

Notanda;

[b] *cap.5.*

[c] *cap.3.*

admodum Antonius Elianæ, & Propheticæ scholæ assecla extitit, sic Pachomius, & alij Monachorũ Archimandritæ. Ita proinde eum nostris accensent cõmuniter Carmelitani Scriptores. Secundo, ex eo quod Palæmonem instructorẽ in monastica vita habuerit, & is senior in Monachismo vocitetur, proculdubio venari licet (quod sæpius à nobis inculcari oportuit) ante Antonij æuum, ipsius quoque tempore Monachorum plures extitisse, qui sine Antonij disciplina in monachatu profecerint. Tertio, ex illis vltimis verbis: *Habitu Monachi consecrauit*, eliciet lector quomodo Monachi speciali habitu induti Deo consecrarentur; vtiq; per vota. Circa ea porrò hæc Heribertus [a] scripsit: *Aduerte, hæretice, quanta fuerit olim sacræ Monachorum vestis reuerentia, vt ea laici Religioni consecrarentur. Vide de initiatione, & consecratione Monachi apud Dionysium Areopagitam Ecclesiast. Hierarch. cap. 6. vbi inter cætera habes vestis mutationem, dum quis in Monachum consecratur. Tertullianus lib. de Velandis Virginibus c. 3. O sacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt. Hieronym. ep. 15. ad Marcellam: Tunicam fusciorem induta se repente Domino consecrauit:* Hæc Heribertus, pretio habenda pro nostra historia.

a in Annot. ad Pachomij vit. n. 14.

Palæmon.

6 Hunc etiam Palæmonem Pachomij magistrum nostris accensent Eliadibus Historici nostri. Ex quibus Cassanate [b] hæc de ipso: *Sanctus Palæmon Abbas natione Græcus S. Pachumij præceptor insignis: mira vir abstinentia clarus, vt refert Omonsinus. Is in Thebaide in Insula Tabena vitam cum Pachumio aliquando mirabilem duxit, & fuit vnus ex ijs qui Congregationem Heliadam Tabenensium erexere sub admiranda Regula, quam Angelo dictante suis præscripsere Monachis Pachumius, & Palæmon iste. Senio demum, duraque corporis maceratione grauatus, miraculis decorus, & spiritu prophetico plenus, felix occubuit in Deo. Floruerat annis Christi Saluatoris 387. sub S. Siricio Papa, & Theodosio Magno Principe iuxta Bordini, & Roberti computa veriora.* In eo moderandus hic auctor, quod sub anno 387. floruisse dicat Palæmonem. Cum enim sub hoc tempore vocetur *Senior*, & *cap.* 3. iterum *Senex*, vix credi potest tam longæuum fuisse, vt ad annum 387. peruenerit. Id tamen quod tangit de Tabennensium Religiosa Congregatione per Pachomium erecta in sequentibus elucidabitur.

b in Paradis. Carmel. stat. 2. ætat. 5. c. 138.

Annus Christi 313. Melchiadis Pont. 3. & Syluestri 1. Constantini Imper. 8. & 9.

Huius temporis gesta.

1 CONSTANTINUS nunc vna cum Licinio Consulatum gerens reddidit pacatum Imperium. Eiusque pietate Christiana Religio florescit. Turbatur nihilominus Donatistarũ schismate ad Constantinum appellantium, qui indigne admodum ferens, tantam eorum peruicaciam [c], illa profert tanto Principe digna: *O rabida furoris audacia, sicut in causis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Et paulo ante dixerat: *Meum iudicium postulant, qui*

c in Epist. ad Episc.

ipse

ipse iudicium Christi expecto. Dico enim, vt se veritas habet, Sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens iudicet, nihil enim licet his aliud sentire, nisi quod Christi magisterio sunt edocti. Sic fermo recentiores Chronologi veterum vestigijs inhærentes.

2 Interim moritur Melchiades Papa; tot ante mortem ærumnas passus, vt propterea maiorum more, vt notauimus in Dionysio Papa & alijs, Martyr nominetur, etiam in Tabulis Ecclesiasticis, quamuis tyranni gladio non occubuerit. Eique succedit Syluester natione Romanus, patre Ruffino. De quo plura in sequentibus.

3 Quoad ea quæ propius nostram tangunt historiam huic tempori magnalia aliqua Antonij attexenda. Illud in primis quod Athanasius [a] refert de reuelatione habita de morte vnius Monachi, qui cum alio ob sitim in via defecerat. Maxime vero de visione animæ Ammonis Monachi ad Cœlum volantis, de quo nos in superioribus, & de hac visione Athanasius [b] sic: *Alio rursus in tempore cum sederet in monte, & oculos subito tetendisset in cælum, vidit nescio quam animam lætantibus in eius occursum Angelis ad Cælum pergere. Cuius spectaculi nouitate stupefactus beatum dixit sanctorum chorum, orauitque vt sibi rei præsentis agnitio panderetur. Et statim vox ad eum facta est inquiens, istam esse Ammonis Monachi animam, qui Nitriæ morabatur. Erat autem Ammon vir grandæuus, qui perseueranter à pueritia vsque in senectutem in sanctitate vixerat. Itinere quoque dierum tredecim à Nitria locus in quo sedebat Antonius diuidebatur. Videntes autem Monachi admirantem qui venerant, deprecati sunt, vt causam hilaritatis ediceret. Quibus ait, modo Ammonem quieuisse: quem propter frequentem eius ad Antonium commeatum, & propter celebritatem indultorum ei à Domino signorum optime nouerant.* Inferius etiam eodem capite notatur, qualiter Monachi, quibus dixerat Antonius de morte Ammonis, notauerunt diem, & postea ex alijs fratribus post triginta dies venientibus ita fuisse compererunt.

Antonij visio.

a In eius Vit. cap. 31.

b Sup. cap. 32.

4 Huius Ammonis discipuli hoc loco cum ipso recensendi iure sunt. Arsisius, Putuphastus, Hagio, Chronius, & Serapion eiusdem montis Nitriæ Anachoretæ, prout refert Palladius [c]. De hoc Arsisio Sozomen. [d] & Nicephor. [e] Qui etiam de Hagione. Serapion autem iste proculdubio diuersus est ab alio, de quo in præcedentibus, & qui Patriarcha Antiochenus extitit. Imo & ab alio eiusdem nominis, qui Episcopus Thmueos in Ægypto fuit. Sed non omittendum, quod de prædicto monte Nitriæ adiungit idem Palladius, scilicet, quod in ipso essent Anachoretæ viri perfecti numero sexcenti. Item illud: *In hoc monte Nitriæ vna est maxima Ecclesia & in ipsa Ecclesia sunt tres palmæ, ex quibus vna quæque habet flagellum suspensum. Et est vnum quidem ad castigandos monachos, qui delinquunt; alterum vero ad puniendos latrones si quando inciderint; tertium verò ad corrigendos eos qui forte veniunt, & in aliqua delicta incidunt.* Ex quo habeat obiter lector vetustam disciplinarum, vt vocant, memoriam, pro monachorum correctione; prout notauit Heribertus *Annot. 20. in hunc*

Ammonis discipuli.

c lib 8. de Vit.

d lib 6. cap. 30.

e lib. 11. c. 37.

locum Paladij, commemorans etiam Gretzerum in peculiari libro ea de re differentem.

S. Siluestri gesta. 5 Pertinent quoque ad nostrorum Annalium seriem gesta aliquot S. Siluestri hoc tempore ad summum Pontificatum euecti. Cuius Ecclesia, in qua primo mansit, felici sorte Ordini nostro a priscis temporibus concessa est, & modo extat sub titulo S. Siluestri, & Martini in Montibus. Is enim cum Romæ natus esset, & in paterna domo, in loco vbi modo cernitur Cœnobium Monialium S. Siluestri sita, educatus; iam Pontifex electus, ea relicta, ad prædium cuiusdam Presbyteri cognomento Equitij iuxta Thermas Domitianas (primum Titianas dictas, quia à Tito Imperatore conditæ, iuxta dicta *sub ann. 81.*) in Esquilijs tertia tunc Vrbis Regione vita tranquilliori, aere puriori, ac pro Ecclesiæ regimine commodiori fruiturus, secessit: eoque loci Oratorium erexit, vbi Christianis aduenientibus sacramenta ministrari, & pia salutis dogmata impertiri curabat; vt propterea S. Siluestri Camera seu cubile, ex vetusta fratrum Ordinis traditione illud Oratorium, & circumiacens cellula appellata iugiter fuerint. Probat intentum Ioannes Antonius Philippinus eius Cœnobij a multis annis Præsul, modo autem totius Ordinis Reuerendiss. Generalis, *In Tractatu Romæ anno 1639 anno edito*, cui titulus: *Ristretto di tutto quello che appartiene all'antichità, e veneratione della Chiesa di S. Siluestro, e Martino de' Monti*. Primo quidem ex antiqua inscriptione hac in eodem Oratorio, seu Capella prisco charactere Gothico simili vsque ad hæc tempora reseruata.

Fracta vetusta nimis, solisque relicta ruinis,
Ne Siluestri obeat noctis amica domus.
Presbyter hanc renouat, sacrumque Altare vetustum
Repparat; hinc que Dei; Præsulis hincque decus.

Secundo, ex eo quod circa eum locum idem Siluester Ecclesiam postea erexit, quæ sedes ipsius, ac titulus vocatur, & vbi postea duo Concilia celebrari fecit, prout in sequentitibus ex Damaso Papa, seu auctore libri de summis Pontificibus, Anastasio Bibliothecario, Carranza, Baronio, & alijs comprobatur. Accedit tertio argentea corona vetustissima arte, quatuor digitorum altitudine, & humani capitis rotunditate elaborata, in pomario eiusdem Cœnobij iuxta eam Ecclesiam, & Oratorium sub terra anno 1632. reperta, in qua post signum Crucis hoc pacto impressum ✠ hæc leguntur.

Sancto Siluestro
Ancilla sua votum soluit.

Reseruatur hæc corona, inter gazas, piasque tum religionis, tum sanctitatis memorias Eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini. Ex ea porrò non incongrue quæ diximus elici possunt. Quæ etiam hac inscriptione ante ianuam eiusdem S. Siluestri capellæ referuntur.

D. O. M.

Hoc opus Augustum, si cernis forte, Viator,
Siste gradum, nam sunt mira videnda tibi.
Aspicies Papæ Siluestri dulce cubile,
Quo constat plures ipsum habitasse dies.
Inferiora petens, templum mirabere priscum,
Sub Constantino, cuius origo fuit.
Quod tunc Siluester Traianas extulit intra
Thermas, Exquilijs, Equitijque loco.
Munere multiplici exornans, sacrauit & illud,
Et bis Concilium concelebrauit ibi.
En sacra quanta modis miris monumenta coruscant,
Ergo auidus visas, & reuerere pius.
Anno salutis 1637.
Sub Vrbano VIII. Pont. Max.

De his tamen alia in sequentibus pro temporis opportunitate. Solum hic animaduertimus Ioannem Baptistam Casalium Romanum [a] hoc Oratorium a B. Siluestro pro sui habitatione cōstructum commemorasse.

a In lib. de Veteri. Sac. Christ. an. ... par. 3. cap. 33. in 2. edit.

Spiridionis gesta.

6 Huic tempori vel circiter, vt coniectamus, adaptanda videntur ea gesta mirabilia S. Spiridionis nostri, quæ Ruffinus [b], ex quo alij acceperunt, his verbis refert: *Hic Pastor ouium etiam in Episcopatu positus permansit. Quadam vero nocte cum ad caulas fures venissent, & manus improbas quo aditum educendis ouibus facerent, extendissent, inuisibilibus quibusdam vinculis restricti vsque ad lucem, velut traditi tortoribus permanserunt. Cum vero oues ducturus ad pascua matutinus se ageret senior, videt & iuuenes absque humanis vinculis in caulis pendere districtos. Cumque causam noxæ comperisset, absoluit sermone, quos meritis vinxerat, & ne eis inanis nocturna cederet occupatio: Tollite, inquit, ô iuuenes, vnum vobis arietem, ne sine causa venisse videamini, quem melius prece, quam furto quæsisse côuenerat. Tradunt de hoc etiam illud factum mirabile: filiam habuit Irenen nomine, quæ ei cum bene ministrasset virgo defuncta est, post eius obitum venit quidam dicens se ei quoddam depositum commendasse. Rem gestam ignorauerat pater; perquisitum in tota domo nusquam quod poscebatur inuentum est, persistebat tamen ille, qui commendauerat, & flere, ac lacbrymis perurgebat, vitæ suæ quoque illaturum se esse exitium, nisi commendata reciperet, testabatur. Permotus lacbrymis eius senex ad sepulchrum filiæ properat, atque eam ex nomine clamitat: tum illa de sepulchro: Quid vis, ait, pater, commendatum? Commendatum, inquit, illius vbi posuisti; At illa, locum designans, illic, ait, inuenies defossum. Regressus ad domum rem sicut filia de sepulchro responderat, repertam tradidit reposcenti. Sed & alia multa eius feruntur gesta mirabilia, quæ etiam nunc ore omnium celebrantur.* Ea vero quæ retulimus tum alijs in locis, tum præcipue in Officio eiusdem S. Spiridionis a Sede Apostolica pro Ordine nostro, & die 14. Decembris approbata reperiet lector.

b lib. 10. c. 5.

Ancyranum Concilium. 7 Hoc anno 314. iuxta Gordonum, & alios, licet alij cum Onuphrio ad 316. referant, Ancyranum coactum est Concilium, in quo, quoad nos attinet, hæc cap. 19. alias 18. reperiuntur scripta: editione quidem prima sic: *Quotquot virginitatem promittentes irritam faciunt sponsionem, inter bigamos censeantur*: Editione secunda: *Quotquot virginitatem pollicitam prævaricati sunt, professione contempta, inter bigamos haberi debent.* In tertia: *Quicumque virginitatem profitentes professionem suam irritam reddunt ij bigamorum definitionem impleant.* Annotent hæc, qui omnino abs re professionem, & vota monastica ante Antonij, & Basilij institutiones non agnoscunt.

Anni Christi 315. 316. & 317. Siluestri Pont. 2. 3. & 4. Constantini Imper. 10. 11. & 12.

Huius temporis gesta. 1 BELLVM sub hoc tempore excitatur à Licinio contra Constantinum, vincitur tamen ab ipso; sed fœdere postea firmato, iterum à Constantino deficit & post insidias bello aperto contendens, Christianos quoque persequi cœpit, hacque persecutione plurimos Martyres Cœlo dedit. Arrius etiam presbyter Alexandrinus suos errores de inæqualitate Verbi cum Patre propalare incipit, vt propterea à Meletio, & Alexandro Episcopis damnari cœperit. Hæc ex vetustioribus iuniores Chronologi.

Hilarionis gesta. 2 Ex nostra historia ad hoc tempus spectare videntur mirabilia gesta S. Hilarionis, quæ in ipsius vita *c.* 8. & *sequentibus* referuntur; cum eo *cap.* 8. dicatur ea contigisse, dum annos viginti duos haberet, quod huic tempori, eius natiuitate spectata, congruit. Hinc primo, fœminæ Eleutheropolitanæ sterili filium impetrat *c.* 8. Deinde *c.* 9. tres pueros a medicis desperatos sanat, cuius rei causa multi in Christum crediderunt, & se Monachismo tradidere. Item *c.* 10. cæcæ mulieri visum sputo restituit. Ac *cap.* 11. aurigam percussum a dæmone sanitati restituit. Demum Marsitam dæmoniacum; Orionem dæmonum legione possessum; Zananum Maiumitem paralyticum; maleficiatum quendam Italicum; Virginem etiam maleficiatam; Francum Constantij candidatum a dæmone obsessum; quin & bruta animalia libertate ac incolumitate donauit, *c.* 12. 13. 14. 15. 16. 17. & 18.

Nodus soluendus. 3 Est tamen hoc loco nodus Gordiano quibusdam similis enucleandus ex B. Hilarionis historia *c.* 9. desumptus, vbi sic ipsius auctor D. Hieronymus: *Necdum enim tunc Monasteria erant in Palæstina, nec quisquam Monachum ante sanctum Hilarionem in Syria nouerat, ille fundator, & eruditor huius conuersationis, & studij in hac Prouincia primum fuit. Habebat Dominus Iesus in Ægypto senem Antonium, habebat in Palæstina Hilarionem iuniorem.* Ex ijs enim conijci datur nullum Monachum, nullumue Monasterium in Palæstina ante Hilarionem fuisse. *Si ergo ita est* (verba sunt

Au-

Auctoris, cui nomen Geometra) *& ante Hilarionem non erant Monasteria in Palæstina, vbi erat Monasterium Montis Carmeli? Deinde si sacrum hoc Monasterium ob Sacellum Deiparæ Virgini sacrum à Palæstinis, Phœnicibus, Galilæisque maxime fuit frequentatum, quomodo ante Hilarionem nemo Monachum in Syria nouerat? An monasterium frequentabatur, & Monachi nesciebantur? Præterea, si ab hoc monte, vt à fonte quæuis alia Monachorum instituta deriuata sunt (hoc enim volunt auctores huius opinionis) quomodo Hilarion in Syria Monasticæ conuersationis, & studij primus fundator, & eruditor? An dicemus Hieronymum hæc omnia ignorasse, qui ipse Monachus inter Syriæ Monachos bonam ætatis partem triuit, qui toties Palæstinæ loca sacra lustratus est, qui Monachorum non tantum Syrorum, sed & Ægyptiorum instituta seruatus est, vitas descripsit, historias prosequutus est?* Vrgeamus & nos difficultatem. Si ante Hilarionem Monachatus in Syria, & Palæstina agnitus non fuit, quid respondendum innumeris Patribus, & Doctoribus, qui monachorum institutum post Apostolos ab Essenis Alexandrinis, qui Palæstinorum proles, & successore erant; originem ducunt, vt *in Appar. c.1. & 2.* diximus? Deinde, quomodo S.Dionysius Areopagita, quem retulimus *sub an.93. & 98.* Monachorũ, & Monachisti i perspicuam mentionem habet, ex Apostolorum sane institutione; qui Galilæi, vel Palęstini erant? Nunquid Demophilus, & Caius, quos Monachos, & Therapeutas idem Dionysius appellat Palęstinæ limina nunquã attigerunt? Nonne Chariton ille celebris, de quo *sub anno 277. & seque tib.* egimus, in Palæstina circa sanctam ciuitatem & vicina loca Monasticam vitam duxit in *Lauræ* Monasterijs, cum sodalibus etiam Monachis, seu ascetis, antequam Hilarion vel natus, vel agnitus esset mundo, prout ex eius historia apud Metaphrastem, Lippomanum, Surium, & alios ibi retulimus? Sane, vt prætermittamus ea quæ de Anachoretismo seu Monachismo Telesphori & Dionysij summorũ Põtificum; ac quæ de Petri Abselami, & Seleuci Ascetismo in Cæsareæ Palæstinæ districtu, ad quẽ Carmelus ipse spectat, in superioribus diximus; item quæ de Narcisso Anachoreta, & Hierosolymitano Antistite ann. 186. dicta manent D.Augustinus enarrans illud Psalmi 132. *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum*, quod de Monachorum conuersatione intelligit, a tempore etiam Christi, & Apostolorum ad Iudæos & Palæstinos primum pertinuisse, & ex ijs ad alios deriuatum esse fatetur dicens: *Primi audierunt, sed non soli audierunt. Non enim vsque ad illos ista dilectio, & vnitas fratrum venit. Venit enim & ad posteros ista charitatis exultatio, & votum Deo.* Iudæi ergo & Palæstini ab Apostolico æuo Monachis floruerunt, etiam ante Hilarionem. Perspicue etiam Ioannes Cassianus Instituti Monastici descriptor studiosissimus Monachorum, & Monasteriorum œconomiam totam ab Apostolorum tempore in Palæstina, & Ægypto commemorat *in Epist. ad Castorem*, quæ est præfatoria ad libros de institutis Cœnobiorum. *Et lib.4.c.21.* Essenorum habitationem iuxta mare mortuum

in Pa-

in Palæstina vetustissimam recenset. Qui ergo stare poterit auctoritas Hieronymi volentis Monachos, & Monasteria Palæstinæ vnum Hilarionem agnoscre auctorem?

Solutio. 4 Nodus iste in scirpo quæsitus sic a Nicolao Serario [a] soluitur, cum eiusdem illius contexturæ Hieronymi verborum expositionem sibi obiecisset Iosephi Scaligeri: *Partim loquitur de primo authore non quorumcumque Monachorum, sed Eremitarum, qui soli solis in locis degerent, partim de authore certo prorsus, & perspicuo.* Et cap. 24. cum sibi iterum obiecisset alia eiusdem Scaligeri verba; *Nulli ante B. Paulum Eremitam in Ægypto, ante S. Hilarionem in Syria Monachi fuerunt. Respondeo*, inquit, *Nulli, qui proprie essent Eremitæ ante hos fuerunt vt superiori capite ad primum.* Prosequitur hanc solutionem Vvastelius noster [b] dicens, lateque probans ex Cassiano, Athanasio & alijs quod cum Monachus idem sit quod *solus degens*, siue *solitarius*, aut *singularis*, & Monasterium sit *statio*, siue *mansio vnius*, idem erit dixisse Hieronymum ante Hilarionem non fuisse in Palæstina Monachos, & Monasteria, ac dicere non fuisse aliquos qui *sigillatim*, *seorsim*, aut *singulariter* in particularibus *cellulis* vixerint; non tamen non extitisse *Cœnobia*, & *Cœnobitas*, id est habitacula plurium Monachorum simul commorantium. Quo quidem soluendi huius nodi modo contenti essemus, nisi, esto quod is veritatem in rigore grammaticali contineat, certum esset, quod indifferenter *Monasteria* pro *Cœnobijs*, & *Monachus* pro *Cœnobita* vsurpetur, vt vel ex ipso Cassiano [c] & alijs colligitur. Magis ergo genuine, ac perspicue huius obiectionis difficultas euincitur, si dicamus, iuxta dicta & pluribus firmata *sub ann. 36. & 253.* familiarissimum tum sacris tum prophanis litteris esse, vt is primus alicuius rei author vocitetur, qui eam ab alio cœptam valde perficit, aut amplificat. Sic Paulus in Thebaide primus Eremita, sic Antonius in Ægypto primus Monachorum; sic quoque Basilius in Ponto primus Archimandrita a pluribus cognominantur; prout suis in locis diximus, & dicemus. Cum ergo Hilarion in Palæstina id fecerit plurimorum Monachorum Pater, & moderator existens, plurima Monasteria condens, Monachatum illustrans potuit propterea proculdubio a Hieronymo commendari, vt *fundator, & eruditor huius Conuersationis.* Egregius vtique, clarior, & illustrior cæteris, qui ipsum eo in studio præcesserant.

[a] lib. 5. Minerualis c. 23.

[b] in Vindic. Io. Hierosol. lib. de instit. Monach. ar. 11. 12. & 13. §. 4.

[c] Collat. 18.

Pachomij, & Palæmonis gesta. 5 Congruunt etiam huic tempori, quæ de gestis Pachomij, & Palæmonis ipsius Magistri referuntur in Pachomij vita [d] illis verbis: *Morabantur ergo simul, abstinentiæ, atque precibus operam dantes: Texebant quoque cilicia & laborabant manibus suis, iuxta beatum Apostolum, non tantum pro sua refectione, vel requie, sed vt haberent vnde tribuerent necessitatem patientibus; in vigilijs etiam cum nocturnas orationes celebrarent, si quando senior vidisset somno Pachomium premi educens eum foras, arenam portare præcipiebat de loco ad alterum locum, & tali exercitio mentem eius grauatam somni pondere subleuabat, instituens, ac formans eum, vt solicitus esset in precibus, dicens ei:*

[d] cap. 7.

Labora Pachomi, & vigila, ne quando (quod absit) ab hoc nunc incepto proposito te amoueat is qui tentat, & inanis fiat labor noster. Quæ cuncta Pachomius obedienter, ac solicite suscipiens, ac de die in diem sanctæ continentiæ profectibus crescens, venerabilem senem nimis alacrem lætumque reddebat, ita vt Christo semper pro conuersatione eius gratias ageret. Deinde *cap.* 8. de eisdem narratur, quod cum Paschatis die solemnissima Pachomius, iubente seniori, vt aliquid pro esca præpararet, præter solitum parumper olei cum salibus tritis admiscuisset (lapsanas enim, id est, agrestia olera, & herbas alias sine oleo edere consueuerant) ab illis abstinuerunt ob memoriam passionis Christi. Hoc etiam capite primum video iuniores Monachos Paternitatis titulo Seniores appellare. Dicitur enim de Pachomio iuniori dixisse suo seniori magistro Palæmoni: *Feci quod tua Paternitas imperauit.* Ex quo huius tituli nomenclatura ad posteriores Monachos deriuata credi potest. Præterea *c.* 9. casus narratur de quodam superbo Monacho, qui Diaboli arte super prunas ardentes inustus stabat; quem idcirco Satanas primum mulieris specie demulsit, & ad venerem excitauit, ac postea abripiens miserabiliter in fornacem præcipitari fecit. Vt vel hinc discamus Monachi recte dixisse Dionysium Carthusianum [a], quem cum alijs ad intentum in nostro opere *de Reformat. Regular. c.* 13. *n.* 18. retulimus: *Elatus Monachus est monstrum turpissimum coram Deo; humilitas autem facit Religiosum Deo, & suis confratribus valde amabilem.* Referuntur etiam *cap.* 11. & 12. eiusdem historiæ Pachomij illius abstinentia, perfectionis studium, Sacræ Scripturæ studiositas, humilitas, patientia, charitas, & amor anachoresis, seu solitudinis.

a Serm. 5. de Dominic. 5. post Trinitatem.

6 Persecutio Licinij in Christianos hoc tempore excitata quadraginta Virgines Moniales de medio sustulit, quæ eo ipso quod Moniales nominantur, Essenatus professionem indigitant. De eis autem hæc habentur pro prima die Septembris in Menologio Græcorum; quæ etiam Baronius [b] refert: *Natalis Sanctarum quadraginta mulierum Martyrum virginum, & monialium, & Ammonis Diaconi earum magistri. Hæ fuerunt ex Hadrianopoli Macedoniæ Christum secutæ sub institutione eiusdem Ammonis diaconi: tentæ vero sunt à Balbo Præfecto Hadrianopolis multumque excruciatæ, vt Idolis immolarent, quæ fortiter restiterunt. Cum interea idolorum sacerdos arreptus à dæmone, suspensus in aera, atque in terram collisus, interijt. Virgines vero cum Ammone missæ sunt Heracleam ad Licinium ibi commorantem, cuius sententia decem ex illis viuæ combustæ, reliquæ vero vna cum earum magistro gladijs concisæ sunt, præstitit hæc sæuissimus Imperator.* Ne vero lector credat quadragenarium harum Virginum Monialium numerum fidem excedere, animaduertat tam copiosum earum gregem hoc tempore fuisse, vt D. Epiphanius [c] de Arrio, qui tunc primum venenum in Ecclesiam effundere nitebatur, dicat: *Valde cito septingentas Virginitatem professas in vnum contraxit*, errores videlicet suos eis suadere conando. Euagrius etiam [d] de vna sola ciuitate *Oxyrincho* dicta asserat;

Licinij persecutio.
b sub ann. 316. §. Porro fuit ... (?)
c hæres. 69.
d in vit. sanct. Patr. c. 5.

Per

Per totam ciuitatem multo plura Monasteria, quam domus videbantur. Habebat autem sacratus hic Virginum Deo chorus magisterium pariter, & exemplum non solum in eis, quas in superioribus retulimus, sed maxime etiam in sorore magni Antonij Abbatis. Vt etiam in ipsius Antonij vita [a] dicitur: *Sororem quoque iam vetulam Virginem videns, & aliarum puellarum magistra mira exultatione sustollitur.* Erat ergo ipsa virginum doctrix, & ductrix.

a cap. 27.

Spiridionis sanctitatis signum

b lib. 1. c. 10.

7 In re dubia de tempore quo contigit hic accensendum mirabile Spiridionis nostri sanctitatis signum, quod in Historia Tripartita [b] sic reperitur scriptum: *Mos erat Spiridioni istis ex fructibus qui nascebantur eis, alios quidem pauperibus erogare, alios autem gratis mutuari volentibus, sed neque per se dabat, neque per se recipiebat, sed solum cubiculum demonstrabat inuitans petentes, vt quantum opus haberent tollerent, & denuo reuocarent quantum se nouerant abstulisse. Quidam verò dum mutuum percepisset reuersus est post aliquantum quod tulerat redditurus. Quem dum secundum consuetudinem iussisset reponere in cubiculo, quod fuerat exinde mutuatus, ad iniustitiam ille conuersus, & credens latere Spiridionem, non reddidit quod debebat, sed auferens debitum, quasi reddidisset abscessit, quod tamen longo tempore non erat ignorandum; post certum namque tempus venit rursum petens ab eo mutuum. At ille misit eum ad horreum, data potestate, vt ipse sibi metiretur quantum opus haberet. Vacuum vero eundem locum inueniens, & hoc oculata fide cognoscens Spiridioni nunciauit. Ille respondit ei: Mirum est, ò homo, quod loqueris; quomodo tibi soli visum est horreum necessarijs defecisse? Sed considera potius apud temetipsum, ne forte mutuatus alia vice quod debueras prioritus non solueris. Si enim hoc non est, indubitanter non priuaberis quibus eges, sed rursum accedens inuenies. Sic igitur ille captus, quod ei deliquerat indicauit.* Ad alia plura pro huiusmodi celeberrimi Sancti eximia virtute comprobanda in Metaphraste legenda inuitamus lectorem breuitati consulentes, & ad alia properantes.

Annus Christi 318. Siluestri Rom. Pont. 5. Constantini Imp. 13.

Gesta huius Anni.

1 LICINIVS vbique à Constantino, Deo ipsi etiam per visiones fauente, superatus, tandem misere perit sub hoc, vel proximis annis, prout alijs placet. Vt propterea sub vno Christiano Imperatore omnes Romani Imperij populi tranquillissima pace fruerentur. Cæterum Ecclesiæ felicitatem, in Africa turbant Donatistæ, & in Oriente Arriani. Nam Arrius fretus præsidio Eusebij Nicomediensis, & Eusebij Cæsariensis spargit litteras Encyclicas, & hæresim latissime; propugnante fidem Catholicam Alexandro Episcopo Alexandriæ. Siluester interim Papa, acceptis Alexandri litteris de tanta iam excitata in Ecclesia discordia per Arrium, Osium Cordubensem Episcopum,

scopum, pro officio Legatum mittit in Orientem, qui conuento Constantino, & eius acceptis litteris, ad extinguendum tantum incendium Alexandriam occurrat. His auditis de Religione contentionibus Constantinus valde permotus, litteras dat ad Alexandrum, & Arium pietate quidem sua, & pacis studio dignas.

2 De hoc anno sic in Luitprandi *Fragmentis n.* 11. est sermo: *Anno 318. lex lata est a Constantino, quæ iussit restitui bona, fundos, solaria sanctis Ecclesijs: Tunc reparata est S. Mariæ de Columna matrix Orbis Ecclesia, cuius imaginem, & Columnam Christiani absconderunt, iuuante Valerio Episcopo, & Vincentio Archidiacono: Toleti restituta est Ecclesia Assumptioni S. Dei Genitricis dicata, & de nouo S. Leocadiæ recens martyrij, & Ciui, & Patronæ altera.* Quæ eatenus a nobis commemoranda fuerant, nedum quia Ecclesia illa *Toleti restituta, & Assumptioni S. Dei Genitricis dicata*, ab Elpidio primo eius Ecclesiæ Antistite, & ex Eremitis Carmeli vno appellato primitus erecta fuit, iuxta dicta *sub ann.* 40. & 301. sed & quia Diua Leocadia hoc loco commemorata eiusdem instituti Monialis a quibusdam vocitetur, prout dictum manet *sub eo anno* 301. Luitprandi testimonium.

3 De hoc etiam anno loquens Baronius [a] hæc scripsit: *At sicut eiusmodi pax Imperio Romano restituta bellum fuit coalescentium, & vbique regnantium vitiorum, ita extitit omni ex parte morum optimorum conciliatrix, & altrix. Etenim non tantum ciuitates excultæ Christianis legibus ab omni turpitudine emundatæ, redditæ sunt pulchriores; sed & deserta loca repleta sanctorum colonijs sunt mirifice illustrata, cum & diuina illa per Isaiam prænunciata oracula, atque miracula cernerentur impleta:* Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi Lilium. *Quæ enim paucorum antea Deum colentium virorum frequentabantur accessu, reddita iam Ecclesiæ plena pace sub duce Antonio magno, referta sunt agminibus Monachorum. Tunc etiam qui postea fama celeberrimus in Thebaide claruit Pachomius Abbas, cum militaret tyro in castris Licinij Imperatoris, annos viginti natus, deuicto a Constantino Licinio, dimissis ab eo Thebæis tyronibus, ipse mox Christianæ militiæ nomen dedit, & sub Abbate insignis nominis Palamone profiteri cœpit vitam anachoreticam, cuius acta clarissima fusius scripta extant. Incolebat tunc quoq; temporis eandem solitudinem Paphnutius, qui effossis pro Christo oculis sub Maximiano persecutore, gloria confessionis illustris, fama omnium celebris erat: sed & Ammon qui a pueritia ad senectutem vsque magna vitæ sanctitudine vixerat, alijque complures, quorum cum in rebus gestis Antonij, tum etiam Pachomij, & aliorum præclara mentio est.* Vera quidem quoad se; cæterum quoad tempus, in quo contigerunt, tarde relata. Etenim quoad Cœnobiorum multitudinem sub Antonij disciplina, commodius ad historiæ filum a nobis commemorata *sub ann.* 310. De tempore etiam quo Pachomius sub Palæmonis Abbatis ferula Anachoresim aggressus est, aptius dictum *sub ann.* 312. sicut & ibi etiam de Paphnutio illo, de quo hic est sermo; & *sub ann.* 313. de transitu Ammonis Antonio reuelato. Baronij. a *§. At sicut.*

Potius

Potius ad hoc tempus adaptari possunt, quæ de eodem Antonio refert eius Chronologus Athanasius in vita ipsius [a], videlicet *c.* 33. de Polycratia Virgine Laodicena Antonij precibus sanitati restituta. Vocatur hæc Virgo *Christo dedita*, in quo indicari videtur ex Virginibus Deo sacris, seu sanctimonialibus illius æui vnam fuisse. Et *cap.* 34. 35. & 36. de pluribus a Dæmone obsessis eiusdem quoque meritis liberatis. Maxime id quod eo *c.* 34. dicitur, nempe quod cum plurimi ad eum conuenirent, *Nemo tamen vnquam vexationem, aut detrimentum laboriosi itineris conquestus est, regrediebantur omnes spiritali cibo pleni*. Item quæ in vita Hilarionis [b] referuntur: *In tantam a Domino fuerat eleuatus gloriam* (Hilarion) *vt Beatus quoque Antonius audiens conuersationem eius, scriberet ei, libenterque eius epistolas sumeret. Et si quando de Syriæ partibus ad se languentes perrexissent, diceret eis: Quare vos tam longe vexare voluistis, cum habeatis ibi filium meum Hilarionem.*

a c. 33. 34. 35. & 36.

b cap. 9.

Porphyrius Anachoreta.

5 Illustrabat etiam hoc tempore, vel circiter, Carmelum nostrum vir quidã christianissimus, & doctissimus, Porphyrius nomine, de quo Historici nostri præsertim Arnoldus Bostius [c], Palæonydorus [d], & Coria [e] Hic postea in Ægypto Archimandritam gessit, Episcopum videlicet, prout Bostius autumat, vel solum Eremitam illius regionis, prout Palæonydorus scribit. Id certius ad eum conuenisse Basilium Athenis regressum, & ab eo illuminatum, vt sacros libros perscrutaretur, iuxta dicenda *sub ann.* 354. Libros ille ipsi accommodauit. Vt enim Bostius, inquit: *Multos libros Origenis, & aliorum Doctorum de libraria Eusebij Pamphili Episcopi Ciuitatis Cæsareæ Palæstinæ sibi scribi fecerat idem Porphyrius, dum fuisset in Monte Carmeli commoratus*. De ipso iterum loco relato, & *sub anno* 327.

c lib. 5. c. 39.
d lib. 2. cap. 5.
e lib. 9. cap. 1.

Nisteron.

6 Ad idem tempus iure referri potest Abbas Nistero; fuit namque B. Antonij amicus, prout *in* 4. *lib. vit. Patr. libell.* 1. habetur. Ex hoc Patre id nos Religiosi optimi documenti habere possumus, vt præ omnibus virtutum exercitijs conformitatem cum diuina voluntate curare debeamus. Vt enim ex loco relato colligitur, cuidam petenti ab ipso consilium aliquod, post relata diuersa virtutum exercitia, in qua antiquiores Patres occupabantur, dixit; *Quod vides secundum Deum velle animam tuam hoc fac, & custodi cor tuum*. Vtique ad consolationem eorum qui corporis nimijs austeritatibus non incumbunt; si enim secundum Dei voluntatem vixerint, poterunt alios in vera perfectione excedere. Vnde de ipso legitur [f] quod cum interrogaretur quæ esset causa vt nulla tribulatio Monasterij tædium ipsi afferret, responderit. *Quando intraui in Congregatione dixi animo meo: Tu & asinus vnum estote. Sicut enim asinus vapulat & non loquitur, iniuriam patitur, & non respondet, sic & tu, quemadmodum in Psalmo legitur, vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*. En conformitatis voluntatis humanæ cum diuina indicium. Alia de ipso quærat lector eo *lib.* 5. *vit. Patr. libell.* 8. *n.* 12. & *lib.* 7. *c.* 12.

f lib. 5. vit. Patr. libell. 15. n. 30. & lib. 7. cap. 42.

Annus Christi 319. 320. 321. 322. & 323. Siluestri Pont. 6.7.8.9. & 10. Constantini Imper. 14 15.16.17.& 18.

1 CONSTANTINI Imp. pietati concessum a Deo est de Scythis, Sauromatis & alijs hoc tempore triumphare; sicut & Osio Cordubensi de Arrio in Concilio Alexandrino, quod aliqui Generale vocant, eo quod Siluestri authoritate per Osium Legatum celebratum sit. Victo etiam Licinio iuniore Constantinus Byzantium capit, quam postea Constantinopolim appellari voluit, & nouam Romam. Baronius, Gordonus, & alij *sub his annis*.

2 Huius autem persecutionis causa Siluester Papa, qui iampridem in Equitij prædio seu Oratorio, de quo *sub anno 313.* dictum manet; & quod modo a nostri Ordinis Religiosis magna reuerentia obseruatur, suam mansionem habebat, coactus est in montem Soracte non longe ab Vrbe positum fugere, & ibi cum clericis latere, donec vel Imperator Romam rediret, vel populi furor cóquiesceret. Sic ferme Ciaconius [a], Gordonus [b] & noster Reuerédiss. Io. Antonius Philippinus libro relato *sub ann. 313. c. 4.* Siluester Papa. *a in Siluestro. b sub ann. 323.*

3 Prodijt hoc tempore Constantini rescriptum in fauorem cælibatus, leges aduersus eum statutas abrogans, quod habetur *l. 1. de infirmand. pœnis.* & cuius meminit Eusebius [c], & Sozomenus [d] qui de his legibus abrogatis loquens dicit: *Vetus erat apud Romanos lex, quæ vetuit cælibes, si annum ætatis vigesimum quintum præteriissent, paribus cum ijs, qui nuptias contraxissent, priuilegijs frui, iussitque præter alia multa, etiam vt nihil commodi, etiam si genere proximi essent, ex testamento suorum caperent. Quin etiam eos qui nullos habebant liberos dimidia parte bonorum, quæ erant reliqua, mulctauit.* Finis autem harum legum sic tangitur a Sozomeno. *Hæc lex a veteribus Romanis sancita fuit eo consilio, vt non Vrbem Romanam solum, verum etiam cæteram suam ditionem hominum multitudine complerent, quandoquidem haud longo tempore ante legem latam quamplurimos bellis intestinis, ac ciuilibus amiserant.* Cæterum maxime falli eos qui ex sancto cælibatu Christianorum putarunt exhauriri hominum prole Romanum Imperium, *S. Ambros.* [e] quod experimento didicit, his verbis significat: *Siquis igitur putat consecratione virginum minui genus humanum, consideret, quia vbi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines: vbi virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse maiorem. Discite quantas Alexandrina, totusque Oriens, & Africana Ecclesia quotannis sacrare consueuerint. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic virgines consecrantur: ex ipsius igitur Orbis terrarum vsu non inutilis virginitas existimatur; præsertim cum per virgines salus venerit Orbem fœcundatura Romanum.* Quæ eo a nobis commemorari debuerunt, quod Monachorum, & Sanctimonialium huius æui, quorum historiam teximus, cælibatum commendant. Cælibatus. *c de vit. Constantin. lib. 4. c. 26. d lib. 1. c. 9. e de Virginib. lib. 3.*

4 Ad hoc etiam tempus spectare videntur, quæ de Antonio magno in eius vita [a] refert Athanasius his verbis: *Innumera, & alia istiusmodi si-* Antonij gesta.

gna sunt, quæ Monachorum concordi sæpe relatione cognouimus. Verum non tantum bis adhibendus est stupor: quia multo plus quæ sequuntur conditionem nostræ fragilitatis excedunt. Hora circiter nona, cum ante cibum orare cœpisset, raptum se sensit in spiritu, & ab Angelis in sublime deferri; prohibentibus transitum aeris dæmonibus, cœperunt Angeli contradicentes requirere, quæ esset causa retinendi, nullis existentibus in Antonio criminibus. Illis verò ab exordio natiuitatis replicare peccata nitentibus, calumniosa Angeli ora clauserunt, dicentes non debere eos a natiuitate eius delicta narrare, quæ iam Christi essent bonitate sopita: si qua autem scirent ex eo tempore, quo factus esset Monachus, & Deo se consecrasset, licere proferri.

Monachismus quasi Baptismus.

5 Ex illis autem verbis, quibus Angeli calumniantium Dæmonum Antonium ora clauserunt, scilicet: *Non debere eos a natiuitate eius delicta narrare, quæ iam Christi essent bonitate sopita, si qua autem scirent ex eo tempore quo factus esset Monachus, & Deo se consecrasset, licere proferri*, recte Bellarminus [a] colligit aliquam inter baptismum, & Monachorum Religionem esse similitudinem: quod sicut in Baptismo remittitur omnis pœna peccatis debita, ita quoque in susceptione vitæ Monasticæ fieri credibile est. Quod sane, & Sanctorum Patrum testimonijs, & sanctorum virorum exemplis & scolastichorum doctrina egregie firmatur. Et quidem ad Patrum auctoritatem quod attinet, Hieronymus [b] ita Paulam de obitu Blesillæ filiæ solatur: *Reuera*, inquit, *seculare desiderium, & (quod Deus à suis auertat) delicias huius vitæ cogitantem mors immatura rapuisset, plangenda erat; nunc verò cum propitio Christo, ante quatuor fere menses, secundo quodãmodo se proposito Baptismo lauerit, & ita deinceps vixerit, vt calcato mundo semper monasteriũ cogitauerit, nõ vereris ne tibi saluator dicat: Irasceris Paula, quia filia tua facta est filia mea?* Eamdem vim habet etiã illa eiusdem Hieronymi cohortatio ad Demetriadem [c]: *Nunc*, inquit, *quia seculum reliquisti, & secundo post Baptismum gradu inisti pactum cum aduersario tuo dicens ei: Renuntio tibi Diabole, & seculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis, serua fœdus quod pepigisti*. S. Bernardus [d] non solum id docet, sed duplicem etiam a quibusdam de hoc ipso rogatus causam adfert: *Audire*, inquit, *& hoc vultis à me, vnde præter cætera pœnitentiæ instituta, monastetialis disciplina meruerit hanc prærogatiuam, vt secundum baptisma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi renunciationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, qua præeminens humanæ vitæ vniuersis generibus huiuscemodi conuersatio, professores & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit, figurans nos Christo, instar Baptismi, & quasi deniq; secundo baptizamur dum per id quod mortificamus mẽbra nostra, quæ sunt super terrã, rursum Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis eius. Sed & quo modo in Baptismo eruimur de potestate tenebrarum, & in regnum transferimur charitatis æternæ, ita & in sancti huius secunda quadam regeneratione propositi, de tenebris æque non vnius originalis, sed multorum actualium delictorum, in lumen virtutũm euadimus, redaptantes nobis illud Apostoli: Nox præcessit,*

a to. 4 in Iudic. de lib. concordia Luther. mendacio 22.

b epist. 25.

c epist. 8.

d lib. de præcepto, & disp. non procul finem.

dies

dies autem appropinquauit. Atque hæc ex Sanctis Patribus nunc sufficiant. Colligitur id etiam ex *cap. quis aliquando §. his auctoritatibus de pœnit. dist.* 1. & *cap. admonere* 33. *q.* 2. *Autentic. de Monach. collat.* 1. *statim in princip.* Non desunt quoque Sanctorum visiones. Leontius Neapoleos Insulæ Cypri Episcopus [a] narrat quomodo Simeon, & Ioannes sancto habitu velut regenerandi erant; & quantam ipsi primis septem diebus in sic regenerato gloriam viderint. S. Anselmus [b] narrat de Osberno Monacho, quomodo eum in extremis Angelus contra Diabolum peccata ante ingressum Religionis commissa obijcientem defenderit, *quod ea fuerant professione monastica abolita*. Inter scholasticos consulendus D. Thomas [c] & Thomas Vvaldensis noster [d], quem vide egregie de hac re disserentem. Vide & Antoninum [e], & Paludanum [f], Siluestr. [g], Platum [h], Sanchez [i]. Quid nunc habent hæretici, quod tantorum Patrum auctoritati, quod testatissimis historijs, quod scholasticorum receptissimæ doctrinæ opponant? Quod enim Philippus Melanchon [k] affirmat, docere Catholicos Monasticam vitam esse meliorem Baptismo, mendacium est, vt ex dictis *in mea summa quæst. Regular. to.* 1. *c.* 3. *n.* 1. constare poterit, vbi de hoc priuilegio professionis Monasticæ oppositum dixi.

a in vit. Simeonis apud Mo- capo. 1. Iulij.
b lib. de Similit. cap. 191.
c 2.2. q. 189 art. 3. ad 3. & in 4. Sent. dist 4. q. 3. art 3. quæstiunc. 3. ad 3.
d to. 3. de Sacr. Tit. 9. cap. 80.
e Summa p. 3. tit. 16. c. 3. §. 3.
f in 4. dist. 38. q. 3.
g verb. Religio dub. 23.

6 Huic quoque tempori attexenda videntur, quæ de Hilarione nostro Auctor ipsius vitæ [l] scripta reliquit, circa abominationem, quam auaritiam, seu cupiditatem Monachorum, nimiamque bonorum temporalium solicitudinem: vnde cuiusdam auari Religiosi munus fœtere ostendit suo charissimo socio Hesychio. Cui: *Non sentis*, inquit, *putorem teterrimum, & in cicere fœtere auaritiam? Mitte bubus, mitte brutis animalibus, & vide si comedant. Quod cum ille iuxta preceptum in præsepe posuisset, exterriti boues, & plus solito mugientes, ruptis vinculis in diuersa fugerunt. Habebat enim senex hanc gratiam vt ex odore corporum, vestiumq; & earum rerum quas quis tetigerat, sciret, cui dæmoni, vel cui vitio subiaceret.*

Hilarius gesta.

h lib. 1. de bono statu Rel. c. 13.
i in Decal. lib. 1. c. 5. n. 2.
k in lib. Conc. Lutheran.
l c. 21. & 22.

7 Id circo vero a nobis hæc recitata, vt ex ijs occasionem sumamus dicendi, auaritiam, seu cupiditatem detestabile valde vitium in Monachis esse. In quo licet remittere possemus lectorem ad ea quæ in opere *de Reformatione Regularium c.* 16. & 17. dicta manent, vlterius tamen illi ruminandum proponimus tremendũ illud *Eccl.* 10. *vers.* 9. pronuntiatum, *Auaro autem nihil est scelestius*, quod etsi Hyperbolicum videatur, cum hæreticus, Idololatra, homicida, & alij auaro scelestiores æstimentur: cæterum de auaro Religioso prolatum maxime veritatem continere apparet; siquidem iuxta Apostoli 1. *Corinth.* 6. dictum *Cupiditas est radix omnium malorum*, quod in cupido Monacho cernitur. Quæ enim sacrilegia, Sacrorumue mercimonia non committet? Recte Cassianus [m] Religiosorum auaritiam nuncupat *receptaculum vitiorum, malorum omnium radicem, & inextricabilem nequitiæ fomitem*. Lepidissime etiam venerabilis Beda [n] dixit: *Auarus nihil recte facit, nisi cum moritur*; tunc enim suam pecuniam alijs, etsi inuitus, relinquit.

Notanda.

m lib. 7. de instit. renūciant. cap. 6.
n in Sentent.

Pp 2 In-

Hesychius.

8 Insuper ex dictis elicitur Hesychium relatum vnum ex intimioribus, & charioribus Hilarionis discipulis hoc tempore fuisse. Id enim indicāt illa: *Maxime ad Hesychium, quo ille vehementissime delectabatur*; & illa sermocinatio cum Hesychio circa fascem ciceris a cupido monacho delatum. Vnde in Hilarionis vita sæpius de illo fit mentio, & *c.* 33. *&* 38. vocatur *Sanctus vir*. Vnde etiam ipsum idcirco eo *c.* 38. hæredem reliquit bonorum quæ habebat, scilicet Euangelij, tunicæ saccineæ, cucullæ, & pallioli. Fuit etiam socius Hilarionis in persecutione Gazentium, vt ex *cap.* 28. habetur. De illo specialiter tum hæc, tum alia in sequentibus, quia eiusdem Instituti cum Hilarione. Vnde nostris eum accensent Philippus a S. Iacobo [a], Franciscus a S. Angelo [b], Michael de la fuente [c], Emmanuel Romanus [d], & Casanate [e], qui etiam de ipso hæc: *Natione fuit Græcus, Eliæ magni Parentis sectator, & in Palæstina multorum Essenorum Anachoretarum Pater, S. Hilarioni arctissimo iunctus necessitudinis nexu, & ad quem moriens Hilarion, testamenti vice, breuem manu propria epistolam exarauit, quemque omnium diuitiarum suarumque hae diti gaza componebantur; Euangelio scilicet Christi, saccea tunica, palliolo, & cucullo, haredem instituit*. De ipso etiam Sixtus Senensis *lib.* 4. *Bibliothecæ sanctæ* sic: *Hesychius Monachus, & in Palæstina multorum Monachorum pater, Hilarioni sanctissimo Eremitæ arctissimo amore iunctus, & ad quem ipse beatissimus Hilarion moriens, quasi testamenti vice breuem manu propria scripsit epistolam omnes diuitias suas ei derelinquens, Euangelium scilicet, & tunicam sacceam, cucullam, & palliolum, vir Græcæ linguæ peritissimus, & diuinarum scripturarum lector assiduus; nouam Græcam translationem totius scripturæ publicauit, partim a se de LXX. Interpretibus in veteri testamento emendatam, partim vero propria industria in nouo testamento ad antiquam fidem restitutam. Sunt qui eandem translationem tribuant Hesychio Hierosolymitano presbytero, viro doctissimo, quem Nicephorus temporibus Theodosij iunioris floruisse scribit, quod mihi non videtur verisimile, cum Hieronymus scribat hanc Hesychianam editionem omnibus per Alexandriam, Ægyptum Ecclesijs tempore suo, hoc est Theodosio seniore imperante fuisse vsitatam. Claruit autem Hesychius sub Constantio Augusto, anno Domini* 360. Hoc porro, quod de Græca translatione huic Hesychio à Sixto tribuitur (quod etiam Emanuel Romanus, & Cassanate relati) non arridet Baronio, qui alteri Hesychio martyri, & a Petro Alexandrino commemorato id aptat. De quo alibi.

a in catal. illustr. vir. Ord.
b in Cat. sanct. Ord. fol. 54.
c in Comp. hist.
d in In.ssco.
e in Parad. Carmel. sta. 1. 2. ar. 5. c. 81

Paphnutij historia.

9 Congruit huic tempori historia S. Paphnutij Abbatis, qui iuxta Floriarium sanctorum, quod refert Heribertus [f], claruit sub ann. 321. fuit hic Pater Sidonius patria, prout colligitur ex *Menæis* 8. *Octobris*. Et Abbas in Regione Heracleotarum iuxta Thebaidam. Per quem id specialiter notum esse voluit Deus hominibus, Religiosis præsertim, qui sæpius mundanorum vitam auersari solent, *nullum* (vt ipsummet dixisse testatur Ruffinus [g]) *in hoc sæculo debere despici, etiam si latro sit aliquis, aut in scena positus, etiam si cultus ruris exerceat, & coniugio videatur astrictus,*

f in notat. ad lib. 2. vit. Patr. c. 16. n. 32.
g lib. 2. vit Par. c. 16. in fine.

etiam

etiam ſi negotiator dicatur, & mercimonijs ſeruiat: tamen in omni ordine humanæ vitæ ſunt animæ Deo placentes & habentes actus aliquos occultos quibus delectatur Deus. Vnde conſtat non tantum profeſſionem vitæ aut habitus ſpeciem eſſe Deo placitam, quantum ſinceritatem, atque affectionem mentis operumque probitatem. Ita ille. Quæ Deus vera eſſe comprobauit triplici exemplo, quod illi contigit, prout Ruffinus relatus, & Palladius [a] afferunt. Primum eſt; quod cum quadam vice rogauerit Deum, vt ipſi oſtenderet, cui ſanctorum ſimilis eſſet; Angelus ei aſſiſtens reſponderit, quod ſimilis eſſet Symphoniaco cuidam, qui in vico illo cantandi arte victum quærebat. Quæſito ergo, & inuento ſtudioſiſsime interrogauit eum de ſuæ vitæ ratione, virtutibus, & pijs operibus. Cui ille faſſus eſt ſe fuiſſe maximum peccatorem, & latronem. Inſtanter iterum roganti an eo tempore boni aliquid egerit, reſpondit, ſe, cum inter latrones eſſet impediſſe ne virgo quædam Deo ſacra ab ipſis capta violaretur: inſuper, quod fœminam quandam honeſtæ formæ in eremo oberrantem inuentam trecentis ſolidis in eleemoſynam illis datis iuuiſſet vt ſui mariti, triumque filiorum miſeram ſeruitutem, & pœnas redimeret. Secundum eſt, quod ſimiliter oranti, & eadem petenti reſponderit Deus eſſe ſimilem cuidam ſæculari primario vici illius; a quo quæſito & inuento audijt triginta annis in matrimonio continentiam ſeruaſſe; hoſpitibus, & pauperibus ſtipem præbuiſſe; iuſtitiæ & charitatis operibus incubuiſſe. Tertium eſt, quod eadem ſimiliter oranti reſponſum a Deo datum ſit ſimilem eum eſſe cuidam negotiatori Alexandrino perdiuiti viginti millibus ſolidorum mercimonia tribus nauibus ex Thebaide deferenti, qui ad eum proxime veniebat, & decem leguminum ſaccos pro Monaſterio Paphnutij deferebat. Hi autem tres, Symphoniacus, primarius, & mercator, id boni lucrati ſunt, vt meritis, & ſuaſionibus Paphnutij mundum reliquerint, deſertum petierint, perſancte vixerint, & Paradiſi participes effecti fuerint. Huius etiam Paphnutij opera Thais inſignis meretrix ad Deum conuerſa eſt, ſanctiſſima morte peccata præterita delens, iuxta dicenda *ſub anno* 346. De eo præter Ruffinum, Palladium, & Heribertum relatos Maurolycus [b] & alij.

[a] *l.8.vit. Pat. c. 62.63.64.& 65.*

[b] *in Martyrol. 29. Nouemb.*

Annus Chriſti 324 Silueſtri Pont. 11.
Conſtantini Imper. 19.

1 FELICISSIMVS hic annus Chriſtianæ Religioni fuit ob baptiſmum á Conſtantino receptum, miniſtrante ſancto Silueſtro. Deus enim iuſtiſſimus vindex, ſapientiſſimuſque Eccleſiæ prouiſor, Conſtantini ſcelera de aruſpicum protectione, occiſione etiam Criſpi filij, & vxoris Auguſtæ, aliorumque punire volens; ſimulque Chriſtianorum ærumnis mederi, prouidiſſime fecit, vt incurabili lepra vexaretur, quam non niſi infantum ſanguine mundari medici crederent ſed Deus aliter ei prouidit, duos ipſi Apoſtolos mittens, qui

Conſtantini baptiſmus.

viam salutis ostenderent, corporisque, & animæ salutem præstarent medio Siluestro è Soracte monte accersito, & baptismatis lauacro recepto. Extat Romæ in Ecclesia Lateranensi fons sanctus, vbi baptisma suscepit, in veneratione habitus. Pro beneficio quoque gratus recepto plures Basilicas tum in Vrbe, tum extra magnis exornatas muneribus dicauit. In vrbe etenim Basilicam Sancti Petri, & Lateranensem ædificari pie fecit. Item Basilicam Sancti Pauli titulo Via Hostiensi, & in Atrio Sessoriano sanctæ Crucis in Hierusalem, & aliam S. Agneti, ac Beato Laurentio in Via Tyburtina, ac in Via Lauicana inter duas lauros aliam beatis Martyribus Marcellino, & Petro, inqua postea Mausoleum construxit, vbi beatam Helenam Augustam matrem suam posuit in Sarcophago porphyretico. Extra Vrbem vero, Ostiæ, Capuæ, Albani, & Neapoli Basilicas quoque extrui curauit paulo post. Hæc ex Breuiarijs, Actis S. Siluestri, libro Pontificali sub titulo Damasi Papæ, qui extat in 1. *to. Concil. in Siluestro Papa*, ex quibus ea desumpsere Genebrardus, Baronius, Ciaconius, Gordonus, & alij, apud quos etiam de donatione à Constantino Ecclesiæ facta, & alijs quæ omittimus, propriora inuestigantes.

Ecclesia S. Siluestri. 2 Ex quibus illud valde notabile est, quod hoc tempore Siluester Papa Imperatoris fauoribus confortatus in prædio Equitij sui Presbiteri ad Exquilias sito, & iuxta Thermas Domitianas, quæ Traianæ postea cognominatæ sunt, prout diximus *sub anno* 81. *&* 99. vbi Oratorium & mansionem antea habuerat iuxta dicta in superioribus, Ecclesiam quoque construxit, titulum Romanum sub eiusdem Equitij uomine constituens, qui his nostris temporibus extat, & Carmelitarum insignis Basilica est. De hoc enim liber relatus Pontificalis Damasi sic: *Hic fecit in vrbe Roma Ecclesiam in prædio cuiusdam presbyteri sui, qui cognominabatur Equitius, iuxta Thermas Traianas, quem titulum Romanum constituit, & vsque in hodiernum diem appellatur titulus Equitij, vbi & hæc dona contulit: Patenam argenteam pensantem libras 20. ex dono Augusti Constantini. Donauit autem & scyphos argenteos 2. qui pensarunt singuli libras denas. Calicem aureum pensantem libras duas. Calices ministeriales quinque, pensantes singuli binas libras. Amas argenteas duas, pensantes singula libras denas. Patenam argenteam chrismalem, auro clausam, pensantem libras quinque. Pharos coronatos decem pensantes singuli libras octonas. Pharos æreos 20. pensantem singuli libras denas. Cantharos cerostrotos 12. æreos pensantes singuli libras 30. Fundum Valerianum in Territorio Sabinensi, qui præstat solidos 80. Fundum Stationum in territorio Sabinensi, qui præstat solidos 55. Fundum ad duas casas in territorio Sabinensi qui præstat solidos 40. Fundum Periclianum in territorio Sabinensi qui præstat solidos 20. Fundum Corbianum in territorio Sorano, qui præstat solidos 60. Domum cum balneo in vrbe in Sicunini regione, quæ præstat solidos 85. Hortum intra Vrbem Romam in regione ad duos amantes, præstantem solidos 15. Domum in regione Orphea intra vrbem, quæ præstat solidos 58. & tremissem. Hic fecit constitutum etiam de omni Ecclesia.* Item inferius: *Eis-*

dem

dem temporibus constituit B. Syluester in Vrbe Roma titulum suum in regionem tertiam iuxta thermas Domitianas, quæ cognominantur Traianæ, titulum scilicet Syluestri, vbi donauit Constantinus Augustus patenam argenteam pensantem libras 20. Scyphos argenteos duos, pensantes singuli libras 8. Amam argenteam, pensantem libras decem. Pharos cantharos argenteos 10. pensantes singuli libras 5. Cantharos cerostrotos æreos 16. pensantes singuli libras 40. Calices argenteos ministeriales 5. pensantes singuli libras 2. Fundum Percilianum in territorio Sabinensi præstantem solidos 50. Fundum Barbarianum in territorio Ferentino, præstantem solidos 35. & tremissem. Fundum Statianum in territorio Trebulano, præstantem solidos 66. & tremissem. Fundum Berudas, in territorio Corano, præstantem solidos 45. Fundum Sulpitianum in territorio Corano præstantes solidos 70. Fundum Tauri in territorio Veletrino præstantem solidos 42. Fundum Sentianum in territorio Tiburtino prçstantem solidos 30. Fundum Ceianum in territorio Prænestino, prçstantem solidos 50. Fundum Termulas in Prænestino, prçstantem solidos 35. Possessionem Cylois in territorio Prçnestino, prçstantem solidos 58. Obtulit & omnia necessaria titulo Equitij.

3 Pro quibus primo monendus lector, rem abſdubiam, ac ſine controuerſia cunctis eſſe, Silueſtrum hanc Baſilicam condidiſſe, quam titulum Romanum Equitij appellari voluit. Sic enim in dicto Pontificali habetur, & aſtruit Baronius [a], clarius Ciaconius [b], ſequitur Coriolanus [c], Ioannes Caſalius, & Roma ſubterranea [d], & illuſtrat Reuerendiſſimus noſter Philippinus [e] Deinde, hanc fuiſſe eiuſdem Silueſtri Sedem, ſeu manſionem. Ita namq; exprimitur in Concilio Romano eo loco celebrato, & de quo poſtea, *act* 1. *cap.* 1. illis verbis: *Collegit autem vniuerſam ſynodum Epiſcoporum cum conſilio Auguſti, & matris eius, & fecit parari in vrbe Roma intra thermas Domitianas, quæ nunc cognominantur Traianæ. Collegit autem in gremio ſedis ſuæ.* Quod etiam confirmat veſtigium notabile ſedis, ſeu Cathedræ marmoreæ S. Silueſtri, quæ in ea Eccleſia cernitur, & ad quam ſummi Pontifices eiuſdem ſucceſſores veniebant, & vbi adorabantur. Erat ergo Baſilica hæc gremium *Sedis ſuæ*. Idque authores relati ſupponunt. Ad hæc, donaria illa ſiue a Silueſtro, ſiue a Conſtantino eidem Eccleſiæ conceſſa, eſto cum aliqua varietate locis adductis ex Pontificali Damaſi (ſcriptorum forſan incuria) referantur; pretioſa tamen valde fuiſſe ſe ipſis oſtendunt. Eorum computum, ſimul & redditùum pro Sacerdotibus ibi ſeruituris fecit Ciaconius [f] ad vſualem monetam huius temporis dicens: *Hinc Conſtantinus Imperator pietate certans decem & octo mille quingentos octuaginta quinque aureos noſtrates, in ornanda ea Eccleſia & apparatu miniſterij eiuſdem i ſumens, redditus annuos mille octingentorum ſexaginta quatuor aureorum Sacerdotibus ibidem inſeruientibus perpetuo aſſignauit.* Notat & noſter Philippinus [g] illam argenteam Patenam penſantem (pingui minerua ſic dicitur) libras viginti, ex eo tanti ponderis fuiſſe, quod pro diſtributione Euchariſtiæ ad populum, duobus geſtan-

Siluester conditor.

a ſub hoc anno 9. vsq; eodem anno.
b de vit. Pont. in Siluest. S. post baptizatum, & S. Vacat.
c ſub hoc anno.
d in lib. de Vet. Sacr. Christian. Ritib. par. 3. c. 31. in 2. edit.
f ſupra §. B. autem Siluest.
g ſupra c. 7.

gestantibus ministris, deseruiret. Deinde *Pharos coronatos* esse lampades, & *Cantaros Cerostratos* denotare lucernas. Præterea *Ama*, iuxta Calepinum, est vas ad effundendum vinum accommodum. Porro huiusmodi Ecclesiam in thermis, vel iuxta eas extructam fuisse vel ipsis oculis cernitur, cum ad sensum ibi pateant ingentes columnæ, quibus innitebantur; picturæ, tessellæ, lapides & alia ornamenta, quibus decorabantur, & loca per quæ aquæ ad ipsas ducebantur; & calor respirabat. Sacris quoque Deiparæ, & aliorum Diuorum, videlicet Ioannis Baptistæ, Petri, Pauli, Processi, Martiniani, Sixti, & Agnetis, Sanctæ etiam Crucis in fornice, ac quatuor Euangeliorum imaginibus ornatam esse intuentibus euidens est; ad iconoclastarum tum prisci tum nostri æui confusionem; vt propterea Papa Adrianus primus *in Epistol. ad Carolum Magnum* ipsarum cultum vetustum in Ecclesia, & Catholicum esse ex eisdem demonstret. Quod & eiusdem Basilicæ pius varijs ornamentis illustrator Reuerendissimus Magister Philippinus, quem supra retulimus, *eo cap. 5.* elucidat; varia pariter antiquitatis monumenta & Sanctorum memorias ibi annotans.

Deiparæ vetusta Icon.

4 Maxime vero ex Deiparæ Virginis Icone musiuo, seu vermiculato opere elaborata, parietis conchæ intexta, & ad læuam S. Siluestrum habitu Pontificali, & Tiara Pontificia ornatum genuflexum, ac iunctis manibus orantem benedicente, prudenter equidem conijcitur hanc Ecclesiam eidem Sanctiss. Virgini a Siluestro dedicatam fuisse. Vix enim alio aptius modo, vbi scripta monumenta non extant, id ex primi potuit quam isto. Et sane, cum Constantinus eo vere aureo Christianitatis sæculo Sanctis Ioanni, Petro, Paulo, Laurentio, Agneti, & alijs, vt præmisimus, Basilicas in Vrbe extrui fecerit, haud leuiter coniectari licet, Siluestro, vt pote Ecclesiæ Antesignano reliquisse, vt Reginæ Sanctorum ipse Basilicam consecraret. Sunt qui putent hanc Ecclesiam primam inter Deiparæ Romæ consecratas censendas; quod sane si ita sit, non sine speciali Dei prouidentia actum credi potest, quod Carmelitanæ nostræ Religioni postea data sit, vt quæ primam Orbis in Carmelo eidem Virgini ædiculam consecrauit, primam quoque in Vrbe ipsi nuncupatam obtineat.

Chronica Ecclesiæ S. Martini.

5 Ea porro quæ de huius Basilicæ a S. Siluestro dedicatione dicta sunt in M.S. cui titulus est: *Chronica elucidatio Conuentus SS. Siluestri & Martini &c.* quod & in eodem reseruatur, sic describuntur: *Hoc eodem anno post Baptismum Constantini, edicto publico, & generali de Basilicarum Christianorum erectione promulgato, S. Siluester prima Basilicarum fundamenta iaciens publicarum memor suę domus, Equitioque Presbytero suo gratus in eadem sitę, in prędio ipsius Equitij, & intra Thermas Titianas, Domitianas, & nunc Traianas in Exquilijs, & in Orphea, supra fundamenta antiqua aliqua ipsarum Thermarum, iuxta Cameramque, & suam Capellam integram, & illæsam permanentem, de nouo Basilicam spaciosam erexit, ipsamque Deo, & B. Virgini Marię dedicans, titulo Equitij, qui in hunc vsque diem perseuerat,* conse-

consecrauit pauimentum musiuo opere; coequans in altari maiori imaginem Virginis Mariæ Iesum puerum in brachijs gestantis, Siluestri que ad suos pedes sacratos genuflexi, musiue contextam delineauit, parietes omnes Sanctorum varijs picturis, & fornicem Sanctissimæ Crucis imagine decorauit, vt nunc videre est apud ipsam Basilicam hucusque mirabiliter persistentem. Huic Basilicæ plurima dona aurea, & argentea Constantinus Imperator concessit, perennes redditus consignauit.

6 Insigniter etiam sacerrimus hic locus Ecclesiæ a S. Siluestro constructæ, & ornatæ hoc eodem anno decoratus fuit Synodo Romana ab eodem S. Siluestro Papa ibidem celebrata; prout ex M.S. Opusculo, de quo supra his verbis habetur: *Anno 324. Sancti Siluestri Pontif. 10. Imper. Constant. 19. sub ijsdem Cons. S. Pontifex Siluester in prædicto loco, & in hac præfata Basilica Synodum generalem collegit, cui interfuerunt 284. Episcopi, & alij etiam 57. Episcopi partis Rinocoruræ, quibus Constantinus Imperator vehicula, & annonas persoluit. Presbyteri Vrbis Romæ 140. Diaconi 6. subdiaconi 6. Acolythi huic Concilio facti 45. exorcistæ 22. lectores 90. Notarij Ecclesiæ 14. Præsentes etiam fuerunt in hoc Concilio Constantinus, & sua Mater Helena, Calphurniusque Præfectus Vrbis iam Christianus factus, cui celebrato trigesima die Maij in Thermis Domitianis, quæ cognominantur Traianæ, omnes astantes prædicti sua manu subscripserunt, quod Concilium fuit Romæ primum in viginti capita digestum, vnoque anno fuit anterius ad Concilium Nicænum, quod constat fuisse celebratum 325. in Nicæa Bythineæ, & cum præsentia Constantini.*

7 Hæc porro verissima, & indubitata esse ex eo innotescit, quod similia ferme reperiuntur *in to. 1. Concil. in antiquis*, vbi sic, iuxta veriorem lectionem: *Eo enim tempore cum multi nobiles gauderent quod Constantinus baptizatus esset à Siluestro Episcopo Vrbis Romæ, & emundatus fuisset à lepra, pro hoc beneficio quod accepit à Domino nostro Iesu Christo, per Siluestrum Episcopum cœpit integre prædicare Dominum Iesum Christum, & confiteri eius beneficia. Siluester igitur Episcopus Vrbis Romæ congregauit fratres, compresbyteros, & coëpiscopos, & diaconos suos, & ciues Romanos; & quoniam* (alias, *& quem*) *mater Ecclesia genuerat filium charissimum Constantinum. Integre igitur Siluester Episcopus vrbis Romę cum suis eam ordinare desiderauit, & filios eius frequenter lactare, & gradus eius, ordinesque, & consuetudines constituere, & honorare legibus Canonicis Ecclesię statum cupit, atque hunc Canonem modo subter annexum constituit. Collegit autem vniuersam Synodum Episcoporum cum consilio Augusti, & matris eius, & fecit parari in Vrbe Roma intra thermas Domitianas, quę nunc cognominantur Traianæ. Collegit autem in gremio sedis suę 284.*(alias 277. alias 272. alias 267.) *Quibus Augustus Constantinus vehicula, & annonas omni loco pręstari præcepit. Et alios 57. Episcopos partis Ritocorurę, quorum chirographus in eorum Concilio declaratur, & 142.* (alias 62.) *presbyteros Vrbis Romę, & diacones sex & subdiacones sex, acolythos eius consilio factos 45. exorcistas 22. lectores vrbis Romę 90. qui omnes præsentes aderant. Notarios Ecclesię 14. qui gesta diuersorū martyrum suscipientes, ordinate narrabant.* Robertus.

Eadem

Authores.

a in summa Conciliorum fol. 36. b sub hoc anno & hoc eodem & seq. c in Siluestro §. Post Baptizatum. d sub hoc anno e hic. f supra. g in lib. relato cap. 8.

8 Eadem recipiunt Carranza [a], Baronius [b], Ciaconius [c], Gordonus [d], Coriolanus etiam [e], Casalius [f], & Reuerẽdiss. Io. Antonius Philippinus [g], Vocat autẽ hoc Conciliũ *primum Romanũ*, (quod etiam denotatur in M. S. relato) non quidem quia simpliciter primum appellari debeat ex ijs quæ Romæ habita fuerunt; cũ constet ante hoc tempus alias in Vrbe celebratas Synodos fuisse. Videlicet circa ann. 198. vnam a Victore Papa pro controuersia de Paschæ celebratione; alteram a Clero Romano circa ann. 254. tempore mortis S. Fabiani Papæ pro controuersia de lapsis recipiendis, vel coërcendis; aliam item paulo post sub Cornelio Papa pro eadem causa; & aliam sub eodem, in qua Nouatiani damnati fuerunt; aliam quoque circa ann. 263. sub Dionysio Papa pro causa Dionysij Alexandrini; ac demum aliam circa ann. 313 sub Melchiade Papa in causa Cæciliani. Ea ergo solummodo de causa Concilium hoc primum Romanum appellari potest, quia cæteris alijs præcedentibus illustrius, & solemnius, Episcoporum, & aliorum qui affuerunt numero, Imperatoris Christiani auspicijs, & pace, ac tranquillitate, qua tunc potiri incipiebat Ecclesia.

9 Decretum primo est in hac Romana Synodo: *Ne clerici inferioris gradus eos qui essent superioris ordinis accusare præsumerent, item, quod de Ecclesiæ redditibus quibus iam incipiebat affluere, pars vna Pontifici cederet, alia vero Clericis, tertia vero Ecclesiarum fabricis seruaretur, quarta autem esset in pauperes eroganda: ex redditibus vero a Constantino Basilicis assignatis, Siluestro fere 60. mille aurei annui obueniebant, citra alia emolumenta, & oblationes Christianorum. Itemne presbyter, sed Episcopus chrysma conficeret, & ne in parochijs amplius, quam duo Diaconi, septem vero Vrbis, nempe regionarij, Diaconi Cardinales essent; publicæ pœnitentiæ etas, & baptizandi certi solemnes dies definiti. Itemque de testimonio Clericorum aduersus laicos non ferendo, nec Clerico publice, sed tantum in Ecclesia examinando, nec in Curiam ingrediendo, nec cædendo. Ne turpis criminis Diaconus accusaret presbyterum, sed ne presbyter a die suscepti gradus presbyterij deberet habere cum fœmina contubernium. Item quod prima sedes a nemine iudicetur, lex sancita; quoniam omnes sedes à prima Sede iustitiam desiderant temperari, neque quoque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo Iudex iudicabitur. Subscripserunt huic Synodo non tantum Siluester, & Episcopi, atque Presbyteri, & Diaconi Romanæ Ecclesiæ, qui præsentes fuerunt, sed & Constantinus Imperator, & Helena eius mater Augusta, vt in fine vltimi Canonis eiusdem Synodi expressum habetur*. Sic Ciaccon. [h] ex alijs ea mutuatus.

h supra §. Post Baptizatum.

Notanda.

10 Notet lector verba illa, quæ *Actione* 1. huius Concilij referuntur: *Sederunt in eodem specu thermarum supradictarum*, quibus non solum habetur huiusmodi Synodum habitam in præfatis Thermis, sed & in ea ipsarum parte, quæ est ipsa Ecclesia a S. Siluestro erecta; hæc enim est quæ vocatur *Specus*, eum reuera, prout hisce temporibus cernitur, instar specus, subterranea sit. Lege *Romam subterraneam* nouissimam P. Pauli Aringhum.

Hic

11 Hic annus natalitius creditur magni illius Nazianzeni cognomento Doctoris, & Theologi Gregorij, Nazianzi Cappadociæ Vrbe ex Gregorio patre, & Nonna matre nati. Cuius historia vel leuiter nobis discutienda, quia & Monachus fuit, prout eum appellant Ruffinus [a] inquiens cum Basilio ad Monasterium perductum, & Breuiaria tum Romanum, tum Carmelitanum, dum habent *tredecim annos in Cœnobio* cum Basilio in Sacrarum litterarum studijs se exercuisse; conformiter sane ad Monachismi votum, quod ipse emisit, vt habet *Orat.* 21. illis verbis *In maximis, grauissimisque periculis Deo vouissem*, vt propterea in margine notetur *Vitam monasticam vouit Gregorius*. Forte etiam in Carmelo ipso, vel modico tempore. Prout indicat *Orat.* 11. dicens: *Etiam Carmelus Eliæ me fallebat, qui currum igneum accepit, & Elisei melote &c. fallebat Ioannis solitudo &c.* Et, iuxta votum quod expressit *Orat.* 19. inquiens: *Carmelum Eliæ considerabam, & Ioannis solitudinem*. Hinc eum nostratibus accensent ex historicis nostris Palæonydorus [b] Coria [c] Cassanate [d] Franciscus a S. Angelo, & Philippus a S. Iacobo [e] ac alij. Imo de exteris Laurentius Beyerlink [f], Carolus de Tapia [g] eum inter Carmeli accolas recensens. Quod enim Ioannes Baleus nostri Ordinis transfuga [h] inquit de vxoratu huius Gregorij, nec ipse probat, nec credi debet, nec, esto, quod id verum fuerit, cælibatui Monachorum derogat, cum ante ipsum susceptum id contingere potuerit.

Gregorius Nazianzenus.

a lib. 2. c. 9.

b lib. 2. c. 5.
c lib. 9. c. 5.
d in Paradis. Carmel. stat. 2. etat. 5. c. 125.
e in suis catalogis.
f in Theatro vitæ humanæ lib. 16. tom. 6. verb. Religiosus, Religio. dum de Ordine Carmelitarū.
g in Authentic. ingressi verbo Monasteria c. 17. n. 10.
h in Catalogo. Scriptor. Britann. Centur. 1. in Appendic. ad Gildam Albanium.

Annus Christi 325. Siluestri Pont. 12. Constantini Imp. 20.

1 ANNVS iste insignis memoriæ in sæculis erit ob generalissimum Concilium Nicænum primum eo anno celebratum apud Nicæam metropolim Bythiniæ, concurrentibus 318. Episcopis ex toto Orbe sub Osio Episcopo Cordubensi, Victore, & Vincentio presbyteris Sylvestri Papæ Legatis, contra Arrium Alexandrinum dicentem Filium Dei ex nihilo in tempore factum esse, & prorsus creaturam, alteriusque, quam Patris, substantiæ: cuius doctrina, nisi opportune dissipata fuisset, pectora multorum, atque animos, sicut cancer, penetrasset; vt Optatus Mileuitanus tradit [i]. Definita ergo est in hoc Concilio Christi, & Spiritus Sancti diuinitas, ac declarata Veritas hymni glorificationis, id est, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, qui ab Apostolis vna cum fide traditus creditur Ecclesiæ; & illi adiunctum illud: *Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen*; ad confusionem Arrianorum, qui solum dicebant *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*. Definita etiam fuit dies Paschatis ab omnibus celebranda. Baron. Ciaccon. Coriolanus & alij communiter post Sozomen. Ruffin. Socrat. & antiquiores. Maxime pro Osio Cordubensi, qui huius Concilij Præses dicitur, consulendus Dexter [k], ac eius Commentator Biuarius.

Nicenum Concilium.

i lib. 4.

k sub. an. 324.

Affue-

2 Affuerunt huic celeberrimæ Nicænæ Synodo plures ex nostro Eliadum, seu Esseni instituti Monachorum collegio, qui propterea hic recensendi. Ex quibus vnus fuit Paphnutius ille insignis Antonij discipulus in eremo cum ipso quondam conuersatus, & postea Thebaidis Episcopus dictus, de quo supra *sub ann. 312.* dictum manet. Venit ad Synodum cum Alexandro Episcopo Alexandrino, vt autumat Baronius [a], sacris stigmatibus decoratus, id est cicatricibus ob vulnera Christi causa recepta, vt propterea cũ Paulo [b] ore libero intonare posset: *De cætero nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Merito etiam de ipso, & alijs pro Christo sacrè stigmatizatis dixit idem Baronius. *Quot erant eorum cicatrices obductæ, tot esse ora videbantur aperta, quæ Christi Filij Dei diuinitatem, pro qua testanda vulnera illa magna constantia acceperant, iugiter glorioso præconio proclamarent.*

a sub hoc anno §. Duxit secum
b ad Galat. 6.

Iacobus Nisibita.

3 Inter eos etiam recenset Cassanate noster [c] Iacobum Nisibitam Mesopotamium Episcopum hoc tempore clarissimum. Cæterum, etsi Nicænæ Synodo affuisse hunc Patrem pro comperto sit, cum subscriptus habeatur inter Syriæ Episcopos, & id ex Gennadio, & alijs referat Baronius [d]; quod tamen Prophetalis instituti cultor extiterit, nobis obscurissimum; ac idcirco omittendum.

c iin Paradis. Carmel. stat. 2. Aetat. 5. c. 63.
d supra §. Sed & omnibus.

Concilio adest S. Spiridion.

4 Certissimum id etiam de S. Spiridione eximiæ sanctitudinis Episcopo, de quo plura in præcedentibus, & alia in sequentibus dicentur. Etenim Nicænæ Synodo astitisse habent communiter scriptores post Ruffinũ [e], Metaphrastem [f], & alios. Imo de ipso egregia aliqua tunc facta ex historijs habemus. Illud celebre valde, quod de ipso Tripartita [g], Nicephorus [h], & alij referunt, quo tenacissimus Ecclesiasticæ antiquitatis, paternarumque traditionum custos compertus fuit. Baronius [i] sic rem: *Accidit, vt cum aliquando gentilem suum Triphyllium Ledrensem in Cypro Episcopum virum vt testatur S. Hieronymus, omnium suæ ætatis eloquentissimum, in Synodo orantem audiret, & locum illum Marci Euangelistæ citaret.* Tolle grabatum tuum, & ambula, *& loco* κράββατον, *quod habet textus, dixisset* σκίμποδιον, idest, lectum humilem; *assurgens Spiridion:* Tu ne, inquit, melior es illo, qui τὸν κράββατον dixit, vt eius verbis vti dedigneris? *Quod cum dixisset, exilijt e sede sacerdotali, populo inspectante; atque hoc modo Triphyllium eloquentia e arroganter efferentem, ad modestiam erudiuit; nam satis in se habuit auctoritatis ad pudorem alteri incutiendum, quippe cum & veneratione dignus esset, & rerum admirabiliter gestarum gloria maxime nobilitatus; quin etiam cum eum & ætate anteiret, & dignitate Sacerdotali.* Illud etiam quod Ruffinus [k] refert, & Metaphrastes, Nicephorus, & Glycas, quos sequitur Baronius [l], eidem Spiridioni contigisse dicunt, valde iucundum est, & miræ sanctitatis ipsius indicium. *Cum pro studio religiosi Imperatoris ex omni terra sacerdotes Dei coissent, opinione commoti philosophi quoque & dialectici valde nobiles, & opinatissimi conuenerunt. In quibus quidam insignis in arte dialectica per dies singulos conflictu summi certa-*

e lib. 1. c. 5.
f in eius vita.
g lib. 1. c. 10.
h lib. 8. c. 42.
i sub hoc anno §. At quinam.
k lib. 10. c. 5.
l supra.

minis

minis eum episcopis nostris viris adeque in dialectica non improbabiliter eruditis mouebat, & fiebat ingens spectaculum, conuenientibus ad audiendum doctis, & literatis viris. Nec tamen vllo genere philosophus concludi a quoquam poterat, aut constringi. Tanta enim dicendi arte obiectis quæstionibus occurrebat, vt vbi maxime putaretur adstrictus, velut anguis lubricus elaberetur. Sed, vt ostenderet Deus, quia non in sermone regnum Dei, sed in virtute consistit, quidam ex confessoribus simplicissimæ naturæ vir, & nihil aliud sciens nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum, inter cæteros auditores Episcopos aderat. Qui cum vidisset philosophum insultantem nostris, & callida se disputationis arte iactantem, poscit ab omnibus locum, velle se paucis cum philosopho sermocinari. Tum vero nostri, qui simplicitatem viri, & imperitiam de sermone duntaxat nossent, pauere, & velut pudorem quendam pati, ne forte apud callidos homines risui efficeretur sancta simplicitas. Perstitit tamen senior, & hinc mouit sermonis exordium. In nomine, inquit, Iesu Christi, Philosophe, audi quæ vera sunt. Deus vnus est, qui fecit cælum, & terram, quiq; homini, quem de terra limo formauerat, spiritũ dedit, vniuersa quæ videntur, & quæ nõ videntur virtute verbi sui creauit, & spiritus sui sanctificatione firmauit. Hoc Verbum ac Sapientia, quem nos Filium dicimus, humanos miseratus errores ex virgine nascitur, & per passionem mortis à perpetua nos morte liberauit, ac resurrectione sua æternam nobis contulit vitam. Quem & expectamus iudicem omnium quæ gerimus esse venturum. Credis hoc ita esse philosophe? At ille, velut si numquam vllum sermonem contradicendi didicisset, ita obstupefactus virtute dictorum mutus ad omnia, hoc solum potuit respondere, ita sibi videri, nec aliud verum esse, quam quod dixerat. Tum senior: Si hæc, inquit, ita esse credis, surge, & sequere me ad Dominicum, & huius fidei signaculum suscipe. Et Philosophus conuersus ad discipulos suos, vel ad eos, qui audiendi gratia conuenerant. Audite, inquit, ò eruditi viri: Donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui, & quæ dicebantur dicendi arte subuerti, vbi vero pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo aduersari potuit Deo. Et ideo si quis vestrum potuit in his quæ dicta sunt sentire quæ sensi, credat Christo, & sequatur hunc senem, in quo locutus est Deus. Ita philosophus Christianus effectus, tandem se gratulatus est victum. Eadem refert Gregorius Presbyter Cæsariensis[a] addens Menophantem Episcopum Ephesinum etiam Arrianismo infectum adeo ex hoc miraculo obstupuisse, vt Arrio derelicto, Nicænæ Synodi sententiæ adhæserit. Quo autem nomine Philosophus ille ad fidem Spiridionis verbis conuersus appellaretur res est incerta, quamuis aliqui Phædonem, alij vero Eulogium eum nominent, quos non recipit Baronius[b].

[a] *de Patrib. Nicæn. Synod.*

[b] *hic §. sed ad har*

5 Post finitam Nicænam Synodum alia Romæ hoc eodem anno celebratur a S. Siluestro cum 275. Episcopis; in qua confirmata sunt, quæ in Nicæna definita erant: actum de celebratione Paschæ; de Concilijs ter in anno celebrandis; de non examinandis causis secularibus a Clerico; de præficiendis in Ordinibus; neophytis non ordinandis a nouissimo vsque

Alia Synodus in Ecclesia S. Siluestri.

ad primum gradum;& non ordinando Clerico nisi cum adunata Ecclesia. Ita habetur *to. 1. Concil. sub Siluestro*, & admittunt Baronius, Gordonus, Coriolanus, & alij. Quamuis autem nihil dicant de loco, vbi hæc Romana Synodus a Siluestro habita fuit, certum tamen id fuisse *intra Thermas Domitianas*, prout dicitur in titulo præfixo eidem. Ac perinde in Ecclesia ab eodem S. Siluestro B. Virgini dedicata, quæ a Carmelitis nunc possidetur, & de qua plura supra anno precedenti dicta, dum de prima alia Synodo eo loco ante Nicænam celebrata sermo esset. Et ita tradit Casalius [a] relatus, noster Reuerendissimus Philippinus [b] & habetur in Tabella, quæ eo loco ostenditur, his verbis: *Alterum Concilium hic habuit Siluester sequenti ann. 325. Vt ipse tamquam supremum Ecclesia caput decreta confirmaret magni Nicæni Concilij, in quo sanctæ fidei symbolum constitutum fuerat, & Arrij hæresis damnata. In hoc secundo Romano Concilio 275. Episcopi interfuerunt.* Legatur *Roma subterranea*.

a sub ann. 324
b il lib. Superstelato c. 8.

Annus Christi 326. Siluestri Pont. 13. Constantini Imp. 21.

Athanasius.

1 PLVRA sub hoc anno historiæ nostræ haud extranea contigere, vt propterea vel perstrictim a nobis recenseri debeant. Primum illud est de ordinatione in Episcopum Alexandrinum S. Athanasij egregij Catholicæ fidei contra Arrianos propugnatoris, & Alexandri Episcopi, sicut in sede Episcopali, sic & in hoc digni successoris. Viri sane vndique mirabilis; in ipsius namque persecutionem totus Orbis terrarum conspirasse visus est. Fuit autem Monachorum sui temporis, Antonij, Pachomij, & aliorum deuotissimus Visitator, Propagator, & Protector, vt constabit ex dicendis, ac propterea vel ex eo nostra memoria valde dignus. Insinuat etiam Baronius [c] Athanasij ope vota monachorum in Ecclesias inuecta fuisse. Quod tamen falsum esse dicit Gabriel Pennotus [d], & eo solummodo verum, quod clericis instituta Monachorum adiunxerit, in Oriente sanè, sicut in Occidente S. Eusebius Vercellensis.

c ad ann. 328. n. 21. & seqq.
d in hist. Trip. lib. 2. c. 6. n. 4.

Helena in Hierosolymam.

2 Huic etiam anno historia illa de aduentu Helenæ Constantini matris in Ierosolymam, sanctæ Crucis inuentione, ac miraculis, quæ in ipsa contigere, prout communes Ecclesiæ Tabulę pro die tertia Maij, Patres, & Historici antiqui, specialiter Paulin. [e] Hieronym. [f] Ambr. [g] Chrysost. [h] & Cyrillus Ierosolymitan. [i] referunt, merito tribuitur, testantibus Baronio, Gordono, Coriolano, & alijs. Quæ nostris quoque Annalibus amplam scribendi suppeditat materiam. Huius enim Sanctæ Fœminæ auspicij plura Prophetici, & Eliani instituti Cœnobia tum virorum, tum etiam fœminarum, erecta vel restaurata fuerunt.

e epist. 11.
f in epist. ad Paulin.
g Orat. in fun. Theod.
h hom. 84. in Ioann.
i ep. ad Const.

Ecclesia S. Sepulchri.

3 Primo enim Ierosolymam veniens Sepulchrum Domini, quod prius inueniri non poterat, reuelatione duarum Sanctimonialium, in spelunca

qua-

quadam ob graues tyrannorum persecutiones latitantium, inuenit. Ita enim tradunt historici nostri, Arnoldus Bostius [a], Ioannes Palæonydorus [b], & alij post ipsos. Has vero Sanctimoniales Ordinis nostri fuisse conceptis verbis exprimunt ijdem Bostius, & Palæonydorus; nec mirum sane, cum hoc æuo vnicum solummodo Elianum, Essenum, & Propheticum extaret institutum. Quin addit Bostius: *Habuerant enim prædictæ Sanctimoniales pacis tempore suas mansiones prope præfatum locum in humili structura, sed feruente persecutione passæ fuerant tam deuastationem loci, quam dispersionem consororum suarum.* De quo aliquid diximus *sub anno* 308. Qualiter autem hoc in loco eadem pia Regina Monialium iuxta Carmeli ritum Cœnobium extruxerit, quamque illi Præpositam dederit cum alijs circumstantijs, sic habet relatus Bostius [c] libro iam citato: *Fundauit etiam dicta Regina regale Monasterium in loco Dominici sepulchri locans in eodem loco plures deuotas virgines secundum modum Monachorum Montis Carmeli viuentes, quas velari procurauit. Huicque Monasterio præfecit duas prædictas Sanctimoniales, quarum auxilio inuenerat, vt dictum est, Dominici Sepulchri locum, quarum vna earum Maria nomine aliarum mater effecta est. In eodem itaque Monasterio ipsa S. Helena adeo perseuerauit donec Sanctimonialium adunatio in magno numero surgeret, seruiens eis ad mensam proprijs manibus cum omni humilitate; de qua humilitate Rufinus sic scribit: Reliquit enim hoc indicium religiosi animi Regina venerabilis tempore, quo Hierosolymam visitarat, & Crucem Domini repererat, Virgines quas ibi reperit Deo sacratas ad prandium inuitauit, & tanta eas veneratione curasse dicitur, vt indignum crederet, si famulorum vterentur officijs, sed ipsa manibus suis ancillæ habitu succincta cibum apponeret, & poculum porrigeret aquam suis manibus ministraret, & Regina Orbis, ac mater Imperij, famularum Christi se famulam deputaret.* Circa quæ animaduertat lector verba ista Ruffini *ex cap.* 8. *lib.* 10. *Historiæ* ipsius desumpta esse. Quia autem liber iste decimus Ruffini additamentum est ad Historiam Eusebij, ideo eidem Eusebio tribui solitus, prout facit noster Coria [d]. Dicitur porro a Ruffino *Virgines quas ibi reperit Deo sacratas* &c. quia in eo loco, vel prope illum erat spelunca illa, vbi duæ illæ Moniales latitabant. Quo etiam sensu Ruffinus ipse dicit: *Templum mirificum ab Helena voti compote effectum constructum fuisse in eo loco, quo Sanctam Crucem repererat,* & Palæonydorus [e] Helenam in Caluariæ loco *mirificam* construxisse Ecclesiam, statuisse *Monasterium Virginum secundum Carmelitanæ Religionis institutum*, & ordinasse *Sanctimonialem nomine Mariam earum matrem, & Abbatissam.* Hæc enim omnia de vno, eodemque Cœnobio intelligi videntur. Addit Bostius, in hoc monasterio primo Matrem fuisse præfatam Mariam; ea defuncta Syncleticam; eique successisse sanctam Matronam, & postea sanctam Saram. Subscribunt Palæonydorus, & Coria; vlterius addentes huic Saræ successisse quandam nomine Romanam, & postea aliam nomine Nonnam. De quibus in sequentibus.

[a] lib. 5. histor. cap. 22.
[b] lib. 2. c. 4.
[c] cap. 23.
[d] lib. 7. c. 20.
[e] lib. 2. c. 4.

Cœnobium Monachorum. a supra c. 33. b cap. 4. c cap. 21.

4 Instruxit etiam Cœnobium Monachorum eiusdem instituti in Monte Sion, prout Bostius [a], Palæonydorus [b], & Coria [c]. Quamuis autem Coria hoc Cœnobium Sanctimonialium credat, melius tamen Bostius & Palæonydorus Monachorum fuisse dicunt. Id vero quod Bostius huius Monasterij institutionem constructionem appellauit rectius Palæonydorus, & Coria renouationem dixerunt. Cum constet ex dictis *sub ann.* 40. in eo Monte Sion antiquam, & celebrem Ordinis mansionem extitisse.

Monasterium renouatum.

5 Præcipue tamen, vt Bostius idem, quem sequuntur Palæonydorus, Coria, & alij, habet loco relato: *Præmemorata S. Helena fundauit insuper, seu renouauit Monasteria Sanctorum virorum Monachorum Carmelitarum Ierosolymis in porta Aurea ad honorem S. Annæ, vbi & corpora sanctorum Ioachim, & Annæ inuenerat, & exaltarat septimo Calendas Augusti.* Merito autem inquit, *seu renouauit*, quia Cœnobium hoc antiquissima Elianorum mansio fuit, prout constat ex dictis *in Appar. c. 6. & sub ann.* 40. Quod subiungit de corporibus Ioachim, & Annæ inuentis, & exaltatis notatione valde dignum est, quia de eorum sanctis corporibus vix memoria in historijs extat. Etsi caput S. Annæ asseruari Duræ, quod est oppidum Iuliacense testetur Molanus *in Addit. ad Vsuard. edit.* 2. & annulum Romę in Ecclesia ipsius Baronius [d].

d in Annot. ad Martyr. Rom. die 26 Iul. Ecclesia in Bethleem.

6 Refert etiam idem Bostius eandem Helenam fundasse solemnem Ecclesiam in Bethleem; quam tamen non dicit fuisse Ordinis nostri. Palæonydorus autem de hoc tempore loquens hæc habet: *Plura equidem tunc temporis Monasteria Carmelitæ habuerunt in Terra sancta, scilicet in Bethleem; cuius Monasterij Pater fuit S. Hieronymus, & cum eo sancta Paula vidua, & Eustochium virgo sacratissima.* Quibus denotare videtur S. Helenę opera hoc Monasterium Elianis Monachis cessisse, prout clarius Coria relatus fatetur. Nec dissentiunt historiæ extraneæ, cum Eusebius [e] de ipsa loquens dicat. *Deo, quem adorauerat, duo dicauit templa, quorum alterum ædificauit in Monte vbi ascenderat, alterum ad obscurū illud antrum natiuitatis eius. Etenim nobiscum Deus in terris nasci (locus autem illius natiuitatis proprio nomine apud Hebræos, Bethlehem appellatur) pro nobis sustinuit. At propterea Imperatrix sanctissima Deiparæ partum eximijs monimentis exornare, & sacrum illud antrum varijs cuiusque generis insignibus illustrare studuit. Imperator autem paulo post eundem locum ornamentis regalibus ornare, & monimentis ex auro, & argento, varijsque aulæis matris suæ magnificentiam adaugere cœpit. Rursus eius mater, quo omnium nostri Saluatoris in Cælos ascensionis memoriam celebraret, excelsa quædam ædificia in Monte Oliuarum extruere parat. At primum in summo totius montis vertice Sanctuarium Ecclesiæ Dei erexit, templumque ibi prius etiam ædificauit in eo ipso antro in quo (vt vera, & sacrata Dei testantur eloquia) Discipuli, & Apostoli à Saluatore omnium arcanis mysterijs initiati fuerunt. Imperator quoque ibidem varijs monumentis, & insignibus Regem magnum Deum veneratus est. Ista igitur duo templa memoria*

e lib. 3. de vit. Constantini.

perpe-

perpetua celebranda, augusta, & eximia in duobus obscuris quasi antris, & mysticis Helena Augusta pij Imperatoris pia mater suæ piæ mentis tanquam indicia Deo Saluatori fundauit, filio suo ei opem per regiam potentiam, & auctoritatem porrigente.

7 Subijcit idem Bostius construxisse Helenam eisdem Monachis aliud Monasterium in littore Iordanis, vbi Christus baptizatus fuerat: *Cuius (inquit) Monasterij frater postmodum extitit Sanctus Sozimas inuentor Mariæ Ægyptiacæ.* Palæonydorus autem subiungit hoc Monasterium primitus ab Eliseo constructum 4. *Reg.* 6. & ibi S. Ioannem Baptistam, qui Christum baptizauit, Rectorem fuisse. Eadem ferme Coria; addens vlterius ex Nicephoro titulum Eliæ illi præfixum. In Iordane.

8 De alijs etiam Ecclesijs ab eadem Regina fundatis hæc idem Bostius: *Ædificauit etiam Ecclesiam in Nazareth distantem a Monte Carmeli tribus miliaribus ob reuerentiam salutationis Angelicæ. Deinde etiam fundauit Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis in Valle Iosaphat, & Ecclesiam in Monte Oliueti, de qua vide infra cap. 37. Ecclesiasque etiam construxit in Bethania, & in Ebron, necnon & in pluribus alijs locis Terræ Sanctæ, quas multis priuilegijs, gratijs ac indulgentijs enceniauit, atque decorauit, & muneribus suis, atque redditibus copiose dotauit.* Quamuis autem non exprimat, an ea fuerint Ordini Prophetali concessa, id supponere videntur Palæonydorus, & Coria. Etenim Palæonydorus postquam dixerat: *Plura equidem tunc temporis Monasteria Carmelitę habuerunt in Terra Sancta*, post relata Monasteria Bethleem, & Iordanis subdit: *In monte Ephraim; de quo 4. Regum 5. In Ierico, in Galgala, in Bethel, in Samaria, in Nazareth, in Bethania, in Valle Iosaphath, in Ebron, in Deserto montis Quarentenæ prope fontem Elisei, vbi Christus tentatus fuit. In hoc Monasterio fuit aliquando S. Paula vidua, vt patet in legenda illius. Huius loci Eremitas Iacobus de Vitriaco in Historia Orientalium singulari laude commendat. In Eremo, quæ adiacet mari Galileæ, vbi Christus satiauit quinque millia hominum nomine Valim à fundatore. In Ciuitate Achon siue Ptolemaida Syriæ. In Tyro Ciuitate Syriæ. In pede montis Libani, cuius planities irrigatur ex puteo aquarum viuentium. Ante portam Ciuitatis Sareptæ Sydoniorum, vbi Elias obuiauit viduæ: & dicitur à Lodulpho Elię Conuentus. In nobili Ciuitate Tripolitana, cuius planities irrigatur de fonte hortorum. In solitudine fontis hortorum, appellatum Belli Loci propter loci pulchritudinem.* Accinit Coria, & alij post ipsos. Aliæ Ecclesiæ.

9 Hi porrò omnes id hausisse videntur ex vetustiori historico Bostio relato; qui [a] hæc habet necessaria nobis pro dictis, & dicendis in tota nostra Historia: *O quot tunc etiam fundata sunt preclara Monasteria in diuersis mundi partibus? O quam bonum, ò quam iucundum erat tunc videre fratres commorantes in vnum? Sed nec tunc segnes, aut desides fuere Terræ sanctæ religiosi Carmelitæ, sectatores videlicet Eliæ sanctissimi Prophetæ. Quis horum loca, & mansiones enumeret? Nam quot & ipsi omnium Religiosorum primi obtinuerunt Monasteria cum casis, & cellulis, vix oratoris lingua versatilis* Ex Bostio. [a] ac.27.relati 5. lib.Oper. Hist.

lis valeret exprimere dictis. Habuere enim ij cœnobia, & loca præter mansiones montis Carmeli per Terram Sanctam numerosa satis. Virorum itaque eiusdem Religionis erant Ierosolymis duo monasteria, scilicet in Monte Sion, & in Porta aurea, & vnum in Monte Oliueti, ad cuius Monasterij fratrum instantiam S. Hieronymus scripsit primum librum Vitas Patrum. Verum in Iordanis litore vbi Christus baptizatus fuit erat vnum, à quo egressus S. Zosimas inuenit in solitudine trans Iordanis S. Mariam Ægyptiacam, vt habetur in legenda ipsius mulieris sanctæ. Possederunt sedes, & mansiones in Bethleem, Galgala, Ierico, Samaria, alio nomine Sebasten dicta. Item in deserto montis Quarentenæ, vbi Christus tentatus fuit, & in illa eremo, quæ adiacet mari Galilææ, in qua Dominus ex quinque panibus satiauit quinque millia hominum, ac in solitudine montis Neroy, alio nomine Montana Nigra appellata prope Antiochiam. Nempe prope hanc ciuitatem habebant etiam Monasterium, quod eis fundauit B. Ignatius eiusdem Vrbis Patriarcha tempore Apostolorum, in quo temporis processu recondita fuerunt multæ sanctorum reliquiæ, scilicet corpus ipsius sancti Ignatij, quod tamen nunc quiescit in Ordine Cistercienfium, vt colligitur ex sermonibus B. Bernardi Abbatis. Item corpus S. Erasmi Episcopi, & martyris. Verum corpora Sanctorum Iuliani, & Basilissæ, Drusi, Zozimi, & Theodori, ac Agab Prophetæ noui Testamenti. Item Sanctorum Machabæorum. Item sanctorum martyrum Cyriaci, & Iulitæ. Item sanctorum martyrum Cyrilli, & Secundiani. In hoc Monasterio Gregorius Nazianzenus habitum Religionis suscepit. Porro hoc Monasterium inhabitatum fuit a fratribus B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli vsque ad annum Domini 1291. Item possederunt Monasterium Sitopolis constructum à S. Enoch Carmelita septimo discipulo Domini eiusdem vrbis Episcopo, sicut patet supra cap. 13. Insuper habuerunt Monasterium in Ptolemaida ciuitate, nunc Acon vocata. Etiam in Tyro ciuitate, & Sarepta Sidoniæ, vbi Elias obuiauit mulieri viduæ. Item in Tripoli ciuitate. Item prope solitudinem Montis Libani circa fontem hortorum habuerunt Monasterium appellatum Belliloci propter pulchritudinem loci. Item in Monte Didymi extra ciuiatem Cæsariensem Capadociæ construxit B. Basilius, vt infra dicetur, veniens de Monte Carmeli, monasterium ad honorem Sancti martyris Diomedis, in quo ipse Basilius orauit Sanctus Deus, Sanctus fortis, &c. contra Iulianum Apostatam. Idem etiam S. Basilius ædificauit Carmelitarum Monasteria prope Iconium, & prope Nazanzium, & quatuor in Ponto. In Prouincia autem Syriæ, quæ Palæstina nuncupatur dicti Religiosi habuere in omnibus pene locis mansiones suæ Religionis aptas, & commodas; & hæc pauca de multis ipsorum sufficiat pro nunc enarrasse Monasteria. Hæc vt diximus, necessaria nobis sunt pro tota Historia. Sicut etiam valde recolendũ, quod vt testatur Antonius Medina Francisc. [a] in itinerario, quod ex Hispanico idiomate in Tuscum transtulit Petrus Buonfanti, etiam in Carmelo ipso Ecclesiam Helena extruxit, quæ, vt Medina inquit, *vocatur S. Maria de Monte Carmeli, quæ est caput Carmelitarum Ordinis, & vbi vsque ad hoc tempus residens, & sunt septem anni, & septem quarantenæ indulgentiæ.* Sic etiam

[a] *in itinerario Terræ sanctæ.*

etiam referunt aliqui ex noſtris, ſpecialiter Lucius [a].

10 De exteris Auctoribus audiendus ad intentum Nicephorus [b] de ipſa Helena loquens ac dicens: *Ad ſacrum Iordanem, circa ſpeluncam vbi olim domicilium Baptiſta habuit, perpulchram ædem erexerit, aliamque ad accliuitatem montis*; ideſt, in Promontorio Carmeli (vt explicat Adrichomius [c] *Elia Thesbita*; De quo Vvaſtelius noſter [d], diſerte eliciens harum Eccleſiarum in ſolitudine ſitarum curam neceſſario incubuiſſe locorum illorum Monachis; imo ipſorum gratia ædes illas ab Auguſta extructas. Merito proinde vel ex hac ſola cauſa multiplicationis Monaſteriorum ob Helenæ pietatem potuit Iacobus Middendor pius vniuerſitatis Colonienſis Cancellarius [e] aſſerere, imperante Conſtantino Magno impletam eſſe in Monachis Iſaiæ Prophetiam, qua [f] prædixit: *Lætabitur deſerta & inuia, exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & Laudans: gloria libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron.*

11 Nec multum vrget contra horum authorum ſententiam de tot Cœnobijs a B. Helena pro Eliani Ordinis cultoribus erectis, quod exteri Hiſtorici illa non commemorent. Nedum, quia, vt probauimus *to. 1. in Appar. c. 10.* in rebus ad Religiones ſpectantibus domeſtici ſcriptores maxime, & præ cæteris audiendi, quoniam vt habetur in iure 14. *cauſa q. 2. cap. 1.* & recipitur a Gloſſa, & alijs Doctoribus: *In poſſeſſionum vel huiuſmodi negotijs hi potiſſimum aſſumendi ſunt, qui eadem negotia tractauerunt*; ſed etiam, quia & ipſi exteri Authores ea ſubindicant. Etenim de Templis ab Helena dicatis in Thabor, Bethleem, & in faſtigio, ac imo Olineti Montis Euſebius [g] verbis ſuperius relatis memoriã facit. Qui etiam [h], ſex ab ipſo Imperatore (facile credi poteſt matre ſolicitante) baſilicas ædificatas refert; primam in memoriam Chriſti paſſionis; ſecundam Sanctiſſimæ Cruci; tertiam in loco vbi ſepultus eſt, quartam in Bethleem, quintam in Thabor; ſextam in loco quodam interiecto. Quin de eadem Helena ipſe Euſebius [i] dicit: *Vbique cernebatur in Eccleſiam Dei intrare, Templaque ſplendidis exornare monumentis, inque ædes ſacras vel in minimis vrbibus extructas ſuam benignitatem oſtendere licebat.* Legatur Theodoritus Epiſcopus [k], vbi de Helena loquens, inquit: *Vndique autem omnis generis materiam artificibus ſuppeditans, maxima, & clariſſima illa Templa extruxit, quorum pulchritudinem, & magnitudinem hoc loco exponere ſuperuacuum duxi, currentibus illuc, vt ita dicam, vniuerſis Dei amantibus, ad tantæ magnificentiæ ſpectaculum. Fecit, & aliud dignum memoria laudatiſsima illa, & ſuſpicienda Regina. Congregatis enim virginalis vitæ cultricibus plurimis, ſedilibus præparatis diſcumbere illas iuſſit, & ipſa vt famula circumiens miniſtrauit, cibum apponens, & pocula porrigens, & vinum infundens, & pelui allata de vaſe manali affudit aquam manibus illarum.* Accedit Flauius Dexter, qui [l] hæc ſcripſit: *Templa diruta edictis Imperatorum, curante præſertim Helena matre, &c. per totum terrarum Orbem reſtituuntur.*

Hæc,

[a] *in compendio hiſtor. Carmel. c. 10.*

Nicephorus. [b] *lib. 8. Eccleſ. Hiſtor. cap. 30.*

[c] *in Theat. Terræ Sanctæ in Tribu Iſſachar n. 21.*

[d] *in Vindic. lib. Io. Ieroſol. de Inſtit. primor. Monach. ſect. 4. & 4.*

[e] *nona ſua hiſt. Monaſt. c. 1.*

[f] *cap. 35.*

Obiectio ſoluitur.

[g] *lib. 3. de vita Conſtantin.*

[h] *in Orat. de laudib. Conſt.*

[i] *eo lib. 3.*

[k] *Eccleſiaſtic. hiſt. lib. 1. c. 18.*

[l] *in ſuo Chron. circa ann. 312.*

Hæc, & alia, quæ in Scriptoribus Ecclesiasticis de gestis Constantini, & Helenæ tractantibus reperiuntur facile ad ea que domestici nostri Authores dixerunt, adaptari possunt. Maxime si dicamus (prout credi par est) eatenus dixisse ea Cœnobia ab Helena extructa, seu renouata fuisse, quatenus sub eius auspicijs, pietate, & authoritate, qua Christianos fouebat, id gestum sit vel tempore sequenti.

Alia Monasteria. 12 De alijs porro Monasterijs hac tempestate, qua, Constantino, & Helena auspicantibus, innumeræ Ædes sacræ erigebantur, vel in pristinum reuocabantur, hæc Palęonydorus [a], quibus similia ferme Coria loco relato. Extra Terram Sanctam *in Cypris apud Famagustam Monasterium Beatæ Mariæ de Monte Dei, ad quos Beatus Bernardus Clareuallensis librum postea scripsit. Illud Monasterium Helena sancta construxit, repatrians à Hierosolymis versus Byzantium. In Thebaida ciuitate Hermopolitica, in quo sanctissimus Pater noster Onophrius in iuuenili receptus est ætate, & post accepta licentia in solitudine mõtis Oreb 70. latitans annis, inuentus est à S. Paphnutio, & eo præsente spiritum Deo tradidit. In Nicopolis ciuitate Ægypti per S. Enoch Carmelitam fuit Monasterium ædificatum. Porrò in Monasterio circa Iordanem fuit a Priore loci nomine Ioannes receptus S. Zozimus inuentor S. Mariæ Ægyptiacæ.* In quibus animaduersione dignum est illud de Monasterio Montis Dei, quod hic author autumat in Cypro, & Ordinis nostri fuisse: cum alij, Ordinis Carthusiani, vel Cisterciensis; & in Anglia fuisse credant. Deinde illud de Monasterio Hermopolitano in Thebaida proculdubio de eius renouatione, non de prima constructione accipiendum, cum ex dictis *sub ann.* 310. constet ex eo tempore, vel circiter, Sanctum Honufrium illud Cœnobium reliquisse, & Eremi incolam factum esse. Prętereà de fundatione Nicopolitani Monasterij per Enoch meminimus *sub ann.* 94.

a lib. 2. c. 4.

Alia Helenæ gesta. 13 Gesta alia S. Helenæ, quæ etiam nostros Eliades tangunt, sic pergit narrare idem noster Bostius supra relatus: *Cæterum postquam ipsa S. Helena ad filium suum Constantinum rediffet, satagebat eum informare, vt sacerdotes, & clericos mitteret ad transmarinas partes pro eo quod in paruo numero ibidem ipsi essent propter præcedentes persecutiones, nisi Monachi Carmelitæ, qui indifferenter prope Montem Carmeli dicebantur fratres B. Mariæ Virginis, propter causas supra memoratas tam in præsenti libro, quam in præcedenti. Nos autem in diuersis Eremis Terræ Sanctæ commorantes fama nouiter credentium trahebat de cellulis suis, & casis ad baptizandum, & regendum populum nuper conuersum.* Et paucis interiectis: *Porrò hæc sancta Helena se plurimum Beatissimi Antonij in Ægypto sanctitate micanti patrocinio commendare consueuerat cum filio suo Imperatore Constantino, & prolibus eiusdem, scribens et sæpius litteras ab vrbe Roma, alijsque locis.* Quibus similia de literis a Constantino, & eius filijs ad eundem Antonium missis, ac de responsiuis eiusdem ad illos, communicatis tamen prius Monachis circa hoc ne videretur magni facere Principum fauorem, habet Athanasius in ipsius Antonij vita c. 50. addens: *His principes susceptis vehementissime lætabantur*

tur; sancta quoque apud cunctos Antonij fragrabat opinio, ita vt eiusse filios cuperent nominari. O magna sanctitatis vis, quæ etiam mundi Principes pauperis Monachi obsequio obligat.

14 Inter egregia quoque facta ab Imperatrice Helena Hierosolymis agente illud specialiter connumerandum quod noster relatus Bostius [a] his verbis expressit: *Temporibus vero Constantini magni post annos Domini 314. eodem glorioso Principe cum nobili sua matre Helena baptizato, gloriosa fæmina Ierosolymam petijt ad benedicti ligni Crucis inuentionem totis elaborans conaminibus, qua quidem inuenta, ac in Caluariæ loco Ecclesia ędificata, sancta fæmina elegit duodecim ex Terrę Sanctæ finibus viros sanctos, & virtuosos, ac in omnibus monasticis disciplinis peroptime a Religiosis Carmelitis instructos, qui eiusdem ligni Dominici & serui essent, & conseruatores. Porrò ratione dictorum duodecim virorum describitur supra in primo capitulo quod hæc sacra Religio processit a Religione Carmelitarum. Verum dicta Regina istis viris Iudam postea vocatum Quiriacum eiusdem S. Crucis propalatorem præfecit, qui & post ibidem Episcopatum adeptus est*. Pro quibus notandum hic loqui Bostium de Religione Cruciferorum, quam dixerat [b] processisse a Religione Carmelitarum. Ex eo videlicet, quia, vt in hoc loco asserit duodecim viri sancti, & virtuosi, a S. Helena electi ad conseruandum S. Crucis lignum a se inuentum *in omnibus monasticis disciplinis peroptime a Religiosis Carmelitis* instructi erant. His ergo duodecim viris excitata fuit ab Helena Cruciferorum familia: *Excitata* dixi, quia, vt constat ex pluribus Summorum Pontificum diplomatibus quæ referunt Benedictus Leo Episcopus Arcadiæ, [c] & Carolus de Tapia [d], specialiter Alexandr. 3. Alexand. 6. Clemen. 7. Pauli 4. & Pij 5. alijsque authenticis instrumentis apud eundem Benedictum Leonem, initiata est a S. Cleto Papa successore Lini, & Petri, pro hospitalitate exercenda, prout habent Chronica Martiniana; Sabellicus, & relati Leo, & Tapia, quod & notauimus *sub ann.* 81. licet postea temporis cursu, & Ecclesiæ persecutionibus defecerit. Quod addit Bostius de Quiriaco, alijs *Cyriaco*, primitus Iuda vocato, S. Crucis propalatore, notatum conspicitur in eodem Leone, & Tapia, imo & Polydoro (qui immerito fabulosum autumat id quod de Cleto diximus) Supplemento Chronicar. & Fasciculo temporum, licet Fasciculus eum Cyriacum *Ordinis primicerium* appellet, quod sequi videtur Bostius. Id porro in quo omnes, Polydoro excepto, conueniunt, quod scilicet hic Quiriacus vel Cyriacus Episcopus Ierosolymitanus fuerit non cohæret cum Catalogis Ierosolymitanorum Antistitum, vbi is non nominatur. Vtut tamen res hæc fuerit, gloriosum Carmeli Ordini id est, quod quemadmodum in lege veteri Rechabitarum institutum ab Eliano processit, & in noua Tabennenses, Basiliani, & alij, de quibus suis locis, Religiosi, ex Carmelitis primordia suscepere, sic etiam & Cruciferi.

15 Occurebat sub hoc anno memoria cuiusdam Paphnutij, qui, etsi ab Epiphan. *hæres*. 68. appelletur: *Magnus vir Anachoreta, & ipse filius*

fæmi-

Alia

[a] in Specul. hist. lib. 1. c. 9.

[b] cap. 2. huius primi libri.

[c] in lib. de Orig. & fund. Ord. Crucifero.

[d] in Auth. ent ingressi c. 33.

Paphnutij memoria.

fœminæ, quæ confessionem fecerat, immo etiam ipse aliquo modo confessionem attigerat, vt propterea laudem mereretur; quia tamen, eodem Epiphanio teste, pro Meletianis schismaticis, & Arrij fautoribus legationem ad Constantinum Imperatorem cum duobus alijs fecit, ideo vt iniustæ causæ patronus, & pseudomonachus a nobis obliuioni tradendus, iuxta dicta *sub ann. 312.* Vbi de alijs eiusdem nominis insignibus viris ageremus. Illud tamen pro veritatis defensione non prætermittendum, quod licet is Paphnutius a Baronio [a] vocetur *Teterrimus monachus*, & referat eius Epistolam ad Athanasium, quæ habetur *in Apolog. 2.* eiusdem Athanasij, nihilominus ex illa nihil mali contra hunc Paphnutium elicitur, potius namque ibi ipsius defensor ostenditur contra eos qui Arsenij necem confinxerant. Fit etiam mentio in ea Epistola de Paulo, & Elia Monachis, de quibus quales fuerint, nobis incompertum.

[a] hic §. Sed quod spectat.

Maria Sanctimonialium mater.

16 Occurrit etiam memoria illius Mariæ Virginum Sacrarum Monasterij S. Sepulchri Ierosolymitani a D. Helena erecti mater, ac Priorissa, de qua supra ex Bostio, Palæonydoro, & Coria relatis. Quibus iungitur Cassanate [b], errans tamen, dum dicit floruisse sub anno 234. alias enim prouectissimæ ætatis hoc tempore esset, & propterea Monialium Præfecturæ inutilis. Quamuis autem de ipsa pauca in historijs reperiantur, nihilominus sanctimoniæ claritudine insignem fuisse, vel ex eo conijcitur, quod a pijssima Helena præ alijs huic Monasterio Mater data fuerit.

[b] in Paradis. Carmel. decor. stat. 2. ætat. 4. cap. 3.

S. Adolij memoria.

17 Occurrit quoque memoria S. Adolij Conuentus Montis Olıueti, de quo supra mentio facta, alumni. Tarsensis genere fuit, & tãtæ abstinentiæ vt quandoq; quinto quidem die, reliquo autem anni tempore post biduũ cibum sumeret. Pernoctabat sæpius in loco eius montis in quo Christus ascendisse Cœlum perhibebatur. Inde signo mallei omnes cellarum fores percutiens fratres ad Oratorium perducebat. De ipso hæc, & mira alia posteris admiranda Bostius [a], Palæonydorus [b] eum Rectorem Fratrum appellans. Eos imitantur Franciscus a S. Angelo, Michael a Fuente, & Philippus a S. Iacobo [c], inter sanctorum Ordinis eum recensentes, quod etiam facit de exteris Laurentius Beyerlinck [d], dum de Carmelitarum Religione agit.

[a] d. lib. 5. c. 37. [b] lib. 1. c. 3.
[c] in Theat. vit. human. to. 6. lib. 16. verbo Religiosus Religio.

Annus Christi 327. Siluestri Pont. 14. Constantini Imper. 22.

Arriani.

1 LABORABANT hoc tempore aliqui Arrij fautores, Eusebius prælertim Nicomediæ Episcopus, pro ipsius defensione, & impunitate, patrocinium quærentes in Constantia Constantini Imperatoris sorore, non obstante eiusdem Arrij palinodia in Concilio Nicæno decantata. Consequenter etiam Athanasium egregium veritatis præconem exosum Imperatori reddere studebant, vt pro-

propterea ipsum placare merito litteris curauerit, prout obtinuit. Ita Chronologi sub hoc tempore.

2 Ad quod aptari possunt egregia S. Antonio Abbati a Deo collata charismata, quæ S. Athanasius in eius vita copiose describit. Rerum longe absentium notitiam habebat; exitus etiam animarum post mortem, *cap.* 38. Clericis humiliter submittebatur, *cap.* 39. Vultu hilarissimus erat, vt propterea etiam ab ijs qui eum non viderant, agnosceretur, *cap.* 40. Hæreticos, & schismaticos deuitabat, Arrianos maxime, quos vehementer detestabatur, ita vt mentientibus illis quod Antonius sicut ipsi crederent, ad eorum audaciam condemnandam Alexandriam descenderit, ibique consubstantialitatem Filij cum Patre prædicauerit, *cap.* 41. Miraculis fidem firmabat, *cap.* 42. Dæmoniacam curauit, *cap.* 43. Philosophos sapientes argutis ratiocinationibus conuicit, *cap.* 44. & 45. Falsorum deorum crimina scelestissima detexit, & Gentilium allegorias in hoc vanas esse nunciauit, *c.* 46. 47. Virtutem Crucis, vim Euangelij, & fidei Catholicæ operibus firmauit, *cap.* 48. & 49. Antonij gesta.

3 Ex eo autem quod Arriani mentiti fuerint, dicentes Antonium eiusdem fidei cum illis esse, infert Baronius [a], ideo contigisse quod *tanti facere solebat populus illustrium Monachorum de fide Catholica testimonium*: Videant ergo Monachismi osores quanto pretio in Ecclesia Dei semper monachi fuerint. Notat etiam ob eandem causam *vocatum quoque fuisse a D. Athanasio Alexandriam Abbatem Poemenem spectatæ sanctitatis virum.* Sed in hoc vltimo decipi Baronium animaduertit Rosvvedius [b], nam ille vocatus ab Athanasio non fuit Poemenes, sed Pammon. Corollarium pro Monachis. *a sub ann.* 343. *b in Annot. ad vit. S. Anton. n.* 85.

4 Notatur etiam in præfata Antonij historia [c] quidam interpres eiusdem, medio quo loquebatur cum Ethnicis Philosophis ad eum accedentibus; Græco idiomate, prout dicitur *c.* 45. vel quia expertus non satis eo idiomate Antonius esset, & illi Ægyptiacum non nossent, vel quia cum infideles essent, & Christiani nominis iurati hostes, nollet cum illis familiarius conuersari. Is porrò Interpres Monachus erat, & nomine Isaac, prout ex vita S. Hilarionis *c.* 25. habetur, & notat Rosvvedius [d] de quo in sequentibus, si aliqua notatu digna occurrerint, dicetur. Isaac Monacus. *c cap.* 44. *d supra n.* 88.

5 Expendat lector id quod relato *c.* 42. dicitur; quod scilicet etiam Gentiles appellabant Antonium *hominem Dei*, imo quod *hoc apud vniuersos conspicuum erat nomen Antonij*. Ex eo namque elicitur id quod sæpius inculcatum manet, nempe ipsum Eliæ, & Propheticæ scholæ sectatorem fuisse; cum hoc cognomen *homo Dei* similis instituti viros designet, iuxta dicta *to.* 1. *in Appar. c.* 7. *n.* 5. Antonius appelatus *homo Dei*.

6 Circa id tempus Pachomius, de quo in præcedentibus dictum, voce de Cælo lapsa Tabennense, Monasterium (in Tabenna videlicet Nili insula in Thebaide Ægypti) construere iubetur, Regula per Angelum designata, quam illius Monasterijs Monachi obseruarent. Re ergo cum Palæmone magistro communicata, ad eum locum pergit simul Pachomius Tabennensis Monasterij fundator.

cum

cum eo, sed postea concordi pacto Palæmone recedente, ipse solus eo loco manet, quo eius germanus Ioannes nomine cum eo habitaturus eiusdem instituti particeps conuenit. Interim Palæmon valido languore consumptus in cælum migrauit, & ad ipsius corpus sepeliendũ Pachomius venit, quo finito, ad diuersorium proprium reuertitur. D. Hieronymus *in vit. Pachomij* [a].

a c. 12. 13. & 14.

Congregatio Tabennensis Ordinis Prophetici alumna.

7 Ex hoc porrò egregio Pachomij facto de constructione Tabennensis Monasterij, ac Regulæ institutione pro illo promulgata, & quod propterea innumerorum Monachorum Pater appellatus fuerit, iure optimo noster Arnoldus Bostius hanc Tabennensem Congregationem Ordini Eliano, cuius ipse Pachomius assecla erat, adscribit. Tota ergo huius Congregationis historia ab eodem Bostio [b] descripta, in qua plura notatu digna, nec ingrata lectori, vt credimus, hic apponenda. Sic ergo Bostius: *In Thebaide Prouincia Tabennensis dicitur locus in quo imitator sanctorum Eliæ, & Elisei Prophetarum viguit S. Pachomius. Hic in tantum deditus erat Deo, vt per diuinam gratiam, & nesceret futura, & visione frueretur Angelica. Is perfectè misericors, & humanus fuit, ac inæstimabili fratres amore dilexit. Ad hunc igitur in spelunca sedentem venit Angelus Domini dicens ei, per omnia quæ ad propositum tuum pertinent perfectus es, vnde tam in spelunca superflua sedes. Veni igitur, & omnes minores monachos collige, eosq; iuxta regulam vitæ, quam a me disces institue. Tabulas autem æreas illi dedit, in quibus scriptum erat; diuersas intra domus atrium cellulas facies, trinosque per singulas manere præcipies, in quo tamen loco cibus omnium fiat. Nec ieiunare, nec manducare quemquam prohibebis, fortioribus tamen, & magis edentibus grauius opus iniunges. Somnum vero non iacentes capiant, sed super instructas, & paululum reclines cathedras pallijs suis velatas quiescant. Pellibus Caprinis tegantur, quas non propter cibum, vel somnum capiendum deponant, sed tantum quando ad communionem ingrediuntur: tunc vnusquisque cingulum suum soluat, vellemque deponat, & cum cucullo tantum accedat. Si quis alterius Regulæ peregrinus aduenerit non edat cum eis, nec bibat, nec in mansionem eorum introducatur, nisi forsitan eis in via adiunctus fuerit. Quicunque vero ad permanendum cum eis intrare voluerit, non cum in loca Monasterij secretiora recipies, nisi triennium totum laboriosius opus, duriusque perficiens impleuerit. Edentes cucullis capita sua velent, ne alter alterum aspiciat manducantem, sed solum catinum, vel mensam: nec loqui quicquam licebit, dum manducant. Porrò vigintiquatuor ordines esse fratrum instituit, & vnicuique litteram Græcam tamquam proprio signo, vel vocabulo vt dignosceretur supposuit. Hoc etiam ordinauit, & iussit, vt orationes duodecim per totum diem, & in vespere totidem ad lumen facerent, & in nocturnis quoque vigilijs totidem preces effunderent. Tunc S. Pachomius ait Angelo: Parum est hoc. At ille: Ideo, inquit, has pau as fieri præcipi, vt & iuniores implere sine tristitia possent impositam sibi regulam viuendi. Qui vero firmiores, & perfectiores sunt non illis necesse est aliena Regula constringi, quia vitam suam totam visioni, & cultui*

b lib. 1. sui speculi hist. c. 6.

Dei

Dei penitus dederunt. His itaque dispositis discessit Angelus ab eo. Plurima itaque monasteria sunt, in quibus vsque ad septem millia virorum sunt, qui huiusmodi instituta custodiunt; sed illud, in quo ipse Pachomius degebat, maximum, & primum habetur, ex quo catera processisse, & appellata videntur. Vna igitur dierum is S. Pachomius pracepit pistoribus, vt cum sacras oblationes coquerentur, salutaria meditarentur, nihil vani loquentes, quod praeceptum cum in monasterio Tabennensi quadam vice violaretur, statim diuinitus Pachomio reuelatum est, qui protinus Theodorum mittens negligentiam hanc emendare fecit, tamquam diuini praecepti transgressionem. Huic etiam Pachomio apparuit diabolus in specie mulieris pulcherrimae, quam ille cernens; & sciens phantasiam esse, orabat multum, vt euanesceret. Cui illa propiùs astans ait. Quid superflue laboras? Potestatem accepi a Domino tentare, quos volo. Ad quam sanctus, Quid vis esse? Et illa: Ego sum virtus diaboli, & caligine voluptatis mortifera mortales inuoluo, sed tuis, vel tibi propter Christum, qui humanatus est, appropinquare non possum, sed numquid ita semper erit? Veniet tempus post obitum tuum, quando prout libuerit, debacchabor inter eos, quos nunc orationibus tuis munis. Tunc sanctus, & quis scit, si meliores tunc erunt, qui illos corroborent? Nam tu prescire nihil omnino praeuales, quia hoc est solius Dei. At illa, plura tamen futura ex praecedentibus cognosco. Cui sanctus: Et quomodo? Tunc illa: Omnis rei principium tendit ad augumentum prius, deinde ad detrimentum vergit. Sic & in hac vestra professione, vt conijcio fiet. Nam inter initia sua signis, & virtutibus roborata succreuit, cum autem senescere cœperit, aut temporis diuturnitate lacescens, aut negligentia temporis deficiens ab incrementis proprijs minuetur. Post Pachomius instanter orabat, vt sibi Dominus reuelaret, quis status monachorum post se venturus esset. Qui per visionem sibi factam edoctus est, quod monasteria quidem multipliciter dilatarentur, & nonnulli qui & continenter viuerent, plurimi verò negligenter agerent, suamque salutem perderent, maxime vero per negligentiam Praepositorum, quibus primatum tenentibus ambitiosa lite quis eorum prasit contenderent. Et reprobabuntur boni praepositi, & mali eligentur, & tunc omnia pene quam diuinis regulis subnixa sunt humanis commutabuntur illecebris. Tunc Pachomius exclamans ad Dominum ait: Heu me quare frustra laboraui, si enim iam peruersi erunt, qui futuri sunt Praepositi, eorum subditi quales erunt? Tunc apparuit ei mirabili fulgere quadam imago spineam coronam portans inter cętera dicens ei: Confortare Pachomi, quia posteritas tua vsque in finem non deficiet, & quisquis inter eos, qui futuri sunt, pie & continenter vixerit, amen dico tibi, requiem sortietur aeternam. Hic ergo Pachomius docuit Monachos suos regulam viuendi, quam Angelo dictante, vt iam dictum est, didicerat. Anno tandem nono Arcadij, & Honorij Imperatorum, & natiuitatis Domini 406. Pachomius Abbas centesimum, & decimum annum agens in virtutibus consummatus. Itaque fratres istius religionis habent tunicam nigram cum griseo scapulari, crucemque albam in pectore, & funem in collo strictam, & sunt barbati, quorum maior dicitur Geron. Porrò in Ciuitate Panos est Monasterium eiusdem

Religionis 40. viros habens, inter quos & fabri ferrarij, & carpentarij, & sarcinatores, & camelarij, & fullones sunt, singuli in arte propria laborantes, & ex his quæ quotidiano victui superasse poterant, etiam monasterijs fæminarum, carceribusque vicinis necessaria quæque præbentes. Est & apud istos monachos Monasterium numero quadringentarum fæminarum eisdem moribus, & eadem ordinatione viuentium, excepto solo velamento pellium. Et hæ quidem trans fluuium habitant, intra fluuium autem viri. Et cum aliqua illarum defuncta fuerit, eam ex more vestitam aliæ deferentes supra ripam ponunt, quam inde viri nauicula cum psalmis transferentes in sepulchro proprio condunt. Nec vllus transit ad earum Monasterium, excepto Presbytero, & Diacono, & hoc tantum per diem Dominicum. Fuit in eodem Monasterio quædam virgo, quæ stultam se fecit propter Christum, vt virtutis posset implere propositum. Cumque se admodum humiliaret, atque deijceret adeo vt omnibus alijs horrori erat, vt nec cibum cum ea caperent, ab omnibus cædebatur, omnium odia, & maledicta sustinebat, a coquina verò nunquam recedens totius illic Monasterij tanquam ancilla cunctis obediens officium implebat. Numquam ad mensam sedebat, sed micas tantum mensarum detergens, & ollas abluens his solis alimonijs contenta viuebat, numquam calceamentis vtebatur, caput pannis inuolutum habebat, & sic omnibus seruiebat. Et certe cum ab omnibus pateretur, nulli vnquam iniuriam fecit, nulla ipsius murmur audiuit. Inter hæc astitit Angelus Domini Pyterio probatissimo viro semper in desertis viuenti, dixitque illi: Cur magnum aliquem te esse credis in tuo proposito, & huiusmodi degens loco? Vade ad Tabennensiotarum Monasterium fæminarum, & inuenies vnam ex eis in capite pannum conscissum habentem, ipsamque cognosce te esse meliorem. Cum enim sola contra tantas diebus, ac noctibus pugnet, cor eius nunquam a Deo recessit. Tu autem in vno loco residens numquam progrederis, & per omnes Vrbes animo, & cogitatione vagaris. Statim igitur ad prædictum Monasterium venit, seque ad fæminarum habitaculum transuehi petijt. Ingressus autem omnes sorores videre voluit, inter quas illam solam propter quam venerat non vidit. Ait ergo: Omnes adducite, nam aliqua videtur hic deesse, quam mihi Angelus declarauit. At illa: Omnes inquiunt hic sumus, vnam quidem stultam habemus in coquina intrinsecus. Exhibete, ait, mihi eam, vt ipsam quoque videam. Quod cum fecissent, ille frontem eius pannis inuolutam cernens, proiecit se ad pedes illius dicens: Amma, idest, mater spiritualis, benedic me; procidens autem ipsa ante pedes eius dicebat: Tu me benedic Domine. Omnes itaque sorores obstupuerunt dicentes. Noli talem iniuriam sustinere Abba, nam ista quam cernis, est fatua. At ille dixit omnibus: Vos fatuæ estis: nam ista melior est & me, & vobis. Deprecor autem Deum, vt in die iudicij dignus ipsa merear inueniri. Tunc omnes procidervnt ad S. Pyterij pedes, singulæ propria ei peccata confitentes, quibus illam sanctissimam contristauerant. Et alia quadam dicebat, ego eam delusi, alia ego habitum eius deiectum irrisi, alia ego eam pro eo quod tacita esset iniurijs affligebam, alia ego sordes abluens catini super eam infundebam, alia quoque colaphis eam a se verberatam sæpe dicebat,

alia

alia nares eius synape impletas a se esse deflebat, cætera quoque diuersas ei se referebant iniurias irrogasse, pro quibus omnibus ille sanctus vna cum eadem sanctissima virgine fusis precibus egressus est. Post paucos dies illa non ferens tantam sui gloriam grauariq; se credens satisfactionibus singularum, egressa fuit de illo Monasterio. Quo ierit vel quo fine defecerit, hactenus ignotum est. Hic Ordo incipit anno Domini 330. Hæc omnia noster Bostius, etsi diffusiora a nobis tamen merito referenda, & in sequentibus enucleanda.

8 Annus iste supputatione a tempore obitus, consecratione, & ætate attētis natalitius creditur Magni Patris Basilij Monasticæ disciplinæ propagatoris celeberrimi in Oriente, & Christianæ fidei propugnatoris eximij. Huic enim anno id ascribit Alfonsus Clauel Basilianus Monachus [a], & Didacus Niss. eiusdem instituti assecla *in lib. cui titulus. El Fenix de la Grecia in Pref.* Nec solum eam ob causam nostris Annal. eius historia inserēda, sed eo vel maxime, quod Elianæ, Essenæ, imo & Carmeliticæ alumnus clarissimus extiterit; prout ea, quæ nunc afferimus, haud mediocriter demonstrant. Primo etenim constans hæc fuit nostrorum Historicorum ac scriptorum vetusta semper traditio; quæ cernitur in Ioanne Soreth, Bostio, Palæonydoro, Baptista Mantuano, Coria, Thoma de Iesu, & pluribus alijs, qui eum titulo *Patris nostri*, vel simili commendant, & quorum aliqua testimonia in sequentibus adducentur. Eam firmat cælica ipsius Basilij reuelatio facta B. Cyrillo Constantinopolitano Carmeli Montis ante quadringentos annos Eremitæ, quam refert Palæonydorus [c] his verbis: *Alicuius temporis interuallo vidit per quandam noctem Virum aspectu eximium venerandum iuxta se stantem, capite infulatum, & dicentem: Ne time is Cyrille, sum enim Basilius, quondam Montis Carmeli Eremita, Cæsariensium Pastor, veniens hæc tibi denunciare à Deo, quatenus in Armeniam pergens, &c.* Recipiunt etiam de exteris hanc traditionem Carolus de Tapia [d], Philippus Lopezius Romanus Aduocatus [e], Eliæ sectatorem eum vocans. Laurentius Beyerlinck [f], dum de Ordine Carmelitarum agit; Alfonsus de S. Victore Benedictinorum Generalis [g], conceptis verbis affirmans S. Basilium Regulam Carmelitarum in Monachatu obseruasse; de quo nos in sequentibus. Fauent dicta *sub anno* 318. & dicenda *sub ann.* 354. videlicet, quod cum e Atheniensi schol Christianos libros sibi scrutandos à Deo instructus quæreret, in Ægyptum pergens à Porphyrio in ea regione Archimandrita, & quondam Carmeli Eremita eos accepit; cum eo vno anno conuersatus, & monasticam vitam veluti Nouitius agens, prout autumat Coria [h]. Ipsum quoque Carmelum coluisse ali quando historici nostri in sequentibus referendi proferunt. Quinimo, cum Ponti monasticem exercebat, *Cum Eli. & Ioanne summis Philosophis solitudinem amplectitur*, inquit eius amicus, & socius Gregorius Nazianzenus [i]. Ex quibus verbis Alfonsus de Sancto Victore relatus intulit eum obseruasse Carmeli Regulam. Eo præsertim, cum ipse Basilius [k] asserat se æmulari concupisse illos, quos in Ægypto, Palæstina, & Cœlosyria

a In lib. de antiquit. Relig. & Regul S. Basilij c. 1. § 2. n. 2.

c lib. 3. c. 4.

d in Authent. ingressi verbo Monaster n. 10.

e in Comp. vit. S Theresiæ c. 11.

f in Theat. vit. hum. lib 16. n. 6. verbo Religionis Religio.

g in lib. cui tit. El Sol del Occidente præludio 4. c. 1. n. 17. & præl. 6. c. 1. n 22.

h lib. 9. c. 7.

i Orat. 30. de laudibus ipsius

k epist. 79. ad Eustachium.

Monachos viderat, Carmeli namque promontorium Palæstinæ, & Cœlosyriæ adiacens est. Hinc huius sui instituti memor, dum in Regulis suos asseclas instruit, habitum præscribens ad instar Eliæ, & Ioannis Baptistæ induendos esse, zonaque, sicut illi, cingendos [a] dicit. Nonne etiam eiusdem Basilij germanus frater Gregorius Nyssenus *in Orat. de laudib. ipsius* id haud subobscure indigitauit, dum dixit: *An etiam audebimus ad sublimem Eliam sermone ascendere, & ostendere nostrum Doctorem suo vitæ instituto, illius gratiæ assimilari?* Et sane cum Monachum fuisse innumeris ipse locis testatum reliquerit, adeo vt non nisi temere id negent vnus vel alter, quos refert Gabriel Pennenotus [b], negantibus Elianum fuisse incumbit probare cuius instituti fuerit tempore quo nullus alius in Orbe erat.

a interrog. 22. & 23. Regul. fus.

b in hist. Trip. lib. 2. c. 10. n. 5.

Basilij patria.

9 Nascitur ergo hoc anno Basilius Helenoponti ex nobilibus parentibus Basilio, & Eumelia; cuius paternus auus Martyr fuit, & auia Macrina insignis fœmina. Fratres habuit plures, virtutibusque claros, Gregorium Nyssenum, Naucratium, Petrum Sebastensem Episcopum, & sororem Macrinam. Eorum geneologiam texit Didacus Nyssenus supra ex eodem Basilio, Gregorio Nysseno, Suida, Sixto Senensi, & Antonio Posseuino. De eo plura in sequentibus ex Gregorio vtroque, Nysseno, & Nazianzeno, Ephremo Syro, Glyca, & alijs; aliqua etiam ex Amphylochio authore vitæ ipsius, quæ extat in *Vit. Patr. lib. 1.* prout existimant Vrsus Cardinalis, qui eam latinitati donauit ante annos 800. Vincentius [c], Antoninus [d], Episcopus Equilinus [e], Sigebertus [f], Sixtus Senensis [g], & alij: licet non omnia, quia ea Basilij vita ab Amphilochio scripta, vt dicitur, pluribus scatet næui, vt propterea alium authorem habuisse credatur, prout notant Baronius, Bellarminus, Posseuinus & alij. Nonnulla quoq; ex authoribus nostris, specialiter Bostio qui de ipso cæteris diligentius scribit.

c in Specul. lib. 14.

d p. 2. tit. 9 c. 4.

e in Cat Sanct. lib. 2. c. 28.

f in Cat. Scrip. c. 7.

g lib 4. Bibliot. Sanct.

Annus Christi 328. Siluestri Pont. 15. Constantini Imp. 23.

1 PLVRA sub hoc anno, iuxta beneplacitum Baronij, quem alij sequuntur, contigere, quæ historiam nostram haud leuiter tangunt; partim vera, partim maiori discussione digna. Videlicet S. Athanasium Alexandrinæ Ecclesiæ Præsulem suam Diœcesim perlustrando visitasse, nedum Ecclesias, sed & Sanctorum Monachorum in eremis mansiones. Pachomium proinde in sua Tabenna cum suis Monachis commorantem, triginta duos annos ætatis & duodecim conuersationis monasticæ habentem inuisisse. Cæterum, etsi pro comperto sit D. Athanasium conuenisse Pachomium Tabennæ agentem, quia sic habetur in eiusdem Pachomij vita a D. Hieronymo descripta [h], quæ extat in *Vit. Patr. lib. 1.* quod tamen hoc anno contigerit, a veritate aberrat. Si enim totum discursum vitæ ipsius capitibus præcedentibus narratum inspiciamus; tempus videlicet, quod cum

h cap 27.

Palæ-

Palæmone egit, Monasterij Tabennensis extructionem, & quod dicitur *cap. 14.* nempe per annos quindecim in ea Tabennæ cellula cum suo germano Ioanne commoratum fuisse, proculdubio non hoc anno, sed post aliquot, Athanasium eum visitasse reperiemus. Quod maxime vrget Baronium, cum ipse putet sub anno 316. Pachomij conuersionem accidisse; si enim hoc verum fuit, & huic tempori adiungantur quindecim illi anni, & alij, in quibus alia ipsius gesta contigisse necessum est, absdubie comperietur in huius temporis calculo grauissimum hunc authorem impegisse.

2 Addit vlterius visitasse quoque S. Antonium, ad eumque benedictionis gratia duo pallia attulisse, quorum altero, vt author est S. Hieronymus, Pauli primi Eremitæ corpus, cum ex hac vita migrasset, eius rogatu, inuolutum est, alterum vero eidem Athanasio ipsum Antonium vltimo suo veluti testamento legasse, dum dixit: *Melotem, & pallium tritum cui superiaceo Athanasio Episcopo date, quod nouum ipse detulerat.* Expendit enim illud *quod nouum ipse detulerat*, eo namque denotatur Athanasium visitasse Antonium, & dum visitaret pallium attulisse. Sed cum constet ex ipso Athanasio [a], se ipsum sæpius visitasse, quomodo constare potest, hac solum occasione pallium ei dedisse? Et, si hoc tempore pallium attulit vnum, quando alterum ipsi obtulit? Res sane incerta. Athanasius visitat Antoniũ. a in præfatione vit. Anton.

3 Fallitur etiam Baronius dum putat Athanasium Antonio ministrasse, aquam ei præbendo, ex illis verbis in dicta præfatione positis: *Quæ ab eo didici, qui ad præbendum ei aquam non paululum temporis cum eo feci.* Etenim, vt Heribertus Rosvvedius [b] animaduertit, nunquam Athanasius inseruiuit Antonio, sed a pueritia Alexandro Episcopo Alexandrino, prout habent Ruffinus [c], Sozomenus [d], & Theodoretus [e]. Eo autem loco præfationis non legendum *feci*, sed *fecit*, prout Græcus textus, & Euagrius. Cuius sensus est, Athanasium accepisse de Antonio ea quæ scripsit de illo, ab eo qui eidem Antonio inseruierat; hoc enim est *præbere illi aquam*, iuxta phrasim S. Scripturæ 4. *Reg.* 3. vbi dicitur de Eliseo, quod *fundebat aquam super manus Eliæ*, id est, ministrabat ei. Sic enim in præsenti (vt vel ex hoc innotescat Antonium alium Eliam instituto fuisse) is qui ipsi ministrauit, dicitur aquam præbuisse, intellige, manibus. An minister fuerit Antonij. b in notationibus ad vit. Antonij n. 4. c lib. 1. c. 14. d lib. 2. c 16. e lib. 1. c. 26.

4 Pergit Baronius dicere Antonij sanctitatem toto orbe vulgatam extitisse, & quæ nos in præcedentibus diximus de litteris Constantini Imperatoris, & filiorum eius ad ipsum; de confutatione Philosophorum ad ipsum recurrentium; de virtute Crucis Christi ab eo exaltata, ac de Monasteriorum fundatione per ipsum facta. In quibus recte. Subdit quoq; de eodem Antonio: *Cœnobiticæque ipse primus vitæ iecit in eremo fundamenta; adeo vt Cœnobitarum monachorum idem institutor sit habitus, vel potius restitutor, si Essenorum, qui in Ægypto sub Marco primo Alexandrinorum Episcopo floruerunt, ratio aliqua habenda esse videatur, quos Christianos fuisse suo loco superius perspicue demonstrauimus. Porro grauioribus persecutionum procellis obortis quibus non Christiani tantum simul agentes, & conuentus publice cele-* Baronij placitum.

brantes, sed & latentes in penetralibus, alijsque latibulis quæsiti abriperentur ad necem, intermitti illud cæleste viuendi genus oportuit, quod Sanctus Antonius non modo restituit, verum longe lateque in Christianum Orbem copiosissimo fœtu propagauit. Erant quidem ante Antonium, qui timore persecutionis ciuitatibus derelictis fuerunt, siue in desertis locis abditi Angelis similem vitam ducebant, quorum nonnullos ex Eusebio diximus fuisse martyrio coronatos; reperit & horum aliquos ipsemet Antonius, cum vt illatam Ecclesiæ persecutionem vitaret (vt dictum est) in desertum locum secessit, & ab vno illorum prima rudimenta monasticæ institutionis accepit; quæ perfecit delitescens in solitudine, cum postea diuino afflatus numine Monachos in vnum collegit, & in diuersa loca tamquam in diuersis aluearijs apum examina distribuit, qui sub eius disciplina a sæculi abdicatione ad monasticam professionem amplexandam fuerunt persuasi.

Expenditur. 5 Cæterum expendamus singula: *Cœnobitæque ipse primus iecit in Eremo fundamenta*. Hoc enim subsistere non potest cum eo quod diximus in superioribus de multis Monachorum Patribus, Cœnobiorumque Rectoribus ante Antonium. Videlicet *sub anno* 151. de Frontonio Abbate in eremo cum Monachis commorante, etiam in Ægypto; & *sub anno* 167. de Heleno etiam Abbate in Ægypti quoque partibus, Alexandriæ videlicet in Monasterio viuente, quod Monachorum Essenorum erat, in quo Eugenia cum socijs Proto, & Hyacintho vitam aliquandiu eget, ipso quoque Baronio testante; & *sub anno* 192. de Theodoro eiusdem Cœnobij Præfecto; & *sub ann.* 275. de Charitone *Lauræ* Monasteria fundãte; ac *sub ann.* 296. de Amone Nitriensi Archimandrita, & primo illius loci Cœnobiarcha. Item *sub anno* 308. de Philiberto, & Fabritiano Monasterij cõditoribus in Hispania in confluenti Fenarij fluminis, & Tagonij, vt propterea Biuarius eo loco relatus dixerit, *in Hispania inductum fuisse Monachorum genus antequam Antonius monachos colligere, & instituere cœpisset*. Videat lector eo loco dicta, & *sub ann.* 277. Maxime vero, quæ *sub anno* 301. attulimus, de historia Sanctorum Indæ, & Domnæ, quam Baronius eo anno commendat, & in qua habetur Monasteria eo tempore extitisse. Adeo vt ipse eo loco relatus dicat errorem esse aliquorum putantium non nisi a temporibus Constantini ea fuisse; quod probat ex Essenis, & alijs Asceris ab Eusebio commemoratis, & concludit: *Plane si Asceræ erant oportuit asceteria quoq; fuisse in quibus continerentur*. Quomodo ergo ab antilogia liberari poterit cum hoc loco Antonium credat primum Cœnobiarcham, & sub Cõstantino? Deinde, id satis ex vita ipsius Antonij ab Athanasio descripta *c.3.* non obscure elicitur; videlicet etiam in Ægypto ante ea tempora Cœnobia fuisse. Dicitur enim: *Necdum autem tam bra erant in Ægypto Monasteria*. Aliqua ergo erant, etsi non *tam crebra* ante Antonij disciplinam. Ad hæc, si vt idem egregius auctor eo sub anno §. *quod audis* Virginum Collegia etiam a tempore Ignatij Apostolorum discipuli admittit (quod & nos sæpius in præcedentibus probauimus) cur

non

non etiam virorum essent, aut cur tempora Antonij non præuenisse autumabimus? Idem esto iudicium de illis verbis: *Adeo vt Cænobitarum monachorum idem institutor sit habitus*, quod late reiecimus locis relatis. Rectius ergo Gordonus, etsi constans Baronij assecla [a] dixit: *Fuit hic Antonius vel auctor, vel proximus institutor vitæ monasticæ*. Hæc enim posterior huius disiunctiuæ pars verissima est. Recte etiam Tabula quædam Chronologica Romæ nuper impressa dicit: *Antonius plurimorum Religiosorum parens anno circiter* 328. Non enim dixit *Omnium*, sed *Plurimorum*. Caute quoque Amedeus Salyi [b] inquit: *Antonius magnus Armeniæ, Scythiæ, Nitriæ; & vtriusque Thebaidæ, & Ægypti monasteriorum Pater anno circiter* 328. non omnium vniuersaliter. Applicari ergo ad intentum poterunt, quæ ipse Baronius [c] de monachismo dixit: *Res tamen ipsa vetus, sed in tanta Ecclesiæ pace* (scilicet sub Constantino) *legibus quibusdam exculta fecundiori germine propagata*. Intellige sub Antonio.

[a] *sub hoc anno*

[b] *in Breuiario Christ. 2 bool.*

[c] *sub ann.* 340. §. *At quibusdam.*

6 Pergit dicens: *Vel potius restitutor, si Essenorum, qui in Ægypto sub Marco primo Alexandrinorum Episcopo floruerunt, ratio aliqua habenda esse videatur.* Quibus se ipsum corrigens, Antonium potius monachorum Restitutorem quam Institutorem sapienter agnoscit. Sed cur de Essenorum Monachatu subdubitare videtur ea particula *Si*, quæ conditionalis est? Sane, sine causa ab ipso adhibitam, seu potius irrepsisse, plurima, quæ in superioribus adduximus manifeste conuincunt: Specialiter *in Appar. c.* 2. vbi ex Dionysio Areopagita, D. Hieronymo, Eusebio, Philiastro, Cassiano, Nilo, Sozomeno, Cedreno, Georgio Peccatore, Nicephoro, Petro Comestore, & mille aliis ostendimus Essenos a Philone commemoratos, & à S. Marco Euangelista in fide Christi instructos Monachos fuisse. Sed eis relictis Baronium Baronio opponamus. Is enim [d] S. Eugeniam virginem cum eunuchis Proto, & Hyacintho delituisse (inquit) *inter Monachos, quos Essenos a Philone dictos esse superius demonstrauimus*. Deinde *sub anno* 301. §. *reddemus* Asceteria, seu Monasteria eo tempore admittens id probat ex ijs, quæ dixerat de Essenis, quo proculdubio Essenos Monachos fuisse confirmat. Idem supponit *to.* 3. *sub anno* 308. viginti annis ante hanc quam modo commemorat ab Antonio Monachorum institutionem factam, dum loquens §. *Qui cum dicat* de Seleuco Martyre, eum Monachum ascetam, & ex Monachis, & ascetis fuisse tradit. Clarius *in Annotat. ad Martyrolog. Rom. sub die* 23. *Februarij* loquens de tempore Maximiani Imperatoris, qui Constantinum per aliquot annos præcessit, & Sireno Monacho, dum inquit: *Hic cum dicatur fuisse Monachus, satis apparet ex Eusebio lib.* 8. *c.* 22. *Maximiani temporibus fuisse Monachos, & ex eis quam plurimos coronatos esse Martyrio, vt & Seleucus, de quo supra egimus*. Hos enim Monachos Esseni instituti fuisse nullus refragabitur, cum aliud eo tempore non esset. Sed clarissime *sub die* 19. *Octobris* de septem monachis Martyribus loquens, & inquiens: *Complures Monachos sub Maximino martyrio coronatos esse non tantum ex Martyrologijs, & Menolog. expressum habes*

[d] *to.* 2. *sub ann.* 188. *n.* 2.

habes, sed apud Eusebium hist. lib. 8. Porro ipsum Monachorum institutum non recens, sed ab initio nascentis Ecclesiæ viguisse, ex his quæ scribit Philo de Essæis, & quæ habet Dionys. Areopag. & alij, facile colliges. Licet nomen ipsum non adeo vetus fuerit: vnde Augustin. in Ioann. tract. 97. sic ait: Monasteria, & xenodochia postea sunt appellata nouis nominibus, res autem ipsæ ante sua nomina erant. Hæc autem omnia clare demonstrant ex mente Baronij Essenos Monachos fuisse, ac proinde immerito id sub dubio, & sub conditionali *Si* hoc loco asseruisse. Alia quæ subiungit de interruptione Monachismi propter ingruentes tyrannorum persecutiones solum suadent, hoc cæleste viuendi genus, sicut, & Christianismum ipsum, ea tempestate non ita palam, publice, & in omnium aspectu viguisse; sed clam, latenter, & in latibulis terræ.

Baronij recta sententia.

7 Ea tamen quæ ibi subijcit, verissima sunt; & ideo hic non reticenda: *Qui igitur Antonium adeuntes eidem se subiecere discipuli, ex ijs alij in eisdem cum illo montibus monasticam exercuere disciplinam: alij vero eadem ex planta palmites succidentes, & in diuersis prouincijs complantantes, breui tempore factum est, nempe hoc ipso seculo, vt replerint terrarum orbem tam sancta propagine, nimirum Palestinam, Syriam, Asiam minorem, Cappadociam, Pontum, Armeniam, Mesopotamiam, & Boreales regiones, vsque ad latrones Bessas, & Dacos, de quibus S. Paulinus hæc cecinit in reditu S. Nicetæ viri sanctissimi, à quo accepit quod scribit;*

O vices rerum bene versa fama!
Inuij montes prius, & cruenti
Nunc tegunt versos monachi latrones
Pacis alumnos.
Sanguinis quondam, modo terra vitæ est:
Vertitur cælo pia vis latronum,
Et fauet Christus supera occupanti
Regna rapinæ.
Mos vbi quondam fuerat ferarum,
Nunc ibi virtus viget Angelorum
Et latet iustus, quibus ipse latro
Vixit in antris. &c.

Sed & de Bessis meminit S. Hieronymus, cum scribens ad Heliodorum hæc ait; Indus, Persa, Gothus, Ægyptius philosophantur: Bessorum feritas, & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferijs homines immolabant stridorem suum in dulce Crucis fregerunt melos. Et ad Lætam: De India, Perside, Æthiopia monachorum quotidie turmas suscipimus; eorum scilicet qui ad loca sancta visenda pietatis ergo ventitabant. Hæc recte Baronius.

Alia eiusdem, a epist. 61.

8 Quæ in sequentibus adijcit de huiuscemodi vitæ instituto tribuendo non Basilio ex eiusdem testimonio [a], sed Antonio; quoad Basilij exclusionem proculdubio etiam verissima sunt; quatenus vero ad Antonium attinent, ex dictis limanda; præsertim ex adductis *sub anno* 277. vbi ex

Hiero-

Hieronymo, & Theodoreto ostendimus Antonium non institutorem, primum, sed illustratorem, & incitatorem Monachismi fuisse.

9 Illud apud omnes compertum, hoc tempore, Antonij studio in Thebaide, Pachomij in Tabenna, Ammonij discipulorum in Nitria, totam Ægyptum veluti paradisum innumerabiles Angelorum cœtus *in corporibus mortalibus* fulgentes, vt Chrysostom. [a] dixit, habentem effulsisse. Erant etiam *Monasteria* (vt Athanasius *in vit. Antonij* inquit) *tamquam tabernacula plena diuinis choris psallentium, legentium, orantium, &c.* Monachismus Ægypti. a hom. 8. in Math. c. 2.

10 Nec solum virorum, sed etiam fœminarum cœtibus Deo dicatis Ægyptus florebat. Sic enim Chrysostom. [b] dicebat: *Atque hæc non in viris solum, verum etiam in fœminis splendere conspicias; nam illæ quoque non minori quam viri virtute decorantur; non clypeo arrepto in equum insilire callentes, vt honestissimi illi, ac sapientissimi Gentilium iubent magistri: sed multo certe vehementius bellum gerentes. Communis enim illis, ac viris aduersus diabolum pugna est, contraque huius mundi potestates, nec vspiam teneritudo sexus his congressibus impares facit: non enim natura corporis, sed voluntate animi exercentur ista prælia: propterea sæpe in huiusmodi acie fortius viris fœminæ decertarunt, ac trophæis insignibus claruerunt. Non ita varijs astrorum choris cælum refulget, vt Ægypti eremus innumeris monachorum, ac virginum distinguitur, atque illustratur habitaculis.* Etiam Monialium. b hom. 8. in Math.

11 Ex hac ergo monastici status per Ægyptum propagatione ortum similiter habuit ea, quæ per Indiam Asiæ iuxta Persidem regionem eodem ferme tempore facta est, prout Ioannes Damascenus [c] his verbis descripsit: *Cum autem etiam in Ægypto Monasteria ædificari ac Monachorum ingentia agmina cumulari cepissent, atque eorum virtutis, & vitæ rationis, ad Angelorum imitationem accedentis, fama orbis terrarum fines peruasisset, atq; ad Indos vsque peruenisset, ipsos quoque ad eiusdem vitæ studium excitauit; adeo vt complures ipsorum, relictis omnibus rebus in solitudines consēderent atq; in mortali corpore, eorum qui corporis expertes sunt vitæ rationem susciperent.* Ex hoc autem monastici germinis in India primordiali palmite innumeræ postea Anachoretarum propagines prodiere; Deo & Orbi dulcissimos fructus propinantes, de quibus in eadem historia, & nos in sequentibus. Quod idem dicendum de deserto illo Senaar, de quo, vt *ibidem c.* 18. scribitur, magnum illum Barlaam Iosaphati Catechistam cum alijs monachis recepit, & ex quo ad ipsius instructionem peragendam discessit, quo etiam postea rediit, & a Iosaphato, qui iam mundo, & Regno vale dixerat, repertus est, iuxta dicenda suis locis. Indiæ monastice. c in Hist. SS. Barlaam, & Iosaphat.

12 Ad hoc etiam tempus proculdubio referri potest, quod de Ordinis nostri propagatione authores plures, de exteris quoque, protulere, in quatuor videlicet Prouincias diuisũ fuisse. Sic enim Carolus de Tapia nobilis, & doctrina cõspicuus auctor [d] scriptum reliquit: *Diuiditur in Prouincias trigintaduas. Constantini autẽ magni tẽpore quatuor in Prouincijs venerabatur, vna erat Terra sancta; alia Cypri; tertia Thebaidæ, & quarta Ægypti.* Ex quibus Ordinis propagatio in quatuor Prouincias. d in Autentic. ingressi c. 17. n. 13.

bus *Prouincia* Thebaidæ, etiam sub hoc titulo, commemorata apparet in vita S. Onuphrij ex *lib. 1. vit. Pat.* desumpta; ibi enim dicitur Monasterium Hermopolitanum, vbi ipse enutritus erat, in ea Prouincia fuisse.

Monachi Episcopi. 13 Ex hac porro numerosa Monachorum prole, ea vel maxime, quæ Ægypti partibus proxima erat, S. Athanasius Alexandriæ Antistes diœcesim suam, monachorumque stationes visitans, sanctissimos, quos cæteris nosset moribus, & peritia antecellere, in Episcopos diuersarum Ecclesiarum asciuit, quia fortissimos hos fore sciret aduersus ingruentem Arij hæresim pugnatores, & quasi munitissimas turres contra Meletianos schismaticos. Quinam vero hi essent, qui ad Episcopale munus obeundum fuerunt ab eo postea accersiti, hocq; visitationis tempore in sua diœcesi cogniti, atq; delecti, idem ipse Athanas. [a], scribit Dracontio, quem cötentiosius reluctantem ad idem ministerium suscipiendum his monet post multa: *Neq; enim tu solus ex monachis es constitutus, Episcopus scilicet, neque solus monasterio præfuisti, neque solus a monachis delectus es. Nosti enim Serapionem monachum esse, & quot monachorum Præfectum? Neque a te ignoratur, quot monachorum pater fuerit Apollonius. Nosti Agathonem, neque ignotum habes Aristonem. Memor es Ammonij cum Serapione peregre profecti. Fortassis etiam audisti de Cue in superiori Thebaide, poteris etiam rescissere de Paulo, qui est apud Letos, & de alijs multis: & tamen isti Episcopi constituti non contradixerunt; sed habentes pro exemplari Eliseum, & conscij quid Elias egerit, & & eruditi quid Discipuli Christi, Apostolique, fecerint; susceperunt hanc curam, neque ministerium hoc aspernati sunt: neque propterea seipsis deteriores facti sunt; sed & laboris mercedem expectant, proficientes ipsi, aliosque proficere adhortantes. Quot ab idolis conuerterunt? Quot à furiosa, & dæmoniaca consuetudine suis admonitionibus compescuerunt. Quot adduxerunt Christo seruos? Adeo, vt qui ista signa conspiciant, admirentur. An quæso non ingens signum, puellam inducere vt virgo maneat, & adolescentiorem adhuc, vt sit continens, & idololatram, vt cognoscat Dominum?* Et post aliqua, vt ostendat, quod non sit impedimento cura Episcopalis Monasticæ obseruantiæ hæc subdit. *Quapropter cum istiusmodi habeas exempla, dilectissime Draconti, ne dicas, nec dicentibus credas, Episcopatum esse causam peccati, aut quod inde nascamur occasione delinquendi: licebit tibi in Episcopatu esurire, sitire cum Paulo; licebit vinu non bibere, sicut Timotheus fecit, & ieiunare frequenter, vt solitus Paulus, ita vt secundum illum ieiunans, alios sermonibus nutrias, & sitiens abstinendo a potu alijs docendo, potum præbeas. Neigitur talia obijciant consiliarij tui; nouimus enim Episcopos ieiunantes, Monachos comedentes.* Hæc Baronius refert, & pro ipsorum coronide hæc subdit: *Negari quidem non potest fuisse Monachismum seminarium in Ecclesia Dei sanctissimorum Episcoporum, ex quo Basilij Gregorij, Chrysostomi, & alij tam in Oriente, quam in Occidente viri spectatissimi prodiere.* Rem quidem satis omnibus compertam, & ex dictis in præcedentibus, & dicendis in sequentibus abunde comprobatam. Sed circa verba Athanasij relata inuestigandum restat, quinam fuerint illi Se-

[a] in epist. ad Dracontium Monachum.

rapio,

rapio, Apollonius, Agatho, Aristo, Ammonius, Cue, Paulus ab eo commemorati, & Dracontius, cui eos commemorat, qui ex monachismo ad Episcopales dignitates euecti fuerunt, sine dubio namque monachismi eius æui professores fuerunt.

14 Et quidem Serapio iste diuersus ab eo fuit, qui Episcopatum Antiochensem tenuit, & de quo veluti Ordinis Eliadum prole diximus *sub ann.* 189. ipsa enim temporis distantia vtriusque Serapionis distinctionem conuincit. Fuit autem Serapio hic Thmueos vrbis Ægypti positæ in Prouincia dicta Scethi Episcopus. Eum vocant Anachoretam Beda, Vsuardus, Ado, & Martyrologium Romanum: forsan quia ex Monachis Eremi Scethi, quæ & Scythiæ dicitur, & de qua frequens memoria est apud Palladium, Euagrium, Cassianum, Sozomenum, Nicephorum, & alios. Miræ sanctitatis, doctrinæ, & constantiæ in fide propugnanda contra hæreticos Arrianos celebratur. Ac plurium monachorum Pater, prout ex relata Athanasij Epistola elicitur. De quo in sequentibus alia, quia Monachismus, & anachoretismus ipsius indicant ex Ascetis Essenorum fuisse.

Serapio.

15 De Apollonio ibidem inter Episcopos ex Monachismo euectos ab Athanasio numerato etiam habetur ex relata Epistola Athanasij Monachorum Patrem fuisse; quorum verò Monachorum Pater extiterit, cuiusue Vrbis Episcopus, non notatur. Concilio tamen Sardicensi cum Athanasio, ac cum Ammonio, Paulo, Agathonio & cæteris nominatis interfuisse testatur Baronius [a]. Si quæ alia de ipsis occurrerint dicenda, in sequentibus afferemus, nominum enim, & historiarum confusio in illis dubitare nos permittit.

Apollonium, & alij.

a *sub ann.* 347. §. *Porro inter alias.*

16 De Dracontio vero isto, ad quem Episcopari renuentem scribebat Athanasius, id habetur, vt Episcopus iam factus ab Arrianis in exilium pulsus sit vna cum multis alijs collegis Episcopis, ex Athanasio [b], & Baronio [c]. Episcopus fuit paruæ Hermopolis, vt ex eodem Athanasio [d], & Rosvvedio [e] elicitur. Et ab eodem Hilarione visitatus, iuxta dicenda in sequentibus.

Dracontius.

b *in Apolog. de fuga sua.*
c *sub hoc anno* §. *At parum.*
d *in epist. ad Antiochenses.*
e *in Annot. ad vit. Hilarionis*

17 Non prætermittendum de Agathone relato, ipsum videri Abbatis Abraham, de quo *sub anno* 361. dicetur, magisterium gessisse, prout ex *lib.* 5. *vit. Patr. libell.* 10. *n.* 62. elicitur. Ac illum fuisse, qui *in* 3. *lib. vit. Patr. n.* 21. dicitur: *Nominatissimus in virtute humilitatis, & patientia;* quod digito notent Religiosi cuncti. Sicut quod *ibidem* de ipso narratur; in occasione videlicet qua a fratribus de patientia, & humilitate probabatur, varia vitia, hæresim quoque illi obijciendo, ipsum respondisse: *Licet in alijs multis peccatis obnoxius sim, tamen hereticus penitus non sum; absit hoc ab anima mea.* Commendabile valde etiam, quod de ipso refertur *ibid. n.* 71. 75. *&* 95. pecuniam reiecisse, discretionis virtute excelluisse, pacificumq; cunctis se præstitisse. Multis præterea de ipso prætermissis, quæ de ipsius morte (nisi forsan in nomine Agathonis fallimur) habentur eodem *lib.* 3. *n.* 161.

Agathon.

Religionis 40. viros habens, inter quos & fabri ferrarij, & carpentarij, & sarcinatores, & camelarij, & fullones sunt, singuli in arte propria laborantes, & ex his quæ quotidiano victui superasse poterant, etiam monasterijs feminarum, carceribusque vicinis necessaria quæque præbentes. Est & apud istos monachos Monasterium numero quadringentarum fœminarum eisdem moribus, & eadem ordinatione viuentium, excepto solo velamento pellium. Et hæ quidem trans fluuium habitant, intra fluuium autem viri. Et cum aliqua illarum defuncta fuerit, eam ex more vestitam aliæ deferentes supra ripam ponunt, quam inde viri nauicula cum psalmis transferentes in sepulchro proprio condunt. Nec vllus transit ad earum Monasterium, excepto Presbytero, & Diacono, & hoc tantum per diem Dominicum. Fuit in eodem Monasterio quædam virgo, quæ stultam se fecit propter Christum, vt virtutis posset implere propositum. Cumque se admodum humiliaret, atque deijceret adeo vt omnibus alijs horrori erat, vt nec cibum cum ea caperent, ab omnibus cædebatur, omnium odia, & maledicta sustinebat, a coquina verò nunquam recedens totius illic Monasterij tanquam ancilla cunctis obediens officium implebat. Numquam ad mensam sedebat, sed micas tantum mensarum detergens, & ollas abluens his solis alimonijs contenta viuebat, numquam calceamentis vtebatur, caput pannis inuolutum habebat, & sic omnibus seruiebat. Et certe cum ab omnibus pateretur, nulli vnquam iniuriam fecit, nulla ipsius murmur audiuit. Inter hæc assistit Angelus Domini Pyterio probatissimo viro semper in desertis viuenti, dixitque illi; Cur magnum aliquem te esse credis in tuo proposito, & huiusmodi degens loco? Vade ad Tabennensiotarum Monasterium fœminarum, & inuenies vnam ex eis in capite pannum conscissum habentem, ipsamque cognosce te esse meliorem. Cum enim sola contra tantas diebus, ac noctibus pugnet, cor eius nunquam a Deo recessit. Tu autem in vno loco residens numquam progrederis, & per omnes Vrbes animo, & cogitatione vagaris. Statim igitur ad prædictum Monasterium venit, seque ad fœminarum habitaculum transuehi petijt. Ingressus autem omnes sorores videre voluit, inter quas illam solam propter quam venerat non vidit. Ait ergo: Omnes adducite, nam aliqua videtur hic deesse, quam mihi Angelus declarauit. At illæ: Omnes inquiunt hic sumus, vnam quidem stultam habemus in coquina intrinsecus. Exhibete, ait, mihi eam, vt ipsam quoque videam. Quod cum fecissent, ille frontem eius pannis inuolutam cernens, proiecit se ad pedes illius dicens; Amma, id est, mater spiritualis, benedic me; procidens autem ipsa ante pedes eius dicebat; Tu me benedic Domine. Omnes itaque sorores obstupuerunt dicentes. Noli talem iniuriam sustinere Abba, nam ista quam cernis, est fatua. At ille dixit omnibus: Vos fatuæ estis: nam ista melior est & me, & vobis. Deprecor autem Deum, vt in die iudicij dignus ipsa merear inueniri. Tunc omnes proriderunt ad S. Pyterij pedes, singulæ propria ei peccata confitentes, quibus illam sanctissimam contristauerant. Et alia quædam dicebat, ego eam delusi, alia ego habitum eius deiectum irrisi, alia ego eam pro eo quod tacita esset iniurijs affligebam, alia ego sordes abluens catini super eam infundebam, alia quoque colaphis eam a se verberatam sæpe dicebat,

alia

alia nares eius synape impletas a se esse deflebat, catera quoque diuersas ei se referebant iniurias irrogasse, pro quibus omnibus ille sanctus vna cum eadem sanctissima virgine fusis precibus egressus est. Post paucos dies illa non ferens tantam sui gloriam grauariq; se credens satisfactionibus singularum, egressa fuit de illo Monasterio. Quo ierit vel quo fine defecerit, hactenus ignotum est. Hic Ordo incipit anno Domini 330. Hæc omnia noster Bostius, etsi diffusiora a nobis tamen merito referenda, & in sequentibus enucleanda.

8 Annus iste supputatione a tempore obitus, consecratione, & ætate attētis natalitius creditur Magni Patris Basilij Monasticæ disciplinæ propagatoris celeberrimi in Oriente, & Christianæ fidei propugnatoris eximij. Huic enim anno id ascribit Alfonsus Clauel Basilianus Monachus [a], & Didacus Niss. eiusdem instituti assecla *in lib. cui titulus. El Fenix de la Grecia in Pref.* Nec solum eam ob causam nostris Annal. eius historia inserēda, sed eo vel maxime, quod Elianæ, Essenæ, imo & Carmeliticæ alumnus clarissimus extiterit; prout ea, quæ nunc afferimus, haud mediocriter demonstrant. Primo etenim constans hæc fuit nostrorum Historicorum ac scriptorum vetusta semper traditio; quæ cernitur in Ioanne Soreth, Bostio, Palæonydoro, Baptista Mantuano, Coria, Thoma de Iesu, & pluribus alijs, qui eum titulo *Patris nostri*, vel simili commendant, & quorum aliqua testimonia in sequentibus adducentur. Eam firmat cælica ipsius Basilij reuelatio facta B. Cyrillo Constantinopolitano Carmeli Montis antè quadringentos annos Eremitæ, quam refert Palæonydorus [c] his verbis: *Alicuius temporis interuallo vidit per quandam noctem Virum aspectu eximium venerandum iuxta se stantem, capite infulatum, & dicentem: Ne timeas Cyrille, sum enim Basilius, quondam Montis Carmeli Eremita, Cæsariensium Pastor, veniens hac tibi denunciare à Deo, quatenus in Armeniam pergens, &c.* Recipiunt etiam de exteris hanc traditionem Carolus de Tapia [d], Philippus Lopezius Romanus Aduocatus [e], Eliæ sectatorem eum vocans. Laurentius Beyerlinck [f], dum de Ordine Carmelitarum agit; Alfonsus de S. Victore Benedictinorum Generalis [g], conceptis verbis affirmans S. Basilium Regulam Carmelitarum in Monachatu obseruasse; de quo nos in sequentibus. Fauent dicta *sub anno* 318. & dicenda *sub ann.* 354. videlicet, quod cum e Atheniensi schol Christianos libros sibi scrutandos à Deo instuctus quæreret, in Ægyptum pergens à Porphyrio in ea regione Archimandrita, & quondam Carmeli Eremita eos accepit; cum eo vno anno conuersatus, & monasticam vitam veluti Nouitius agens, prout autumat Coria [h]. Ipsum quoque Carmelum coluisse aliquando historici nostri in sequentibus referendi proferunt. Quinimo, cum Ponti monasticem exercebat, *Cum Elia & Ioanne summis Philosophis solitudinem amplectitur*, inquit eius amicus, & socius Gregorius Nazianzenus [i]. Ex quibus verbis Alfonsus de Sancto Victore relatus intulit eum obseruasse Carmeli Regulam. Eo præsertim, cum ipse Basilius [k] asserat se æmulari concupiisse illos, quos in Ægypto, Palæstina, & Cœlosyria

a In lib. de antiquit. Relig. & Regul S. Basilij c. 1. §. 2. n. 2.

c lib 3. c. 4.

d in Authent. ingressi verbo Monaster n. 10.

e in Comp. vit. S. Theresiæ c. 11.

f in Theat vit. hum. lib 16. litt. 6. verbo Religionis Religio.

g in lib. cui tit. El Sol del Occidente pralud. 4. c. 1. n. 17 & pralud. 6. c. 1. n. 22.

h lib. 9. c. 7.

i Orat. 30. de laudibus ipsius

k epist. 79. ad Eustachium.

Monachos viderat, Carmeli namque promontorium Palæstinæ, & Cœlosyriæ adiacens est. Hinc huius sui instituti memor, dum in Regulis suos asseclas instruit, habitum præscribens ad instar Eliæ, & Ioannis Baptistæ induendos esse, zonaque, sicut illi, cingendos [a] dicit. Nonne etiam eiusdem Basilij germanus frater Gregorius Nyssenus *in Orat. de laudib. ipsius* id haud subobscure indigitauit, dum dixit: *An etiam audebimus ad sublimem Eliam sermone ascendere, & ostendere nostrum Doctorem suo vitæ instituto, illius gratiæ assimilari?* Et sane cum Monachum fuisse innumeris ipse locis testatum reliquerit, adeo vt non nisi temere id negent vnus vel alter, quos refert Gabriel Pennenotus [b], negantibus Elianum fuisse incumbit probare cuius instituti fuerit tempore quo nullus alius in Orbe erat.

a interrog. 22. & 23. Regul. fus.

b in hist. Trip. lib. 2. c. 10. n. 5.

Basilij patria.

9 Nascitur ergo hoc anno Basilius Helenoponti ex nobilibus parentibus Basilio, & Eumelia; cuius paternus auus Martyr fuit, & auia Macrina insignis fœmina. Fratres habuit plures, virtutibusque claros, Gregorium Nyssenum, Naucracium, Petrum Sebastensem Episcopum, & sororem Macrinam. Eorum geneologiam texit Didacus Nyssenus supra ex eodem Basilio, Gregorio Nysseno, Suida, Sixto Senensi, & Antonio Posseuino. De eo plura in sequentibus ex Gregorio vtroque, Nysseno, & Nazianzeno, Ephremo Syro, Glyca, & alijs; aliqua etiam ex Amphylochio authore vitæ ipsius, quæ extat in *Vit. Patr. lib. 1.* prout existimant Vrsus Cardinalis, qui eam latinitati donauit ante annos 800. Vincentius [c], Antoninus [d], Episcopus Equilinus [e], Sigebertus [f], Sixtus Senensis [g], & alij: licet non omnia, quia ea Basilij vita ab Amphilochio scripta, vt dicitur, pluribus scatet næui, vt propterea alium authorem habuisse credatur, prout notant Baronius, Bellarminus, Posseuinus & alij. Nonnulla quoq; ex authoribus nostris, specialiter Bostio qui de ipso cæteris diligentius scribit.

c in Specul. lib. 14.
d p. 2. tit. 9. c. 4.
e in Cat. Sanct. lib. 2. c. 28.
f in Cat. Script. c. 7.
g lib. 4. Bibliot. Sanct.

Annus Christi 328. Siluestri Pont. 15, Constantini Imp. 23.

1 PLVRA sub hoc anno, iuxta beneplacitum Baronij, quem alij sequuntur, contigere, quæ historiam nostram haud leuiter tangunt; partim vera, partim maiori discussione digna. Videlicet S. Athanasium Alexandrinæ Ecclesiæ Præsulem suam Diœcesim perlustrando visitasse, nedum Ecclesias, sed & Sanctorum Monachorum in eremis mansiones. Pachomium proinde in sua Tabenna cum suis Monachis commorantem, triginta duos annos ætatis & duodecim conuersationis monasticæ habentem inuisisse. Cæterum, etsi pro comperto sit D. Athanasium conuenisse Pachomium Tabennæ agentem, quia sic habetur in eiusdem Pachomij vita a D. Hieronymo descripta [h], quæ extat in *Vit. Patr. lib. 1.* quod tamen hoc anno contigerit, a veritate aberrat. Si enim totum discursum vitæ ipsius capitibus præcedentibus narratum inspiciamus; tempus videlicet, quod cum

h cap. 27.

Palæ-

Palæmone egit, Monasterij Tabennensis extructionem, & quod dicitur *cap.* 14. nempe per annos quindecim in ea Tabennæ cellula cum suo germano Ioanne commoratum fuisse, proculdubio non hoc anno, sed post aliquot, Athanasium eum visitasse reperiemus. Quod maxime vrget Baronium, cum ipse putet sub anno 316. Pachomij conuersionem accidisse; si enim hoc verum fuit, & huic tempori adiungantur quindecim illi anni, & alij, in quibus alia ipsius gesta contigisse necessum est, absdubie comperietur in huius temporis calculo grauissimum hunc authorem impegisse.

2 Addit vlterius visitasse quoque S. Antonium, ad eumque benedictionis gratia duo pallia attulisse, quorum altero, vt author est S. Hieronymus, Pauli primi Eremitæ corpus, cum ex hac vita migrasset, eius rogatu, inuolutum est, alterum vero eidem Athanasio ipsum Antonium vltimo suo veluti testamento legasse, dum dixit: *Melotem, & pallium tritum cui superiaceo Athanasio Episcopo date, quod nouum ipse detulerat.* Expendit enim illud *quod nouum ipse detulerat*, eo namque denotatur Athanasium visitasse Antonium, & dum visitaret pallium attulisse. Sed cum constet ex ipso Athanasio [a], se ipsum sæpius visitasse, quomodo constare potest, hac solum occasione pallium ei dedisse? Et, si hoc tempore pallium attulit vnum, quando alterum ipsi obtulit? Res sane incerta. *Athanasius visitat Antoniũ* *a in præfatione vit. Anton.*

3 Fallitur etiam Baronius dum putat Athanasium Antonio ministrasse, aquam ei præbendo, ex illis verbis in dicta præfatione positis: *Quæ ab eo didici, qui ad præbendum ei aquam non paululum temporis cum eo feci.* Etenim, vt Heribertus Rosvvedius [b] animaduertit, nunquam Athanasius inseruiuit Antonio, sed a pueritia Alexandro Episcopo Alexandrino, prout habent Ruffinus [c], Sozomenus [d], & Theodoretus [e]. Eo autem loco præfationis non legendum *feci*, sed *fecit*, prout Græcus textus, & Euagrius. Cuius sensus est, Athanasium accepisse de Antonio ea quæ scripsit de illo, ab eo qui eidem Antonio inseruierat; hoc enim est *præbere illi aquam*, iuxta phrasim S. Scripturæ 4. *Reg.* 3. vbi dicitur de Eliseo, quod *fundebat aquam super manus Eliæ*, id est ministrabat ei. Sic enim in præsenti (vt vel ex hoc innotescat Antonium alium Eliam instituto fuisse) is qui ipsi ministrauit, dicitur aquam præbuisse, intellige, manibus. *An minister fuerit Antonij.* *b in notationibus ad vit. Antonij n. 4.* *c lib. 1. c. 14.* *d lib. 2. c. 16.* *e lib. 1. c. 26.*

4 Pergit Baronius dicere Antonij sanctitatem toto orbe vulgatam extitisse, & quæ nos in præcedentibus diximus de litteris Constantini Imperatoris, & filiorum eius ad ipsum; de confutatione Philosophorum ad ipsum recurrentium; de virtute Crucis Christi ab eo exaltata; ac de Monasteriorum fundatione per ipsum facta. In quibus recte. Subdit quoque de eodem Antonio: *Cœnobiticæque ipse primus vitæ iecit in eremo fundamenta; adeo vt Cœnobitarum monachorum idem institutor sit habitus, vel potius restitutor, si Essenorum, qui in Ægypto sub Marco primo Alexandrinorum Episcopo floruerunt, ratio aliqua habenda esse videatur, quos Christianos fuisse suo loco superius perspicue demonstrauimus. Porro grauioribus persecutionum procellis obortis quibus non Christiani tantum simul agentes, & conuentus publice cele-* *Baronij placitum.*

brantes, sed & latentes in penetralibus, alijsque latibulis quaesiti abriperentur ad necem, intermitti illud caeleste viuendi genus oportuit, quod Sanctus Antonius non modo restituit, verum longe lateque in Christianum Orbem copiosissimo foetu propagauit. Erant quidem ante Antonium, qui timore persecutionis ciuitatibus derelictis fuerunt, siue in desertis locis abditi Angelis similem vitam ducebant, quorum nonnullos ex Eusebio diximus fuisse martyrio coronatos; reperit & horum aliquos ipsemet Antonius, cum vt illatam Ecclesiae persecutionem vitaret (vt dictum est) in desertum locum secessit, & ab vno illorum prima rudimenta monasticae institutionis accepit; quae perfecit delitescens in solitudine, cum postea diuino afflatus numine Monachos in vnum collegit, & in diuersa loca tamquam in diuersis aluearijs apum examina distribuit, qui sub eius disciplina a seculi abdicatione ad monasticam professionem amplexandam fuerunt persuasi.

Expenditur. 5 Caeterum expendamus singula: *Coenobiteque ipse primus iecit in Eremo fundamenta*. Hoc enim subsistere non potest cum eo quod diximus in superioribus de multis Monachorum Patribus, Coenobiorumque Rectoribus ante Antonium. Videlicet *sub anno* 151. de Frontonio Abbate in eremo cum Monachis commorante, etiam in Aegypto; & *sub anno* 167. de Heleno etiam Abbate in Aegypti quoque partibus, Alexandriae videlicet in Monasterio viuente, quod Monachorum Essenorum erat, in quo Eugenia cum socijs Proto, & Hyacintho vitam aliquandiu eget, ipso quoque Baronio testante; & *sub anno* 192. de Theodoro eiusdem Coenobij Praefecto; & *sub ann.* 275. de Charitone *Laurę* Monasteria fundāte; ac *sub ann.* 296. de Amone Nitriensi Archimandrita, & primo illius loci Coenobiarcha. Item *sub anno* 308. de Philiberto, & Fabriciano Monasterij cōditoribus in Hispania in confluenti Fenarij fluminis, & Tagonij, vt propterea Biuarius eo loco relatus dixerit, *in Hispania inductum fuisse Monachorum genus antequam Antonius monachos colligere, & instituere coepisset*. Videat lector eo loco dicta, & *sub ann.* 277. Maxime vero, quae *sub anno* 301. attulimus, de historia Sanctorum Indae, & Domnae, quam Baronius eo anno commendat, & in qua habetur Monasteria eo tempore extitisse. Adeo vt ipse eo loco relatus dicat errorem esse aliquorum putantium non nisi a temporibus Constantini ea fuisse; quod probat ex Essenis, & alijs Ascetis ab Eusebio commemoratis, & concludit: *Plane si Ascetę erant oportuit asceteria quoq; fuisse in quibus continerentur*. Quomodo ergo ab ant logia liberari poterit cum hoc loco Antoniū credat primum Coenobiarcham, & sub Cōstantino? Deinde, id satis ex vita ipsius Antonij ab Athanasio descripta *c.* 3. non obscure elicitur; videlicet etiam in Aegypto ante ea tempora Coenobia fuisse. Dicitur enim: *Necdum autem tam bra erant in Aegypto Monasteria*. Aliqua ergo erant, etsi non *tam crebra* ante Antonij disciplinam. Ad haec, si vt idem egregius auctor eo sub anno §. *quod audis* Virginum Collegia etiam a tempore Ignatij Apostolorum discipuli admittit (quod & nos saepius in praecedentibus probauimus) cur

non

non etiam virorum essent, aut cur tempora Antonij non præuenisse autumabimus? Idem esto iudicium de illis verbis: *Adeo vt Cœnobitarum monachorum idem institutor sit habitus*, quod late reiecimus locis relatis. Rectius ergo Gordonus, etsi constans Baronij assecla [a] dixit: *Fuit hic Antonius vel auctor, vel proximus institutor vitæ monasticæ*. Hæc enim posterior huius disiunctiuæ pars verissima est. Recte etiam Tabula quædam Chronologica Romæ nuper impressa dicit: *Antonius plurimorum Religiosorum parens anno circiter* 328. Non enim dixit *Omnium*, sed *Plurimorum*. Caute quoque Amedeus Salyi [b] inquit: *Antonius magnus Armeniæ, Scythiæ, Nitriæ, & vtriusque Thebaidæ, & Ægypti monasteriorum Pater anno circiter* 328. non omnium vniuersaliter. Applicari ergo ad intentum poterunt, quæ ipse Baronius [c] de monachismo dixit: *Res tamen ipsa vetus, sed in tanta Ecclesiæ pace* (scilicet sub Constantino) *legibus quibusdam exculta fœcundiori germine propagata*. Intellige sub Antonio.

[a] *sub hoc anno*

[b] *in Breuiario Christ. Theol.*

[c] *sub ann.* 340. §. *At quibusdam.*

6 Pergit dicens: *Vel potius restitutor, si Essenorum, qui in Ægypto sub Marco primo Alexandrinorum Episcopo floruerunt, ratio aliqua habenda esse videatur.* Quibus se ipsum corrigens, Antonium potius monachorum Restitutorem quam Institutorem sapienter agnoscit. Sed cur de Essenorum Monachatu subdubitare videtur ea particula *Si*, quæ conditionalis est? Sane, sine causa ab ipso adhibitam, seu potius irrepsisse, plurima, quæ in superioribus adduximus manifeste conuincunt. Specialiter *in Appar. c.* 2. vbi ex Dionysio Areopagita, D. Hieronymo, Eusebio, Philiastro, Cassiano, Nilo, Sozomeno, Cedreno, Georgio Peccatore, Nicephoro, Petro Comestore, & mille alijs ostendimus Essenos a Philone commemoratos, & à S. Marco Euangelista in fide Christi instructos Monachos fuisse. Sed eis relictis Baronium Baronio opponamus. Is enim [d] S. Eugeniam virginem cum eunuchis Proto, & Hyacintho delituisse (inquit) *inter Monachos, quos Essenos a Philone dictos esse superius demonstrauimus*. Deinde *sub anno* 301. §. *reddemus* Asceteria, seu Monasteria eo tempore admittens id probat ex ijs, quæ dixerat de Essenis, quo proculdubio Essenos Monachos fuisse confirmat. Idem supponit *to.* 3. *sub anno* 308. viginti annis ante hanc quam modo commemorat ab Antonio Monachorum institutionem factam, dum loquens §. *Qui cum dicat* de Seleuco Martyre, eum Monachum ascetam, & ex Monachis, & ascetis fuisse tradit. Clarius *in Annotat. ad Martyrolog. Rom. sub die* 23. *Februarij* loquens de tempore Maximiani Imperatoris, qui Constantinum per aliquot annos præcessit, & Sireno Monacho, dum inquit: *Hic cum dicatur fuisse Monachus, satis apparet ex Eusebio lib.* 8. *c.* 22. *Maximiani temporibus fuisse Monachos, & ex eis quam plurimos coronatos esse Martyrio, vt & Seleucus, de quo supra egimus.* Hos enim Monachos Esseni instituti fuisse nullus refragabitur, cum aliud eo tempore non esset. Sed clarissime *sub die* 19. *Octobris* de septem monachis Martyribus loquens, & inquiens: *Complures Monachos sub Maximino martyrio coronatos esse non tantum ex Martyrologijs, & Menolog. expressum habes*

[d] *to.* 2. *sub ann.* 188. *n.* 2.

habes, sed apud Eusebium hist. lib. 8. Porro ipsum Monachorum institutum non recens, sed ab initio nascentis Ecclesiæ viguisse, ex his quæ scribit Philo de Essæis, & quæ habet Dionys. Areopag. & alij, facile colliges .: Licet nomen ipsum non adeo vetus fuerit: unde Augustin. in Ioann. tract. 97. sic ait: Monasteria, & xenodochia postea sunt appellata nouis nominibus; res autem ipsæ ante sua nomina erant. Hæc autem omnia clare demonstrant ex mente Baronij Essenos Monachos fuisse, ac proinde immerito id sub dubio, & sub conditionali *Si* hoc loco asseruisse. Alia quæ subiungit de interruptione Monachismi propter ingruentes tyrannorum persecutiones solum suadent, hoc cæleste viuendi genus, sicut, & Christianismum ipsum, ea tempestate non ita palam, publice, & in omnium aspectu viguisse; sed clam, latenter, & in latibulis terræ.

Baronij recta sententia.

7 Ea tamen quæ ibi subijcit, verissima sunt, & ideo hic non reticenda: *Qui igitur Antonium adeuntes eidem se subiecere discipuli, ex ijs alij in eisdem cum illo montibus monasticam exercuere disciplinam: alij vero eadem ex planta palmites succidentes, & in diuersis prouincijs complantantes, breui tempore factum est, nempe hoc ipso seculo, vt replerint terrarum orbem tam sanctæ propagine, nimirum Palæstinam, Syriam, Asiam minorem, Cappadociam, Pontum, Armeniam, Mesopotamiam, & Boreales regiones, vsque ad latrones Bessas, & Dacos, de quibus S. Paulinus hæc cecinit in reditu S. Nicetæ viri sanctissimi, à quo accepit quod scribit:*

O vices rerum bene versa fama!
Inuij montes prius, & cruenti
Nunc tegunt versos monachi latrones
Pacis alumnos.
Sanguinis quondam, modo terra vitæ est:
Vertitur telo pia vis latronum,
Et fauet Christus supera occupanti
Regna rapinæ.
Mos vbi quondam fuerat ferarum,
Nunc ibi virtus viget Angelorum
Et latet iustus, quibus ipse latro
Vixit in antris. &c.

Sed & de Bessis meminit S. Hieronymus, cum scribens ad Heliodorum hæc ait; Indus, Persa, Gothus, Ægyptius philosophantur: Bessorum feritas, & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferijs homines immolabant stridorem suum in dulce Crucis fregerunt melos. Et ad Letam: De India, Perside, Æthiopia monachorum quotidie turmas suscipimus, eorum scilicet qui ad loca sancta visenda pietatis ergo ventitabant. Hæc recte Baronius.

Alia eiusdem.

8 Quæ in sequentibus adijcit de huiuscemodi vitæ instituto tribuendo non Basilio ex eiusdem testimonio [a], sed Antonio; quoad Basilij exclusionem proculdubio etiam verissima sunt; quatenus vero ad Antonium attinent, ex dictis limanda; præsertim ex adductis *sub anno* 277. vbi ex

[a] epist. 63.

Hiero-

Hieronymo, & Theodoreto ostendimus Antonium non institutorem, primum, sed illustratorem, & incitatorem Monachismi fuisse.

9 Illud apud omnes compertum, hoc tempore, Antonij studio in Thebaide, Pachomij in Tabenna, Ammonij discipulorum in Nitria, totam Ægyptum veluti paradisum innumerabiles Angelorum cœtus *in corporibus mortalibus* fulgentes, vt Chrysostom. [a] dixit, habentem effulsisse. Erant etiam *Monasteria* (vt Athanasius *in vit. Antonij* inquit) *tamquam tabernacula plena diuinis choris psallentium, legentium, orantium, &c.* Monachismus Ægypti. *a hom. 8. in Math. c. 2.*

10 Nec solum virorum, sed etiam fæminarum cætibus Deo dicatis Ægyptus florebat. Sic enim Chrysostom. [b] dicebat: *Atque hæc non in viris solum, verum etiam in fæminis splendere conspicias; nam illæ quoque non minori quam viri virtute decorantur; non clypeo arrepto in equum insilire callentes, vt honestissimi illi, ac sapientissimi Gentilium iubent magistri: sed multo certe vehementius bellum gerentes. Communis enim illis, ac viris aduersus diabolum pugna est, contraque huius mundi potestates, nec vspiam teneritudo sexus his congressibus impares facit: non enim natura corporis, sed voluntate animi exercentur ista prælia: propterea sæpe in huiusmodi acie fortius viris feminæ decertarunt, ac tropheis insignibus claruerunt. Non ita varijs astrorum choris cælum refulget, vt Ægypti eremus innumeris monachorum, ac virginum distinguitur, atque illustratur habitaculis.* Etiam Monialium. *b hom. 8. in Math.*

11 Ex hac ergo monastici status per Ægyptum propagatione ortum similiter habuit ea, quæ per Indiam Asiæ iuxta Persidem regionem eodem ferme tempore facta est, prout Ioannes Damascenus [c] his verbis descripsit: *Cum autem etiam in Ægypto Monasteria ædificari ac Monachorum ingentia agmina cumulari cœpissent, atque eorum virtutis, & vitæ rationis, ad Angelorum imitationem accedentis, fama orbis terrarum fines peruasisset, atq; ad Indos vsque peruenisset, ipsos quoque ad eiusdem vitæ studium excitauit; adeo vt complures ipsorum, relictis omnibus rebus in solitudines concederent atq; in mortali corpore, eorum qui corporis expertes sunt vitæ rationem susciperent.* Ex hoc autem monastici germinis in India primordiali palmite innumeræ postea Anachoretarum propagines prodiere; Deo & Orbi dulcissimos fructus propinantes, de quibus in eadem historia, & nos in sequentibus. Quod idem dicendum de deserto illo Senaar, de quo, vt *ibidem c. 18.* scribitur, magnum illum Barlaam Iosaphati Catechistam cum abijs monachis recepit, & ex quo ad ipsius instructionem peragendam discessit, quo etiam postea redijt, & a Iosaphato, qui iam mundo, & Regno vale dixerat, repertus est, iuxta dicenda suis locis. Indiæ monastica. *c in Hist. SS. Barlaam, & Iosaphat.*

12 Ad hoc etiam tempus proculdubio referri potest, quod de Ordinis nostri propagatione authores plures, de exteris quoque, protulere, in quatuor videlicet Prouincias diuisũ fuisse. Sic enim Carolus de Tapia nobilis, & doctrina cõspicuus auctor [d] scriptum reliquit: *Diuiditur in Prouincias triginta duas. Constantini autẽ magni tẽpore quatuor in Prouincijs venerabatur, vna erat Terra sancta; alia Cypri; tertia Thebaide, & quarta Ægypti.* Ex quibus Ordinis propagatio in quatuor Prouincias. *d in Autentic. ingressi c. 17. n. 13.*

bus *Prouincia* Thebaidæ, etiam sub hoc titulo, commemorata apparet in vita S. Onuphrij ex *lib. 1. vit. Pat.* desumpta; ibi enim dicitur Monasterium Hermopolitanum, vbi ipse enutritus erat, in ea Prouincia fuisse.

Monachi Episcopi. 13 Ex hac porro numerosa Monachorum prole, ea vel maxime, quæ Ægypti partibus proxima erat, S. Athanasius Alexandriæ Antistes diœcesim suam, monachorumque stationes visitans, sanctissimos, quos cæteris nosset moribus, & peritia antecellere, in Episcopos diuersarum Ecclesiarum asciuit, quia fortissimos hos fore sciret aduersus ingruentem Arij hæresim pugnatores, & quasi munitissimas turres contra Meletianos schismaticos. Quinam vero hi essent, qui ad Episcopale munus obeundum fuerunt ab eo postea accersiti, hocq; visitationis tempore in sua diœcesi cogniti, atq; delecti, idem ipse Athanas. [a], scribit Dracontio, quem cótentiosius reluctantem ad idem ministerium suscipiendum his monet post multa: *Neq; enim tu solus ex monachis es constitutus, Episcopus scilicet, neque solus monasterio præfuisti, neque solus a monachis delectus es. Nosti enim Serapionem monachum esse, & quot monachorum Præfectum? Neque a te ignoratur, quot monachorum pater fuerit Apollonius. Nosti Agathonem, neque ignotum habes Aristonem. Memor es Ammonij cum Serapione peregre profecti. Fortassis etiam audisti de Cue in superiori Thebaide, poteris etiam resciffere de Paulo, qui est apud Letos, & de alijs multis: & tamen isti Episcopi constituti non contradixerunt; sed habentes pro exemplari Eliseum, & conscij quid Elias egerit, & & eruditi quid Discipuli Christi, Apostolique, fecerint; susceperunt hanc curam, neque ministerium hoc aspernati sunt: neque propterea seipsis deteriores facti sunt; sed & laboris mercedem expectant, proficientes ipsi, aliosque proficere adhortantes. Quot ab idolis conuerterunt? Quot à furiosa, & dæmoniaca consuetudine suis admonitionibus compescuerunt. Quot adduxerunt Christo seruos? Adeo, vt qui ista signa conspiciant, admirentur. An quæso non ingens signum, puellam inducere vt virgo maneat, & adolescentiorem adhuc, vt sit continens, & idololatram, vt cognoscat Dominum?* Et post aliqua, vt ostendat, quod non sit impedimento cura Episcopalis Monasticæ obseruantiæ hæc subdit. *Quapropter cum istiusmodi habeas exempla, dilectissime Draconti, ne dicas, nec dicentibus credas, Episcopatum esse causam peccati, aut quod inde nascantur occasiones delinquendi: licebit tibi in Episcopatu esurire, sitire cum Paulo; licebit vinum non bibere, sicut Timotheus fecit, & ieiunare frequenter, vt solitus Paulus, ita vt secundum illum ieiunans, alios sermonibus nutrias, & sitiens abstinendo a potu alijs docendo, potum præbeas. Ne igitur talia obijciant consiliarij tui; nouimus enim Episcopos ieiunantes, Monachos comedentes.* Hæc Baronius refert, & pro ipsorum coronide hæc subdit: *Negari quidem non potest fuisse Monachismum seminarium in Ecclesia Dei sanctissimorum Episcoporum, ex quo Basilij Gregorij, Chrysostomi, & alij tam in Oriente, quam in Occidente viri spectatissimi prodiere.* Rem quidem satis omnibus compertam, & ex dictis in præcedentibus, & dicendis in sequentibus abunde comprobatam. Sed circa verba Athanasij relata inuestigandum restat, quinam fuerint illi Serapio,

[a] In epist. ad Dracontium Monachum.

rapio, Apollonius, Agatho, Aristo, Ammonius, Çue, Paulus ab eo commemorati, & Dracontius, cui eos commemorat, qui ex monachismo ad Episcopales dignitates euecti fuerunt, sine dubio namque monachismi eius æui professores fuerunt.

14 Et quidem Serapio iste diuersus ab eo fuit, qui Episcopatum Antiochenśem tenuit, & de quo veluti Ordinis Eliadum prole diximus *sub ann.* 189. ipsa enim temporis distantia vtriusque Serapionis distinctionem conuincit. Fuit autem Serapio hic Thmueos vrbis Ægypti positæ in Prouincia dicta Scethi Episcopus. Eum vocant Anachoretam Beda, Vsuardus, Ado, & Martyrologium Romanum; forsan quia ex Monachis Eremi Scethi, quæ & Scythiæ dicitur, & de qua frequens memoria est apud Palladium, Euagrium, Cassianum, Sozomenum, Nicephorum, & alios. Miræ sanctitatis, doctrinæ, & constantiæ in fide propugnanda contra hæreticos Arrianos celebratur. Ac plurium monachorum Pater, prout ex relata Athanasij Epistola elicitur. De quo in sequentibus alia, quia Monachismus, & anachoretismus ipsius indicant ex Ascetis Essenorum fuisse. Serapio.

15 De Apollonio ibidem inter Episcopos ex Monachismo euectos ab Athanasio numerato etiam habetur ex relata Epistola Athanasij Monachorum Patrem fuisse; quorum verò Monachorum Pater extiterit, cuiusue Vrbis Episcopus, non notatur. Concilio tamen Sardicensi cum Athanasio, ac cum Ammonio, Paulo, Agathonio & cæteris nominatis intersuisse testatur Baronius [a]. Si quæ alia de ipsis occurrerint dicenda, in sequentibus afferemus, nominum enim, & historiarum confusio in illis dubitare nos permittit. Apollonium, & alij.

a sub ann. 347. §. Porro inter alios.

16 De Dracontio vero isto, ad quem Episcopari renuentem scribebat Athanasius, id habetur, vt Episcopus iam factus ab Arrianis in exilium pulsus sit vna cum multis alijs collegis Episcopis, ex Athanasio [b], & Baronio [c]. Episcopus fuit paruæ Hermopolis, vt ex eodem Athanasio [d], & Rosvvedio [e] elicitur. Et ab eodem Hilarione visitatus, iuxta dicenda in sequentibus. Dracontius.

b in Apolog. de fuga sua.
c sub hoc anno §. At parum.
d in epist. ad Antiochenses.
e in Annot. ad vit. Hilarionis.

17 Non prætermittendum de Agathone relato, ipsum videri Abbatis Abraham, de quo *sub anno* 361. dicetur, magisterium gessisse, prout ex *lib.* 5. *vit. Patr. libell.* 10. *n.* 62. elicitur. Ac illum fuisse, qui *in* 3. *lib. vit. Patr. n.* 21. dicitur: *Nominatissimus in virtute humilitatis, & patientia,* quod digito notent Religiosi cuncti. Sicut quod *ibidem* de ipso narratur; in occasione videlicet qua a fratribus de patientia, & humilitate probabatur, varia vitia, hæresim quoque illi obijciendo, ipsum respondisse: *Licet in alijs multis peccatis obnoxius sim, tamen hereticus penitus non sum; absit hoc ab anima meo.* Commendabile valde etiam, quod de ipso refertur *ibid. n.* 71. 75. & 95. pecuniam reiecisse, discretionis virtute excelluisse, pacificumq; cunctis se præstitisse. Multis præterea de ipso prætermissis, quæ de ipsius morte (nisi forsan in nomine Agathonis fallimur) habentur eodem *lib.* 3. Agathon.

n. 161.

n. 161. hic apponenda ad nostram ædificationem: *Abbas Agathon, dum moreretur, per tres dies oculos apertos tenuit non eos mouens. Fratres autem tangentes eum dixerunt: Vbi nunc es, Abba? At ille dixit: In conspectu iudicij Dei sto. Dicunt ei Fratres: Nunquid & tu times? Quibus ille respondit: Interea quantum fuit ad virtutem meam semper consideraui vt mandata Dei mei facerem: sed homo sum, & vnde scio si opera mea placent Deo? Cui fratres dixerunt: Non confidis quod opera tua secundum Deum sunt? At ille respondit: Non confido in conspectu Dei, quia aliud est iudicium Dei, & aliud hominum.* Audiamus hæc, & lugeamus.

Annus Christi 329. 330. 331. & 332. Siluestri Pont. 16. 17. 18. & 19. Imper. Constantini 24 25. 26. & 27.

Huius temporis historia. 1 DEDICATVR hoc tempore a Constantino Imperatore Constantinopolis Vrbs sub nouæ Romæ nomine Christiano ritu, Deo, in memoriam Sanctissimæ Dei Genitricis, tali magnificentia, vt veteri Romæ ab aliquibus præferatur, alijs aliter existimantibus. Interim Meletiani, & Arriani insensissimi Athanasij inimici ad eum Episcopatu deturbandum, vt occisorem Arsenij, & impositorem tributi de pendendis Ecclesiæ linteis accusant; de vtroque tamen crimine, & hostium calumnia apud Imperatorem defenditur, reperto Arsenio, & linteorum pia causa cognita. Athanasius *Apolog. 2.* Eusebius, Suidas, Socrates & alij.

Pachomij gesta. 2 Quam vitæ rationem hoc tempore Pachomius, & eius Frater Ioannes in Tabennæ Monasterio gererent, sic habet eiusdem Pachomij vita [a], post alia: *Igitur Ioannes vt vere Pachomij Frater, imitator eius effectus cum eo permansit, vnum habentes idemque propositum, eundemque circa Deum dilectionis affectum. Et quia in lege Dei diebus meditabantur ac noctibus, nullis terrenorum negotiorum curis eorum animi deprimebantur. Nam etsi quicquam supererat illis ex his, quæ suis manibus operabantur, id continuo distribuebant egentibus, vt iuxta præceptum Domini Iesu Christi de crastino minime cogitarent. In tantum vero vestimentorum penuria se se constrinxerant, vt nunquam lebitone alio vterentur, nisi cum indumenti sordes necessitas coëgisset eluere. Lebiton autem linea vestis erat, instar colobij, qua Monachi vtuntur hodieque per Thebaidam, & Ægyptum. Sed Beatus Pachomius ad humiliandum corpus proprium induebat se plerumque cilicio.*

a c. 14.

Obseruanda. 3 Obseruet hic lector *Lebitonem* lineam vestem esse instar colobij, qua Monachi vtebantur prout hic habetur, & etiam *cap. 22.* vbi in regula Pachomij dicitur: *Induantur autem noctibus Lebitones linteos.* Eam vocat D. Hieronymus [b] *Lebitonarium*, quod dicit esse genus vestimenti sine manicis. Idem sequitur D. Isidorus [c]. Ex quo duo inferat ad nostræ Historiæ intentum conferentia. Primum hoc genus vestis simile esse superhumerali, quo Prophetici Ordinis alumnos vsos fuisse *tom. 1. sub anno*

b præfat. in Reg. S. Pachom.
c lib. 19 Origin. Cap. 22.

3183.*n.* 6. diximus, vt vel inde eliciat Pachomium, eiusque discipulos eiusdem instituti fuisse. Secundum, quod cum vestis ista linea alba fuerit; etiam ex hoc indigitari Essenum institutum æmulatos fuisse Pachomium, & Socios. Lege Heribertum [a].

[a] in Onomastico ad lib. Vit. Pat. verb. Colobium & verb. Lebiton.

4 Huic tempori (etsi Baronius rem longius protrahat) ascribi potest vita S. Abrahami Monachi, & Eremitæ, quam S. Ephrem Syrus, Metaphrastes, & ex eis Lipomanus, Surius, & alij describunt. Non extra chorum Annalium nostrorum, cum similes ascetæ Elianæ, & Carmeliticæ Anachoresis æmulatores essent. Eius autem compendium tale est. In pueritia sponsalia cum puella quadam contraxit; sed cum postea, ætate legitima adueniente; eam in vxorem ducere cogeretur, ea derelicta, ad cellam duobus fere millibus a domo sua distantem aufugit. Hìc inuentus, sed deprecans ne inquietaretur, aditum cellulæ obstruxit, & concludens semetipsum paruissimum fenestræ foramen reliquit, per quod alimenta reciperet. Quinquaginta annis in continentia, abstinentia, paupertate, vigilijs, & orationibus perstitit. Coactus tamen ab Episcopo post hæc presbyter ordinatur, & ad prædicandum Euangelium ethnicis mittitur. A quibus verberatus, cæsus, & semioccisus pro eis orabat, nec a zelo salutis animarum desistebat: donec ex ipsis mille aqua & Spiritu Sancto baptizaret. Fugiens postea ad cellulam reuertitur, vbi plura a Dæmonibus passus orationibus instans eos superauit.

Abrahamus Eremita.

5 Neptem habuit ex fratre filiam nomine Mariam, quam iuuenculam in via Domini & in ascetico instituto instruxit. Sed cum quidam pseudomonachus eam violasset, ipsa desperans patruum deserit, & in aliam ciuitatem properans stabulo se tradidit. Cognouit hoc senex visione sibi facta, qua videbat draconem terribilem, atque fætidissimum, qui ad cellulam ipsius veniens columbam, quæ ibi erat, deglutijt. Et alia, qua etiam agnouit duobus annis eam luxuriatam esse. Ergo militis schemate ad suam neptem perquirendam pergit Abraham, eaque inuenta, industriosèque ad meliorem frugem redacta, ad cellulam reducit, vbi post quinque annos pœnitentiæ sanctè moritur; Deo id signis manifestante. Sanctus vero senex septuagenarius Deo tradidit spiritum: cuius reliquiæ sanitatem ęgrotis contulere.

Maria neptis Abrahæ.

6 Cui etiam tempore (in re incerta) aptari quoque potest persecutio Monachorum in India regione Persiæ finitima ab Abenner Rege suscitata, de qua fit mentio in pijssima illa historia de vita Barlaam, & Iosaphat a D. Ioanne Damasceno descripta. Hic ergo Rex nimis Idolorum cultui deditus, cum cerneret plures sibi subditos, illustres etiam Senatores abiectis huius vitæ sarcinis se se in Monachorum album ascripsisse, ingenti ira percitus, statim edicto sanxit, vt Christiani omnes pietatem eiurare cogerentur; nouis suppliciorum generibus comminatis. Vacillabant quidam, parebant alij; at vero monasticæ classis duces ipsius iniquitatem coarguentes, & refutantes martyrio vitam finiebant, vel

Monachi Martyres in India.

in montibus, & solitudinibus se occultabant. Vnus etiam e Satraparum Principibus ad Monachorum se cœtum aggregauit, atque in locis solitarijs exulans, ieiunijs, & vigilijs vacabat. Is a Rege conquisitus; & exprobatus, mira eruditione Monachismum defendit, Regisque peruicaciam coarguit; vt propterea ab ipso pene occideretur, nisi ipsius dignitatem, ac splendorem Rex veritus esset. Ex eius tamen præsentia indigne eiectus in solitudinem secessit mœrore affectus quod Martyrium minime obijsset. Rex autem a proposito non desistens, Monachos persequebatur, ita vt duos illorum igne cremari iusserit, simulque præceperit, vt si quis Monachus inueniri posset, sine vlla inquisitione trucidaretur. Omnes ergo in montibus, speluncis, & cauernis terræ se occultabant. Erat hic Abenner pater egregij Iosaphat, qui a Barlaamo ad fidem & Monachismũ adductus mirabilem historiam nostris Annalib. suppeditat, de qua infra.

Annus Christi 333. & 334. Siluestri Pont. 20. & 21. Constantini Imp. 28. & 29.

Constantini ge fta erga Athanasium.

1 ANIMI quandam facilitatem hoc tempore (senectæ forsan causa) ostendebat Constantinus Imperator, modo Athanasio deferens, & a calumniatoribus eum protegens, modo autem Eusebianis eidem infensis fauens. Eis enim Concilium petentibus postulata concessit, & vt contra Athanasium procederent, ansam dedit, Idem Athanasius *Apolog.* 2. Theodoretus *lib.* 1. *c.* 29. Eusebius *in vit. Constantini lib.* 4. & recentiores post ipsos.

Basilij rudimenta.

2 Ad quod tempus, in quo magnus Pater noster Basilius septennis erat, aptandum est, quod de ipsius prima in litteris institutione tradit Amphilochius Iconiensis Episcopus, vel author Amphilochij nomine gaudens in eius vita [a]. Scilicet: *Hic septem annorum factus ad litteras traditur a parentibus*. Fuerat sub disciplina auiæ suæ præclarissimæ fœminæ, & magni illius Gregorij Thaumaturgi discipulæ traditus, vt ipsemet testatur [b] hic verbis: *At vero fides nostræ quæ possit esse euidentior comprobatio ac demonstratio, quam quod nos educati sumus sub nutrice beata muliere, a vobis originem ducente, Macrinam dico celebrem illam, a qua edocti sumus, beatissimi Gregorij verba, quæ vsque ad ipsam per memoriæ consequentiam conseruata, tum ipsa custodiebat, tum nos adhuc paruulos existentes pietatis dogmatibus effingebat, ac efformabat*. Locus autem in quo hanc vitæ institutionem à Macrina auia suscepit, Neocæsaria Ciuitas fuit, vt ipse etiam met Basilius [c] scribit, dicens: *Ego & propter consuetudinem, quam à puero ad hanc regionem habeo, hic enim educatus sum apud meam nutricem*. Idque fatetur Baronius *sub anno* 343. *in fine*. Quintum porro annum egisse cum Auiæ suæ curæ traditus est, Didacus Nyssenus eius instituti assecla in libro, cui titulus *El feniz de la Grecia pag.* 3. tradit. Et septennem Grammaticæ & Rhetoricæ nauasse; vsque ad duodecimum annum. Ceterum eo tem-

[a] cap. 1.

[b] in Epist. 75. ad Neocæsarien ses.

[c] in ep. 64. ad Neocæsarienses

eo tempore Mathematicis, & Philosophicis disciplinis studuisse Amphylochij vita *cap.* 1. refert. Vtrumque forsan verum, propter ingenij facilitatem. Nec mirum in viro, quem Deus suæ Ecclesiæ luminare parabat. Hoc enim anno 1647. quo hæc scribimus, puer quidam septennis Iacobus Martinus vocatus in Ecclesia S. Marcelli Patrum Seruitarum in die Pentecostes theses publicas habuit ex Theologia, Philosophia, Iuris prudentia, Medicina, & alijs disciplinis, non sine Vrbis, & Pupuratorum Patrum admiratione.

3 Ad hæc etiam tempora, in quibus Antonij sanctitas Orbi toti fulgebat, vt propterea plures ipsi imbuendi in discipulos traderentur, cõmemorandi veniunt aliqui ex ipsis; eiusdem sane Eliani instituti cum suo Magistro, & idcirco a nobis non omittendi. Plures recenset Bollandus [a]. Præcipui autem eius alumni numerantur tres, Sarmata, Amathas, & Macarius a D. Hieronymo [b], & Heriberto Rosvvedio [c]. Ex quibus Sarmata, quem inter Eliades nostros refert Casanate [d], sequens Catalogum Tonstati, non tam natione quam nomine sic dictus, cum potius Ægyptiacę Regionis & Thebaidæ credatur, Martyr fuit. Sic enim de ipso D. Hieronymus [e], loquitur: *Saraceni in Monasterium B. Antonij irruentes Sarmatam interficiunt*. Vnde in Martyrologio Romano sub die vndecima Octobris sic. *In Thebaide S. Sarmata discipuli B. Antonij Abbatis, qui a Saracenis pro Christo necatus est.*

4 De Amatha, alio Antonij discipulo, id habet D. Hieronymus [f], quod suum magistrum sepelierit. Fuit in Monasterio S. Antonij sito in loco, qui *Pisper* appellatur, prout Cronius Presbyter apud Palladium [g], & Heraclidem [h], dicebat. Hic Amatha a quibusdam *Amos* dicitur, de quo Bollandus *supra*.

5 De Macario autem confusissime loquuntur authores ob multiplicitatem, eorum qui hoc nomine sunt vocati, præsertim, cum eorum plures ferme synchroni fuerint, nec multum æuo distantes. De qua intricata quæstione Heribertus Rosvvedius [i], nos vero quæ probabiliora apparent, proferemus. Primo certum, duos esse huius nominis celebriores, quorum prior vocatur *Macarius Ægyptius*, posterior vero *Macarius Alexandrinus*. Præter quos etiam est alius *Macharius* dictus *iunior*, quem a duobus alijs distinctum fuisse supponit Palladius [k]. Item alius Macarius *Romanus* dictus, de quo late *in vit. Patr. lib.* 1. vbi eius vita authoribus Theophilo, Sergio, & Hygino habetur. Alios plures prætermittimus, quia sine dubio a præfatis destincti fuere. Ex quibus iste Macarius Romanus omittendus videtur, cum ipsius historia, magna saltem ex parte, apocrypha videatur, & casu quo vera sit, ad hoc tempus non spectet, siquidem in ea sit mentio de morte Iuliani Imperatoris, quæ post plures contigit annos: nec Antonij discipulus appareat. De tribus ergo alijs agendum hoc loco; maxime de duobus prioribus, qui ab Ecclesia inter Diuos referuntur in Martyrolog. 2. *Ianuar.* & 15. *Ianuarij*; cum eorum

Antonij discipuli.

a in *Actis Sanctorum in vita S. Anton. n.* 9. 5. 6. & 7.

b in *Chronic. ann* 19 *Constantij iunioris*

c in *vit Patr. in Annotat. ad vit Paul. Eremit n.* 6.

d in *Paradis Carmel. dec. stat.* 2. *etat.* 5. *cap.* 79.

e *supra an* 22. *Constantini*.

Amathas.

f *in Prologo vita S. Paul. prim. Eremit.*

g *lib* 8. *vit. Pat. c.* 25. & *in lausi* *ca c.* 16.

h *in Paradis. c.* 9.

Macarius.

i *in vit. Patr. in Annotat. ad l.* 2. *c.* 28. & 29.

k *lib.* 8. *vit. Patr. c.* 17. & 19.

ortus, vel obitus annus non constet, & de illis agant historici nostri, præsertim Bostius [a], Coria [b], Cassanate [c], & alij, secuti ex antiquioribus Socratem [d], Sozomenum [e], Ruffinum [f], D. Hieronymum [g], Cassian. [h], Suidam, & alios.

a lib. 5. histor. cap. 25.
b lib. 8. c. 12.
c in Paradis. Carmelit. decor. stat. 2. ætat. 5. c. 70. & 74.
Macarius Ægyptius.
d lib. 4. histor. cap. 18.
e lib. 6. c. 29.
f lib. 2. c. 4.
g epist. 27.
h Collat. 5. c. 12 & Collat. 24 c. 13.
i in vit. Patr. lib. 2 c. 28.
k lib. 2. c. 35. & 81.

6 Ergo Macarius *Ægyptius* vocatus fuit Antonij discipulus, prout ex Ruffino [i], Martyrologijs *die 15. Ianuar.* Episcopo Equilino [k], Bostio, Coria, & Cassanate relatis habetur. Commendatur *lib. 5. Vit. Patr. libello 7.* quod cum venisset ad Antonium ipse Antonius manus eius osculatus esset, dicens: *Multa virtus de istis egreditur*; & quod Dęmones ipsius virtutem videntes, dixerint: *Vicisti nos*, & fugerint confusi. Et *lib. 6. libell. 2.* quod cum ascendens de Scythi (erat enim Presbyter Scetes) portaret sportulas, & fatigatus sederet, & oraret dicens: *Deus tu scis, quia iam non præualeo*, mox eleuatus inuentus sit super flumen; ac quod sanasset paralyticum; & quod mortuum quendam loqui fecisset & dicere vbi erat quoddam depositum, propter quod quædam vidua angebatur. Habetur etiam *eodem lib. 6. vit. Patr. libell. 3.* de ipso, quod inuenerit in eremo caput cuiusdam mortui ethnici, a quo audijt plura de pœnis inferni, & qualiter Christianorum animæ maiores patiantur quam alij. Item quod illi reuelatum fuit, duas fœminas maritatas esse ipso perfectiores. Plura quoque de illo Palladius [l], & Heraclides [m], specialiter, quod vixerit nonaginta annos integros, sexaginta in deserto, & triginta antequam illuc ascenderit. Quod cum esset quadragenarius accepisset potestatem supra spiritus malignos, gratiam curationum, & futurorum prædictionis; item quod frequenter in ecstasi fuerit, & plura miracula, quæ ibi referuntur, patrauerit. Quale est illud de pulsione phantasmatis cuiusdam fœminæ, quæ præstigiatoris maleficiis equa apparebat, & illud de resurrectione cuiusdam mortui. Denique memorabile satis est illud, & pro Religiosorum quiete & pace maxime necessarium, quod de ipso refertur *in sententijs Ægyptiorum Patrum n. 107.* Videlicet. *Dicebant pro abbate Macario maiore, quia sicut Deus protegit totum mundum, & portat peccata hominum, ita & ille quasi quidam Deus terrenus fuit in fratribus operiens delicta illorum, & ea quæ videbat, vel audiebat, quasi non videns, & non audiens.*

l in Lausiaca c. 9. & lib. 8. vit. Patr. c. 19.
m in Paradiso c. 6.

Macarius Alexandrinus.
n in Annotat. ad vit. S. Pauli Eremit. n. 6.
o lib. 2. vit. Patr. c. 29.

7 Macarius etiam alius *Alexandrinus* dictus similiter creditur fuisse Antonij discipulus, adeo vt ipsi soli id tribuat Heribertus [n] & Palladius nouus Herueti *cap. 20.* Sed de Macario *Ægyptio* negari id non potest; & de isto *Alexandrino* appellato satis etiam probabiliter dicitur; prout ex nostris id tenent Bostius, & Coria relati. De eo Ruffinus [o] ait, magnificas virtutes consummasse, fuisse amatorem eremi super omnes cæteros; & habitasse in Scythio; ac quod cum ad eum vuam quis aliquando detulisset, eam ad alium misisse, hunc ad alium, & sic cæteros fecisse, ita vt vua ad eum vltimo rediisset, qui eam miserat. Ait etiam illi quondam dæmonem dixisse: *Lædit te, o Macari, quod sine nobis nulla collecta agitur, nulla que congregatio Monachorum?* Res quidem verissima, & plus æquo experientia

perientia comprobata. Illud tremendum, quod viſione quadam cognouit de fratribus ſacram ſynaxim ſuſcipientibus, quod ſcilicet cum nonnulli ipſorum corpus Domini ſumere volebant, illud redibat ad altare, & ipſi in ſuis manibus carbones a dæmonibus accipiebant. Aliam viſionẽ refert idem Ruffinus [a] de dæmone ſolicitante monachos ad fractionem ieiunij a Macario euicto. Palladius autem [b] eum vocat Presbyterum Cellarum (ſeu cuiuſdam loci vocati *Cellia* propter multitudinem Cellarum, quæ ibi ſunt, vt ait noſter Boſtius [c] ex D. Hieronymo) & illi dixiſſe S. Antonium refert: *Ecce Spiritus ſanctus requieuit ſuper te, eriſque mihi deinceps hæres mearum virtutum.* Et quod cum aliquando ab ſpiritu fornicationis tentaretur, *condemnauit ſeipſum ſedere nudum ſex menſes in palude Scetes, quæ eſt in vaſta ſolitudine, in qua poſſunt culices vel ſauciare pelles aprorum, vt qui ſint æque magni, ac veſpæ, adeo vt in toto eius corpore infixerint aculeos, vt nonnulli exiſtimarent eum eſſe leproſum.* Res ſane ſtupenda. Item quod audiens Tabenneſiotarum rigorem ſub Pachomio, eo adiret incognitus, vt eam auſteritatem exploraret, ſed diuinitus a Pachomio agnitum ad propria receſſiſſe. Multo plura apud ipſum Palladium de ſignis & virtutibus huius Macarij. Plura quoque apud Heraclidem [d] & in Lauſiaca Palladij [e]. Qui de eo refert id ſingulariſsimum, quod *ex quo baptizatu eſt, non eſt locutus otioſum ſermonem.*

a l.3. vit.Patr.
b l.8.vit.Patr.
c lib. 5. c. 30.
d in Parad. c 6
e cap. 10.

8 De Macario porro alio ex homicida facto Monacho, ex Palladio [f], & Heraclide [g] habetur, quod poſt homicidium inuite perpetratum in deſertum perrexerit, & ibi cellam fecerit, in qua vigintiquinque annos viuens talem diuinam gratiam meruerit, vt illudere dæmones poſſet. De hoc Macario Sozomenus [h], & Baronius [i]. Quis porrò ex iſtis Macarijs ſit ille, quem fundatorem cuiuſdam Religionis modo etiam in partibus Ægypti in 50. Monaſterijs manentis appellat Silueſter Marulus [k] & ex eo Tamburinus [l], vſque modo nobis incompertum.

Macarius homicida.
f l.8 vit.Patr. cap. 17.
g in Paradiſ. c. 4.
h lib.6. cap.29.
i in notat. ad Martyrol.Rom. die 2. Ianuar.
k in Ocean.Relig. lib.1.p. 94.

9 Commemoranda hoc tempore, ſub anno ſcilicet 333. erectio Monaſterij Treueris, quod refert Bruſchius [m], & quod dicit fuiſſe Ordinis, & Regulæ Orientalium Monachorum. Cum enim Baſiliani Ordinis eſſe non potuerit, vt pote, quia hoc tempore Baſilius ſeptennis fuit, proculdubio Eſſeni inſtituti palmes erit in Occiduis partibus propagatus. Hoc ſanè Monaſterium eſt id, cuius meminit S. Auguſtinus [n] ex relatione Potitiani, quod ait fuiſſe *apud Treueros*, & quod vocat, *Caſam vbi habitabant quidam ſerui tui* (Dei) *Spiritu pauperes, qualium eſt regnum cælorum*, & in quo dicit fuiſſe *Codicem, in quo ſcripta erat vita Antonij*, vt vel hoc intelligamus verum eſſe quod diximus de Eſſenatu huius Cœnobij. Ingreſſos eſſe in illud duos iuuenes deſponſatos, & poſtmodum ſponſas virginitatem ſuam Deo ſatraſſe idem Auguſtinus piiſſime ex dicto Potitiano item commemorat.

Treuerenſe Monaſterium.
l de iure Abbat. to.2. diſp.24. q. 2. n. 6.
m in lib. de Monaſt. Germ. fol. mihi 125.
n lib.8. confeſſ.

Annus Chriſti 335. Silueſtri Pont. 22. Imper. Conſtantini 30.

S. Silueſtri obitus. 2 IN fine iſtius anni die 31. Decembris Sanctus Silueſter è vita mortali ad æternam migrat, ſepelitur autem in Cœmeterio Priſcillæ via Salaria, tertio ab vrbe milliario. Sergius deinde ſecundus ad Eccleſiam, ab ipſo Silueſtro Pontifice fundatam ſub titulo Equitij, nunc ſancti Silueſtri in Montibus vulgariùs dictam, corpus eiuſdem beatiſſimi Silueſtri Papæ tranſtulit, & ſubter altare maius recondidit, vt docet vetus inſcripto, quæ inciſa marmori intra
a in Silueſtro S. vacat. cancellos eiuſdem Eccleſiæ aſſeruatur. Ita Ciaconius [a].

Silueſtri inſcriptio apud S. Martinum de Montibus. 2 Quæ vero ſit hæc *vetus inſcriptio marmori inciſa*, quam commemoras Ciaconius, ne deſideretur, hic adiungenda. Ex ea enim qualiter corpora S. Silueſtri, & aliorum plurimorum ſanctorum ex Cœmeterio Priſcillæ translata in ea Eccleſia S. Silueſtri, & Martini in Montibus noſtri Carmelitani Ordinis condita ſint, innoteſcit. *Temporibus domini Sergij Iunioris Papæ recondita ſunt in hoc ſacro altari corpora B. Silueſtri, & Martini Pontificum. Item corpora Beatiſſimorum Fabiani, Stephani, & Sotheris martyrum, ac Præſulum. Adſunt etiam corpora Aſterij, & ſanctiſſimæ filiæ eius. Necnon corpora ſanctorum Cyriaci, Papiæ, Mauri, Largi, Smaragdi, & Sociorum. Item corpora Siſinij, Anaſtaſij, & Innocentij Pontificum vna cum ſanctis Epiſcopis Quirino, & Leone, pariterque Artemio, Siſiano, Pollione, Theodoro, Nicandro, Creſcentianoque martyribus, cum quibus adhuc repoſita fuerunt corpora beatorum Sotheris, Paulinæ Memiæ, Iulianæ, Quirillæ, Theopiſtis, ac Sophiæ virginum, & martyrum, necnon beatæ Quiriacæ viduæ, beatæque Iuſtæ cum alijs multis vtriuſque ſexus, quorum nomina Deo ſoli ſunt cognita, quorum corpora ſacro Altari, illud ipſis dedicans, collocauit. Sunt autem hæc Sanctorum Corpora tranſlata de Cœmeterio Priſcillæ via Salaria, & dictus Pontifex conceſſit ſingulis ad hanc Eccleſiam Sanctorum Silueſtri, & Martini deuote venientibus, in feſtiuitatibus iſtorum ſanctorum tres annos, & tres quadragenas de vera indulgentia.* Habetur etiam hæc inſcriptio *in libro de Antiquitate, & venerat. Eccleſiæ S. Silueſtri & Martini de Montibus* a Reuerendiſs. P. M. Philippino edito *cap.* 16. & ipſius mentio in M. S. eiuſdem Cœnobij, cui titulus *Chronica Elucidatio S. Peruetuſtæ Titularis Eccleſiæ S. Silueſtri & Martini* §. 6. Vbi etiam qualiter poſtea pars aliqua venerabilis corporis S. Silueſtri tráſlata fuerit in Eccleſiam S. Stephani, & Silueſtri de capite, quæ nunc Eccleſia *S. Silueſtri de Monialibus* appellatur. Hoc etenim, & non aliud monumenta quædam in ea Eccleſia reperta probant.

Pachomij geſta. 3 Geſta aliqua Pachomij in ſuperioribus relati ad hoc tempus, vel
b c. 14. 15. 16. & 17. circiter adaptanda videntur. quæ ex ipſius vita [b] perſtricta hic damus. *Non iacens ſomnum capiebat noctibus, ſed in medio cellulæ ſuæ reſidens, adeo, vt*

nec

nec dorsum saltem parieti pro sustentatione reclinaret. Ad hæc: *Plurimorum Patrum considerans instituta dabat semper operam cum proprio fratre ad maiora virtutis augmenta consurgere.* Item: *Operabantur etiam sedilia, & vnusquisque sicut poterat ita viuebat, cum summa scilicet humilitate, & patientia, & fide non ficta.* Postea: *Pachomius iterum diuinitus admonetur pro Regulis, quibus deberent institui, qui erant per eum Domino credituri. Cœpitque cum germano suo habitaculum, in quo manebat, capacius reddere, & ædificijs ampliare quamplurimis, eorum (vt diximus) gratia, qui sæculo renunciantes ad seruiendum Christo erant sine dubitatione venturi, quatenus essent spatia digna membrorum, in quibus eorum possit recipi multitudo.* Pergit historia: *Consueuerat autem stans in Oratione manus expandere, quas per aliquot horarum spatia minime colligebat, sed extensione diuturna, veluti Cruci confixum corpus retinebat immobile, & sic animum suum ad vigilandum in precibus excitabat. Et quamuis esset in omni virtutum genere præpotens, incredibili tamen humilitate, & mira mansuetudine cum suo germano cohabitans eum per omnia sustinebat. Qui non post multum temporis vitæ præsentis cursum impleuit. Cuius funus debito curauit honore Pachomius. Nam totam noctem super eius cadauer psalmis egit, hymnisque peruigilem, & animam quidem eius Domino commendauit, cui & ipse crediderat, corpus vero solicite reddidit sepulturæ.* Subiungit eius vitæ auctor. *Tunc infatigabilis Pachomius arcta, & singulari conuersatione semetipsum affligens, studebat integrum se atque immaculatum in omnibus exhibere. Si quando namque eum cogitatio pulsasset illicita, mox eam diuino munere repellebat, atque in timore Domini perseuerabat affixus æternarum memor pœnarum, & dolorum sine fine manentium, ignis scilicet illius inextinguibilis, & vermis numquam omnino morientis. Cum his itaque Pachomius modis, & ab illicitis abstineret, & ad meliora proficeret: dilatandi Monasteria curam gereba immodicam pro susceptione multorum, cui diabolus vehementer cœpit obsistere, stridensque super eum dentibus veluti singularis ferus, tentationes ei varias excitabat, si forsan aduersus eum fraudis suæ reperisset ingressum. Sed hic scuto fidei communitus, vigilanter inimici declinabat insidias, Sanctas Scripturas memoria retinens, atque decantans.* Prosequitur deinde auctor plura de monachis, præstigijs, & infectationibus dæmonum a Pachomio crucis signo, & precibus superatis. Quibus etiam armis impudentissima fœminarum simulacra sibi ab ipsis obiecta proterebat; illius confortatus munimine, qui dixit: *Nolite timere; ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Hæc porro & alia ipsius omittenda nobis non fuerunt in nouorum monachorum spiritualem profectum, quem super omnia cordialissime affectamus.

4 Ad hoc etiam tempus referri posse videntur gesta Sisoij Abbatis inter egregios Eremi Patres iure numerandi. Fuit enim ex Antonianæ disciplinæ sectatoribus, siquidem vt constat ex *lib. 3. vit. Patr. num.* 120. & *lib. 5. libell.* 15. *n.* 44. habitabat in monte, in quo erat Antonius reclusus. Vbi etiam de eo quod mortuum infantem ad ipsum cum fide Sisoius Abbas.

por-

portatum verbo suscitauerit, & tantum miraculum propalari humiliter prohibuerit. Erat autem natione Thebæus, prout etiam ex *lib. 5. vit. Patr libell. 14. de obedient. n. 8.* elicitur. Extant de ipso quamplurima documenta pro monachis instruendis in virtutum exercitio, de quibus *in 3. 4. 5. & seq. lib. vit. Patr.* quæ omittimus. Sed quæ ipsi morti proximo contigere ad nostram ædificationem celare non possumus. Habentur autem in *lib. 3. vit Patr. n. 162 & lib. 5. libell. 3. n. 6.* sic: *Abbati Sisoio cum tempus dormitionis eius aduenisset, & multi illic alij senes conuenissent, viderunt faciem eius fulgore quodam radiantem; & dicit eis ipse. Ecce Abbas Antonius venit ad nos. Et post parum ait: Ecce & chorus Prophetarum. Et iterum facies eius clariore luce aspersa est; & dicit eis: Beati quoque Apostoli adsunt; visusque est cum quibusdam loqui. Cum ergo postularent ab eo Patres vt cum quibus loqueretur, ediceret, ait ille: Angeli, inquit, venerunt auferre animam me im; & supplico illis, vt paululum me pro pœnitentia agenda sustineant, Dicunt autem ei Patres: Tu iam non indiges pœnitentiam agere, Abba. At ille respondit: In veritate dico vobis, quia nec initium pœnitentiæ me reminiscor arripuisse. Ex quo dicto senserunt, quod in timore Domini esset perfectus. Tunc in splendore solis eius effigie relucente, dicit ad eos ipse: Videte, videte quia Dominus venit. In hoc sermone reddito spiritu, omnis locus ille grato odore repletus est.*

Annus Christi 336. Marci Pont. 1. Imper. Constantini 32.

Athanasij relegatio.

1 HOC anno pius alias Constantinus Imperator calumnijs Arrianorum impulsus sanctum Athanasium in Gallias relegauit. Ipse autem apud Treuiros non vt exul, sed vt confessor de impietate triumphans bene receptus est, Constantinumque magno Christianæ modestiæ exemplo a crimine postea excusauit. Ipse Athanasius [a]; Epiphan. *hæreses 68.* Hieronym. [b]: ex quibus nonn Chronologi idem acceperunt. Testatur autem noster Bostius [c] Sanctum Athanasium prope Treuerim existentem Symbolum *Quicumque vult* ordinasse.

a Apolog. 2. b in Chronic. c in Speculo historiali lib. 5. cap. 41.

Marcus Papa.

2 Huius quoque anni principio Marcus natione Romanus, patre Prisco Siluestri successor creatus fuit, sed cum paulo plus octo menses Ecclesiam gubernasset, successorem habuit pro die 26. Octobris Iulium natione etiam Romanum, patre Rustico, huius nominis primum, Honuph. Baron. Ciacon. Gordon. & alij.

Athanasij exilium deploratum.

3 Ægre nimis exilium tanti parentis, & monachorum protectoris Athanasij, tum monachi ipsi, tum Virgines Deo sacræ in Ægypti partibus existentes, tum, & ipse magnus Antonius Monachorum Archimandrita, tulerunt; ac propterea Deum pro ipsius reditu precibus solicitabant, & erga populum suas querimonias præferebant, vt propterea Alexan-

xandrinorum populus incessanter vociferaretur. Antonius etiam veluti omnium nomine ea de causa persæpe ad Imperatorem scribere non prætermisit. Incassum tamen, nam Constantinus eo nixus, quod de consilio Episcoporum id fecisset, ad Alexandrinos litteras dedit, quibus criminis loco eorum turbulentum animum obiectauit, præcipiens, vt quiete se gererent, & constanter asserens se neque destiturum de sententia, neque Athanasium, quem seditiosum, & iudicio Ecclesiastico condemnatum dicebat, reuocaturum. Rescripsit præterea Antonio eodem ferme modo. Sic ex Sozomeno [a] inferunt Baronius, Gordonus, & alij *sub hoc anno*. Qui etiam non propterea Constantinum ad Arrianismum inclinasse, prout indicat Chronicon D. Hieronymi, & alij auctores docte comprobant; & ante Baronium noster Bostius [b]. Soluit tamen pœnas omnium istorum malorum origo Arrius, infami morte, qua alui secessu spurcissimam animam cum excrementis medius crepans emisit. Athanasius [c], Ruffinus [d], Socrates [e], Gregorius Nazianzenus [f], Ambrosius [g].

a lib. 2. c. 29.
b lib. 5. relato cap. 43.
c epist. ad Serapionem.
d lib. 1. cap. 12.
e lib. 1. cap. 25.
f in laudibus Athanas.
g de Fide ad Gratianum lib. 1. c. 9.

Pachomij gesta.

4 De Pachomij gestis ea, quæ huic tempori adaptari, videntur ex c. 8. ipsius vitæ sic habemus: *Alia quoque vice cum idem sanctus grauibus diaboli molestijs vrgeretur, sic ab eo est crudeliter cæsus vt à vespera vsque mane totum corpus multis esset verberibus exaratum: & quamquam doloribus cruciaretur immanibus, nulli tamen desperatione penitus frangebatur, sed memor erat Domini, qui seruos suos non deserit in tentatione. Tunc quidam monachus Apollo nomine gratia visendi venit ad eum. Cui Pachomius loquens ea quæ pertinent ad salutem, insidias diaboli multiformes esse prenuntians, cœpit etiam illa quæ circa se gerebantur exponere, quantaque sibi per eorum acerbitates illata essent verbera recensere. Ad quem Monachus ait: Viriliter age, & confortetur cor tuum venerabilis Pater. Sciens enim diabolus, quia si te suis cedentem conflictibus vicerit, consequenter etiam nos, qui pro virium possibilitate certaminum tuorum sectatores existimus, quique maxima per te capimus exempla virtutum, perfacile superabit, idcirco te vehementer impugnare non desinit. Sed tu Domini protectione munitus, impetum eius fortiter excipe, ne quod absit, & pro nobis cogaris reddere rationem. Nam si tu qui nobis gratia diuina prælatus es, aliqua desidia cesseris, multis occasionem ruinæ, causamque præstabis. Hæc audiens Pachomius grandes accepit vires aduersus dæmonum insidias, & glorificatus Deum de fratris præsentia, precabatur eum ne se desereret. Ex inde memoratus Apollo sæpe veniebat ad senem, qui post aliquantum temporis dum solito more Pachomium visitans, paucis cum eo diebus remoratus esset, valida infirmitate correptus humanis rebus excessit: iuxta votum senis dies suos perfecta conuersatione consummans. Sepelitur itaque sanctis manibus, psalmis ab eo, & hymnis, & canticis spiritualibus ex more celebratis.* Quis fuerit iste monachus Apollo Pachomium confortans, & postea vltimum claudens diem, ac pie ab ipso sepultus, dubitat Heribertus, quia multi sunt Apollinis, seu Apollonij nomine insignes.

Annus Christi 337. Iulij Papæ 1. Imp. Constantini 32. & Constantini 2. Constantij, & Constantis filiorum 1.

Imperatorum successio.

1 CONTIGIT hoc anno Constantini Imperatoris obitus, prout ex Socrate, Hieronymo, Ruffino, Sozomeno, & Eutropio eliciunt moderni Chronologi. Cuius prænuncia videtur fuisse crinita stella in cælo apparens insolitæ magnitudinis, teste Eutropio [a]. Imperij hæredes reliquit tres eius filios Constantinum, Constantium, & Constantem, prout etiam Zozimus, Victor, Zoneras, & ex ipsis Neotherici. Interim Romæ Concilium sub Iulio Papa centum & sexdecim Episcoporum contra Arrianismum. Ciaconius [b] Coriolanus, Gordonus, & alij *sub hoc anno*.

a lib. 10.
b in Iulio I.

Antonij Discipuli.

2 De quo loquens Baronius [c] inquit: *Ceterum in Ægypto prope innumeri claruerunt eminenti sanctitate conspicui sanctissimi monachi Magni Antonij collegæ, vel discipuli.* Ex quibus alio tendens retulit Ammonem, de quo nos in superioribus diximus. Referre tamen præter alios iam supra relatos possumus; in primis celebrem illum Paulum *Simplicem* appellatum, de quo Martyrologium Romanum 7. *Martij*, Menologium Græcum, Menæa, Ruffinus [d], Pelag. [e], Paschal. [f] nostri Bostius [g], Philippus a S. Iacobo; Franciscus a S. Angelo [h], Cassanate [i] inter Eliæ propagines eum recensentes, & alij. De eo præsertim *in lib. 5. vit. Patr. c. 31.* Sic habetur: *Fuit quidam inter discipulos sancti Antonij Paulus nomine, cognominatus Simplex. Hic initium conuersionis suæ huiusmodi habuit. Cum vxorem suam oculis suis eum adultero cubantem, vidisset, nulli quidquam dicens, egressus est domum, & mastitia animi tactus in eremum semetipsum dedit, vbi cum anxius oberraret, ad monasterium peruenit Antonij, ibique ex loci admonitione, & opportunitate consilium capit. Cumque adisset Antonium, vt iter ab eo salutis inquireret, ille intuens hominem simplicis naturæ esse, respondit ei, ita demum eum posse saluari, si his quæ a se dicerentur obediret. Tunc ille omnia quæcunque sibi præciperet facturum se esse respondit. Vt ergo promissionem eius probaret Antonius, ante fores cellulæ stanti: hic, inquit, expecta me orans donec egrediar. Et egrediens Antonius, mansit intrinsecus per totam diem, & per totam noctem, per fenestram tamen ex occulto frequentius respiciens videbat eum indesinenter orantem, & nusquam prorsus moueri, sed stare in æstu diei, & rore noctis; & ita esse mandati memorem, vt ne parum quidem loco moueretur.* Pergit postea auctor referre qualiter Antonius eum instrueret, & ipse eis, quæ sibi tradita erant, diligenter obtemperaret. Et illa: *Quadam autem die cum venissent ad sanctum Antonium fratres magni quidem, & perfecti viri, accidit etiam Paulum adesse pariter cum eis. Et cum sermo de rebus profundis, & mysticis haberetur, cumque de Prophetis, & Saluatore plurima tractarentur, Paulus ex simplicitate animi interrogat, si Christus prius fuerit, an Propheta? Beatus vero Antonius cum pro eo quod tam absurde interrogauerat, quasi erubuis-*

c §. Ceterum.
d lib. 3. n. 167.
e lib. 18. n. 20.
f cap. 23. n. 2.
g lib. 5. cap. 26.
h in Cathalogis.
i in Paradis. Carmelit. decor. 2. 41. 5. c. 68.

set

set blando nutu, vt erga simpliciores solebat, silere atque abire eum iubet. Et ille quia omne quodcumque ab eo dictum fuisset, tamquam praeceptum Dei seruare instituerat, abscedens ad cellulam suam, tanquam mandato accepto, silentium gerere instituit, nec omnino aliquid loqui. Quod cum comperisset Antonius, mirari cœpit, vnde hæc illi obseruantia placuisset, quam à se sciebat non esse mandatam. Cumque iussisset eum loqui, & cur sileret, indicare, dixit ei Paulus: Tu, pater, dixisti, vt irem, & silerem. Et obstupefactus Antonius, ita ab eo sermonem, quem ille negligenter protulerat, obseruatum: Omnes, inquit, nos iste condemnat: cum enim nos de cœlo nobis non audiamus loquentem, ab isto qualiscunque sermo, qui ex ore nostro ceciderit, obseuatur. Subiungitur de varijs modis, quibus eius obedientiam probauit sanctus Antonius: *Haurire namque aliquando eum aquam iussit ex puteo, & terram tota die effundere, & contextas sportellas resoluere, ac denuo contexere, & vestimentum dissuere, atque iterum resuere, & rursus resoluere, & in pluribus huiusmodi exercitijs ab commemoratur imbutus, vt in nullo prorsus etiam eorum, quæ contra rationem imperari iubebantur, disceret contradicere, & ita per hæc omnia informatus breui ad perfectionem venit.* Subiungitur etiam: *Et quoniam pro affluentia gratiarum multi ad eum ex omnibus terræ partibus confluebant, vt curarentur ab eo, verens beatus Antonius, ne molestia multitudinis fugaretur in interiori eremo, quo accedi facile ab aliquo non posset, commanere eum fecit, vt venientes magis ipse susciperet Antonius. Si quos vero ipse non potuisset curare, hos ad Paulum, tanquam prolixiorem sanitatum gratiam habentem mittebat, & ab illo curabantur. Tantam autem eius simplicitatis apud Dominum fiduciam fuisse tradunt, vt quodam tempore cum quidam rabiem patiens in modum canis laniaret omnem, qui ad se ausus fuisset accedere, & perductus ad eum fuisset, insistebat orationi, vt dæmonem qui eum vrgebat, fugaret. Et cum mora fieret, nec celer sequeretur effectus, quasi infantum more indignatus ad Dominum dixisse fertur: Vere non manducabo hodie, si eum non curaueris, & continuo quasi delicioso Domini satisfactum est a Deo, & statim curatus est rabidus.* Mirabile etiam, quod de illo refertur *lib.3. Vit.Patr.* videlicet; quod ex facie hominum vniuscuiusque cogitationes siue bonæ siue malæ essent, agnosceret. Et quod cum vidisset vnum quendam nigrum, & nebulosum dæmonibus associatum, qui illum trahebant ad se misso fræno in naribus ingredientem in Ecclesiam, postea viderit ipsum egredientem clara facie, & candido corpore, eo quod eo loco pœnitentiam suorum pecatorum egerit; vt propterea dixerit ad fratres, ascendens in altiorem locum magna voce: *Venite, & videte, quemadmodum vult omnes homines saluos fieri.* Eadem habentur 6. *lib. Vit. Patr. & lib.7. c.23.* Et hæc, ac alia *in lib. 8. cap. 28.* & in Heraclidis *Paradis. cap.* 10.

3 Referre etiam possumus hoc tempore inter discipulos Antonij Abbatem Piorem, quem similiter inter nostros Eliades referunt Casanate [a] & alij; & de quo in *lib. 3. Vit. Patr.* habetur fuisse de antiquis Patribus; Antonij discipulum; viginti quinque annos natum abijsse ad locum secre- Pior Abbas.

[a] *in Paradis. Carmel. stat. 2. ... 5. c. 87.*

ſecretum Eremi inter Nitriam, & Scythi; aqua ſalſa,& amara ibi reperta victitaſſe; & quod cum fratres illi ſuaderent, vt recederet de loco illo propter aquæ amaritudinem, reſpondiſſet: *Si amaritudinem, & laborem fugimus abſtinentiæ, & volumus in hoc mundo requiem habere, poſt exitum vitæ huius non percipiemus illa æterna, & vere dulcia bona, nec fruemur illis perpetuis beati paradiſi delitijs*. Dicebatur de illo, tantum vnum paximatium, & quinque oliuas in cibum ſumpſiſſe; nunquam propinquos viſitare voluiſſe; nec etiam propriam ſororem aſpicere; ita vt iubente illi Antonio,vt ad eam pergeret, clauſis oculis eius ſe cōſpectibus præſentaret, dicens: *Ego ſum Pior frater tuus,vide ergo me quantum volueris*. Subiungitur pro noſtra inſtructione: *Hoc autem fecit ad erudiendum Monachos,vt non daretur eis licentia, cum libitum eis fuerit, viſitare parentes, vel propinquos ſuos*. Niſi nomen fallit, hic ille idem eſt, de quo *in lib. 5. Vit. Patr. libell. 9. n. 9.* & in eodem *lib. 3. Vit. Patr. ſub n. 136.* ſic dicitur: *Peracta Congregatione ſemel in Scythi dum Patres de multorum vita, & de rebus plurimis loquerentur, Abbas Pior tacebat. Poſtea vero egreſſus tollens ſaccum impleuit eum arena, & portabat in dorſo ſuo, & iterum in alio paruo panno miſit alteram arenam, & portabat ante ſe. Videntes autem cæteri fratres,requiſierunt ab eo, quod eſſet hoc exemplum, & reſpondit, dicens: Iſte ſaccus qui habet multam arenam mea peccata ſunt, quoniam plurima ſunt iniquitates meæ, & ecce miſi ea poſt dorſum meum, nolens illa videre, vt pro illis doleam, vel plangam. Et ecce pauca hæc delicta fratris mei ante oculos meos poſui, & crucior in ipſis condemnans fratrem. Sed non oportet ſic iudicare, ſed magis ante me adducere, & de ipſis cogitare, & rogare Deum, vt indulgeat mihi. Quod audientes Patres dixerunt: In veritate hæc eſt via ſalutis*. Doctrina ſane pijs Religioſis alte meditanda, ne ſuorum defectuum obliti, alienorum ſint rigidi cenſores. Plura alia dictis ſimilia de ipſo inueniet Lector in vitis Patrum, maxime *lib. 8. c. 87.* & apud Heraclidem [a].

[a] *in Paradiſ. c. 26.*

Sincletices Abbatiſſa.

4 Item ad hoc tempus referenda clariſſima virgo Syncletices noſtri Prophetici inſtituti cultrix, & altrix celeberrima. Videtur natione Ægyptia, & Alexandrina, prout in Martyrologio Romano notatur; licet D. Athanaſius in eius vita olim abſcondita, his tamen temporibus in Eſcurialis Regis Catholici Hiſpaniarum Bibliotheca reperta, & a Ioanne Bollando in ſuis Actis ſanctorum pro die 5. Ianuarij inſerta, dicatur ex Macedonia oriunda, etſi Alexandriæ enutrita. Ac in illis partibus Monialium Deo ſacrarum vna; vt propterea S. Athanaſius eius vitam pro ſanctarum fœminarum exemplo, ſicut & vitam Antonij pro monachorum inſtructione, conſcripſerit. Sic enim teſtatur Nicephorus [b] & ex eo Baron. [c] 5. Ianuari, qua die eius feſtiuitas celebratur: dolens tamen quod non ſine graui totius Chriſtiani Orbis iactura hæc vita perierit. Sed, vt diximus, pia ſolicitudine Catholici Regis reſeruata non interijt. In ea multa Sacrarum Virginum documenta inueniet lector; circa charitatem, temperantiam, caſtitatem, recluſionem, paupertatem voluntariam, humi-

[b] *lib. 8. c. 4.*

[c] *in Annot. ad Martyrol. Rom. die 5. Ianuarij.*

humilitatem, obedientiam, & alias Monialium Deo sacrarum virtutes. Sicut quod octogenaria cum esset, febri hectica, tabe in pulmone, gingiuæ putredine, ingenti fœtore, vsu vocis, & acerbis alijs morbis afflicta sanctissime spiritum Deo dederit. De ea in Luitprandi fragmentis [a] hæc cernuntur: *Videre potui vitam S. Syncleticis virginis, & Abbatissæ Ægyptiæ (cuius dies festus est quinta Ianuarij) hanc scripsit S. Pontifex Athanasius, vt quemadmodum Monachi habent speculum in Antonio, sacræ virgines eam tamquam speculum intuerentur. Dicitur fuisse mulierum virginum Professionis Propheticæ, & Carmeliticæ Parens.* Hæc ibi. Episcopus autem Equilinus [b] de ea scribit, dubitans vnde fuerit, aut quam eremum incoluerit, licet credat eam fuisse, in qua Ægyptij monachi habitabant. Quod sanè credibile valdè est, vt propterea D. Athanasius, qui cum illis Monachis multo tempore egit, eam agnoscere potuerit, & eius gesta describere. Ex nostris autem auctoribus Arnoldus Bostius [c], Palæonydorus [d], Coria [e], Cassanate [f] quibus astipulatur Balæus hæreticus [g], supponunt fuisse etiam Priorissam, seu Præfectam Monasterij Monialium S. Sepulchri Ierosolymitani a D. Helena erecti post Mariam illam primam Præfectam, de qua *sub anno* 326. dictum. Siue ad hoc fuerit ab Helena vocata, siue ipsa casu aliquo Ierosolymam aduenerit. Apud omnes autem compertissimum est eam, *probatissimæ vitæ* fuisse, vt ait Equilinus relatus, & satis clare manifestant præclarissima ab ipsa prolata Apophthegmata, seu spiritualia axiomata in libris vitarum Patrũ, præsertim *lib.* 5. registrata. Ex quibus nonnulla selectiora, & quæ ad salutem animarum Religiosorum spectant, quarum profectus nostri operis scopus est, hic damus ex eo 5. *lib.* Pro castitate: *Sicut venenosa animalia acriora medicamenta a se expellũt, ita cogitationem sordidam ieiunium cum oratione depellit ab anima.* Pro paupertate: *Sicut fortia vestimenta dum calcantur, & pedibus sæpius reuersantur, lauantur, atque incandidãtur, ita fortis anima per voluntariam paupertatem amplius confirmatur.* Pro quiete in vno loco: *Sicut gallina si dereliquerit oua sua fota, sine pullis ea exire facit; ita monachus, vel virgo frigescit, & mortificatur in fide, de loco ad locum transeundo.* Pro inani gloria fugienda: *Sicut impossibile est vno, eodemque tempore, & herbam esse & semen, ita impossibile est, vt secularem gloriam habentes, celestem faciant fructum.* Pro negatione propriæ voluntatis: *Oportet nos cum discretione animam gubernare, & in congregatione manentes non quæ nostra sunt querere, neque seruire propriæ voluntati.* Pro humilitate: *Impossibile est hominem saluari sine humilitate.*

[a] an. 265.
[b] lib. 11. c. 47.
[c] lib. histor. c. 23.
[d] lib. 2. c. 4.
[e] lib. 5. c. 20.
[f] in Parad. Carmelit. decor. stat. 2. atat. 5. c. 66.
[g] Tractat. sui Ordin.

5 Huic Syncleticæ successisse in regimine Monasterij Monialium S. Sepulchri quandam Matronam nomine testantur Bostius, Palæonydorus, & Coria relati. Cæterum quæ hæc Matrona fuerit ipsi non explicant, nec nobis compertum. Etenim quædam huius nominis sanctitate celebris, quæ ex Perge Pamphiliæ Vrbe orta, primum vxorata, deinde sub virili habitu Religiosa inter Monachos, postea inter Moniales Emessæ Abbatissa, ac demum Constantinopoli, (de qua Surius [h], ex Metaphra-

Matrona Abbatissa.

[h] pro die 8. Nouembr.

a lib. 8. c. 19. phrastę eius vitam describens, quod & facit Coria [a],) non legitur Ierosolymis commoratse. Adde, valde posteriorem Syncletice fuisse, sub Leone videlicet primo magno Imperatore, qui circa annum 457. Imperium assumsit. Credibilius est hanc, de qua nostri, Matronam eam fuisse, cuius memoria *in lib. 5. vitar. Patr. libell. 2. de quiete* id habetur: *Dixit Abbatissa Matrona: Multi in monte positi ea quæ popularia sunt agentes, perierunt. Melius est enim, vt cum multis sis, & solitariam vitam agas voluntate, quam cum solus sis, esse cum multitudine proposito mentis.* Salubre sane consilium, ac mente ruminandum Religiosis.

Annus Christi 338. & 339. Iulij Pont. 2. & 3 Constantini, & Constantij, ac Constantis Imper. 2. & 3.

Athanasij restitutio.

1 RESTITVITVR hoc tempore magno Catholicorum gaudio suæ Ecclesiæ D. Athanasius, postquam biennio integro Treuiris exul commoratus fuerat, agente Constantino iuniore, licet renuente Constantio, quod ex Eusebianorum persuasione iam cogitaret de subrogando alium in locum ipsius. Arriani tamen indigne ferentes Athanasij restitutionem, cuncta sus deque miscere volentes, & nouas calumnias contra ipsum comparantes, legationem parant ad tres Imperatores aduersus illum. Ipse Athanasius [b], Theodoretus [c], Socrates [d], Sozomenus [e], ex quibus Baronius, & alij moderni hìc.

b Apolog. 2. c lib. 2. c. 3. d lib. 2. c. 2. e lib. 3. c. 1.

Spiridionis gesta.

2 Constantius autem vnus ex Imperatoribus, Constantini Magni filius, & Constantini secundi frater, cum Antiochiæ moraretur, expeditionem paraturus contra Persas, vlcere pene incurabili a Deo correptus est, vt Eusebianis non faueret; sed noster magnus ille Spiridion Cyprius eum ad bonam valetudinem reuocauit, prout ipsius Acta apud Metaphrastē [f], & Surium [g], narrant. Vbi, quomodo propter visionem quandam Imperatori factam ad eum vocatus venerit; & a quodam ministro colapho percussus, ei alteram, iuxta Dominicam institutionem, maxillam præbuerit; Imperatori sanitatem restituerit; ipso cogente munera receperit, licet illico ea inter Palatij ministros distribuerit.

f die 12. Decembris. g to. 6.

Alia de Spiridione.

3 Pergit author vitæ Spiridionis dicens quod postquam vir Sanctus e Regia egressus esset, & a quodam Christi studioso receptus hospitio, puerum quendam ei mortuum oblatum suscitauerit, & ipsius etiam matrem, quæ præ gaudio visi rediuiui filij expirauerat. Puerum autem suscitasse subdit Deum precando istis verbis: *Qui ergo per Eliseum, & Eliam Sarephtanæ filio, & Sunamitidis immisit spiritum, & vitam est largitus, ipse rursus etiam audiuit Spiridionem.* Denotans vere Eliæ, & Elisei sectatorem fuisse Spiridionem. De quo alia in sequentibus.

D. Antonij visio.

4 Hoc etiam tempore, anno videlicet 339. iuxta Baronium [h], contigit horribilis illa visio D. Antonio diuinitus ostensa de clade ab Arrianis post biennium inferenda. Quam D. Athanasius in ipsius vita [i] sic commemo-

h S. hic ipse annus. i c. 52.

memorat. *Lamentabilis sequitur visio, & omni lachrymarum fonte plangenda.* Et post alia ad intentum: *Vidi enim altare Domini mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant. Hæc est causa gemituum meorum, quos audistis. Et facta est vox Domini dicens: Abominabitur altarium meum.* Deinde de Propheticæ visionis adimpletione hæc. *Nec mora, visionem sequitur effectus, nam post annos duos sæua Arianorum irrupit insania. Tunc Ecclesiarum fuerunt rapinæ, tunc diuinorum temeratio vasorum, tunc pollutis ethnicorum manibus sacra polluta sunt ministeria, tunc paganorum opificum præsidia aduersus Christum comparata cum assumptione palmarum (quod idololatriæ apud Alexandriam insigne est) ad Ecclesiam pergere compellebantur Christiani, vt Arianorum populi crederentur. Proh scelus! horret animus replicare, quæ gesta sunt, virginum, matronarumque ereptus pudor, sanguis ouium Christi in Christi templo effusus veneranda respersit altaria, baptisterium pro voluntate gentilium pollutum est. Nihil defuit visionis veritati, vt monstrauit effectus, quod calcitrantium indisciplinatio Arianorum esset impietas.* Postea vero, reuelatione alia a Deo habita, futuram Ecclesiæ, & Religionis tranquillitatem sic discipulis, & Monachis prædixit: *Nolite filioli mœrori vos penitus dare, vt enim iratus est Dominus, sic rursum miserebitur, & suum cito Ecclesia recuperabit ornatum, eosque qui in persecutionibus fidem Domini seruauerint, solito videbitis fulgore relucentes. Reuertentur ad foueas suas serpentes, & Religio longius propagabitur.* Per hanc porro Religionem longius propagandam tam possumus intelligere Religionem monasticam, quam profitebantur fratres, cum quibus loquebatur, quam communem Religionem Catholicam. De vtraque enim verificata est visio, prout in sequentibus videbitur.

5 Ad vtrumque porro finem Deus Basilium hoc tempore duodennem disponebat, plurimum in philosophicis disciplinis instruendo, cooperante naturæ docilitate, mansuetudine, & dulcedine. Sic enim ex Amphilochij vita [a], & Bostio nostro [b], elicitur. Volunt quidam hoc duodecimo ætatis suæ anno Constantinopolim missum liberalibus artibus nauasse, ac decimo septimo Athenas peruenisse. Id certũ Athenis iuuenem studijs incubuisse cum Gregorio Nazianzeno, dicto Iuliano Apostata, & Libanio constudentibus sub Græcæ sapientiæ præceptore Eubulo. Amphilochius, & Bostius relati, Coria *lib.* 9.*c.* 2. & alij. Licet Sozomenus *lib* 6.*c.* 17. Himerium, & Proæresium Sophistas ipsius magistros Athenis dicat, & Baronius [c], leui memoriæ, vel calami lapsu, vt dicit Heribertus [d], Libanium Athenis cum Himerio docentem ex Sozomeno tradat.

6 Gregorius enim a Nazianzo nuncupatus iam primum Athenas venerat, postquam Cæsareæ Palæstinæ præceptorem habuerat (vt author est Hieronymus [e],) Thespesium egregium Oratorem. Testatur id quoque ipse Gregorius [f], cum ait: *Ego artis oratoriæ amore inflammatus in Palæstinæ Academijs tum florentibus pedem fixi; Cæsarius Alexandriam perrexit, vrbem tunc, & hoc quoque tempore doctrinarum omnium officinam non*

D. Basilij gesta

a cap. 1.
b lib. 5. c. 39

c sub an. 354.
d in Annotat. ad vit. S. Basilij n. 14.

D. Gregorij Nazianzeni.

e de Script. Ecclesiast. in Euzoio.
f in laudibus Cæsarij.

falso æstimatam. Erat Cæsarius eius germanus pari studio inflammatus, quem etiam secutus est Alexandriam pergens, & inde Athenas, tantò scientiarum desiderio, vt nec expectato opportuno anni tempore nauigandi, nauim conscenderit, magnumque vitæ discrimen subierit; licet ab eo liberatus precibus suæ sanctæ Matris Nonnæ, vt ipse testatur [a].

7 Cum autem constet tum ex dictis de Gregorio, tum ex ijs quæ ipsemet dicit [b], vtrumque, nempe Gregorium, & Basilium Cæsareæ litteris operam nauasse, Carmelus autem noster tum sub Cæsareæ diœcesi, tum ei Vrbi proximus sit, venit in mentem cogitare Carmelum ipsos tunc incoluisse, vt propterea ipse Gregorius, iuxta dicta *sub ann.* 324. pro Carmelo, & Elia suspirasset, & Basilius, iuxta dicta etiam *sub ann.* 327. ipsius, accola fuisset. Augetur suspicio eo quod Gregorius ipse, vt patet ex verbis supra relatis *In Academijs Palæstinæ* pedem fixerit; Carmelus enim, iuxta scripta *to. 1. sub. ann.* 3515. Orbis Musæum, tempore saltem Mosaicæ legis, erat.

[a] in Carmin. de reb. suis, & Orat. in funer.

Carmeli incole

[b] in laudib. Basilij.

Annus Christi 340. Iulij Pont. 4. Constantini, Constantij, & Constantis Imp. 4.

Concilium

1 INDICITVR hoc anno Concilium a Iulio Papa in causa Athanasij, & vt petitioni Arrianorum aliquo modo Pontifex condescenderet. Tergiuersantes tamen prætextu belli Persici per annum expectantur. Athanasius vero citatus adest Romæ, tanquam reus causam dicturus, alacriter etiam sciens quod ibi ipsius negotia iuste tractarentur. Idem Athanasius [c], Baronius [d], Ciaconius *in Iulio Papa*. Ne tamen otiosus strenuissimus Ecclesiæ propugnator Romæ videretur, fidei Catholicæ professionem communiter *Symbolum Athanasij* appellatum composuisse dicunt, Baronius, Gordonus, Ciaconius, Coriolanus, & alij. Bostius tamen *sub ann.* 336. relatus apud Treuerim id fecisse scribit. Vtrumque forsan verum, si dicatur Treueris illud composuisse, Romæ vero publicasse. Occiditur interea hoc anno Constantinus Iunior bellum inferens Constanti fratri iuxta Aquileiam ad Alsam flumium, ipsoque mortuo, summa Occidentalis Imperij in Constante remansit: Constantio in bello Persico in partibus Orientis occupato. Eutropius, Orosius, Zosimus, Sigonius, Honuphrius, & alij.

[c] Apolog. 2.

[d] sub hoc anno.

Isidorus.

2 Venit cum Athanasio Romam Isidorus Presbyter Alexandrinus, à nobis non omittendus, quod ipse in iuuentute sua Eremi cultor cum Monachis fuerit; abstinentiæ palmas iuste promerens, & Nitriæ Montis colonus. Vnde inter discipulos Ammonis eius montis primi Archimandritæ, iuxta dicta in superioribus, videtur connumerandus. Nunquam linteo vsus est, non balneis, non carnibus, nec mensa lauta; cum nihilominus ita bene refectus appareret, acsi lautissime epularetur. Inter cibi sumptionem ecstases patiebatur, diuina contemplans. Alia de ipso, in

Hera-

Heraclidis [a], apud Palladium [b], & Baronium [c]. Colligitur etiam ex Heraclide, & Palladio cognouisse S. Antonium; habuisse quasdam sorores quæ cum septuaginta Virginibus Deo sacris in Congregatione morabantur, & ipsis nec nummum post vitam reliquisse, sed eas commendasse Christo dicendo: *Qui creauit vos gubernet vitam vestram, sicut & meam*. Magnæ in Deum fiduciæ signum.

a *Paradis. c. 1.* b *in histor. Lau saca c. 1.* c *sub hoc ann.*

3 Venit quoque cum eodem Athanasio Monachus alius Ammonius nomine, admirandæ sanctitatis vir, & adeo parum rerum mundanarum curiosus inspector, vt cum Romæ esset, nihil ex magnificis Vrbis operibus præter templum SS. Petro, & Paulo dicatum videre desideraret. Magnum sane monasticæ vitæ exemplum; sicut & aliud non tam laudabile, quod de ipso refertur, videlicet quod sibi auriculam præciderit, ne in Episcopum eligeretur. O vere aureum sæculum, quod tales Monachos meruit! De hoc Ammonio Socrates [d], Baronius [e]. *Ammonius.*

d *lib. 4. c. 18.* e *hic §. Quod autem.*

4 Ex hoc porro Athanasij cum Socijs aduentu ad Vrbem aliqua elicit Baronius maioris disquisitionis trutina examinanda. Et quidem primo statuit eundem Athanasium in Vrbem inuexisse omnium hominum primum Ægyptiorum Monachorum institutionem, vitamque admirandam D. Antonij adhuc viuentis. Quod etsi veritati congruat, dum Athanasium veluti vectorem monachismi in Vrbem facit; cum hoc facile credi possit, vel ex eo quod idem Athanasius Ægypti Monachorum, Antonij præsertim studiosissimus & beneuolus protector fuerit, vt ex dictis in superioribus innotescit; & ex ipsius comitibus Isidoro; & Ammonio relatis, vt alios prætermittamus; & præsertim quia D. Hieronymus [f], Athanasio, alijsque Alexandrinis Sacerdotibus tribuit, quod nobiles Romanæ fœminæ vitam B. Antonij, Monasteriorumque in Thebaide Pachomij, & Virginum, ac viduarum didicerint disciplinam: nihilominus quod ante Athanasium Roma Monachorum, & Monialium propositum nouerit nullus refragari poterit. Primo namque Telesphorum, & Dionysium Romanos Pontifices ex monachis, seu anachoretis assumptos fuisse, ea quæ diximus in superioribus, abunde satis confirmant. Deinde Virginum Deo sacrarum ritum Romæ ante hoc tempus fuisse, vel ex eo quod de Flauia Domitilla iuniore sub Clemente Papa sacro velamine consecrata diximus *sub ann.* 98. liquido innotescit. Quibus similia ferme de S. Petronilla S. Petri Apostolorum Principis filia dicta *sub ann.* 65. recitauimus. Præterea, Eugeniam Virginem, Protum, & Hyacinthum Socios monasticam vitam egisse Baronius ipse testatur [g], & tamen Romanam incoluisse Vrbem pro comperto est ex dictis *sub ann.* 205. 255. & 262. Item S. Hippolytum Portuensem Antistitem Monachum fuisse colligi potest ex eodem Baronio [h], & alijs, quos retulimus de eo tempore loquentes; & tamen Romam tantum virum agnouisse sub Callisto Papa ibidem diximus. Quo ergo iure affirmari potest hoc primum tempore quo Athanasius Vrbem inuisit, in ea nomen Monachorum innotuisse? Sane ipse Baronius [i] se ipsum

Baronij Seruatio.

f *epist. 16. ad Principiam.* g *sub ann. 188* h *sub ann. 229. §. Horre cum, eius.* i *§. At quibusdam.*

se ipsum, & D. Hieronymum veluti explicans, nodi solutionem attigisse videtur, dum inquit: *Licet monachi nomen visum sit Vrbi nouum, res tamen ipsa vetus; sed in tanta Ecclesiæ pace legibus quibusdam exculta fecundiori germine propagata.* Quo etiam sensu tam ipse, quam alij, qui Antonium primum monastici instituti patrem minus attente vocant, exponi debent, iuxta dicta *sub ann.* 328.

Alia Baronij. 5 Subindicat etiam eo §. *At quibusnam* Vrbis exemplo totum occiduum Orbem Monachatum in eam ab Athanasio inductum suscepisse. Cæterum ante hoc tempus Antonij, & Athanasij Monachos, Moniales, & Cœnobiticam vitam in Occidentis partibus extitisse ea quæ diximus *sub anno* 36. 40. & alijs locis de Elpidio, & S. Iacobi Apostoli discipulis Monachismi in Hispaniam auctoribus, & de S. Victoria *sub ann.* 255. Eulalia, & Leocadia *sub ann.* 301. Philiberto, & Fabritiano *sub anno* 308. sufficienter ostendunt. Sicut & illud quod de Treuerensi Monasterio Ordinis, & Regulæ Orientalium Monachorum diximus ex Bruschio [a]. Vnde Franciscus Biuarius Cisterciensis Monachus eruditione clarus author [b], ex eo quod Dexter eo anno mentionem faciat de prædictis Philiberto, & Fabritiano Martyribus, ipsos Monachos appellans, & quod in Hispanico Sancti Isidori Breuiario Abbates vocitentur, hæc diserte animaduertit: *Cum Monachorum, seu Abbatum audis nomen ne quæso veniat in mentem institutum obseruasse Basilij, Augustini, aut Benedicti, qui necdum nati erant; sed illud Monachorum genus, quod à S. Marco sumpsit initium, & de quo S. Dionysius Areopag. in Gallia existens scripsit in lib. de Eccles. Hierarch. Vnde habemus in Hispania inductum fuisse Monachorum genus, antequam S. Antonius monachos colligere, & instruere cœpisset, vt ex natali eiusdem, & anni martyrij SS. Monachorum Fabriciani, & Philiberti facile constat, quæ & nos supra notauimus.* Quod est luculentum testimonium pro eo quod sæpius inculcauimus de origine monachorum ab Essenis, eorumque vetustate ante Monachos Basilianos, Augustinienses, &c. Notet insuper lector Flauium Dextrum loco relato non solum præfatos Philibertum, & Fabritianum monachos compellasse, sed de eis quoque dixisse, quod in Confluenti Fenarij fluminis, Tagonijque, Monasterium Deo optimo maximo, & Beatæ Virgini dedicarint. Eneruatur ergo ex ijs Baronij sententia, dum, Monachatum in Occiduis partibus solum Athanasij exemplo, & aduentu in Vrbem inuectum esse autumat.

a in lib. de Monasterijs Germaniæ sub. an. 333.
b in comment. ad Flauium Dextrum sub ann. 308.

Baronij alia recta. 6 Luculentum tamen idem egregius Author Baronius [c] pro nostra historia, eiusque præcipuo intento his verbis testimonium dedit: *Erat quidem in Oriente summum illud viuendi genus instar Eliæ, ac Ioannis Baptistæ, cunctis hominibus etiam Ethnicis, & Imperatoribus ipsis venerandum, sed & impijs quoq; hæreticis reuerendum, atq; adeo cœlestibus ciuibus admirandum, vtpote qui se in terris conciues habere lætantes, cum eisdem tanquam gentilibus suis amice assiduo versarentur.* Ex eo namque elicitur Monachos omnes, Ascetas, Therapeutas, Anachoretas, Eremitas, vel similes huius

c sub hoc anno §. illo At quibusnam.

æui, & præcedentium fæculorum post Christum, Eliæ imitatores fuisse, ac proinde iure optimo dum eiusdem Eliæ instituti propagationem inuestigamus, ipsos omnes inter Eliades, & prophetici Ordinis asseclas referre debuisse, prout etiam diximus *in Apparatu Cap.* 7. vbi etiam hoc Baronij testimonium inter alia retulimus.

7 Pergit idem Baronius Monachi nomen contra Donatistas Hæreticos *Circumcelliones* dictos ex Augustino [a], defendere, simulque recentiores Apostatas a fide Monachismi osores acriter impugnare. Quod quia nostri instituti non est, & in eo egregie plures grauissimique Scriptores Controuersistæ contra Hæreticos Nouatores laborarunt, pro nunc prætermittendum, lectorem ad ipsos remittendo, & inter eos ex antiquioribus ad nostrum Thomam Vualdensem, & ex Neotericis, ad nostrum quoque Michaëlem Mugnozium [b] docte ea de re disserentem. Alia.

[a] in Psal. 132

[b] in Propugnaculo Eliæ.

8 Porro inter istos huius temporis Ascetas iure computandus venit Abbas Pimenius apud ipsos illustris, & de quo multa in libris *vit. Patr.* Nos selectiora, & quæ magis pietatem in Religiosorum animis (quod intendimus) excitare possunt, recensebimus. In quadam occasione, prout refertur *lib.7. vit.Patr. c.1. n.9.* hoc vnum pro Monachorum consolatione protulit documentum: *Monachus, si ventrem, & luxuriam, & linguam retinuerit, & vagationem non fuerit sectatus, confido quia non morietur sed viuet in perpetuum.* Item *cap.12.* eiusdem libri: *Homo si semetipsum reprehenderit, vbique potest persistere, si autem se magnificet, nunquam stat.* Et *cap.15.* ad idem intentum: *Hæc sola hominis Iustitia est, vt semper semetipsum reprehendat.* Item eo libro *cap.39.* id consilium dedit cuidam fratri: *Neminem despicias, nullum diiudices, de nullo male loquaris, & Deus dabit tibi requiem.* Alia, miraculosa etiam, de illo lector reperiet. Abbas Pimenius.

Annus Christi 341. & 342. Iulij Papæ 5. & 6. Imper. Constantij, & Constantis 5. & 6.

1 SYNODVS Antiochena hoc tempore ab Eusebianis, & Arrianis congregata Constantij Imperatoris fauore decreuit S. Athanasium a sua Alexandrina sede deponendum, & eius loco Emisenum Eusebium, ipsoque recusante, Gregorium quendam Arriana labe infectum, substituendum; vt propterea Athanasius Romam fugere coactus fuerit. Socrates, Sozomenus, Ruffinus, Athanasius ipse, & alij, ex quibus Honufrius, Baronius, Ciaconius, Gordonus, & Coriolanus. Concilium.

2 Huius porro Gregorij intrusio immanissimam cladem Alexandrinæ Ecclesiæ, iuxta prædictionem S. Antonij, de qua *sub ann.* 339. dictum, attulit, quam idem Athanasius [c] graphice descripsit. Vbi inter alia hæc, quæ nostri Monachi etiam perpessi tunc mala exprimunt: *Ecclesijs, & baptisterijs flamma iniecta, magnus igitur luctus, eiulatus, & planctus per Ci-* Alexandrina clades.

[c] in Epist. ad Orthodoxos.

nitatem. Ciues ea quæ agebantur indigne ferre, occlamare præsidi, vim protestari, eo quod virgines sanctæ, & incontaminatæ nudatis corporibus nefaria paterentur, iisdemque si contumaciùs obsisterent, periculum capitis ingereretur, monachi pedibus obruti expirarent, alij fisco addicerentur, alij gladijs fustibusque mactarentur, alij vulneribus plagisque male mulctati discederent. In sacrosanctam autem mensam (proh!) quanta impietas, & facinora commissa? Et infra: *Nec defuere impij homines, æmuli acerbissimorum persecutorum, qui virgines, continentesque iniectis manibus traherent, raptarent, & ad blasphemiam, dominique abnegationem compellerent, eosque qui id facere recusarent, conciderent, pedibusque obtererent.* Et inferius: *Et ne multus sim in scribendo, persecutio adest, eaque persecutio, qualis nunquam antea aduersus Ecclesiam oborta est.* Ad idem quoque intentum referri posse videtur, quæ idem Athanasius *in epistola*, quam scribit *ad solitariam vitam colentes*, seu illos, qui, vt dicitur in titulo Epistolæ, *in Christo Iesu dicunt: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te*, quos sine dubio Monachos esse pro comperto est. In ea enim plura ad intentum.

Antonij tunc gesta. 3 Quæ vero Antonius noster Monachorum pater, cui in corde erat Athanasium suum defendere, & eius aduersarios oppugnare, prout Genebrardus [a] dixit miseram hanc cladem audiens fecerit, & quæ postea acciderint, idem Athanasius in vita ipsius Antonij [b] sic describit: *Præterea cum Balacius, qui sub Nestorio Præfecto Alexandriæ dux Ægypti fuit, homo Arianæ iniquitatis studiosissimus fautor, ita Christi Ecclesiam persequeretur, vt animo vesano virgines, monachosque nudatos verberaret in publico, ad eum Antonius litteras misit, quarum ista sententia est: Video iram Dei venientem super te, desine persequi Christianos, ne te ira occupet, quæ proximum iam tibi minatur interitum. Legit infelix epistolam, & irrisit, atque in eam expuens proiecit in terram: portitores quoque multis afficiens iniurijs; Antonio talia renunciari præcepit. Quoniam cura tibi tantopere monachorum est, etiam ad te mei vigoris transibit disciplina. Sed confestim minatorem oppressit supplicium, & post quinque dies os effrenatum vltio diuina compescuit. Egreditur enim ad primam mansionem Alexandriæ, quæ appellatur Chæream, cum supradicto Ægypti Præfecto Nestorio, vehuntur equis, quos inter omnes Balacius, eius erant, mansuetissimos nutrierat. Cum ergo pariter solito sibimet equi alluderent, mitior quo Nestorius vehebatur, morsu repentino Balacium decussit in terram, ac sic in eum inhians, femora eius lacerauit, atque corrosit, vt statim relatus ad ciuitatem post tertium diem moreretur, vniuersique agnoscerent minarum ab Antonio prædictarum effectum quantocyus consecutum, digno persecutionis fine completo.*

a in Chron. lib. 3. circa annum 335. Christi
b cap. 54.

4 Occasione etiam relatæ Antiochenæ Synodi agit hoc loco Baronius de Audæo, qui etsi communiter, vt hæreticus, & hæresiarcha habeatur, ac proinde a nobis reprobandus; nihilominus quæ de ipso habet Diuus Epiphanius [c], a quo alij mutuarunt, nec spernenda, nec omittenda sunt, vtpote ad monasticam historiam, & monastices

c hæres. 70.

propa-

propagationem spectantia. Sic ergo Epiphanius eo loco: *Sustinuit autem exilium ipse senex Audius ad Scythiæ partes a Rege relegatus, eo quod rebelles faceret populos, & ab Episcopis ad Regem delatus est. Illic vero annorum tempore, haud scio dicere quanto, commoratus est vlterius progressus, & ad intima Gothiæ, multos Gothorum in fide construxit. Ab ipso sane etiam monasteria in eadem Gothia facta sunt, & vita conuersatio instituta, virginitasque ac exercitatio pietatis non vulgaris. Est enim reuera hic ordo in valde admiranda conuersatione, & omnia in ipsorum monasterijs recte se habente, exceptis his contentionibus tum euarsati paschatis, tum peculiaris pertinaciæ in exponendo id quod est secundum imaginem*. Et infra: *Sed & a Gothia habuit aliquos, ipsosque constituit Episcopos. Fuit & Syluanus, & alij quidam, quorum aliqui e vita decesserunt, præsertim Vranius, qui ex medio illorum gloriosus erat. Verum post horum ipsorum Episcoporum, Vranij, & Syluani, qui ex Gothia originem trahebat, obitum, plerique dissipati sunt, & valde imminuta est horum congregatio, & in partibus Chalcidis ad Antiochiam sita, & in partibus Euphratis. Nam à Gothia plerique fugati sunt non solum ex illis, sed etiam nostri illic Christiani persecutione magna instante sub Rege Græco, qui valde malus fuit, & Romanis infestus, eo quod Romani Reges essent Christiani, ita vt tota gens Christianorum ab illis partibus fugata sit, neque restat radix sapientiæ, neq; planta fidei. At tametsi videantur omnes esse fugati, omninò sunt illic homines. Non enim possibile est fidei fontem deficere. Multi igitur ipsorum Audianorum vbi discesserunt a Gothia, & nostris partibus huc delati cohabitant a tempore hoc annorum quatuor, sed a Tauro monte rursus discesserunt eorundem Audianorum Monasteria, & a Palæstina ac Arabia. Erant enim iam dilatati, verum de cætero pauci & pauca Monasteria.*

5 Huic tempori, cum certius aliud ignoretur, ascribenda videtur historia de Regula S. Pachomij Abbatis illi ab Angelo pro monachis præscripta. Ipsam Ægyptiace scriptam, & in Græcum translatam Latinitati reddidit S. Hieronymus, rogante Syluano Monacho, eo tempore, quo S. Paula ex hac vita migrauit. Eam etiam, etsi aliqualiter immutatam, adduximus *sub ann.* 327. ex nostro Bostio. Romæ quoquæ Typis mandarunt Statius Lusitanus ann. 1575. & Petrus Ciaconius ann. 1588. Cassiano a se edito adiungens. Nos porro eam, prout habetur in vita ipsius Pachomij *c.* 21. & 22. sic damus: *Quodam autem tempore cum Pachomius vigilaret, in oratione apparuit illi Angelus Domini, dicens: Voluntas Domini est, ò Pachomi, vt ei pura mente deseruiens, multitudinem congreges monachorum, & iuxta formam, quæ tibi ostensa est, cunctos instituas, ac Deo exhibere contendas. Acceperat enim dudum tabulam, in qua erant hæc adnotata. Singulis iuxta vires suas edere concedas, & bibere, & pro modo vescentium laborare compellas, & neque comedere modeste, neque ieiunare prohibeas. Validioribus quidem & comedentibus, validiora opera, leuiora vero infirmioribus, & abstinentibus imponas. Facies autem diuersas cellulas, & ternos per vnam cellulam manere constituas, omnium vero cibus in vno loco paretur, atque con-*

Pachomij Regula.

suma-

sumatur. Induantur autem noctibus lebitones lineos, praecincti lumbos, habeantque singuli melotem, id est caprinam pellem confectam, albam, sine qua neque comedant, neque dormiant. Accedentes tamen ad communionem sacramentorum Christi, & cingulos soluant, & melotem deponant, & cucullis vtentes tantummodo. Hoc etiam praeceptum erat, vt iuxta numerum elementorum, & Graecarum litterarum 24. Monachorum turma constituerent, ita vt singulis turmis imponerentur singularum nomina litterarum, id est, ab Α, & deinceps vsque ad Ω, vt cum interrogaret Archimandrita de aliquo in multitudine tanta, facili responsione cognosceret. Verbi gratia; cum diceret, qualiter esset Α, vel Ζ, & rursus Λ, vel Ρ, vel Σ, proprio quodam signo nominis littera vniuscuiusque turmae mores exprimeret. Simplicioribus, & innocentioribus nomen imponens, difficilioribus autem, & tortuosis Ξ, competenter accommodans, ita vt pro modo conuersationis, & propositi singulis turmis litterarum elementa conciperent, solis spiritalibus haec ipsa, quae significarent, scire valentibus. Sed & hoc in illa tabula ferebatur adscriptum, vt peregrinus alterius monasterij si veniret habens habitum diuersum, nullus cum eo concederet, excepto eo qui iter agens, id obseruare non posset. Qui vero semel ad hoc intraret monasterium vt ibi iugiter permaneret, per tres annos a studijs sacratioribus arceretur; operaretur tantum opera sua simpliciter, & ita post triennium stadium certaminis introiret. Cum autem comederent, capita sua cucullis operirent, ne frater fratrem videret manducantem, & vt nullus comedens loqueretur, nec praeter mensam suos alibi circumferret aspectus. Necnon ab Angelo qui cum Pachomio loquebatur, hoc quoque constitutum est, vt diurnae orationes 12. fierent & vespertinae 12. & nocturnae 12. Cumque Pachomius diceret, paucas orationes esse, respondit Angelus: Has constitui, quas possent infirmiores absque labore perficere: caeterum qui perfecti sunt hac lege non indigent. Apud se namque in proprijs constituti cellulis, orare non desinunt, qui puritate mentis, & diuina contemplatione pascuntur. Cumque hoc dixisset, nuncius caelestis abscessit, & Pachomius solito Deo gratias referens de visione certus est redditus, quam trina reuelatione cognouerat: coepitque suscipere cunctos qui per poenitentiam se Dei miserationibus offerebant, quos etiam post longam conuersationis experientiam, monachorum coetibus aggregabat, instruens, eos mundi illecebras fugere, sanctisque semper institutionibus inhaerere primitus admonens, vt generaliter monachus vniuerso mundo renuntiet, deinde iuxta Euangelicum praeceptum, parentibus suis, & ad postremum sibimetipsi, vt ita possit tollere crucem suam, & Christi vestigia veneranda sectari.

Animaduertenda. 6 Expendat lector, qualiter vestes illae Monachis Pachomianis ab Angelo descriptae, scilicet lebitones linei, melotes, & pelles albae, ac cinguli, denotent superhumeralia, melotes, cappas albas & zonas, quae Eliae, & ipsius posteris erant in vsu, iuxta dicta *to. 1. sub ann. 3183. & 3204.* & hoc *2. to. in Appar. c. 7.* vt vel hinc inter Eliades hos etiam Pachomianos recensere possimus, & cum Bostio *sub ann. 327.* relato existimare hanc Tabennensem Congregationem Eliani Ordinis veluti appendicem esse.

Porro

7 Porro ij, quibus primum Regulam suam Pachomius tradidit, vtpote primogenitis discipulis, erant Psentheffus, Suris, Obsis, Pecusius, Cornelius, Paulus, alter Pachomius, & Ioannes, prout ex eius vita [a] elicitur. Quomodo autem cum eis se gereret, sic narratur *c.*25. in exemplum sane eorum, qui monachis aut Religiosis præficiuntur: *Omnes autem Christi famulos beatus Pachomius adeo diligebat, vt eis semper compateretur paterno affectu. Senibus etiam, & ægrotantibus, necnon & paruulis misericordiæ opera proprijs manibus ingerebat præ cæteris, eorum mentes munimine spirituali corroborans. Cumque in fide, & in opere multi proficerent, & magnus fratrum numerus augeretur, omnes propemodum satagebant æmulatores esse virtutis. Constituit igitur ex eis præpositos, qui sibi ad lucrandas animas, quæ ad eum quotidie confluebant, adiutores existerent. Plurimis enim, sicut dictum est, ad eum venientibus, & multipliciter in opere spirituali crescentibus, magna quædam conuersationis eorum videbatur esse diuersitas. Quibus senex iuxta datam sibi diuinitus Regulam, gratia Christi se per omnia moderante, pro viribus, & ingenijs singulorum, mensuras, & formas operum custodire censebat; alijs quidem vt labore manuum victum quærerent, alijs vt fratrum occuparentur obsequijs, nec ijsdem cunctis temporibus vescerentur, sed vnusquisque pro labore suo, vel studio continentiæ moderamina retineret. Solicitudinem vero totius dispensationis erga fratres, atque peregrinos, eisdem commisit, qui se in Ordine sequebantur. Vniuersos autem monachos promptos esse ad obedientiam commonebat, vt hoc compendio facile perfectionis apprehenderent celsa fastigia, cordaque sua in timore Christi diligenter excolerent; sic enim Deo potius quam sibi viuerent, dum fructus obedientiæ supplices exhiberent. Hic autem pater venerabilis quamuis esset spiritualibus actibus occupatus, si quando tamen acciderat, vt abesset is cui monasterij curam commiserat, sic adimplebat omnia solus, velut omnium famulus. Et hoc agebat sine aliqua ostentatione, vel iactantia, quæ magnas spiritualium virorum solet euacuare virtutes. Nam summa mentis humilitate cunctos ædificabat in Domino vtiliter vniuersa dispensans. Omnia quoque Monasteria solicite circuibat, vsque dum rursus ad eosdem filios suos paterno repedaret affectu. Quos inueniens in opere Dei solicite vigilare, gaudebat, multumque profectuum eorum lætabatur augmentis.*

Pachomij discipuli.

[a] *c.* 23. & 24.

8 Nec solum viris, sed etiam fœminis Pachomius magisterium præbuit. Vt enim ex Cap. 28. ipsius vitæ habetur, cum ad eum videndum germana eius soror accessisset, illamque videre renuisset, vt ei aliquatenus satisfaceret, procul à se Monasterium construi fecit, in qua tum ipsa, tum plurimæ aliæ religiosæ viuebant. Regulam quoque ijs præscripsit sicut & viris, excepto quod melotas ipsis non concessit. Nihil proprium habebant. Xenia nec dabant, nec recipiebant, & cum ex hac vita migrabant, à Monachis sepeliebantur. De quibus etiam noster Bostius loco relato *sub ann.* 327. vbi etiam de sancta illa Religiosa, quæ pro Christi amore se fatuam, & stultam simulabat.

Fœminæ etiā.

Annus

S. Hieronymus
a to. 4. sub ann. 472.
b in Prælud. ad lib. 1. vit. Patr.

9 Annus iste 342. vel illi proximus, iuxta computum Baronij [a], quem sequitur Heribertus Rosvvedius [b], natalitius fuit S. Hieronymi splendidissimi Ecclesiæ iubaris. Cuius præclara gesta Annalibus nostris debita sunt; cum per multum sane tempus Eremicola, & Monachus fuerit, vt ex sequentibus liquido innotescet, & ipse claris & conceptis verbis sectatorem se esse profiteatur *in Epist ad Paulin.* Pauli, Antonij, Iuliani, Hilarionis, & Macarij, & ex veteri testamento Eliæ, Elisei, & filiorum Prophetarum. Eius verba infra dabimus. Hinc Eliadibus Monachis eum accensent Palæonydorus, Coria, Franciscus a S. Angelo, Thomas a Iesu, Iacobus a S. Philippo, Michael de Fuente, Casanate, & alij historici nostri. Scio iuniores quosdam inter Basilianos monachos eum recensere; alios inter Antonianos. Cæterum ipse, cui magis credendum, de se ipso, & alijs Monachis eius æui loquens, sic dicit in ea Epistola *ad Paulinum*, quæ est 13. & in qua de vita Monastica, eiusque primis institutoribus ex professo agit: *Nos* (Monachi) *habeamus propositi nostri principes, Paulos Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios; & vt ad Scripturarum authoritatem redeam, noster Princeps Elias, noster Eliseus, nostri duces filij Prophetarum &c.* Quibus si iungatur nunquam Hieronymum appellasse Basilium sui *Præceptorem*, sicut vocauit Nazianzenum, nec sui Patrem, Principem, aut Ducem monastici instituti, sicut relatos appellauit, nunquamque cum ipso, aut eius discipulis cohabitasse; ac Antonium solum cum alijs coniunctim monastices Principem nuncupasse; proculdubio elicietur ipsum Eliani instituti, saltem quoad imitationem, sectatorem extitisse. Essenatus quoque cultorem fuisse elici valet ex *Epist. 22. ad Eustochium* vbi Monachos Cœnobitas, ex quibus vnus erat, (siquidem in Betlehemitico Cœnobio longam traxit moram) dicit esse eos, quos Iosephus *Essenos refert*; & in eadem epistola se Eunuchum, seu castratum, & castratum appellans, dum dicit: *Propter cælorum regna me castrassem.* Eunuchorum etenim cognomen Essenis adaptatur, iuxta dicta *in Appar. c. 4. n. 15.* Natus est Stridone oppido in Dalmatia, honestis parentibus, & substantijs mediocribus. Non enim de se ipso, sed de voluptuosis Monachis sui æui (vtinam & non nostri) ex persona tamen sua, humilitatis gratia *epist. 2.* dixit: *Natus in paupere domo, & in tugurio rustico, qui vix milio, & cibario pane rugientem saturare poteram ventrem, nunc similam, & mella fastidio.* De se autem in Epistola ad Theophilum hæc: *Ab adolescentia in monasterij Clausus cellulis magis esse volucrim aliquid quam videri.*

Annus

Annus Christi 343. & 344. Iulij Pont. 7 & 8. Constantij, & Constantis Imper. 7. & 8.

1 CVM Athanasius sub hoc tempore Romæ commoraretur, interim Arriani crebras cogunt Synodos, arte dicendi suum occultantes errorem, Antiochiæ præsertim, vbi nouam edunt fidei professionem, consubstantialitatis tamen Verbi diuini cum Patre vocem reticentes; vt propterea eam tum Romana Ecclesia, tum alij Catholici reiecerint. Athanasius ipse, Sozomenus, & recentiores post ipsos.

2 Contigit eo tempore mors & funus S.Pauli, primi Eremitæ vocati, cum iam 113 esset annorum, & a S.Antonio, qui nonagenarius tunc erat, sepulturæ mandati, prout ex D. Hieronymo in vita eiusdem Pauli cap. 6. & 7. sic habetur: *Cum iam centum tredecim annos beatus Paulus vitam cælestem in terris ageret, & nonagenarius in alia solitudine moraretur Antonius (vt ipse asserere solebat) hac in mentem eius cogitatio incidit, nullum vltra se perfectum Monachum in eremo consedisse. At illi per noctem quiescenti reuelatum est, esse alium interius multo se meliorem, ad quem visendum deberet properare. Illico erumpente luce, venerabilis senex infirmos artus baculo regente sustentans, cœpit ire velle, quo nesciebat. Et iam media dies coquente desuper sole feruebat, nec tamen à cœpto itinere abducebatur, dicens: Credo in Deum meum, quod seruum suum, quem mihi promisit, ostendet. Nec plura his conspicit hominem equo mixtum, cui opinio poëtarum Hippocentaurum vocabulum indidit. Quo viso salutaris impressione signi armat frontem. Et Heus tu, inquit, quanam in parte hic seruus Dei habitat? At ille barbarum nescio quid infrendens, & frangens potius verba, quam proloquens, inter horrentia ora setis blandum quæsiuit eloquium, & dextræ manus protensione cupitum indicat iter, & sic patentes campos volucri transmittens fuga ex oculis mirantis euanuit. Verum hæc vtrum diabolus ad terrendum eum simulauerit, an vt solet, eremus monstrosorum ferax animalium, istam quoque gignat bestiam, incertum habemus. Stupens itaque Antonius & de eo quod viderat secum voluens vlterius progreditur. Nec mora: inter saxosam conuallem haud grandem homunculum videt aduncis naribus fronte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Infractusque & hoc Antonius spectaculo, scutum fidei, & loricam spei bonus præliator arripuit. Nihilominus memoratum animal, palmarum fructus eidem ad viaticum, quasi pacis obsides, offerebat. Quo cognito gradum pressit Antonius, & quisnam esset interrogans, hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum, & vnus ex accolis Eremi, quos vario delusa errore gentilitas Faunos, Satyrosque & incubos vocans, colit. Legatione fungor gregis mei. Precamur, vt pro nobis communem Deum deprecieris, quem pro salute mundi venisse cognouimus, & in vniuersam terram exijt sonus eius. Talia eo loquente, longæuus viator vbertim faciem lacrymis rigabat, quas magnitudo lætitiæ indices cordis effuderat. Gaudebat*

S.Pauli Eremitæ obitus.

quippe de Chriſti gloria, & de interitu Sathanæ, ſimulque admirans, quod eius poſſet intelligere ſermonem, & baculo humum percutiens, aiebat: Væ tibi, Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris: Væ tibi Ciuitas meretrix, in qua totius orbis dæmonia confluxere. Quid nunc dictura es? Beſtiæ Chriſtum loquuntur, & tu pro Deo portenta veneraris. Needum verba compleuerat, & quaſi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Hoc ne cuiquam ob incredulitatem ſcrupulum moueat, ſub Rege Conſtantio, vniuerſo mundo teſte, defenditur. Nam Alexandriam iſtiuſmodi homo viuus perductus magnum populo ſpectaculum præbuit, & poſtea cadauer exanime, ne calore æſtatis diſſiparetur, ſale infuſum, Antiochiam, vt ab Imperatore videretur, allatum eſt.

Inuenitur ab Antonio. a cap. 8. 3 Additur deinde [a], qualiter Antonius per cœptum iter pergens Paulum in ſpelunca latentem repererit, nolentem tamen aperire oſtium, ſed tandem poſt Antonij preces aperientem: *Quo aperto* (pergit hiſtoricus) *dum in mutuos miſcerentur amplexus proprijs ſe ſalutauere nominibus, gratiæ Domino in commune referuntur. Et poſt ſanctum oſculum, reſidens Paulus cum Antonio, ita exorſus eſt: En quem tanto labore quæſiſti putridis ſenectute membris operit inculta canities. En vides hominem puluerem mox futurum. Verum quia Charitas omnia ſuſtinet, narra mihi quæſo quomodo ſe habeat humanum genus, an in antiquis vrbibus noua tecta conſurgant, quo mundus regatur imperio, an ſuperſint aliqui, qui dæmonum errore rapiantur. Inter has ſermocinationes ſuſpiciunt alitem coruum in ramo arboris conſediſſe. Qui inde leniter ſubuolans integrum panem ante mirantium ora depoſuit. Poſt cuius abſceſſum; Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium miſit, vere pius, vere miſericors. Sexaginta iam anni ſunt quod accipio dimidij ſemper panis fragmentum; verum ad aduentum tuum militibus ſuis Chriſtus duplicauit annonam. Igitur Domino gratiarum actione celebrata ſuper vitrei fontis marginem vterque conſedit. Hic vero quis frangeret panem oborta contentio pene diem duxit in veſperum. Paulus more cogebat hoſpitij, Antonius vero refellebat ætatis. Tandem conſilij fuit, vt apprehenſo e regione pane, dum ad ſe quiſque nititur pars cuique ſua remaneret in manibus. Dehinc paululum aquæ in fontem prono ore libarunt, & immolantes Deo ſacrificium laudis noctem tranſegere vigilijs.*

Alia de ipſo, b cap. 8. ſeq. 4 Pergit Hieronymus [b] referre, qualiter Paulus Antonio ſuam mortem prædixerit, & ab ipſo poſtulauerit, vt pallium, quod eidem Antonio Athanaſius dederat, ipſi afferret pro corporis emortui indumento. *c cap. 11.* Item [c] quomodo Paulo obtemperans ad deferendum illi pallium ad monaſterium regreſſus eſſet. Dixiſſitque tunc duobus diſcipulis; *Vidi Eliam, vidi Ioannem in deſerto.* Vere vtique denotans Paulum Eliæ, & Ioannis ſectatorem. Poſteaque ad eum reuerſum eſſe, vt ipſius mortem aſpiceret. *d c. 12. & 13.* Proſequitur hiſce non omittendis, quæ [d] ſic leguntur: *Cumque iam dies illuxiſſet alia, & trium horarum ſpatio viam remeaſſet, vidit inter Angelorum cateruas & inter Prophetarum, & Apoſtolorum choros niueo candore Paulum fulgentem in ſublime conſcendere. Et ſtatim in faciem procidens ſabu-*

lum

lum capiti superiaciebat plorans, atque eiulans aiebat: Cur me Paule dimittis? Cur abis insalutatus? tam tarde notus, tam cito recedis? Referebat postea beatus Antonius, tanta se velocitate, quod reliquum erat viæ, cucurrisse, vt instar auis peruolasset. Nec immerito. Nam introgressus speluncam vidit genibus complicatis, erecta ceruice, extensisque manibus in altum, corpus exanime: ac primum, & ipse, viuere eum credens pariter orabat. Postquam vero nulla, vt solebat, suspiria precantis audiuit, in flebile osculum ruens, intellexit, quod etiam cadauer sancti viri, Deum, cui omnia viuunt, officioso gestu precaretur. Igitur obuoluto, & prolato foras corpore, hymnos quoque & psalmos ex Christiana traditione decantans contristabatur Antonius, quod sarculum, quo terram foderet non haberet; fluctuansque vario mentis æstu, & secum multa reputans, dicebat: Si ad Monasterium reuertar, tridui iter est: Si hic maneam, nihil vltra proficiam. Moriar ergo, vt dignum est, & iuxta bellatorem tuum ruens extremum, Christe, halitum fundam. Talia eo animo voluente, ecce leones duo ex interioris eremi parte currentes, volantibus per colla iubis, ferebantur. Quibus adspectis, primo exhorruit, rursusque ad Deum mentem referens, quasi columbas videret, mansit intrepidus. Et illi quidem directo cursu ad cadauer beati senis substiterunt, adulantibusque caudis circa eius pedes accubuere, fremitu ingenti rugientes prorsus, vt intelligeret eos plangere quomodo poterant. Deinde haud procul cœperunt humum pedibus scalpere, arenamque certatim egerentes, vnius hominis capacem locum effodere, & statim quasi mercedem pro opere postulantes cum motu aurium, ceruice deiecta, ad Antonium perrexerunt, manus eius, pedesque lingentes. At ille animaduertit benedictionem eos a se precari. Nec mora in laudationem Christi effusus, quod muta quoque animalia Deum esse sentirent, ait: Domine, sine cuius nutu nec folium arboris defluit, nec vnus passerum ad terram cadit: da illis sicut tu scis. Et manu annuens, vt abirent imperauit. Cumque illi recessissent, sancti corporis oneri seniles curuauit humeros, & deposito eo in fossam desuper humum congregans tumulum ex more composuit. Postquam autem dies illuxit alia, ne quid pius heres ex intestati bonis non possideret, tunicam eius sibi vendicauit, quam in sportarum modum de palmæ folijs sibi ipsi contexuerat. Ac sic ad monasterium reuersus discipulis ex ordine cuncta replicauit, diebusque solemnibus Pascha, & Pentecostes semper Pauli tunica vestitus est. Defendit hanc historiam contra Hagiomachos Aristarchos Baronius [a] & alij; eamque affert noster Bostius [b].

5 Contigit circa id tempus conuersio Theodori adolescentis celebris Pachomij discipuli, de quo in vita eiusdem Pachomij [c] sic narratur: *Theodorus adolescens annorum ferme 14 Christianis ortus parentibus, & secundum seculum valde clarus, hoc modo conuersus est. Vndecimo die mensis Tibi, id est, octauo Id. Ianuarij, quædam apud Ægyptum celebratur ex more festiuitas. Cernens itaque domum suam nimis amplam, ac splendidam, ac bonis omnibus abundantem per Dei gratiam corde compunctus talia secum capit voluere: Quid tibi proderit infelix Theodore, si totum mundum lucratus fueris, & temporalibus vtens vsquequaque delicijs, ab illis æternis bonis, & immortalibus exclu-*

a sub ann. 34.
b in suo, pecul. histor. c. 18. Theodorus.
c cap. 9.

daris? Nullus enim potest, & præsentibus delicijs perfrui, & perennis gloriæ præmia promereri. Super his ergo fortiter ingemiscens, penetralia suæ domus ingressus est, & procidens in faciem suam cum lacrymis ait: Omnipotens Deus, qui occultorum es cognitor, tu scis quia nihil horum quæ sunt in hoc sæculo amori tuo præpono. Propter quod obsecro te misericors, vt in voluntate tua me dirigas, illuminans animam meam miseram, ne in æterna mortis contenebrata peccatis obdormiat, sed redempta tuo munere per omnia te collaudet, atque glorificet. Hæc eo orante, venit mater illius, & inuenit occulos eius plenos lacrymis, & ait: Quis te contristauit, charissime fili, vt sequestreris a nobis? Nam soliciti, ac dolentes vbique te quærebamus, vt nobiscum pariter epulareris. Qui respondit: Perge, quæso, mater, & cibum sume, quia ego nunc manducare non possum. Nec acquieuit precibus eius, vt cum ea comederet. Et cum ad scholam ambularet, vt litteras disceret, ieiunabat vsque ad vesperam. Frequenter autem, & biduana ieiunia transigebat, per duos annos omnibus pretiosis, & delicatioribus cibis abstinens, seque ad perfectam continentiam, quantum ætas illa patiebatur, extendens. Cœpit itaque secum tractare quatenus, monasterium expeteret, sanctæque se Regulæ manciparet, & deserens omnia quæ habebat, quosdam religiosos viros reperit optima institutione viuentes, habitauitque cum eis in Domini timore proficien[s]. Refertur postea qualiter ad Pachomium venerit eiusque monachus effectus fuerit. Insuper [a] quomodo ad Pachomium mater ipsius Theodori eum reperiturus aduenerit, & quod cum ipse eam videre renuerit, ipsa decreuerit in Monasterio Virginum apud Pachomium permanere. De hoc Theodoro Gennadius [b] ait presbyterum fuisse, successorem gratiæ, & præpositura Pachomij, scripsisse ad monasteria, ibique doctrinæ, & vitæ sui institutoris proposuisse exempla. De eo quoque in Menologio Græcorum 15. Maij agitur, diciturque appellatum fuisse *Sanctificatum*. Plura etiam de illo Ruffinus [c]. Agunt præterea de illo Trithemius [d], & Posseuinus [e], ac Cassanate noster [f], licet non bene cum Bellarmino [g] eum confundat cum alio Theodoro, qui scripsit contra Nestorium, & Euthychetem, & claruit circa ann. 460. Ratio enim & diuersitas temporis arguit esse diuersos hos duos Theodoros.

a cap. 31.

b in Catal. illustr. Eccles. Scriptor. c. 8.

c lib. 3. vit. Pat. sub n. 34. & sub n. 54. & in lib. 5. de vit. Patr. libello 4. n. 18.

d de Scriptorib. Ecclesi. circa ann. 420.

Persecutio Persica.

6 Sæuiens persecutio in Christianos in Perside sub Sapore Rege grassabatur hoc tempore, testimonium perhibentibus Christo multis Monachis pro ipso occisi. Prout ex Sozomeno [a] eliciit Baronius [b]. Apud quos etiam de Mille Episcopo, qui in Ægyptum peregrinauit monachos ibi existentes visurus. Quæ pro nostra historia iuuant.

e in Appar. littera T

f in Paradis. Carm. dec. stat. 3. an. 6. c. 19.

g de Scriptorib. Ecclesiastic.

Annus

Annus Christi 345. & 346. Iulij Papæ 9. & 10. Imper. Constantij, & Constantis 9. & 10.

1 HOC tempore, quo S. Athanasius Roma versabatur a propria sede Arrianorum opera pulsus, Constantius ipsorum fautor pœnas luebat; siquidem contra Persas bellum gerens, nullum prælium feliciter gessit. Interim Gallus, & Iulianus adolescentes Constantij fratris Constantini Magni Imperatoris filij in bonæ clericos cooptati, indolis speciem præferebant, Gallus quidem probitate, Iulianus vero ficta pietatis forma. Imo Iulianus ipse vitam monasticam simulauit, teste Sozomeno [a], in signum sane magnæ æstimationis monachatus, quem ipsi quoque Imperatores æmulari affectarent. Addit de eodem Pseudomonacho Iuliano noster Bostius [b] hæc, quibus eiusdem Iuliani nequitia, & fictus monachatus comprobatur: *Cum ergo Magnæ Religionis simulator esset, quædam mulier habens tres ollas plenas auri, aurum illud in orificijs ollarum cinere ne aurum appareret operuit, & prædictas ollas Iuliano, quem sanctissimum hominem existimabat, coram quibusdam Monachis seruandas tradidit. Quod autem ibidem aurum esset, non alicui indicauit. Iulianus ergo prædictas ollas accipiens, & tam copiosum aurum ibidem inueniens, totum illud aurum furatus est, & ollas impleuit cinere. Post aliquod tempus cum mulier depositum suum inquireret, ille ollas cum cinere sibi reddidit, cum vero mulier aurum requireret, conuincere illum non potuit, quia de auro testes non habuerat, quoniam monachi, coram quibus hoc sibi tradiderat nil in eis, nisi cinerem viderant, & aurum illud obtinuit.* Sane vt alter Iudas auarus, & idcirco monachus nequam.

> Huius temporis euentus.
> a lib. 5. c. 2.
> b lib. 5. c. 10.

2 Quamuis autem tam conspicuus mundo monachismus tunc esset, non deerant tamen eo æuo, sicut nec alio quopiam, discoli aliquot secundum carnem viuentes, nec veterem hominem exuentes, sed post suas concupiscentias ambulantes, quos D. Pachomius ipsorum Pater monitis salutaribus, & precibus Deo fusis, ad rectam frugem redigere conabatur; frustra tamen, vt propterea abierint retro suam vocationem deserentes. Ita enim habet auctor vitæ Pachomij [c] hæc subiungens nostri quoq; sæculi Religiosis aliquot congrue aptandum: *Hæc autem retuli volens ostendere quia sicut nihil obest hominibus sæculo deditis, si se tradiderent monachorum institutis, ita nihil vtilitatis affert monachis professio venerabilis, si negligentes exstiterint, sed nec oratio paterna, nec condescensio eos poterit adiuuare torpentes.*

> Monachismi desertores.
> c cap. 32.

3 Nec etiam deerant (quod plus æquo nostrum sæculum æmulatur) sanctorum monachorum detractores Aristarchi; cum constet Dionysium quendam Presbyterum alias D. Pachomij amicissimum, eum reprehendisse, quod monachos ex alijs Monasterijs ad eum venientes in sequestrato loco iuxta fores exciperet. Sed Pachomius rem excusans pro-

> Monachorum detractores.

nitatem. Ciues ea quæ agebantur indigne ferre, occlamare præsidi, vim protestari, eo quod virgines sanctæ, & incontaminatæ nudatis corporibus nefaria paterentur, iisdemque si contumaciꝰ obsisterent, periculum capitis ingereretur, monachi pedibus oberni expirarent, alij fisco addicerentur, alij gladijs fustibusque mactarentur, alij vulneribus plagisque male mulctati discederent. In sacrosanctam autem mensam (proh!) quanta impietas, & facinora commissa? Et infra: *Nec defuere impij homines, æmuli acerbissimorum persecutorum, qui virgines, continentesque inlectis manibus traherent, raptarent, & ad blasphemiam, dominique abnegationem compellerent, eosque qui id facere recusarent, conciderent, pedibusque obtererent.* Et inferius: *Et ne multus sim in scribendo, persecutio adest, eaque persecutio, qualis nunquam antea aduersus Ecclesiam oborta est.* Ad idem quoque intentum referri posse videtur, quæ idem Athanasius *in epistola*, quam scribit *ad solitariam vitam colentes*, seu illos, qui, vt dicitur in titulo Epistolæ, *in Christo Iesu dicunt: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te*, quos sine dubio Monachos esse pro comperto est. In ea enim plura ad intentum.

Antonij tunc gesta.

3 Quæ vero Antonius noster Monachorum pater, cui in corde erat Athanasium suum defendere, & eius aduersarios oppugnare, prout Genebrardus [a] dixit miseram hanc cladem audiens fecerit, & quæ postea acciderint, idem Athanasius in vita ipsius Antonij [b] sic describit: *Praterea cum Balacius, qui sub Nestorio Præfecto Alexandriæ dux Ægypti fuit, homo Arianæ iniquitatis studiosissimus fautor, ita Christi Ecclesiam persequeretur, vt animo vesano virgines, monachosque nudatos verberaret in publico, ad eum Antonius litteras misit, quarum ista sententia est: Video iram Dei venientem super te, desine persequi Christianos, ne te ira occupet, quæ proximum iam tibi minatur interitum. Legit infelix epistolam, & irrisit, atque in eam expuens proiecit in terram: portitores quoque multis afficiens iniurijs; Antonio talia renunciari præcepit. Quoniam cura tibi tantopere monachorum est, etiam ad te mei vigoris tr insibit disciplina. Sed confestim minatorem oppressit supplicium, & post quinque dies os effrenatum vltio diuina compescuit. Egreditur enim ad primam mansionem Alexandriæ, quæ appellatur Chaream, cum supradicto Ægypti Præfecto Nestorio, vehuntur equis, quos inter omnes Balacius, cuius erant, mansuetissimos nutrirat. Cum ergo pariter solito sibimet equi allūderent, mitior quo Nestorius vehebatur, morsu repentino Balacium decussit in terram, ac sic in eum inhians, femora eius lacerauit, atque corrosit, vt statim relatus ad ciuitatem post tertium diem moreretur, vniuersique agnoscerent minarum ab Antonio prædictarum effectum quantocyus consecutum, digno persecutionis fine completo.*

a in Chron. lib. 3. circa annum 335. Christi. b cap. 54.

4 Occasione etiam relatæ Antiochenæ Synodi agit hoc loco Baronius de Audæo, qui etsi communiter, vt hæreticus, & hæresiarcha habeatur, ac proinde a nobis reprobandus; nihilominus quæ de ipso habet Diuus Epiphanius [c], a quo alij mutuarunt, nec spernenda, nec omittenda sunt, vtpote ad monasticam historiam, & monastices propa-

c hæres. 70.

propagationem spectantia. Sic ergo Epiphanius eo loco: *Sustinuit autem exilium ipse senex Audius ad Scythiæ partes a Rege relegatus, eo quod rebelles faceret populos, & ab Episcopis ad Regem delatus est. Illic vero annorum tempore, haud scio dicere quanto, commoratus est vlterius progressus, & ad intima Gothiæ, multos Gothorum in fide construxit. Ab ipso sane etiam monasteria in eadem Gothia facta sunt, & vita conuersatio instituta, virginitasque ac exercitatio pietatis non vulgaris. Est enim reuera hic ordo in valde admiranda conuersatione, & omnia in ipsorum monasterijs recte se habente, exceptis his contentionibus tum euartati paschatis, tum peculiaris pertinaciæ in exponendo id quod est secundum imaginem*. Et infra: *Sed & a Gothia habuit aliquos, ipsosque constituit Episcopos. Fuit & Syluanus, & alij quidam, quorum aliqui e vita decesserunt, præsertim Uranius, qui ex medio illorum gloriosus erat. Verum post horum ipsorum Episcoporum, Uranij, & Syluani, qui ex Gothia originem trahebat, obitum, plerique dissipati sunt, & valde imminuta est horum congregatio, & in partibus Chalcidis ad Antiochiam sita, & in partibus Euphratis. Nam a Gothia plerique fugati sunt non solum ex illis, sed etiam nostri illic Christiani persecutione magna instante sub Rege Græco, qui valde malus fuit, & Romanis infestus, eo quod Romani Reges essent Christiani, ita vt tota gens Christianorum ab illis partibus fugata sit, neque restat radix sapientiæ, neq; planta fidei. At tametsi videantur omnes esse fugati, omninò sunt illic homines. Non enim possibile est fidei fontem deficere. Multi igitur ipsorum Audianorum vbi discesserunt a Gothia, & nostris partibus huc delatis cohabitant a tempore hoc annorum quatuor, sed a Tauro monte rursus discesserunt eorundem Audianorum Monasteria, & a Palæstina ac Arabia. Erant enim iam dilatatis, verum de cætero pauci & pauca Monasteria.*

5 Huic tempori, cum certius aliud ignoretur, ascribenda videtur historia de Regula S. Pachomij Abbatis illi ab Angelo pro monachis præscripta. Ipsam Ægyptiace scriptam, & in Græcum translatam Latinitati reddidit S. Hieronymus, rogante Syluano Monacho, eo tempore, quo S. Paula ex hac vita migrauit. Eam etiam, etsi aliqualiter immutatam, adduximus *sub ann.* 327. ex nostro Bostio. Romæ quoque Typis mandarunt Statius Lusitanus ann. 1575. & Petrus Ciaconius ann. 1588. Cassiano a se edito adiungens. Nos porro eam, prout habetur in vita ipsius Pachomij *c.* 21. & 22. sic damus: *Quodam autem tempore cum Pachomius vigilaret, in oratione apparuit illi Angelus Domini, dicens: Voluntas Domini est, ò Pachomi, vt ei pura mente deseruiens, multitudinem congreges monachorum, & iuxta formam, quæ tibi ostensa est, cunctos instituas, ac Deo exhibere contendas. Acceperat enim dudum tabulam, in qua erant hæc adnotata. Singulis iuxta vires suas edere concedas, & bibere, & pro modo vescentium laborare compellas, & neque comedere modeste, neque ieiunare prohibeas. Validioribus quidem & comedentibus, validiora opera, leuiora vero infirmioribus, & abstinentibus imponas. Facies autem diuersas cellulas, & ternos per vnam cellulam manere constituas, omnium vero cibus in vno loco paretur, atque con-*

Pachomij Regula.

suma-

sumatur. Induantur autem noctibus lebitones lineos, praecincti lumbos, habeantque singuli melotem, idest caprinam pellem confectam, albam, sine qua neque comedant, neque dormiant. Accedentes tamen ad communionem sacramentorum Christi, & cingulos soluant, & melotem deponant, & cucullis vtentes tantummodo. Hoc etiam praeceptum erat, vt iuxta numerum elementorum, & Graecarum litterarum 24. Monachorum turmae constituerent, ita vt singulis turmis imponerentur singularum nomina litterarum, id est, ab Α, & deinceps vsque ad Ω, vt cum interrogaret Archimandrita de aliquo in multitudine tanta, facili responsione cognosceret. Verbi gratia; cum diceret, qualiter esset Α, vel Ζ, & rursus Λ, vel Ρ, vel Σ, proprio quodam signo nominis litterae vniuscuiusque turmae mores exprimeret. Simplicioribus, & innocentioribus nomen imponens, difficilioribus autem, & tortuosis Ξ, competenter accommodans, ita vt pro modo conuersationis, & propositi singulis turmis litterarum elementa concinerent, solis spiritalibus haec ipsa, quae significarent, scire valentibus. Sed & hoc in illa tabula ferebatur adscriptum, vt peregrinus alterius monasterij si veniret habens habitum diuersum, nullus cum eo comederet, excepto eo qui iter agens, id obseruare non posset. Qui vero semel ad hoc intraret monasterium vt ibi iugiter permaneret, per tres annos a studijs sacratioribus arceretur; operaretur tantum opera sua simpliciter, & ita post triennium stadium certaminis introiret. Cum autem comederent, capita sua cucullis operirent, ne frater fratrem videret manducantem, & vt nullus comedens loqueretur, nec praeter mensam suos alibi circumferret aspectus. Necnon ab Angelo qui cum Pachomio loquebatur, hoc quoque constitutum est, vt diurnae orationes 12. fierent & vespertinae 12. & nocturnae 12. Cumque Pachomius diceret, paucas orationes esse, respondit Angelus: Has constitui, quas possent infirmiores absque labore perficere: caeterum qui perfecti sunt, hac lege non indigent. Apud se namque in proprijs constituti cellulis, orare non desinunt, qui puritate mentis, & diuina contemplatione pascuntur. Cumque hoc dixisset, nuncius caelestis abscessit, & Pachomius solite Deo gratias referens de visione certus est redditus, quam trina reuelatione cognouerat: coepitque suscipere cunctos qui per poenitentiam se Dei miserationibus offerebant, quos etiam post longam conuersationis experientiam, monachorum coetibus aggregabat, instruens eos mundi illecebras fugere, sanctisque semper institutionibus inhaerere primitus admonens, vt generaliter monachus vniuerso mundo renuntiet, deinde iuxta Euangelicum praeceptum, parentibus suis, & ad postremum sibimetipsi, vt ita possit tollere crucem suam, & Christi vestigia veneranda sectari.

Animaduertenda.

6 Expendat lector, qualiter vestes illae Monachis Pachomianis ab Angelo descriptae, scilicet lebitones linei, melotes, & pelles albae, ac cinguli, denotent superhumeralia, melotes, cappas albas & zonas, quae Eliae, & ipsius posteris erant in vsu, iuxta dicta *to. 1. sub ann, 3183. & 3204.* & hoc *2. to. in Appar. c. 7.* vt vel hinc inter Eliades hos etiam Pachomianos recensere possimus, & cum Bostio *sub ano. 327.* relato existimare hanc Tabennensem Congregationem Eliani Ordinis veluti appendicem esse.

Porro

7 Porro ij, quibus primum Regulam suam Pachomius tradidit, vtpote primogenitis discipulis, erant Psentheſſus, Suris, Obſis, Pecuſius, Cornelius, Paulus, alter Pachomius, & Ioannes, prout ex eius vita [a] elicitur. Quomodo autem cum eis se gereret, sic narratur *c.25.* in exemplum sane eorum, qui monachis aut Religiosis præficiuntur: *Omnes autem Christi famulos beatus Pachomius adeo diligebat, vt eis semper compateretur paterno affectu. Senibus etiam, & ægrotantibus, necnon & paruulis misericordiæ opera proprijs manibus ingerebat præ cæteris, eorum mentes munimine spirituali corroborans. Cumque in fide, & in opere multi proficerent, & magnus fratrum numerus augeretur, omnes propemodum satagebant æmulatores esse virtutis. Constituit igitur ex eis præpositos, qui sibi ad lucrandas animas, quæ ad eum quotidie confluebant, adiutores existerent. Plurimis enim, sicut dictum est, ad eum venientibus, & multipliciter in opere spirituali crescentibus, magna quædam conuersationis eorum videbatur esse diuersitas. Quibus senex iuxta datam sibi diuinitus Regulam, gratia Christi se per omnia moderante, pro viribus, & ingenijs singulorum, mensuras, & formas operum custodire censebat; alijs quidem vt labore manuum victum quærerent, alijs vt fratrum occuparentur obsequijs, nec ijsdem cunctis temporibus vescerentur, sed vnusquisque pro labore suo, vel studio continentiæ moderamina retineret. Solicitudinem vero totius dispensationis erga fratres, atque peregrinos, eisdem commisit, qui se in Ordine sequebantur. Vniuersos autem monachos promptos esse ad obedientiam commonebat, vt hoc compendio facile perfectionis apprehenderent celsa fastigia, cordaque sua in timore Christi diligenter excolerent; sic enim Deo potius quam sibi viuerent, dum fructus obedientiæ supplices exhiberent. Hic autem pater venerabilis quamuis esset spiritualibus actibus occupatus, si quando tamen acciderat, vt abesset is cui monasterij curam commiserat, sic adimplebat omnia solus, velut omnium famulus. Et hoc agebat sine aliqua ostentatione, vel iactantia, quæ magnas spiritualium virorum solet euacuare virtutes. Nam summa mentis humilitate cunctos ædificabat in Domino vtiliter vniuersa dispensans. Omnia quoque Monasteria solicite circuibat, vsque dum rursus ad eosdem filios suos paterno repedaret affectu. Quos inueniens in opere Dei solicite vigilare, gaudebat, multumque profectuum eorum lætabatur augmentis.*

Pachomij discipuli.

a *c.23. & 24.*

8 Nec solum viris, sed etiam fœminis Pachomius magisterium præbuit. Vt enim ex Cap. 28. ipsius vitæ habetur, cum ad eum videndum germana eius soror accessisset, illamque videre renuisset, vt ei aliquatenus satisfaceret, procul à se Monasterium construi fecit, in qua tum ipsa, tum plurimæ aliæ religiosæ viuebant. Regulam quoque ijs præscripsit sicut & viris, excepto quod melotas ipsis non concessit. Nihil proprium habebant. Xenia nec dabant, nec recipiebant, & cum ex hac vita migrabant, à Monachis sepeliebantur. De quibus etiam noster Bostius loco relato *sub ann.* 327. vbi etiam de sancta illa Religiosa, quæ pro Christi amore se fatuam, & stultam simulabat.

Fœminæ etiã.

Annus

S. Hieronymus
a *To. 4. sub ann. 472.*
b *in Prælud. ad lib. 1. vit. Patr.*

9 Annus iste 342: vel illi proximus, iuxta computum Baronij [a], quem sequitur Heribertus Rosvvedius [b], natalitius fuit S. Hieronymi splendidissimi Ecclesiæ iubaris. Cuius præclara gesta Annalibus nostris debita sunt; cum per multum sane tempus Eremicola, & Monachus fuerit, vt ex sequentibus liquido innotescet, & ipse claris & conceptis verbis sectatorem se esse profiteatur *in Epist ad Paulin.* Pauli, Antonij, Iuliani, Hilarionis, & Macarij, & ex veteri testamento Eliæ, Elisei, & filiorum Prophetarum. Eius verba infra dabimus. Hinc Eliadibus Monachis eum accensent Palæonydorus, Coria, Franciscus a S. Angelo, Thomas a Iesu, Iacobus a S. Philippo, Michael de Fuente, Casanate, & alij historici nostri. Scio iuniores quosdam inter Basilianos monachos eum recensere; alios inter Antonianos. Cæterum ipse, cui magis credendum, de se ipso, & alijs Monachis eius æui loquens, sic dicit in ea Epistola *ad Paulinum*, quæ est 13. & in qua de vita Monastica, eiusque primis institutoribus ex professo agit: *Nos* (Monachi) *habeamus propositi nostri principes, Paulos Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios; & vt ad Scripturarum authoritatem redeam, noster Princeps Elias, noster Eliseus, nostri duces filij Prophetarum &c.* Quibus si iungatur nunquam Hieronymum appellasse Basilium sui *Præceptorem*, sicut vocauit Nazianzenum, nec sui Patrem, Principem, aut Ducem monastici instituti, sicut relatos appellauit, nunquamque cum ipso, aut eius discipulis cohabitasse; ac Antonium solum cum alijs coniunctim monastices Principem nuncupasse; proculdubio elicietur ipsum Eliani instituti, saltem quoad imitationem, sectatorem extitisse. Essenatus quoque cultorem fuisse elici valet ex *Epist. 22. ad Eustochium* vbi Monachos Cœnobitas, ex quibus vnus erat, (siquidem in Betlehemitico Cœnobio longam traxit moram) dicit esse eos, quos Iosephus *Essenos refert*; & in eadem epistola se Eunuchum, seu castratum, & castratum appellans, dum dicit: *Propter cælorum regna me castrassem.* Eunuchorum etenim cognomen Essenis adaptatur, iuxta dicta *in Appar. c. 4. n. 15.* Natus est Stridone oppido in Dalmatia, honestis parentibus, & substantijs mediocribus. Non enim de se ipso, sed de voluptuosis Monachis sui æui (vtinam & non nostri) ex persona tamen sua, humilitatis gratia *epist. 2.* dixit: *Natus in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui vix milio, & cibario pane rugientem saturare poteram ventrem, nunc similam, & mella fastidio.* De se autem in Epistola ad Theophilum hæc: *Ab adolescentia in monasterij clausus cellulis magis esse volueris aliquid quam videri.*

Annus

Annus Christi 343.& 344. Iulij Pont. 7 & 8. Constantij, & Constantis Imper. 7. & 8.

1 CVM Athanasius sub hoc tempore Romæ commoraretur, interim Arriani crebras cogunt Synodos, arte dicendi suum occultantes errorem, Antiochiæ præsertim, vbi nouam edunt fidei professionem, consubstantialitatis tamen Verbi diuini cum Patre vocem reticentes; vt propterea eam tum Romana Ecclesia, tum alij Catholici reiecerint. Athanasius ipse, Sozomenus, & recentiores post ipsos.

2 Contigit eo tempore mors & funus S.Pauli, primi Eremitæ vocati, cum iam 113 esset annorum, & a S.Antonio, qui nonagenarius tunc erat, sepulturæ mandati, prout ex D. Hieronymo in vita eiusdem Pauli cap. 6. & 7. sic habetur: *Cum iam tentum tredecim annos beatus Paulus vitam cælestem in terris ageret, & nonagenarius in alia solitudine moraretur Antonius (vt ipse asserere solebat) hac in mentem eius cogitatio incidit, nullum vltra se perfectum Monachum in eremo consedisse. At illi per noctem quiescenti reuelatum est, esse alium interius multo se meliorem, ad quem visendum deberet properare. Illico erumpente luce, venerabilis senex infirmos artus baculo regente sustentans, cœpit ire velle, quo nesciebat. Et iam media dies coquente desuper sole feruebat, nec tamen à cœpto itinere abducebatur, dicens: Credo in Deum meum, quod seruum suum, quem mihi promisit, ostendet. Nec plura his conspicit hominem equo mixtum, cui opinio poëtarum Hippocentaurum vocabulum indidit. Quo viso salutaris impressione signi armat frontem. Et Heus tu, inquit, quanam in parte hic seruus Dei habitat? At ille barbarum nescio quid infrendens, & frangens potius verba, quam proloquens, inter horrentia ora setis blandum quæsiuit eloquium, & dextræ manus protensione cupitum indicat iter, & sic patentes campos volucri transmittens fuga ex oculis mirantis euanuit. Verum hæc vtrum diabolus ad terrendum eum simulauerit, an vt solet, eremus monstrorum ferax animalium, istam quoque gignat bestiam, incertum habemus. Stupens itaque Antonius & de eo quod viderat secum voluens vlterius progreditur. Nec mora: inter saxosam conuallem haud grandem homunculum videt aduncis naribus fronte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Infractusque & hoc Antonius spectaculo, scutum fidei, & loricam spei bonus prœliator arripuit. Nihilominus memoratum animal, palmarum fructus eidem ad viaticum, quasi pacis obsides, offerebat. Quo cognito gradum pressit Antonius, & quisnam esset interrogans, hoc ab eo responsum accepit. Mortalis ego sum, & vnus ex accolis Eremi, quos vario delusa errore gentilitas Faunos, Satyrosque & incubos vocans, colit. Legatione fungor gregis mei. Precamur, vt pro nobis communem Deum depreceris, quem pro salute mundi venisse cognouimus, & in vniuersam terram exijt sonus eius. Talia eo loquente, longæuus viator vbertim faciem lacrymis rigabat, quas magnitudo lætitiæ indices cordis effuderat. Gaudebat*

S.Pauli Eremitæ obitus.

quippe de Christi gloria, & de interitu Sathanæ, simulque admirans, quod eius posset intelligere sermonem, & baculo humum percutiens, aiebat: Væ tibi, Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris: Væ tibi Ciuitas meretrix, in qua totius orbis dæmonia confluxere. Quid nunc dictura es? Bestiæ Christum loquuntur, & tu pro Deo portenta veneraris. Necdum verba compleuerat, & quasi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Hoc ne cuiquam ob incredulitatem scrupulum moueat, sub Rege Constantio, vniuerso mundo teste, defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo viuus perductus magnum populo spectaculum præbuit, & postea cadauer exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infusum, Antiochiam, vt ab Imperatore videretur, allatum est.

Inuenitur ab Antonio. a cap. 8. 3 Additur deinde [a], qualiter Antonius per cœptum iter pergens Paulum in spelunca latentem repererit, nolentem tamen aperire ostium, sed tandem post Antonij preces aperientem: *Quo aperto* (pergit historicus) *dum in mutuos miscerentur amplexus proprijs se salutauere nominibus, gratiæ Domino in commune referuntur. Et post sanctum osculum, residens Paulus cum Antonio, ita exorsus est: En quem tanto labore quæsisti putridis senectute membris operit inculta canities. En vides hominem puluerem mox futurum. Verum quia Charitas omnia sustinet, narra mihi quæso quomodo se habeat hominum genus, an in antiquis vrbibus noua tecta consurgant, quo mundus regatur imperio, an supersint aliqui, qui dæmonum errore rapiantur. Inter has sermocinationes suspiciunt alitem coruum in ramo arboris consedisse. Qui inde leniter subuolans integrum panem ante mirantium ora deposuit. Post cuius abscessum: Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium misit, vere pius, vere misericors. Sexaginta iam anni sunt quod accipio dimidij semper panis fragmentum; verum ad aduentum tuum militibus suis Christus duplicauit annonam. Igitur Domino gratiarum actione celebrata super vitrei fontis marginem vterque consedit. Hic vero quis frangeret panem oborta contentio pene diem duxit in vesperum. Paulus more cogebat hospitij, Antonius vero refellebat ætatis. Tandem consilij fuit, vt apprehenso è regione pane, dum ad se quisque nititur pars cuique sua remaneret in manibus. Dehinc paululum aquæ in fontem prono ore libarunt, & immolantes Deo sacrificium laudis noctem transegere vigilijs.*

Alia de ipso. b cap. 8. seq. 4 Pergit Hieronymus [b] referre, qualiter Paulus Antonio suam mortem prædixerit, & ab ipso postulauerit, vt pallium, quod eidem Antonio Athanasius dederat, ipsi afferret pro corporis emortui indumento.
c cap. 11. Item [c] quomodo Paulo obtemperans ad deferendum illi pallium ad monasterium regressus esset. Dixitque tunc duobus discipulis; *Vidi Eliam, vidi Ioannem in deserto.* Vere vtique denotans Paulum Eliæ, & Ioannis sectatorem. Posteaque ad eum reuersum esse, vt ipsius mortem aspice-
d c. 12. & 13. ret. Prosequitur hisce non omittendis, quæ [d] sic leguntur: *Cumque iam dies illuxisset alia, & trium horarum spatio viam remeauisset, vidit inter Angelorum cateruas & inter Prophetarum, & Apostolorum choros niueo candore Paulum fulgentem in sublime conscendere. Et statim in faciem procidens sabulum*

lum capiti superiaciebat plorans, atque eiulans aiebat: Cur me Paule dimittis? Cur abis insalutatus? tam tarde notus, tam cito recedis? Referebat postea beatus Antonius, tanta se velocitate, quod reliquum erat viæ, cucurrisse, vt instar auis peruolasset. Nec immerito. Nam introgressus speluncam vidit genibus complicatis, erecta ceruice, extensisque manibus in altum, corpus exanime: ac primum, & ipse, viuere eum credens pariter orabat. Postquam vero nulla, vt solebat, suspiria precantis audiuit, in flebile osculum ruens, intellexit, quod etiam cadauer sancti viri, Deum, cui omnia viuunt, officioso gestu precaretur. Igitur obuoluto, & prolato foras corpore, hymnos quoque & psalmos ex Christiana traditione decantans contristabatur Antonius, quod sarculum, quo terram foderet non haberet; fluctuansque vario mentis æstu, & secum multa reputans, dicebat: Si ad Monasterium reuertar, tridui iter est: Si hic mancam, nihil vltra proficiam. Moriar ergo, vt dignum est, & iuxta bellatorem tuum ruens extremum, Christe, halitum fundam. Talia eo animo voluente, ecce leones duo ex interioris eremi parte currentes, volantibus per colla iubis, ferebantur. Quibus adspectis, primo exhorruit, rursusque ad Deum mentem referens, quasi columbas videret, mansit intrepidus. Et illi quidem directo cursu ad cadauer beati senis substiterunt, adulantibusque caudis circa eius pedes accubuere, fremitu ingenti rugientes prorsus, vt intelligeret eos plangere quomodo poterant. Deinde haud procul cœperunt humum pedibus scalpere, arenamque certatim egerentes, vnius hominis capacem locum effodere, & statim quasi mercedem pro opere postulantes cum motu aurium, ceruice deiecta, ad Antonium perrexerunt, manus eius, pedesque lingentes. At ille animaduertit benedictionem eos a se precari. Nec mora in laudationem Christi effusus, quod muta quoque animalia Deum esse sentirent, ait: Domine, sine cuius nutu nec folium arboris defluit, nec vnus passerum ad terram cadit: da illis sicut tu scis. Et manu annuens, vt abirent imperauit. Cumque illi recessissent, sancti corporis oneri seniles curuauit humeros, & deposito eo in fossam desuper humum congregans tumulum ex more composuit. Postquam autem dies illuxit alia, ne quid pius heres ex intestati bonis non possideret, tunicam eius sibi vendicauit, quam in sportarum modum de palmæ folijs sibi ipsi contexuerat. Ac sic ad monasterium reuersus discipulis ex ordine cuncta replicauit, diebusque solemnibus Pascha, & Pentecostes semper Pauli tunica vestitus est. Defendit hanc historiam contra Hagiomachos Aristarchos Baronius [a] & alij, eamque affert noster Bostius [b]. *a sub ann.34. b in suo, speculo histor. c. 18.*

5 Contigit circa id tempus conuersio Theodori adolescentis celebris Pachomij discipuli, de quo in vita eiusdem Pachomij [c] sic narratur: *Theodorus.* *c cap. 9.*
Theodorus adolescens annorum ferme 14. Christianis ortus parentibus, & secundum seculum valde claris, hoc modo conuersus est. Vndecimo die mensis Tibi, id est, octauo Id. Ianuarij, quædam apud Ægyptum celebratur ex more festiuitas. Cernens itaque domum suam nimis amplam, ac splendidam, ac bonis omnibus abundantem per Dei gratiam corde compunctus tacitus secum capit voluere. Quid tibi proderit infelix Theodore, si totum mundum lucratus fueris, & temporalibus vtens vsquequaque delicijs, ab illis æternis bonis, & immortalibus exclu-

daris? Nullus enim potest, & præsentibus delicijs perfrui, & perennis gloriæ præmia promereri. Super his ergo fortiter ingemiscens, penetralia suæ domus ingressus est, & procidens in faciem suam cum lacrymis ait: Omnipotens Deus, qui occultorum es cognitor, tu scis quia nihil horum quæ sunt in hoc sæculo amori tuo præpono. Propter quod obsecro te misericors, vt in voluntate tua me dirigas, illuminans animam meam miseram, ne in æternæ mortis contenebrata peccatis obdormiat, sed redempta tuo munere per omnia te collaudet, atque glorificet. Hæc eo orante, venit mater illius, & inuenit occulos eius plenos lacrymis, & ait: Quis te contristauit, charissime fili, vt sequestreris a nobis? Nam soliciti, ac dolentes vbique te quærebamus, vt nobiscum pariter epulareris. Qui respondit: Perge, quæso, mater, & cibum sume, quia ego nunc manducare non possum. Nec acquieuit precibus eius, vt cum ea comederet. Et cum ad scholam ambularet, vt litteras disceret, ieiunabat vsque ad vesperam. Frequenter autem, & biduana ieiunia transigebat, per duos annos omnibus pretiosis, & delicatioribus cibis abstinens, seque ad perfectam continentiam, quantum ætas illa patiebatur, extendens. Cœpit itaque secum tractare quatenus, monasterium expeteret, sanctæque se Regulæ manciparet, & deserens omnia quæ habebat, quosdam religiosos viros reperit optima institutione viuentes, habitauitque cum eis in Domini timore proficien[s]. Refertur postea qualiter ad Pachomium venerit eiusque monachus effectus fuerit. Insuper [a] quomodo ad Pachomium mater ipsius Theodori eum repetiturus aduenerit, & quod cum ipse eam videre renuerit, ipsa decreuerit in Monasterio Virginum apud Pachomium permanere. De hoc Theodoro Gennadius [b] ait presbyterum fuisse, successorem gratiæ, & præpositurææ Pachomij, scripsisse ad monasteria, ibique doctrinæ, & vitæ sui institutoris proposuisse exempla. De eo quoque in Menologio Græcorum 15 Maij agitur, dicturque appellatum fuisse *Sanctificatum*. Plura etiam de illo Ruffinus [c]. Agunt præterea de illo Trithemius [d], & Posseuinus [e], ac Cassanare noster [f], licet non bene cum Bellarmino [g] eum confundat cum alio Theodoro, qui scripsit contra Nestorium, & Euthychetem, & clarum circa ann. 460. Ratio enim & diuersitas temporis arguit esse diuersos duos Theodoros.

a cap. 31.
b in Catal. illustr. Eccles. Scriptor. c. 8.
c lib. 3. vit Pat. sub n 34. & sub n. 54. & in lib. 5. de vit. Patr. libello 4. n. 18.
d de Script. rib Eccles. circa ann. 420.

Persecutio Persica

6 Sæuiens persecutio in Christianos in Perside sub Sapore Rege grassabatur hoc tempore, testimonium perhibentibus Christo multis Monachis pro ipso occisis, Prout ex Sozomeno [a] elicit Baronius [b]. Apud quos etiam de Mille Episcopo, qui in Ægyptum peregrinauit monachos ibi existentes visurus. Quæ pro nostra historia iuuant.

a in Appar. littera T
f in Paradis. Carm dec stat. 3. c. 1. 6. c. 9.
g de Scriptorib. Ecclesiastic.

Annus

Annus Christi 345. & 346. Iulij Papæ 9. & 10. Imper. Constantij, & Constantis 9. & 10.

1 HOC tempore, quo S. Athanasius Romæ versabatur a propria sede Arrianorum opera pulsus, Constantius ipsorum fautor pœnas luebat; siquidem contra Persas bellum gerens, nullum prælium feliciter gessit. Interim Gallus, & Iulianus adolescentes Constantij fratris Constantini Magni Imperatoris filij in bonæ clericos cooptati, indolis speciem præferebant, Gallus quidem probitate, Iulianus vero ficta pietatis forma. Imo Iulianus ipse vitam monasticam simulauit, teste Sozomeno [a], in signum sane magnæ æstimationis monachatus, quem ipsi quoque Imperatores æmulari affectarent. Addit de eodem Pseudomonacho Iuliano noster Bostius [b] hæc, quibus eiusdem Iuliani nequitia, & fictus monachatus comprobatur: *Cum ergo Magnæ Religionis simulator esset, quædam mulier habens tres ollas plenas auri, aurum illud in orificijs ollarum cinere ne aurum appareret operuit, & prædictas ollas Iuliano, quem sanctissimum hominem existimabat, coram quibusdam Monachis seruandas tradidit. Quod autem ibidem aurum esset, non alicui indicauit. Iulianus ergo prædictas ollas accipiens, & tam copiosum aurum ibidem inueniens, totum illud aurum furatus est, & ollas impleuit cinere. Post aliquod tempus cum mulier depositum suum inquireret, ille ollas cum cinere sibi reddidit, cum vero mulier aurum requireret, conuincere illum non potuit, quia de auro testes non habuerat, quoniam monachi, coram quibus hoc sibi tradiderat nil in eis, nisi cinerem viderant, & aurum illud obtinuit.* Sane vt alter Iudas auarus, & idcirco monachus nequam.

Huius temporis euentus.

a lib. 5. c. 2.

b lib. 5. c. 50.

2 Quamuis autem tam conspicuus mundo monachismus tunc esset, non deerant tamen eo æuo, sicut nec alio quopiam, discoli aliquot secundum carnem viuentes, nec veterem hominem exuentes, sed post suas concupiscentias ambulantes, quos D. Pachomius ipsorum Pater monitis salutaribus, & precibus Deo fusis, ad rectam frugem redigere conabatur; frustra tamen, vt propterea abierint retro suam vocationem deserentes. Ita enim habet auctor vitæ Pachomij [c] hæc subiungens nostri quoq; sæculi Religiosis aliquot congrue aptandum: *Hæc autem retuli volens ostendere quia sicut nihil obest hominibus sæculo deditis, si se tradiderent monachorum institutis, ita nihil vtilitatis affert monachis professio venerabilis, si negligentes existunt, sed nec oratio paterna, nec condescensio eos poterit adiuuare torpentes.*

Monachismi defectores.

c cap. 32.

3 Nec etiam deerant (quod plus æquo nostrum sæculum æmulatur) sanctorum monachorum detractores Aristarchi; cum constet Dionysium quendam Presbyterum alias D. Pachomij amicissimum, eum reprehendisse, quod monachos ex alijs Monasterijs ad eum venientes in sequestrato loco iuxta fores exciperet. Sed Pachomius rem excusans pro-

Monachorum detractores.

pter nuper conuersos, & paruulos, a reprehensore sanctus iudicatur. Eo præsertim quod vidit Hæmorrhoißam quandam tactu cuculli ipsius sanari. Auctor vitæ Pachomij [a].

a cap. 33 & 34.

Cuculli monachorum.

4 Eliciat ex hoc lector cucullorum vsum, quibus caput tegebant, apud Monachos fuisse. De quibus etiam mentio fit in Regula Pachomij in superioribus descripta, vbi dicitur quod monachi accedentes ad sacram Synaxim *cucullis* vterentur. Quod etiam firmatur ex Cassiano [b] vbi sic. *Sunt præterea quædam in ipso Ægyptiorum habitu non tantum ad curam corporis, quantum ad morum formulam congruentia, quo simplicitatis, & innocentiæ obseruantia etiam in ipsa vestitus qualitate teneatur. Cucullis namque perparuis vsque ad ceruicis humerorumque demissis confinia, quibus tantum capita contegant, indesinenter diebus vtuntur ac noctibus, scilicet vt innocentiã, & simplicitatem paruulorum iugiter custodire etiam imitatione ipsius velaminis commoneantur, qui reuersi ad infantiam Christi cunctis horis cum affectu ac virtute decantant: Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me; si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam, sicut ablactatus est super matrem suam.* Huiusmodi autem cucullos non nimis paruulos fuisse constat ex *lib. 5. vit. Patr. libell. 6. n.* 8. vbi narratur de Abbate Isaac, quod cum aliquando frater quidam in Conuentum Cellarum modico vestitus cucullo apparuisset, eum aspiceret dicens: *Hic monachorum est habitatio, tu sæcularis es, & non poteris hic esse.*

b lib. 1. de Inst. c. 4.

Monacus clericatum ambiens.

5 Refertur etiam de eodem Pachomio [c] quod cum quidam monachorum Pater ad eum venisset interrogans an cuidam monacho clericatum ambienti concedi deberet, ipse annuerit, & quod post aliquod tempus ille voti compos effectus ad ipsum etiam venerit dicens: *O homo Dei, multum sublimatus es a Deo, qui discernens ea quæ pertinent ad salutem malum in bono vicisti; si ergo non fuisses erga me mitis, atque longanimis, sed aliquid in me rigidum protulisses, ab hoc discedens habitu, a Deo prorsus alienus efficerer. Nunc autem benedictus tu Domino perquem anima mea salua facta est.* Discant hinc Religiosorum Prælati quandoque oportere annuere subditis in ijs quoque quæ minus bona videntur, vt ipsis condescendendo in paucis, eorum animas lucrentur Deo.

c cap. 35.

Historia Sancti Thais.

6 Occurrit huic anno 346. historia S. Thaisis meretricis, iuxta Floriarium sanctorum, quod refert Heribertus [d]. Conuersa porro fuit opera Paphnutij illius Abbatis sanctissimi, de quo *sub ann. 321.* dictum, prout habent Maurolycus in suo Martyrologio [e] & idem Heribertus [f]. Eius autem vita, quia pietatem redolet, & diuinam exaltat misericordiam, quæ humilem pœnitentiam non reijcit, hic apponenda ex *lib. 1. vit. Patr.* quæ alibi etiam habetur: *Fuit quædam meretrix Thaisis nomine tantæ pulchritudinis, vt multi propter eam vendentes substantiam suam ad vltimam peruenirent paupertatem; sed & lites inter se conferentibus amatoribus suis frequenter sanguine iuuenum puellæ limen replebatur. Quæ cum Abbas Paphnutius* audis-

d in lib. 1. vit. Patr. in notat. ad vitam eiusdem.
e 29. Nouemb.
f in notat. ad lib. 2. vit. Patr. c. 6. n. 32.

audiisset, sumpto habitu saeculari & uno solido, profectus est ad eam in quadam Ægypti ciuitate, deditque ei solidum pro mercede peccati. At illa accepto pretio; ait: Ingrediamur domum. Tunc ille ingressus, ut lectum pretiosis vestibus stratum conscenderet, inuitabat eam, & dixit: Si est interius cubiculum, in ipso eamus. Illa dixit: Est quidem, sed si homines vereris, nec in isto exteriori cubiculo vllus ingreditur: si vero Deum, nullus est locus, qui Diuinitatis eius oculis abscondatur. Quod cum audisset senex dicit ei: Et scis esse Deum? Cui illa respondit: Et Deum scio, & regnum futuri saeculi, nec non & tormenta futura peccatorum. Dicit ei: Si ergo haec nosti, cur tantas animas perdidisti, ut non solum pro tuis, sed pro illorum criminibus reddita ratione damneris? Quod cum Thaisis audisset, prouoluta ad pedes Paphnutij monachi cum lachrymis exorabat, dicens: Poenitentiam iniunge, pater: Confido enim remissionem te orante sortiri: horarum tantum trium inducias peto, & post hoc quocumque iusseris, veniam, & quodcumque praeceperis, faciam. Cumque locum illi abbas Paphnutius constituisset, quo venire deberet, illa discedens, collectis omnibus quaecumque ex peccato susceperat, prolatisque in media Ciuitate, populo spectante, igni supponit, clamans: Venite omnes qui peccastis mecum, & videte quomodo ea, quae mihi contulistis, exuram; erat autem pretium librarum quadraginta. Quae cum omnia consumpsisset, in locum, quem Abbas constituit ei, perrexit. Quam ille, reperto virginali monasterio, in cellula parua ducens, ostium cellulae plumbo signauit, paruamque reliquit fenestrellam, per quam ei victus modicus inferretur, iussitque ei omnibus diebus parum panis, & paululum aquae a sororibus monasterij ministrari. Cum autem discederet ostio plumbato, ait ad illum Thaisis. Quo iubes, pater, ut aquam meam effundam? At ille respondit: In cella, ut digna es. Cumque iterum quemadmodum Deum oraret requireret, dicit ei: Non es digna nominare Deum, nec in labijs tuis nomen diuinitatis eius adducere, sed nec ad caelum manus expandere, quoniam labia tua iniquitate sunt plena, & manus tuae sordibus inquinatae; sed tantummodo sedens contra Orientem respice, hunc sermonem solum frequenter iterans: Qui plasmasti me miserere mei. Cum ergo tribus annis ita fuisset inclusa, indoluit Abbas Paphnutius, & mox profectus est ad Abbatem Antonium, ut ab eo requireret si peccata eius remisisset ei Dominus, an non. Cum ergo peruenisset & tantam illi causam subtiliter narrasset, conuocatis discipulis suis abbas Antonius, praecepit ut illa nocte omnes vigilarent, & in oratione singillatim persisterent, quatenus alicui ex eis declararet Deus causam pro qua abbas Paphnutius venerat. Itaque cum singuli secessissent, & incessanter orarent, abbas Paulus, maior discipulus sancti Antonij, vidit subito in caelo lectum pretiosis vestibus adornatum, quem tres virgines, clara facie fulgentes custodiebant. Cum ergo ipse Paulus diceret: Non est largitio haec alterius nisi patris mei Antonij: vox ad eum facta est: Non est patris tui Antonij, sed Thaisis meretricis est. Quod cum manifeste abbas Paulus retulisset, cognita Dei voluntate Abbas Paphnutius discessit, & reuersus ad monasterium, in quo fuerat inclusa, ostium quod obstruxerat dissipauit, illa vero, ut adhuc ita permaneret inclusa postulabat: cum vero aperuisset ostium,

dixit

dixit ei: Egredere, quoniam remisit tibi Deus peccata tua, illa respondit: Testor Deum, quia ex quo hic ingressa sum, omnia peccata mea velut sarcinam statui ante oculos meos, & non discesserunt peccata mea ab oculis meis, sed flebam semper illa conspiciens. Cui abbas Paphnutius ait: Non propter pœnitentiam tuam remisit tibi Deus, sed quia horum cogitationem semper habuisti in animo. Et cum eam inde eduxisset, quindecim tantum diebus Thaisis vixit, & sic

a 8. Octobris. *pausauit in pace.* Huius commemoratio est in Menologio Græcorum [a] sic: *Natalis S. Thaisiæ, quæ fuerat meretrix. Hæc ab adolescentia fuit a propria matre deprauata, itaque officinam diaboli se constituit. Sed à viro sancto Paphnutio capta est. Conuersa igitur, & pœnitentia scelerum compuncta, & omnia sua quadragentarum pretio æstimata, pauperibus distribuit, & se ipsam in cella quadam inclusit; vbi lachrymis, & gemitibus ex profundo cordis emissis clamabat: Qui plasmasti me, miserere mei. In hac exercitatione annos tres transegit; vnde egressa iussu Abbatis, post quindecim dies excessit.*

Annus Christi 347. Iulij Rom. Pont. 11. Constantij, & Constantis Imper. 11.

Sinodus Sardicensis. 1 SARDICÆ Illyriæ Vrbe hoc anno congregata Synodus Oecumenica, & Generalis fuit, Sardicensis appellata, ex Episcopis trecentis Occidentis, & septuaginta circiter Orientis. Aderant præcipue, Osius Episcopus Cordubensis; Archidamus, & Philoxenus Presbyteri, & Protogenes Sardicensis. Synodus ergo ista ex pluribus quam triginta quinque prouincijs coacta, cognita Arrianorum malitia, permisit Athanasio cum suis, vt causam diceret tum de calamitatibus suis, tum de calumnijs, quas passus esset: auditisque eius rationibus hominem innocentem pronunciauit, eorumque accusatores Sycophantas, & facinorosos, & quiduis potius, quam Christianos appellari debere. Eusebiani autem ex Concilio fugientes ad vrbem Philippi in Thracia sitam se contulere, & ibi conciliabulum fecere, titulo Sardicensis Concilij vulgantes. Coriolanus, Gordonus, & alij hic.

Ordinis Prophetalis monachi. 2 Qualiter multi ex monachis Prophetici instituti cultoribus ei Synodo affuerint, quos etiam in superioribus retulimus, sic habet [b] Baronius: *Ex Ægypto præter Athanasium omnibus notum Paphnutius quoque magnus ille confessor aduenit, qui & in Niceno Concilio inter primos effulsit. Serapion præterea insignis ille, & cuius superius facta mentio est, simul & alij, Apollonius, Ammonius, Paulus, Agathonius, & cæteri, qui ex monachis virtutibus omnibus consummatissimis ad Episcopatus functionem (vt suo loco patuit) vocati fuerunt. Ex Cypro autem insula eximius ille Spiridion interfuit, qui sua quoque præsentia Nicænorum Patrum consessum ornarat: adfuit cum eo etiam discipulus illius Triphillius iam creatus Episcopus: & fortasse in hoc conuentu contigit, quod est superius enarratum, nempe ipsum Triphillium orantem in Synodo (celebris enim orator erat) a Spiridione reprehensum, quod nimia dif-*

b sub hoc anno.

fluens

fluens eloquentia dedignatus esset uti simplici voce diuinæ Scripturæ. Horum ergo opera, vtpote sancti Athanasij Alumnorum, non solum factum est; vt ad propriam sedem reuocaretur, sed vt Gregorius ille intrusus Alexandriæ Episcopus inde eijceretur. Constat id ex eadem Synodo, & epistola missa ad Ægyptios, quam ex eodem Athanasio in Apologia 2. refert idem Baronius hoc anno.

3 Ad idem quoque tempus Siluani iuuenis, & Monachi insolentis correctione Sancti Pachomij emendati, ac postea post vitæ curriculum pie transactum cælesti beatitudine fruentis, conuersio & historia Religiosis obijcienda merito applicari potest. Quæ talis est, ex vita eiusdem Pachomij [a] extracta: *Quidam denique iuuenis, Siluanus nomine, de scena conuersus ad sanctum Pachomium venit volens in eius monasterio commorari. Qui cum susceptus esset infectus peruersâ consuetudine sæculi nullis disciplinæ regulis poterat coërceri, salutemque propriam negligens dies suos vanitatibus pristinis atque ridiculis occupabat, adeo vt nonnullos ex fratribus euerteret, & ad studium simile commoueret. Quod plurimi non ferentes, Sancto Pachomio suggerunt vt eum de monasterio pelli præciperet; ad quam rem non eis annuit, sed æquanimiter ferens admonuit præfatum fratrem, vt se corrigeret, & antiquæ conuersationi renuntiaret. Pro quo etiam iugiter Domino supplicabat, vt ei compunctionem cordis, solita pietatis abundantia largiretur. Cumque memoratus iuuenis in propria persistere prauitate, & alijs exemplum perditionis ostenderet, ad postremum visum est omnibus, vt à sancta Congregatione velut indignissimus arceretur. Sed beatus Pachomius hoc idem credidit differendum. Quem etiam mitissima atque sapientissima correptione conueniens, & cælestibus erudiens institutis, ita diuino timore succendit, & sic anima eius futurorum fide compuncta est, vt se deinceps abstinere non posset a lachrymis. Emendatus itaque per omnia, magnum cæteris documentum conuersionis exhibuit. In omni namque loco, & in omni operatione flebat iugiter, & nec tunc quidem cum cibum inter fratres caperet, a lamentatione cessabat. Quæ res etiam permouit multos ex monachis, qui & dixerunt: Tandem a planctu te cohibe, nec tanta quæsumus afflictione deijcias. Qui respondit: Conor quidem, sicut iubetis, a lacrymis temperare, nec possum. Pectus enim meum veluti quædam flamma comburens, quietum me esse non sinit. Rursum ipsi dixerunt: Apud te in secreto tuo, vel certe in orationibus plangito, cum vero conuenimus ad mensam, cibum sumere debes & a fletibus abstinere. Nam possibile est animam & sine istis exterioribus lacrymis semper in compunctione persistere: quia plures e fratribus videntes te flentem, manducare non possunt. Et cogebant eum fateri cur ita se suis dilueret fletibus. Tunc ait ad eos: Non vultis vt plangam, cum videam me foueri multis obsequijs sanctorum fratrum; quorum & puluis pedum mihi venerandus est, nec eis me conferre dignum prorsus existimo. Non ergo plangam, quod homo de scena multis peccatis obnoxius officia tanta perciptam? Timeo valde ne sicut Dathan, & Abiron me quoque profanum hiatu suo terra de-*

Siluanus.

a cap. 38.

deglutiat. Illi namque impijs ausibus, manibusque pollutis sancta sibimet vsurpare tentauerunt: Ego vero post tantam cognitionem diuini muneris animæ meæ salutem desidiosa conuersatione neglexi. Ideo quippe ista recolens, non erubesco flere coram omnibus, quia multa facinora mea esse cognosco, quæ iugibus lacrymarum fontibus debeam expiare. Quod si ipsam miseram animam meam per lamenta diffunderem, nihil facerem magnum; quia nullum pro factis meis in præsenti dignum possum reperire supplicium. Cumque per dies singulos idem frater ad meliora proficeret, omnesque propemodum in humilitate superaret, ita de eo sanctus Pachomius cœpit coram omnibus dicere: Testor vos fratres, ac filij coram Deo, & sanctis eius Angelis, quia ex quo cœnobium hoc fundatum est, nullum de fratribus, qui mecum sunt, vel fuerunt, humilitatem meam secutum esse cognosco, nisi vnum tantummodo. Quo fratres audito nonnulli putabant hunc vnum esse Theodorum, alij Petronium, alij vero Orsesium. Cumque rogaret Theodorus eum, vt quis ille esset depromeret, & sanctus vir indicare differret, rursus eum Theodorus vehementer vrgebat, alij quoque maiores ex fratribus plurimum precabantur, vt diceret quis esset, cui testimonium tale perhiberet. Tunc respondit Pachomius: Si scirem eum, de quo dicturus sum, vana gloriæ stimulis incitari, numquam eum ostenderem, sed quia proculdubio credo, quod per Christi gratiam quantum laudis ei accesserit, tantum ipse munus humilitatis acquiret; idcirco vt eum possitis imitari, sine metu p[illegible]lam beatificare non desino. Tu quidem Theodore, & quicumque tui s[illegible]nt similes, fortiter in monasterio certantes diabolum vinxistis, vt passerem, & sub vestris pedibus allisistis, eum per Dei gratiam conculcantes, vt puluerem, sed si, quod absit, neglexeritis in aliquo, consurgens is, qui sub vestigijs vestris est, aduersus vos graui furore ba[illegible]abitur. Iuuenis autem Siluanus, quem dudum propter negligentiam de monasterio pe[illegible]ere volebatis, ita prostrauit inimicum, & a suis sensibus effugauit, vt nusquam coram eo compareat; altaque humilitate eum per omnia superauit. Et vos quidem fratres habentes opera iustitiæ in his quæ gessistis gloriosi confiditis: hic autem quanto fortius pugnat, tanto se deteriorem omnibus iudicat: ex tota mente, totaque virtute inutilem se, re[illegible]que pro[illegible]untians. Ideo denique & lacrymas habet in promptu, quia sem[illegible] sum nimis humiliat, & inclinat, nec alicuius momenti quod gesserit, e[illegible]istim[illegible]t. Diabolum autem nil ita reddit inualidum, sicut humilitas de corde puro, cui tamen correctionis opera probantur adiuncta. Sic itaque [illegible]ter ante fatu[illegible] iuuenis Siluanus per octo annorum curricula Deo militans cu[illegible]sum vitæ suæ finiuit in pace. De cuius exitu testatus est beatus Pachom[illegible]us, quod multitudo s[illegible]ctorum Angelorum cum magna lætitia sumente[illegible] animam [illegible]ius, [illegible]elut [illegible]ctam [illegible]stiam Christi conspectibus obtulerunt.

Hæc rum[illegible]nent Reli[illegible]osi cuncti, vt no[illegible]rint, quod etsi incorrigibilis eiectio veluti putr[illegible]di membri sectio illi[illegible] permitt[illegible] possit, cautissime tamen in ea re ipsis sit procedendum, & prius, si [illegible] possit, salus fratris suauioribus medijs exquirenda, exemplo magni Pachomij, qui ea arte animam Siluani Deo m[illegible]gnis c[illegible]m i[illegible]crementis virtutis lucrifecit, prout ex relata historia manifeste compe[illegible]m est

Apta-

4 Aptari potest huic tempori mirabilis ille casus, qui sancto Antonio Archimandritarum Coryphæo sanctissimo contigit, ex quo pro nostra, & aliorum instructione, quantum virtus humilitatis apud Deum, præ alijs virtutibus, valeat, clarissime innotescit. Ille autem [a] sic refertur: *Antonius dum in cella propria oraret, venit ad eum vox, dicens: Antoni, necdum peruenisti ad mensuram coriarij, qui est in Alexandria. Quo audito, senex consurgens mane, arrepto baculo in ciuitatem festinus peruenit. Cumque ad designatum hominem peruenisset, & ingressus fuisset, ille, viso tanto viro stupuit. Cui dixit senex: Refer mihi opera tua, quia propter te, relicto deserto huc veni. Qui respondens ait: Nescio me aliquando aliquid boni perpetrasse: vnde ex cubili proprio mane consurgens, antequam in opere meo resideam, dico quod omnis hæc ciuitas, a minori vsque ad maiorem, ingreditur in regnum Dei propter iustitias suas; ego autem solus propter peccata mea pœnam sempiternam ingrediar. Quod verbum mane, & antequam quiescam sero, ex cordis mei sentio veritate. Quod audiens B. Antonius respondit: In veritate, fili, sicut bonus artifex sedens in domo tua cum requie regnum Dei adeptus es: Ego autem velut sine discretione omne tempus meum in solitudine conuersatus, necdum verbi tui assumpsi mensuram.* Hæc pro superbia nostra deprimenda valde iuuare poterunt.

S. Antonij mirabilis casus.

a in lib. vit. Patr. n.130 & lib.7.c.15.n.3.

Annus Christi 348. & 349. Iulij Papæ 12. & 13. Imper. Constantij, & Constantis 12. & 13.

1 HOC tempore Constantius mitior factus Athanasium accersit, benigne excipit; sed ab eo postulans, vt vnam Ecclesiam aduersarijs concederet, hoc pacto auditur, vt idem facerent Antiochiæ Arriani cum Catholicis. Restituuntur ergo Athanasius, & alij Episcopi suis Ecclesijs. Ita moderni Chronologi vetustiores secuti.

Huius temporis gesta.

2 Plura circa id tempus ex gestis Pachomij habemus, quibus boni Monachorum Superiores instruuntur. Primo enim [b] id habetur, quod cum a Varo Panos Ciuitatis Episcopo ad Monasteria in eius diœcesi extruenda vocaretur, dum ad eum properauit, Monasteria sibi subdita inuisebat. Et quod cum funeri cuiusdam Monachi, qui vitam suam negligenter consumpserat, adesset, defuncti vestimenta splendida, quibus inductus erat, auferri præcepit, & igne comburi, ac sine psalmodia sepeliri. Exhorrescant hæc tepidi Religiosi. Item [c], qualiter e contra animam cuiusdam alterius Monachi Sancti ab Angelis in Cœlum tolli viderit. Item [d], quomodo a Varo Episcopo honorifice susceptus fuerit, Monasteria extruere cœperit, quæ cum quidam pestilentes homines nocte venientes destruerent, pœnas soluerunt, viri ab Angelo exusti. Præfecit ergo illis Monachis Samuelem quendam celebrem virum, & dono frugalitatis eximium. Præterea [e], quod cum quidam Philosophus veniret ad tentandum

Pachomij gesta.

b ex c. 39. vita eius.

c cap. 40.

d cap. 41.

e cap. 42.

dum Pachomium, ipse ad eum miserit Cornelium, & Theodorum, illis præcipiens, vt prudenti responsione illi satisfacerent. Cum ergo Philosophus Theodoro proponeret hæc tria: *Quis non natus mortuus est? Quis rursum natus a morte subtractus est? Quis autem cum sit mortuus non est fætore corruptus?* Ad ea respondit Theodorus, non natum mortuum fuisse protoparentem Adam. Natum non mortuum, fuisse Enoch. Mortuũ nec fœtore corruptum, fuisse corpus vxoris Loth, quæ conuersa est in statuam salis.

Basilij iuuentus

3 Circa id tempus Basilius, de quo in præcedentibus, cum iam quindecim annis naturalibus scientijs addiscendis vacasset, & vigesimum secundum ageret, illustratione sibi a Deo in vna noctium facta, sacram Scripturam, & Christianorum libros transcurrere decreuit. Surgens ergo properauit Ægyptum, & accedens ad quendam Archimandritarum nomine Porphyrium, petiuit dari sibi sacros libros ad perceptionẽ diuinorum dogmatum. Et hoc percepto, mansit illic dans operam meditationi diuinorum eloquiorum, aqua, & oleribus educatus. Amphilochius [a], Arnoldus Bostius [b], Palæonydorus [c], Coria [d], & alij. Fuit hic Porphyrius, etsi pro tempore quo cum Basilius insistit, Episcopus, Archimandrita, vel Abbas aliquorum Monachorum in ea regione, Eremitarum forsan; quondam Eremi Carmeli incola, prout diximus ex eidem Bostio, Palæonydoro, & Coria *sub ann. 318. & 327.*

Porphirius Archimandrita.

a in vit. Basilij. b lib. 5. apero. b Flor. cap. 39. c lib. 2. c. . d lib. 9. c. 1.

Gregorius Nazianzenus.

4 Cæterum Gregorius ille Nazianzenus dictus, etsi concollega, & stricte amicissimus Basilius Athenis discesserit, ibi remansit, prout ex ipso [e] elicitur; licet postea Constantinopolim iam philosophicis litteris egregie excultus accesserit. Baronius [f].

e in carm. de vita sua
f sub ann. 354. in fine

S. Iosaphat fuga in desertum

5 Ad hoc tempus, annum videlicet 348. vel paulo ante, habita ratione eius, quod dicemus *sub anno* 383. de morte S. Iosaphat Regis, monachi, & eremitæ, referri debet fuga eiusdem Iosaphati in desertum ad quærendum sibi dilectissimum, & in via spiritualis ductorem Barlaamum, Regno relicto, & pro successore Barachia, in æternum pietatis, & Religionis cunctis sæculis exemplum, prout in historia ipsorum [g] his verbis, etsi aliquantulum diffusis, sed non omittendis propter magnam quam spirant deuotionem, exprimitur: *Generosus igitur ille vir ex aula egressus est perinde lætus, atque alacris, vt cum quispiam e longinquo, ac diuturno exilio in patriam se refert. Atque externe quidem eas, quibus vti solebat, vestes gerebat; interne autem cilicium illud, quod Barlaam ipsi dono dederat. Porro nocte illa in pauperis cuiusdam viri domunculam se conferens vestes eas, quibus indutus erat abijcit, postremumque illud beneficium egenti tribuit. Cumque adhunc modum, tum illius, tum multorum aliorum pauperum precibus Dei opem, atque auxilium sibi accersiuisset, eiusque gratia, & præsidio tamquam salutis vestimento, ac lætitiæ pallio sese induisset, ad solitariam vitam excessit, non panem, non aquam, non quicquam aliud ex ijs quæ ad victum necessaria sunt, sicum ferens, nullumque aliud indumentum gerens, præ-*

g cap. 37.

ter

ter asperum illud cilicium, de quo paulo ante mentionem feci. Etenim singulari quodam desiderio, ac diuino immortalis Regis Christi amore saucius, toto animo in id, quod amabat, incumbebat, totus extra se raptus, ac diuinitus immutatus. Deique charitate omni ex parte correptus. Fortis enim, inquit ille, sicut mors dilectio. Tantam videlicet ipse ex diuino amore temulentiam contraxerat, tantaque siti æstuabat, instar scilicet illius qui dicebat: Quemadmodum desiderat Ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: Sitiuit anima ad Deum fontem viuum. Et quemadmodum anima illa, quæ huiusmodi charitate vulnerata erat, in Cantico Canticorum ait: Vulnerata charitate ego sum. Ac rursum: Ostende mihi faciem tuam, & fac me audire vocem tuam, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Huiusce enim sermone præstantioris pulchritudinis Christi desiderio, tanquam igne quodam in pectore accepto, Apostolorum Chorus, ac martyrum agmina, omnia ea quæ oculis cernuntur, contempserunt, atque omni huic fluxa, & caducæ vitæ innumera tormentorum & mortis genera pratulerunt, diuinæ pulchritudinis amore flagrantes, atque ingentem Dei Verbi erga nos amorem cum animis suis reputantes. Hunc ignem, cum præclarus etiam ac corpore quidem nobilis, ceterum longe nobiliore, ac magis regio animo præditus vir in se ipso accepisset, terrena omnia prorsus aspernatur, omnes corporis voluptates proculcat, opes, & gloriam, atque humanos honores pro nihilo ducit, diadema, & purpuram abijcit, aranearum telis viliora ea existimans, atque ad omnia dura, & acerba monasticæ vitæ studia prompto animo sese tradit, illud Psalmistæ clamans: Adhæsit anima mea post te, ô Christe, suscipiat me dextera tua. Cumq; ad hunc modũ oculis a tergo minime contortis, in intimam solitudinem se contulisset, atq; caducarum rerum confusionem, tamquam molestissimam quandam sarcinam, & catenam excussisset, spiritu latabatur, coniectisq; in Christum, cuius desiderio ardebat, oculis, ad eum tãquam ad præsentem, atq; ipsius vocem audientem clamabat, eumq; alloquebatur, his videlicet verbis vtens: Ne iam quæso ô Domine oculus meus huiusce vitæ bona videat, nec præsens vanitas mentem meam a suscepto itinere abstrahat: verum, Domine mi, oculos meos spiritualibus lachrymis imple, gressusque meos dirige, famulumque tuum Barlaam mihi commonstra. Mihi, inquam, eum, per quem mihi salus parta est, ostende, vt solitariæ, ac monasticæ vitæ sinceritatem per ipsum addiscam, ac non ob hostilis belli imperitiam in fraudem inducar. Da mihi Domine viam meam nancisci per quam te adipiscar, quoniam anima mea tui desiderio saucia est; teque salutis fontem ardenter sitit. Hæc secum perpetuo voluebat, atque ad Deum loquebatur per orationem, ac sublimissimam contemplationem ipsi sese coniungens. Atque ita contento gressu cœptum iter exequebatur, ad locum eum, in quo Barlaam degebat, peruenire contendens. Herbis porro ijs, quæ in deserto existebant, alebatur. Neque enim, vt iam à me commemoratum est, præter corpus, ac pannos illos, quibus indutus erat, quidquam aliud secum ferebat. Ceterum cum exiguum, ac nullius omnino momenti victum ex herbis sibi pararet, aquæ penuria prorsus laborabat, quod videlicet solitudo illa aquæ expers esset. Cum igitur sole iam sub meridiem vehementer ardente iter faceret, vehementius ob æstum in arida regione siti

 ne siti

ne siti flagrabat, atque extrema, & grauissima ærumna vexabatur. Verum cupiditas naturam vincebat, ac sitis ea diuina, qua afficiebatur, sitis aquæ flammam minuebat. At vero ille boni inimicus, & inuidus diabolus, huiusmodi animi institutum, atque vsque adeo ardentem ipsius erga Deum charitatem indignissimo animo perspiciens, multas ipsi in solitudine tentationes excitabat, regiæ nimirum ipsius gloriæ, splendidissimaque satellitum manus, quæ ipsius latus cingi solebat, atque amicorum, item & æqualium memoriam ipsi refricans; illudque item ipsi ob animum proponens omnium animas ex ipsius anima pendere, ac reliquas denique alias huiusce vitæ oblectationes ipsi obÿciens. Ac deinde virtutis asperitatem; atque ingentes eius sudores ipsi proponebat, corporis item imbecillitatem, & inexpertas, atque insuetas ærumnas, & temporis longinquitatem, ac præsentem sitis oppressionem, quodque nulla ex parte consolatio vlla ipsi expectanda esset; aut tanti laboris, tantæque fatigationis finis. Ac denique ingentem in ipsius animo, quemadmodum quodam loco de magno Antonio proditum est, cogitationum puluerem commouebat. Vt autem ad labefactandum ipsius animi institutum imbecillem hostis ille se vidit (Christum enim ipse sibi ob animum proponens, atque ipsius desiderio inflammatus, speque egregie confirmatus, ac fide subnixus, illius instinctus, & consilia pro nihilo ducebat) pudore suffusus est, vtpote ad primum, vt dici solet, impetum prostratus. Quapropter aliam viam inire cœpit (multas quippe ipsi vitÿ semitas habet) ac varÿs spectris eum euertere, atque in metum conÿcere nitebatur. Nonnumquam enim ater ipsi, vt est, apparebat; nonnumquam rursus districtum gladium tenens, in eum impetum faciebat, seque eum, nisi quamprimum ab instituto resiliret percussurum minabatur; quandoque rursus variarum bestiarum formam subibat aduersus ipsum rugiens, ac perquam horrendum mugitum, & strepitum edens; atque etiam in draconis & aspidis, & reguli formam sese subinde immutabat. At præclarus ille, ac strenuissimus pugil tranquillo animo consistebat, vt qui Altissimum perfugium suum posuisset. Ac mente excubans, pestiferumque spiritum irridens dicebat: Non me fugit, ô impostor, quinam sis; qui hæc in me excites; nimirum, qui iam, inde ab initio mortalium generi perniciem moliaris; nec vmquam improbitati studere; ac nocumentum inferre desinas. At sane quam pulchre tibi hic habitus quadrat! Nam hoc ipso quod bestias, & reptilia imitaris, mentis tuæ feritatem, & peruersitatem, voluntatisque ad noxiam, ac pestem inferendam promptitudinem demonstras. Quid igitur, ô miser, ea aggrederis, quæ conficere non potes? Ex quo enim has artes, atque hæc spectra à tua improbitate proficisci comperi, nulla iam hinc solicitudine afficior. Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. Et super aspidem, & basiliscum, quorum tu similitudinem expressisti, ambulabo; atque Christi potentia corroboratus, leonem, & draconem conculcabo. Confundantur, & erubescant omnes inimici mei, confundantur, & erubescant valde velociter. Hac oratione vtens, crucisque signo, hoc est inuictis armis; seipsum cingens, omnia diaboli spectra irrita reddidit. Confestim enim bestiæ, ac reptilia instar fumi euanuerunt, & sicut fluit cera à facie ignis. Ipse autem Christi potentia confirmatus læto animo proficiscebatur, Deoque gratias agebat. At

etiam complures ac variæ bestiæ, varijque generis serpentes, & dracones, quos solitudo illa nutriebat ipsi occurrentes, non iam per inane spectrum, sed reuera ab ipso cernebantur. Ex quo efficiebatur, vt metus quidem, ac laboris via plena esset, ipse autem vtrumque animo, & cogitatione superaret. Nam & metum charitas, vt scripturæ verbis vtar, foras mittebat, & laborem cupiditas leuabat. Ad hunc itaque modum cum multis, & varijs calamitatibus, & ærumnis per dies haud paucos colluctatus, ad Sennaaritidem illam solitudinem, in qua Barlaam habitabat, peruenit. Ibi etiam aquam nactus, sitis flammam restinxit. Alia sub annis 383. de his Sanctis eremitis dicenda perlegat lector.

Annus Christi 350. Iulij Rom. Pont. 14. Constantij Imper. 14.

1 HABET hic annus mortem Constantis Imperatoris, occisi à Magnentio Tyranno, Christiano tamen. In magnum sane Christianitatis detrimentum, quia Constans Imperator optime meritus de Ecclesia erat, vtpote qui Ecclesiam Africanam restituerat, & Athanasium contra Arrianos, & Constantium fratrem defenderat. Socrates, Zosimus, D. Hieronymus, & alij, ex quibus posteriores Chronologi. Qui etiam addunt, duo Concilia hoc anno celebrata, alterum Mediolani, in quo Vrsacius, & Valens Arrij discipuli, & Athanasij calumniatores pœnitentiam, & veniam postularunt. Alterum Hierosolymis, in quo Episcopi, qui olim contra Athanasium subscripserunt, suum delictum detestati atque confessi sunt. Item quod Constantius non Christianos militia exui iuberet; qui cum circa pagos suos Deos colerent, à Christianis Pagani sunt nominati, deriuato postea hoc nomine ad Ethnicos omnes. Constantis mors.

2 Interim, licet Constantis morte erecti essent Arriani, ipsis nihilominus renitentibus, Athanasius, iubente Constantio, Alexandriam redijt. Magno Christianitatis, & monachismi, cuius ipse protector erat, incremento. Prout ipse [a] sic scribit: *Magni igitur lætitia populorum fuit in sacris Synaxibus mutuo se ad virtutem cohortantium. Quot putas, innuptæ quidem, sed tamen hactenus ad nuptias promptæ, virgines in Christo remanserunt? Quot item iuuenes aliorum exempla intuentes monasticam vitam amplexi sunt?* Athanasij reditus Alexandriam. [a] in epist. ad Solitar.

3 De gestis S. Pachomij plura reticentes, videlicet, qualiter ex fœtore cognosceret hæreticos, & quod legentibus libros Origenis, eique adhærentibus pœnas Inferni denunciauerit, prout 44. *cap. eius vitæ* habetur, alia prætermittere non possumus, quia etsi quadamtenus horribilia, nihilominus statum monachorum futurorum, & alia, quæ plus æquo religiosorum nostri temporis mores tangunt, continent; prout ex celebri visione ipsi ostensa [b] sic habetur: *Venerabilis senex in cellulam vbi con-* Pachomij alia. [b] cap. 45.

Viso horrenda.

sueuerat supplicare Domino; se recepit, & obserans ostium, orabat intente memor visionis, quam aliquando conspexerat: & obsecrabat Dominum, quatenus ei declararet statum monachorum, qui futurus esset, vel quid post eius obitum in tāta Congregatione contingeret, & ab hora nona vsq; ad illud tempus quo frater qui nocturnis orationibus praeerat, vocem mitteret, & ad preces solitas excitaret instātiā suæ supplicationis extendit. Cumq; precaretur attentius subito circa mediā noctem visionem, cernit, quæ cum iuxta petitionem propriam de statu posterorum suorum plenius edoceret, Nam monasteria sua vehementius dilatand', nonnullosq; pie victuros, & continenter agnouit; neglecturos etiam plurimos didicit, suamque salutem penitus esse perdituros. Vidit ergo, sicut ipse narrauit, multitudinem monachorum in valle quadam profunda satis atque caliginosa consistere, & alios exinde velle conscendere, nec valere; quia occurrebant ex aduerso sibi, nec inuicem dignoscere poterant, nec de profundo illo, & tenebroso loco prorsus emergere; alios autem frustra conatos, præ lassitudine ruere, atque ad inferos peruenire; alios iacentes, miserabili ac lacrymosa voce deflere: nonnullos vero cum maximo labore conscendere, quibus in adscensu ipso lux protinus occurrebat, in qua constituti referebant Deo gratias, quod euadere potuissent. Ita Pachomius intellexit, quæ nouissimis essent euentura temporibus, cæcitatemque mentis eorum qui post futuri sunt, & errorem cordis, bonorumque defectum valde doluit: maxime vero quod Præpositi tunc negligentes, ac desides forent, nec in Deo confiderent, sed concordia discordiose vterentur; placentes stultæ multitudini, & ostentantes habitum monachorum, nullaque bona opera præferentes. Semel autem pessimis Primatum tenentibus, ipsumque nomen sanctæ conuersationis ignorantibus, necesse est æmulationes, ac iurgia generari, & quis præsit, ac maior sit, ambitiosa lite contendere, & reprobari quidem bonos, ac malos eligi: nec probitate morum, sed antiquitate, vel ordine vnumquemque velle cæteris anteferri: vnde neque aliqua bonis viris loquendi fiducia suberit pro vtilitate communi, sed erunt in silentio, & quiete, aut certe sub colore honestatis magnis persecutionibus affligentur. Et quid est opus singula recensere, cum omnia pene quæ sunt Regulis subnixa diuinis humanis commutabuntur illecebris? Tunc Pachomius exclamauit ad Dominum cum lachrymis, dicens: Omnipotens Deus, si sic erit, vt quid permisisti Cœnobia ista constitui? Si enim in tempore nouissimo, quicumque fratribus præerunt, peruersi futuri sunt, quales erunt illi, qui sub eorum regimine versabuntur? Cæcus enim si cæco ducatum præbet, vterque in foueam cadit. Heu me, quia frustra, & superuacue laboraui. Memento Domine studiorum meorum, quæ tuo munere perfecisti: memento famulorum tuorum; qui tibi tota mente deseruiunt; memento testamenti tui, quod vsque ad consummationem seculi a tuis promisisti custodire cultoribus. Tu nosti Domine, quia ex quo suscepi hunc habitum monachi, nimis humiliatus sum in conspectu tuo; numquam satiatus sum pane, & aqua, vel qualibet creatura alia quam fecisti. Hæc eo dicente, vox ad eum facta est, dicens: Ne glorieris Pachomi, cum sis homo, & indigeas misericordia; quia cuncta, quæ condidi, mea miseratione subsistunt. Qui confestim prostratus in terra, misericordiam Domini postulabat,

dicens: Omnipotens Deus, veniant mihi miserationes tuæ, & viuam; & ne auferas misericordias tuas à me, quia misericordia, & veritas tua semper susceperunt me. Scio enim ego Domine quia nutant, & claudicant vniuersa sine protectionis tuæ auxilio. Hæc cum dixisset astiterunt super eum Angeli lucis, & inuenis in medio eorum ineffabili pulchritudine, atque claritate resplendens, qui instar solis ex se fulgoris radios emittebat, habens super caput coronam spineam. Et leuantes à terra Pachomium Angeli, dicunt ei: Quoniam petisti à Domino misericordiam, ecce venit tibi misericordia tua, & Deus gloriæ Iesus Christus Filius Dei Patris vnigenitus, qui missus est in hunc mundum, & pro salute generis humani crucifixus est, spineam ferens in capite coronam. Et Pachomius ait: Oro Domine, nunquid ego te crucifixi? Et Dominus placidior ait ad eum: Non tu quidem crucifixisti me, sed parentes tui. Veruntamen animæquior esto, & confortetur cor tuum, quia posteritas tua manebit in sæculum, nec vsque in finem mundi deficiet; ipsique qui post te futuri sunt, de profunda illa caligine liberabuntur; quotquot vixerint abstinenter, & curam salutis propriæ gesserint. Modo namque qui præsentia tua se continent, tuarum sequentes exempla virtutum, maxima gratiæ luce resplendent, post te vero, qui in huius sæculi caligine fuerint immorati, quia prudenter intellegent quæ petenda sunt, quæque fugienda; & spontanea voluntate nullo humanitus vtentes exemplo de tantis exilierint tenebris, omnemque iustitiam seruantes, æternam vitam toto corde dilexerint: amen dico tibi, quia cum istis erunt, qui nunc secum in summa continentia, & sanctitate præclari sunt, eandemque salutem, ac requiem sortientur. Hæc dicens Dominus ascendit in cælum. Sic autem illustratus aër est, vt splendor lucis illius non possit humanis sermonibus explicari.

4. Si hæc pij, ac bene formati Religiosi legerint, proculdubio consolationem accipient, de futura sibi promissa in Cœlis mercede: è contra autem frigidi, aut tepidi Regulares, qui mentis cæcitate obducti laxe, vel deformate in Religionibus vixerint, iure, meritoque exhorrescere possunt, cum videant se in barathrum perditionis Dei comminatione trudendos. Sed vnum adnotare pro nostris Annalibus liceat, videlicet illud: *Posteritas tua manebit in sæculum, nec vsque in finem mundi deficiet.* Cum enim isthæc de Pachomij monachis vera non subsistant, cum nulli iam in Ecclesia sub isto militent nomine (etsi forsan inter schismaticos Orientis Christianos aliqui tales sint) proculdubio prædictio ista ad Eliades nostros pertinere videtur, qui simili promissione de perenni vsque ad finem mundi mansione gaudent, vt diximus *to. 1. sub ann. 3431. n. 5.* & dicemus in sequentibus, præsertim, dum de B. Petro Thoma sermo erit, cui similis a Deipara Virgine promissio facta cernitur. Idque corroborat quod in superioribus dictum de huiusmodi Tabennensi Pachomij Congregatione ex Eliana exorta. Id etiam, quod in hac visione tangitur de Præpositis Religionum improbis, & negligentibus, illorum ambitione, bonorum contemptu, & similibus, vtinam nostris seculis verum non esset. Animaduertenda Religiosis.

Basilij exitus de Aegypto.

5 Sub hoc etiam tempore Basilius, postquam per annum integrum cum Archimandrita Porphyrio, quondam, vt diximus, Carmelicola, in Ægypto conuersatus fuerat, licentia ab eo petita pro peregrinatione in Hierosolymam, ab eo discessit. Amphilochius [a], Bostius [b], Palæonydorus [c], & alij. Quamuis autem Bostius [d] supponat Hierosolymam tunc petijsse, antequam Athenas iterum regrederetur, alij tamen melius existimare videntur, ex Ægypto Athenas redijsse, priusquam sacra Hierosolymæ loca inuiseret. Quid porro Athenis egerit, sequenti anno dicetur.

a in vit. Basilij. b lib. 5. histor. cap. 39. c lib. 2. cap. 25. d supra c. 49.

Iosaphat inuenit Barlaam.

6 Item Iosaphatus ille, de quo *sub ann.* 348. actum, postquam terrenum Regnum relinquens pro cælestis desiderio suum Catechistam Barlaamum per vastissimam solitudinem per bienniũm quærens, iam tandem circa hoc tempus inuenit in spelunca latentem; & ab ipso benedictionem, & consolationem capit. Virtutis præterea, & Religiosæ vitæ normam, saluberrimaque documenta excipit, ac illud inter alia monachorum mentibus alte reponendum: *Monastici ordinis munus est nunquam ab spirituali opere vacuum inueniri.* Alia in ipsorum historia (quam vtinam relegant Religiosi cuncti) *cap.* 38. reperiet deuotus lector. Sicut in anterioribus qualiter Barlaamus iste præclarissimus Eremi cultor, diuinitus admonitus in Indiam profectus est, Iosaphat ipsum Regis Abenner filium, qui a patre inclusus tenebatur eam ob causam, quod Astrologus quidam prædixerat futurum Christianum, inuisurus; ad eum accessum habuerit habitu simulato sub prętextu lapidis pretiosi illi ostendendi; eique post sapientissima colloquia, fidei, & monachismi rudimenta præbuerit; adeo firmiter, vt etiam si ab eo recesserit, nullis paternis minis, perfidorumque technis, a semel concepta veritate abduci potuerit. Quin potius postea Regem patrem, & totum ferme Regnum post ipsius mortem in fide instruxerit, Regnoque cesserit, vt sibi amantissimo Barlaamo, & monachismo in Eremo ad hæreret. Hæc porro sanctorum horum historia vere digna Ioanne Damasceno auctore creditur, licet alias inscripta sit in aliquibus Bibliothecis Ioanni Sinaitæ, vt probat Iacobus Billius eius interpres, nec dissentiunt Bellarminus, & alij, qui opera ipsius Damasceni referunt, sicut neque Baronius [e]. De qua etiam Lippomanus [f], Surius [g], Episcopus Equilinus [h] & alij. Sane præ manibus habenda ab ijs qui perfectioni Christianæ, monasticæ præsertim, inuigilant. Quo anno Barlaamus Deo spiritum reddiderit, omnino incompertum, licet ex præfata historia habeatur pęne centenarium decessisse, & post septuaginta quinque annos anachoresis, idcirco confusim hæc referimus.

e in Annot. ad ad Martyrol. Rom. die 27. Nouemb. f tom. 5. g tom. 6. h lib. 10. c. 114.

Annus Christi 351. Iulij Rom. Pont. 15. Constantij Imp. 15.

1 HOC tempore Constantius, quod nullos haberet liberos, agens Antiochiæ Gallum creat Cæsarem; qui loculum Babylæ martyris olim Antioni Episcopi in Templum Apollinis expiatum transtulit, obmutescente deinceps Daphnitico Oraculo. Zonaras *lib.* 1. *&* 5. & alij post ipsum.

Gallus Cæsar.

2. De nostra monastica, & Eliana historia illud proprium; facile credi posse sub hoc anno vel circiter natale fuisse Ioannis illius Ierosolymitani postea Episcopi, de quo sæpius in nostris Annalibus memoriam fecimus. Spectato namque quod pro anno 386. Episcopatu inauguratus fuerit, prout credit Baronius [a], ne dicamus ante trigesimum quintum, vel trigesimum sextum annum eam cathedram ascendisse, circa hoc tempus natum esse recte conieciatur noster Vvastelius [b]. Est autem ipsius Historia nostræ attexenda, non solum quia monachus fuit, prout eum appellant D. Hieronymus [c], Baronius [d], Ambrosius Mediolanensis Monachus Cassinensis [e], & alij multi; sed quia proprius, & legitimus Eliani Ordinis assecla fuit, non modo imitatione, vt plures alij, de quibus in his Annalibus, sed & successione, cum Carmeli montis Monachus fuerit, Carmelicolarum vnus Institutor, & Pater, prout ea quæ dicemus in sequentibus, ob oculos ponent, & quæ diximus *to.* 1. *Appar. c.* 9. sufficienter demonstrant. Quibus etiam præstare fidem videtur, quod, vt habetur in Actis S. Epiphanij apud Metaphrastem, & Surium [f] commoratus fuerit in Monasterio S. Hilarionis; ex hoc enim sequitur amplexatum fuisse Essenatus institutum, cuius etiam cultor erat Hilarion, iuxta dicta *sub ann.* 292. Hoc tamen dubiæ valde fidei argumentum est, cum opus illud apocryphum, imo & fabulosum censeatur; prout ex Baronio etiam notat Vvastelius [g]. Illud tamen non prætermittendum, quod Auctor sermonum *ad fratres in Eremo*, qui Augustinus ab aliquibus censetur, dum sermonem ageret *serm.* 39. de Eremitis Monachismi cultoribus *de Elia, Paulo, Hilarione, Antonio, & Ioanne*, mentionem facit. Hic enim Ioannes noster, de quo in præsenti, esse videtur; si enim de Baptista loqueretur, vtique ante Paulum, Hilarionem, & Antonium, non post illos ipsum referret, & quod *sancti & immaculati in conspectu Dei* isti ab auctore huius sermonis nominentur, non abhorret ab his, quæ de nostro Ioanne habet idem Augustinus [h] quæ & nos in sequentibus expendemus. Fuit hic Ioannes trinomius; vocatus enim fuit *Ioannes, Nepos, Siluanus*, vt probat Vvastelius loco relato. Etenim *Nepotem* cognominatum colligit ex eo, quod Heraclides [i] sic eum vocat, quem sequuntur Onuphrius Panuinus celebris historicus [k], Sebastianus Verronius [l] & ex nostris Petrus Lucius Belga in M.S. quod habetur in Conuentu Bruxellensi

Natale Ioannis Ierosolymitani

a to sub anno

b in vid Ioann. Ierosol. lib. 2. sect. 4. ar. 1. §. 10.

c in epist. ad Theophylum.

d sub ann. 392.

e lib. aduers. hæres. tit. Antina hæres. 3.

f pro 12. die Maij.

g to. 2. in vindi lib. Ioann. Ierosol. de instit. primor. monachor. sect. 4. ar. 1. §. 7.

h lib. 2. contra literas Petiliani cap. 51.

i in Parad. c. 1.

k ann. Christi 389.

l in Chron. Ecclesiast. ad tempora S. Sirici.

lensi. Et *Siluanum* ex Georgio Patriarcha Alexandrino, ac Simeone Metaphraste [a], & ex Auctore libri *de Miraculis S. Hieronymi*. Vnde etiam infert ex atauis Latinis oriundum fuisse. Vt vel hinc non miremur, quod sæpius in suis operibus *Romanizare* videatur, prout idem Vvastellius confirmat [b]. Fuisse autem a parua ætate sacris literis eruditũ, eius Antigonista D. Hieronymus *epist. 62. ad Theophilum* per apostrophen sic scribit: *Alioquin quia a parua ætate sacris litteris eruditus es, nosti quo sensu vnumquodque dicatur*. Ad eum namque potius, quam ad Theophilum hæc dicta putat idem Vvastelius. Quo sub Magistro, in sequentibus dicemus.

a in vit. S. Io. Archiep. Constantinop.

b sup lib. 2. sol. 7. ar. 3. §. 4. & ar. 4.

Basilius Athenas pergit.

3 Interim Basilius nostræ monasticæ, & propheticæ historiæ specialis scopus a Porphyrio Ægypti Archimandrita, & quodam Carmeli incola discedens, Athenas quoque veniens multis gentilibus Christum demonstrare curabat. Requirebat vero præsertim suum præceptorem Eubolum, quo reperto, post varios discursus fidelem fecit. Venundatis ergo, ac pauperibus distributis bonis quæ habebant, societate inita, Hierosolymam ambo petiere; in itinere autem Antiochiam perueniens, Libanium sophistam conueniens, de fide etiam cum illo agere tentabat; sed eo non acceptante, sed regulam, seu modum viuendi pro sui discipulis requirente, hæc illis consulebat Basilius: *Animæ mundiciem, & impassibilitatem, gressum mitem, vocem mensuratam, verbum bene ordinatum, escam, & potum intumultuosum, ad seniores taciturnitatem, ad sapientiores auditionem, ad sublimes subditionem, ad æquales, & minores charitatem non fictam, parua dicere, plurima autem intelligere, non temerarios esse verbo, non superabundare sermonibus, non faciles esse ad risum, verecundia ornari, cum mulieribus irreuerentibus non disputare, deorsum visum, sursum habere animam, fugere contradictiones, non magistralem vsurpare dignitatem, nihil existimare omnes seculi honores, si autem quis ex vobis potest & aliis proficere, apud Deum expectet & æternorum bonorum retributionem in Christo Iesu Domino nostro.* Amphilochius [c], Bostius [d], Coria [e]. Hæc porro Basilij Regula prima etsi pro secularibus Libanij discipulis tradita, vtilissima tamen, & monachis cunctis est, iunioribus præsertim, vt eam speculantibus innotescet.

c in vit. Basilij c. 2. & 3.

d lib. 5. histo. c. 40. & 41.

e lib. 9. c. 2.

Carmelum adit.

4 Addit Bostius [f]: *Hæc dicens discipulis Libanij Basilius, & admiratus ab omnibus abibat, viam carpens simul cum Eubolo vsque Montem Carmeli.* Quæ etsi in alio non reperiantur, fide tamen digna videntur, cum tunc Basilius, & Eubolus loca pia Terræ Sanctæ inuisere vellent: imo, vt Amphilochius in eius vita [g] inquit: *Omnem locum sacrosanctum perlustrassent.* Nec multum a recto itinere deuiarent ex Antiochia Hierosolymam petentes per Carmelum transeundo. Tunc etiam forsan accidit, quod Palæonydorus [h] sic scripsit de sancto Eutitio Carmeli Montis Priore. *Iste etiam sanctum Basilium in Monte Carmeli ad propbetalem institutionem acceptans sanctæ Religionis habitu inuestiuit.* Illud compertum, Basilium, & Eubolum Ierosolymam peruenisse, & a Maximo eiusdem Vrbis Episcopo baptismum sacrum in Iordanis flumine recepisse. Fuere namque olim

f eo c. 41. in fin.

g cap. 4.

h lib. 2. c. 5.

olim, qui ob aquas Iordanis Baptismo Christi consecratas, in Iordane quoque baptizari petierint. Tali namq; desiderio flagrasse Constantinum Imperatorem narrat Eusebius [a]. Contigit autem tunc, vt baptizato Basilio fulgur ignis super eum venerit, & ex eo columba exiuerit, quæ turbata, aqua conuolauit in cælum. Indutus postea Basilius est vestibus resurrectionis Christi, quas (Bostio teste) secum ad Carmelum postea detulit, & vocantur (inquit) Græce *Anastasni*. Prosequitur idem Bostius dicens: *Deinde ascendentes montem Carmeli* (Basilius scilicet, & Eubolus) *& ibi in Monastica vita plusquam tredecim annos desudantes hauserunt sanctam Religionis semitam.* Amphilochius vero aliter ea *cap.* 4. historiam texit dicens: *Stupefactus autem sacerdos Dei* (scilicet Maximus Ierosolymitanus Antistites) *reuersus est cum eis in sanctam ciuitatem. A nuersario vero tempore illic demorantes*, communi consilio venerunt *Antiochiam*. Quomodo vero hæc conciliari possint, sub anno sequenti dicemus. Hic vero non prætermittenda, quæ venerabilis Pater Ioannes Soreth [b] dixit *Postmodum vero B. Basilius litterarum studio ab infantia deditus a Grecia venit Ierosolymam ab Episcopo Maximino prostratus regenerationem petens; venerunt que pariter viri religiosi de Maximini Monasterio iuxta portam auream in Ierusalem constructo ad fluenta Iordanis, vbi huius professionis, & Elisei successores eremiticam vitam tenebant, & ibi baptizatus est beatus Basilius, columba cum fulgore de cælo descendente visibiliter; sicque regeneratus religiosæ vitæ semitas arripuit, quem beatus Ephrem (vt refert Amphilochius qui vitam Basilij scripsit) in stola candida cum clero candifero in Cæsarea vidit, sicque agnouit illum Ordinis Eliæ Prophetæ tenere culminis honorem: cuius Eliæ Pater nomine Sabbacha, viros candidatos ante Eliæ ortum, diuina reuelatione viderat se mutuo salutantes.*

a in eius vita lib 4. c.62.

b in Exposit. Paranetic. Regul. Carmelit. Praef.

5 Hoc anno iuxta computum Baronij & Gordoni (licet in eo valde dubitari possit) occasione legis Constantij iubentis baptizari omnes qui militarent, S. Martinus adhuc catechumenus baptizatus est, ætatis anno trigesimo quinto. Dissentiunt in hac Martini ætate Gregorius Turonensis, & Seuerus Sulpitius, imo ipse Seuerus a se ipso. Sed in re non magni momenti Baronianis Codicibus acquiescendum. Dummodo ante hoc tempus insigne illud facinus a Martino gestum de paupere Ambianensi nudo eius media parte Chalmydis donato, & cooperto, quem ipsummet Christum fuisse postea in somnijs agnouit, contigisse dicamus. Accidit enim dum Martinus catechumenus esset. Eius porro gesta nostris adiungimus Annalibus, quia monachum fuisse totus mundus amplectitur, & eum monachatus ritum amplexum fuisse in Gallijs, quem ex Oriente hauserat B. Eusebius Vercellensis, testatur Baronius *sub anno* 328. *n.* 22. Certum nanque est solum Elianum monachismum tunc in Oriente viguisse. Videndus Pennotus [c] licet hic auctor suis canonicis Regularibus maxime obstrictus omnes huiusmodi antiquos monachos ipsis attribuat.

S. Martinus baptizatus.

c in Hist. Trip. Canon Regul. lib. 2. c. 10. n. 6. & cap 34. n. 1.

Eodem

Cyrillus.

6 Eodem item anno teste Baronio, & alijs, qui eius semper vestigia sectantur, mortuo Maximo Episcopo Ierosolymitano, ad eam Sedem assumitur Cyrillus, cuius successio, historia, & gesta tot ambagibus, & opinionibus Scriptorum implicata cernitur, ob Arrianorum sane iniquitiam, qui totum Christianum Orbem, & præsertim Ierosolymitanam Ecclesiam vexabant; vt vix aliquid certi de ipsis affirmari possit. Nos tamen ea quæ post non modicam diligentiam haurire potuimus, enucleabimus. Primo quidem, de ipso agere ad nostram historiam quadamtenus spectare credimus. Plurium namque nostrorum historicorum concors sententia est, monachum, imo & Carmeli incolam aliquando fuisse. Ita enim habent Palæonydorus [a], Coria [b] et ex ipsis Guadalaxara, Fuente, Franciscus a S. Angelo, Emmanuel Romanus, & alij. Quo tamen sensu id accipiendum, inferius dicetur. Secundo, post Maximum Hierosolymitanum Episcopum (vno forsan solo excepto Heraclio, qui modico tempore durauit, Genebrardo, & Honuphrio testibus) vnus Cyrillus Cathedram ascendit, etsi eam sæpius Arriani intrusi Episcopi, schismate, & Cyrillo pulso, turbauerint. Sic enim communiter video ab historicis receptum, specialiter Ruffino [c], Nicephoro [d], Bostio nostro *lib. 5. c. 44.* Genebrardus, Gualtero, & alijs. Vnde quod D. Hieronymus [e] Episcopos Ierosolymitanos recensens ait, *Cyrillus, Eutychius, Cyrillus, Ireneus, Cyrillus, Hilarius, Cyrillus,* non denotat quatuor fuisse Cyrillos, sed vnum dumtaxat habentem illos sui iuris inuasores; prout notat noster Vvastelius [f] Baronium tacite reprehendens, quod aliter intellexerit D. Hieronymum. Quo etiam modo intelligendus est D. Epiphanius [g]. Tertio, hunc Cyrillum virum Catholicum, & sanctum fuisse. Ita enim elicitur ex D. Hieronymo [h], Nicephoro [i] Margarino Bignæo [k], Posseuino [l], & alijs multis. Maxime ex Martyrologio Romano, quod sicut Menologium Græcorum de eo agens 18. *Martij* sic inquit: *Hierosolymis S. Cyrilli Episcopi, qui ab Arrianis multas fidei causa perpessus iniurias, & ab Ecclesia sua sæpe pulsus, tandem sanctitatis gloria clarus in pace quieuit, cuius intemeratæ fidei Synodus œcumenica Damaso scribens, preclarum testimonium dedit.* Verba porro huiusmodi sanctæ Synodi apud Theodoretum [m] ad Damasum Papam hæc sunt: *Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quæ est omnium mater, Reuerendissimum, ac sanctissimum Cyrillum Episcopum vobis ostendimus, tum ab Episcopis prouinciæ (vt Canon vult) iampridem esse creatum, tum plurima prælia aduersus Arrianos varijs in locis confecisse.* Id etiam ostendunt Catecheses Cyrilli, opus sane aureum, quod cum alijs edidit Ioannes Grodecius, & præ manibus omnium habetur. Quarto, hunc Cyrillum monachum, & Carmeli cultorem haberi non alia ratione sustinendum credimus (cum constet ex Bostio nostro *supra*, & alijs pluribus eum ad Episcopalem dignitatem ex præsbytero Hierosol. Ecclesiæ assumptum fuisse) nisi quia in crebris illis a sua sede expulsionibus cum Monachis in aliquo monasterio, Carmelo etiam forsan, monasticam vitam duxerit, vt propterea Historici

a lib. 2. cap. 6.
b lib. 9. c. 10.
c lib. 1. c. 23.
d in Chronic.
e in Chronic.
f supra lib. 3. sect. 1. in introductione.
g hæres. 66.
h de scriptorib. Eccles. in Cyrillo.
i supra.
k in Cyrillo Ierosolymit.
l in Apparatu littera C.
m lib. 5. c. 9.

storici nostri id traditum cernentes Monachum, & Eliæ sectatorem nuncupauerint. Quod & imitatur inter cęteros auctores Carolus de Tapia [a], *a in auth. ingr. verb. Monaste. stina n. 10.* Alia etiam de causa id dicere potuerunt, quia nempe, prout testatur Bostius loco relato, dum esset Archidiaconus in Ecclesia Ierosolymitana, *administrauit gubernans Monasterium puellarum Christi Carmelitæ Religionis apud sepulchrum Domini*. De cuius Monasterij extructione per Helenam facta diximus *sub ann. 326.* Iungimus, & aliam, quam idem Bostius [b] *b lib. 5. c. 63.* commemorat; quia scilicet *perfecit, & consummauit Ecclesias a S. Helena incœptas, scilicet Dominici sepulchri, Caluariæ, vallis Iosaphat, Bethleem, & Montis Oliueti*, in quibus monastices Eliana vigebat.

Annus Christi 352. & 353. Liberij Pont. 1. & 2. Constantij Imp. 16. & 17.

1 HOC tempore, Iulio Papa e viuis sublato, succedit Liberius *Liberius Papa.* Romanus, qui acceptis litteris ab Arrianis petentibus cōmunionem, eam denegauit. Pugnatum interea inter duos Principes Christianos, Magnentium tyrannum, & Constantium hæreticum, Cruce vtrumque armatum. In hoc primum bello Christiani contra Christianos, Crux contra Crucem in vexillis, & labaris concurrere. Videant Christiani Principes, quibus primum auspicibus bella inter Christicolas esse cœperunt. Sozimus, Victor, Eutropius, & alij, post quos recentiores.

2 Ex Pachomij gestis, quæ circa hoc tempus contigere, plura omittentes, quæ *c. 46. 47. 48. 49. 50. & 51.* vitæ ipsius referuntur, historiam *Pachomij gesta.* Zachæi monachi ipsius discipuli, quæ *cap. 52.* habetur, prætermittendam non censemus; plura namque continet monasticæ disciplinæ illius temporis exempla: *Zacheus quidam monachus post longa continentiæ tempora, regio morbo correptus sequestratam a fratribus habuit cellulam, tota vita sua pane tantum, & sale contentus. Semper autem psiathios operabatur, tantamque contritionem propter Dominum sustinebat, vt sæpenumero funiculos intorquens compungerentur manus eius, & sanguinis guttæ effluerent; intantum vt ex ipso opere magna viri tolerantia monstraretur. In tanta igitur infirmitate corporis constitutus nunquam fratrum collectam deseruit, sed ad explendas omnes diurnas orationes solicite conuolauit, adeo, vt numquam dormiret interdiu. Consueuerat autem per singulas noctes priusquam caperet somnum, quædam de scripturis sanctis meditari, totaque membra sua Christi signaculo muniens glorificabat iugiter Dominum, & ita paululum quiescebat. Deinde circa noctis medium surgens vsque ad matutinas orationes alacer permanebat.* *Zachæus monachus.* *Huius aliquando manus quidam frater inspiciens operis nimietate, atque violentia fortiter sauciatas, & respersas sanguine, dicit ei: Quid ita pater durissimo labore te discrucias, maxime tali infirmitate depressus? An forte metuis ne apud Deum contrahas offensam, vel otij crimen incurras, si non sedulo fueris*

ope-

operatus? Scit Dominus quid pateris, & quia nemo tantis tribulationibus afflictus vllum valet opus attingere; præcipue tu qui nulla necessitate constringeris. Nam si peregrinis post Deum sufficientiam, pauperibusque largimur, quanto magis tibi tanto patri cum deuotione maxima seruiemus? Ad quem ille respondit: Impossibile est mihi non operari. Et frater ait: Si hoc, inquit, tibi placet, saltem manus tuas oleo perunge, ne tantum sanguinem profluentes in labore deficiant. Qui consilio eius acquiescens, fecit quod hortatus est eum; & in tantum vulneratæ manus eius grauatæ sunt, vt nequaquam posset ferre cruciatus. Ad quem visendum beatus Pachomius veniens, causamque cognoscens, ait ei: Putabas frater quod te oleum posset iuuare? Quis enim te coëgit ita sedulo laborare, vt sub prætextu operis, in hoc visibili oleo magis quam in Deo spem tuam poneres? Aut nunquid impossibile est Deo sanare te? Aut ignorat ægritudines singulorum, nostrisque commonitionibus indiget? Vel despicit nos, qui est natura misericors? Sed vtilitatem considerans animarum nostrarum finit ad momentum nos pati tristitiam, vt tolerantiæ perpetua præmia largiatur. Super ipsum igitur omnem curam nostram, solicitudinemque iactemus, & quando voluerit, vel quomodo iudicauerit, ipse terminum doloribus nostris benignum imponet. Qui respondens ait: Ignosce mihi venerabilis pater, & ora pro me Dominum, vt & hoc mihi delictum remittere pro sua pietate dignetur. Asseuerabant etiam plurimi de hoc sane, quod per annum integrum se defleuit, post biduanum ieiunium parum cibi percipiens. Hunc S. Pachomius monachis proponebat, velut exemplum bonorum operum, firmamentumque virtutum. Ad quem etiam eos qui erant in mærore positi, dirigebat, quia habebat, & consolatorium verbum, sicut nullus alius. Qui vsque ad finem fortiter decertans in senectute sancta pro doloribus tantis æterna solatia recepturus ad cælestia regna transiuit.

Eusebius Vercellensis.

3 Merito etiam inter huius temporis monachos, & Elianæ Propheticæ vitæ sectatores vnus clarissimus Eusebius Vercellensis Episcopus magnus Antigonista fidei contra Arrianam peruersitatem, annumerãdus venit. Fuit enim monachus, imo primus ex ijs, qui in Occidentis partibus clericatum cum monachatu coniunxit, & Eliæ, Elisei, ac Ioannis Baptistæ verus sectator. Quæ omnia, quia D. Ambrosius [a] graphice descripsit, ex quo etiam alij acceperunt, hic apponenda eiusdem Ambrosij verbis: *Quod si in alijs Ecclesijs tanta suppetit ordinandi sacerdotis consideratio, quanta cura expetitur in Vercellensi Ecclesia, vbi duo pariter exigi videntur ab Episcopo, monasterij continentia, & disciplina Ecclesiæ. Hæc enim primus in Occidentis partibus diuersa inter se Eusebius Sanctæ memoriæ coniunxit, vt & in Ciuitate positus, instituta Monachorum teneret, & Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate. Multum enim adiumenti accedit ad sacerdotis gratiam si ad studium abstinentię, & normam integritatis iuuentutem adstringat, & versantes intra vrbem, abdicet vsu vrbis, & conuersationis. Hinc illi processerunt viri Elias, Eliseus, Ioannes, qui pelliceis tunicis, & caprinis exuuijs induti, inopes, atque egentes, angustijs, & doloribus afflicti, in solitudinibus erra-*

[a] lib. 10. ep. 82.

errabant inter alta, & condensa montium, inuia rupium, speluncarum horrida, souearum vadosa, quorum conuersatione dignus orbis terrarum non erat. Hinc illi Daniel, Ananias, Azarias, Misael, qui in aula regia pascebantur ieiunio, alebantur tamquam in desertis cibo aspero, potuque obuio, meritoque regij serui regi preualuerunt, & captiuitatem decusso iugo contempserunt, potestates subegerunt, elementa vicerunt, naturam ignis extinxerunt, euitauerunt flammas, obtuderunt aciem gladij, strinxerunt leonum ora, & vbi infirmiores fieri existimabantur, ibi fortiores reperiebantur; non refugiebant ludibria humana, qui calestia sperabant pramia, non horrebant tenebras carceris, quibus aeterni luminis gratia refulgebat. Hos secutus Eusebius sanctus exiuit de terra sua & domestico otio peregrinationẽ pratulit. Eadem confirmat Baron. [a] dicens Eusebium Apostolica legatione perfunctũ in Ægyptum profectũ, Alexandriæ aduersus Arrianos Conciliũ habuisse, & sanctorũ monachorũ institutum (in Ægypto florentissimum) diligentius perquisiuisse, & clericali vitæ con.ũgere studuisse. Vnde eum monachum vocat Gualterius [b]. Fauet & Pennotus [c] ex eodem Ambrosio tum *ea epist. 82.* tum maxime ex *serm. 69.* qui est de eodem Eusebio. Habetur autem in Actis ipsius Restitutam nobilem fœminam Christianam viduam è Sardinia insula ad Eusebium Papam venisse, & secum duxisse filium, Pontificique tradidisse; quem idem Pontifex egregie fide Christiana imbutum baptizauit, suo que nomine nuncupauit. *Dignum plane* (inquit Baronius [d]) *tanti Pontificis germen, quo fides Catholica in Oriente propemodum extincta cœpit latiori propagine reuiuiscere.*

[a] sub ann. 328. §. Qui vero.
[b] in Tab. Chronog. in 4. facul.
[c] in hist. Trip. lib 2. c. 10. n. 2. & 6.
[d] sub ann. 311. n. 42.

4 Hoc item tempore Basilius, & Eubolus, qui iuxta dicta in superioribus, baptismi lauacro in Iordanis flumine a Hierosolymitano Antistite regenerati fuerant, postquam per annum in Sancta ciuitate vixerunt, Antiochiam reuersi sunt iuxta Amphilochij historiam *c. 5.* Cæterum Bostius noster [e] aliter rem narrat dicens; Episcopum Hierosolymitanum in sanctam ciuitatem reuersum fuisse; Basilium vero, & Eubolum in montem Carmeli ascendentes, *ibi in monastica vita plus quam tredecim annos desudantes &c.* Postea vero *c. 45.* plusquam duodecim annis apud eundem Carmelum in monastica vita desudasse Basilium, iuxta quorundam placitum refert. Hæc vero quoad fieri potest conciliantes, credimus dicendum, duodecim istos, vel tredecim annos comprehendere totum tempus, quo Basilius vitam egit monasticam, siue in Carmelo ipso, siue in alijs Cœnobijs, de quibus in sequentibus fiet sermo; quo tamen tempore in Carmelo id peregisse dicitur, quia Carmeli instituta vbique seruabat. Ne tamen id propensiori affectu erga propria dictum credatur, alte pensandum, quod vt habetur in officio S. Gregorij Nazianzeni in Breuiario Romano, & Carmelitano pro die 9. Maij, tam ipse, quam Basilius in studio sacrarum literarum *per tredecim annos in Cœnobio se exercuerunt.* En iam lector, tredecim annos a Bostio designatos Ecclesiæ calculo receptos. Quod vero sub Carmeli institutis vixerit, non solum indi-

Basilius Eubolus.

[e] lib. 5. histor. c. 42.

cat Nazianzenus [a] dum inquit: *Nobiscum hic profugus secedit in Pontum, atque cum Elia, & Ioanne summis Philosophis solitudinem amplectitur*, & Baptista Mantuanus [b] Carmelicolis dum de inquit: *Ad hos Beatissimus Pater Hilarion, ad hos magnus Basilius Episcopus, &c.* sed & de exteris expressis verbis id fatetur Alfonsus a sancto Victore Generalis quondam Benedictinorum Hispaniæ *in libro cui titulus El Sol del Occidente*, dum *præludio 4. c. 2. n. 17. & prælud. 6. c. 1. n. 22.* inquit S. Basilium Carmelitarum Regulam obseruasse; & Carolus de Tapia dum [c] ait Basilium magnum Carmeli accolam fuisse. Quod etiam de Eubolo refert, conformiter etiam ad alios Ordinis historicos, qui hunc Eubolum Carmeli colonis adiudicant cum Basilio. Vt Palæonydorus [d].

a Orat. 30. de laudib. Basilij.
b in Isagoge ad patientes. lib. 2. cap. 27.
c in Authentic. ingressi verbo Monaster. n. 10.
d lib. 2. c. 6.

Abbas Ioseph.

5 Ad idem tempus referre debemus inter Patres Eremi vnum apprime celebrem Pimerij, Nisteronis, & aliorum, quos retulimus in præcedentibus, coætaneum, imo etiam Antonij, vt constabit, Iosephum nomine, de quo multa *in vit. Patr.* leguntur. Id singulare humilitatis exemplum de ipso scribitur [e], quod cum Antonius interrogaret monachos quosdam de quibusdam Sacræ Scripturæ difficultatibus, & singuli pro posse responderent, Ioseph dixerit. *Nescio*, qua humilitate excitatus Antonius dixit: *Vere Abbas Ioseph solus inuenit viam, qui se nescire respondit.* Vt vel hinc nouerint perfectionis Religiosæ studiosi tunc vere sapientes esse, cum per humilitatem se nihil scire fateantur.

e lib. 5. vit. Pat. libell. 15. n. 4. 5.

Annus Christi 351. Liberij Rom. Pont. 3. Constantij Imp. 18.

Huius temporis gesta.

1 AGEBATVR hoc anno de celebrando Concilio Mediolanensi, missis ad hoc a Liberio Papa ad Constantium Legatis, & litteris, imo ad Eusebium Vercellensem Antistitem clero monachum iuxta dicta in superioribus, quibus eum valde commendans enixe rogauit, vt fidei patrocinium apud Imperatorem susciperet. Quod & gessit simul cum Legatis ad ipsum in Gallijs agentem profectus. Annuit Imperator. Et interim Gallum Cæsarem sibi suspectum occidi iubet; ac Iulianum iterum Athenas mitti studiorum causa: vbi Gregorius Nazianzenus cum eo versatus, & eius aspectu, ac moribus qualis futurus esset coniectans: *Quale malum* (inquit) *Romanorum terra nutrit, vtinam falsus sim vates*. Noui Chronologi ex D. Hieronymo, Ammiano, & alijs.

Euticius.

2 Erat per id tempus inter Carmeli Eremitas vnus celebris ipsorum Archimandrita, Prior, seu Abbas, Euticius nomine, alijs Eutichianus, quem nostris annumerant non solum Ordinis Historici, præsertim Bostius [f], Palæonydorus [g], Coria [h], quos alij sequuntur; sed & de exteris Carolus de Tapia [i], & Laurentius Beyerlink [k], dum de Ordine Carmelitarum. De quo id inter alia historici nostri referunt, quod magnum Basilium

f libr. 5. Oper. hist. c. 45.
g lib. 2. c. 5.
h lib. 9. c. 2.
i in Authentic. ingressi verbo Monaster. n. 10.
k in Theat. vit. hum. lib. 6. n. 6. verb. Religiosus Religio.

ad Ordinis contubernium acceptauerit. Quod saltem eatenus verum est, quatenus Basilius, iuxta dicta in praecedentibus, sub Eliani instituti regula vixerit, cuius Ordinis caput Eutitius iste erat. De ipso quoque Bostius [a], & Palaeonydorus [b] referunt conuertisse ad fidem Meletium post Antiochenum Patriarcham. Quod qualiter intelligendum, haeremus. Si enim de prima conuersione ad Catholicam fidem ex gentilismo intelligatur, prout Bostius indicat, dum inquit, quod *tempore persecutionis fuerat ab ipso in Carmeli Monte instructus*, hoc enim persecutionis tempus ad anteriora referri videtur haud constat Meletium hunc ethnicum aliquando fuisse. Si tamen, quod creditur facilius, de conuersione hominis Arriani ad sanam fidem capiatur, cum Meletius iste antequam ad Antiochenam Sedem eueheretur, Arrianam imbibisse perfidiam credatur, adhuc sub trutina est quomodo ab Eutitio Carmeli Anachoreta Meletius iste Episcopus (Sebastensis enim Episcopus erat) instrui posset. De eo tamen forsan iterum in sequentibus dicetur.

a eo cap. 45.
b eo cap. 5.

3 Hoc anno, iuxta Baronium [c] natus est Ioannes ille celeberrimus, cognomento Chrysostomus, monachis eius aeui iure annumerandus, ac perinde a nostris Annalibus non repellendus, prout etiam historici nostri autumant specialiter Palaeonydorus [d], & post illum Coria, Guadalaxara, Franciscus a S. Angelo, Ioannes de la Plata, Emmanuel Romanus, qui eum inter Eliae alumnos referunt. Quibus fauet vetustum Ordinis Kalendarium Conuentus Mechliniensis, in quo pro 6. Kalend. Februarij sic habetur: *Constantinopoli Ioannis Episcopi, qui & Chrysostomus dicitur, iste fuit Ordinis nostri, & martyr in exilio obijt*. Et de exteris Laurentius Beyerlink *in Theatro vitae humanae lib.* 16. *to.* 6. *verb. Religiosus Religio*, dum de Ordine Carmelitarum agit, eum inter sanctos Ordinis referens; & Carolus de Tapia [e]. Et quidem Monasticam vitam egisse, ex Palladio, Metaphraste, Erasmo, & alijs eius vitae scriptoribus clare habetur, praesertim ex Georgio Patriarcha Alexandrino, qui eius historiam describens inquit: *Qui autem in Monasterio, in quo degebat Chrysostomus, diuersabantur, perspecta eius sanctitate obsecrabant vt sibi praeesset, ille e diuerso renuebat; nihilominus quasdam Regulas monasticae exercitationis edocuit, eos exhortans ad sanctorum Eliae, & Elisei piam conuersationem*. Idcirco inter Eliani instituti imitatores eum numeramus. Prout etiam Philippus Visquin Vvalo, publicus Rhetoricae, & Poesis professor Geldriae, dum in suo *Carmelo Poetico*, propter Elianam imitationem de Chrysostomo, & Carmelo dicere potuit:

Ioannes Chrisostomus.
c sub ann. 365.
d lib. 3. c. 15.
e super Authent. ingr. c. 17. n. 10.

Hinc bibit aethereos ore, labrisque fauos.

Et ante eum Mantuanus ille noster celeberimus Poeta [f] canens.

f in fastis l. 10.

Nomen ab aurato traxit Chrysostomus ore,
Et subito factus quasi fons pietatis, & ingens
Sanctarum thesaurus opum de turbine Roma
Assiduo in portus studuit transire quietos.

In patrios vectus fines sub monte silentum,
More Patrum, qui Carmeli montana colebant
Per spelea diu traxit syluatica vitam.

Non ergo Basilij monachismi assecla, vt bene probat Alfonsus a S. Victore [a] contra Neothericum quendam, quem ibi acriter impugnat. Nascitur Antiochiæ *patre Secundo, inter eos qui in Syria militari dignitate præcellebant cum primis illustri; Anthusa matre, iuxta nomen suum omni virtutum genere florenti, vtroque parente nobili, lautaque fortuna.* Ita Erasmus in vita Chrysostomi; quam ex Tripartita, Palladio, & Theodoro collegit.

[a] in lib. cui titulus: El Sol del Occidente prælud. 4. c. 2. n. 26.

Annus Christi 355. Liberij Rom. Pont. 4. Constantij Imper. 19.

Huius anni gesta.

1 MEDIOLANI Concilium hoc anno celebratur, Liberio Papa volente, & annuente Imperatore, à 300. Episcopis. Sed mutata est Synodus in seculare iudicium, & conuersa in arcum prauum, Constantij consilio, & vi tyrannica, ac Arrianorum perfidia. Coacti enim sunt Episcopi ad subscribendum contra Athanasium. Qui subscribere recusarunt in exilium mittuntur. Lucifer Calaritanus in Palæstinam (qui miræ constantiæ, & præparati animi ad martyrium contra Constantium Imperatorem scriptum librum ad eum misit legendum) Pancratius Presbyter, Hilarius Diaconus, qui etiam flagellatus. Dionysius item Mediolanensis Episcopus, & Eusebius Vercellensis recusantes subscribere in Athanasium, ne cum damnatione Athanasij fidem quoque Nicænam damnare viderentur, relegati. Tentatur Liberius Papa, vt subscriberet, sed recusans facere exulat; substituto Felice in eius locum, Catholico quidem, sed cum Arrianis communionem habente. Tentatur quoque, & resistit Osius Cordubensis iam centenarius. Athanasius [b], Hilarius [c], Baronius, & alij *sub hoc anno.*

S. Hilarionis humilitas.

2 Erat hic annus 63. ætatis S. Hilarionis, de quo in eius vita [d] sic dicitur: *Igitur sexagesimo tertio vitæ suæ anno cernens grande monasterium, & multitudinem fratrum secum habitantium, turbasque eorum, qui diuersis languoribus, & immundis Spiritibus occupatos ad se deducebant, itaut omni genere hominum solitudo per circuitum repleretur, flebat quotidie, & incredibili desiderio conuersationis antiquæ recordabatur. Interrogatus a fratribus quid haberet, cur se conficeret, ait: Rursum ad saculum redij, & recepi mercedem meam in vita mea. En omnis Palæstina, & vicina Prouinciæ æstimant me alicuius esse momenti, & ego sub prætextu monasterij ad dispensationem fratrum, villæ possessiones, & supellectilem habeo. Seruabatur ergo intente à fratribus, maximeque ab Hesychio, qui miro amore venerationi senis deditus erat.* Eadem habet Bostius noster *lib. 5. Hist. c. 34.* Quæ eo animo a nobis relata sunt, vt confusioni sint Religiosis illis, qui auræ sæculari intenti, ho-

[b] Epist. ad Solitarios.
[c] ad Constantium.

norari cupiunt, diuitias, & superfluitatem bonorum in suis cœnobijs quærunt, & huiusmodi temporalibus quæritandis inhiant, de quo non pauca dixi *in Opere de Reformat. Regular. præsertim cap. 16. & 17.*

3 Agebat per id tempus Hieronymus adolescens Romæ, quo venerat cum Bonoso collactaneo, & gentili suo, Donati auditor, & controuersijs scholasticis vacans. Ibi etiam adulta ætate sacro baptismo initiatus est. Quo suscepto paulo solutiorem vitam, quam gesserat, continuo emendauit; nam priori amissa corporis integritate; secundam, quam vocat continentiam, post baptismum seruauit immaculatam, totus pijs officijs deditus, vna cum eiusdem instituti sodalibus singulis diebus Dominicis (vt ipse tradit) inuisebat in subterraneis cœmeterijs reliquias Sanctorum Martyrum; nihilque cæteris dieb. otij sibi relinquens totus erat in describendis libris; sic enim bibliothecam Romæ summo studio, atque labore sibi confecisse testatur. In Gallia post hæc peregrinatus cum ipso Bonoso, eadem siti librorum, Treueris S. Hilarij libros de Synodis manu sua descripsit, aliosque ibi positus, antiquos codices, vsus opera amicorum; atque inter alios Florentij describendos curauit. Hæc ex ipso met D. Hieronymo [a] habent Baronius [b], & Heribertus Rosvvedius [c] in exemplum sane monachismi professorum, vt otium auersantes lectioni, & scriptioni attendere discant, tempore, quo orationi non vacant.

[a] lib. 1. contra Pelag. in epist. ad Galat. & 2 epist. 17 in Ezech. c. 40 ep 22. & 41.
[b] to. 4. sub ann. 372.
[c] in prælud. ad lib. 1. vit. Patr.

Annus Christi 356. Liberij Pont. 5. Imper. Constantij 20.

1 PERMIXTA valde est historia Ecclesiastica huius anni cum ea, quæ specialius ad nostros Annales spectat, & ideo coniunctim tractanda. Et primo quidem, cum dux militiæ Syrianus mandato Imperatoris Alexandriam veniens in Ecclesiam irruperit, Athanasium ad necem quærendo, ipse à Monachis, & Clericis abstractus, per medios milites inoffensè, Deo duce, pertransiens, solitudinem petijt cum eisdem Monachis, & Anachoretis in eorum Monasterijs latens commoraturus. Idem Athanasius [d], Gregorius Nazianzenus [e]. Inuasit tunc Alexandrinam Ecclesiam Georgius quidam Cappadox improbus homo magnam cladem ijs Catholicis, sacris Virginibus, & Ægypto inferens. Athanasius, & Gregorius [f], ac Lucifer Calaritanus [g].

Huius temporis historia.

[d] in Apolog. de fuga sua.
[e] in Orat. de laudib. S. Athanas.
[f] supra.
[g] lib. 2. pro Athanas.

2 Deinde hac persecutione grassante, Arriani *Ex Ægypto, & Africa* (verba sunt eiusdem Athanasij) *Hos Episcopos ad fugam, exiliumque compulerunt: Ammonium, Muum, Gaium, Philonem, Hermem, Plinium, Psinosirim, Pelamonem, Agathonem, Anaganphon, Marcum, Ammonium, & alterum eiusdem nominis Marcum, Draconium, Adelphium, Athenodorum: Presbyteros verò Hieracem, & Dioscorum, quos tanta acerbitate raptauerunt vt*

Exules Christiani.

quidam in via, quidam in exilio mortem oppetierint, actis in fugam plurimis quàm triginta Episcopis. Siquidem illis studium fuit secundum Achab, quoquo modo, si fieri posset veritatem e medio tollere: Circa quæ Baronius [a] hæc habet: *Quod ad Dracontium Episcopum spectat hunc illum esse putamus eius nominis virum, quem ex monacho, diu renuente, ipse Athanasius adegit tamen, vt Episcopatus onus susciperet; est verò mentio apud S. Hieronymum de eodem Dracontio Episcopo exulante, atque Philone collega, quos S. Hilarion cum petijt Ægyptum, inuisit, ait enim cum agit de eius aduentu in Ægyptum: Quinto igitur die Hilarion venit Pelusium, visitatisque fratribus, qui in vicina eremo erant, & in loco qui dicitur Lychnos morabantur, perrexit post triduum ad Castrum Theaubatum, vt videret Dracontium Episcopum, & Confessorem, qui ibi exulabat, quo incredibiliter consolato tanti viri præsentia post aliud triduum multo Babylonem labore peruenit, vt videret Philonem Episcopum, & ipsum Confessorem. Constantius enim Rex Arrianorum fauens hæresi vtrumque in ea loca deportauerat. Hæc de S. Hilarione Hieronymus, ex cuius testificatione, & illud proditur inuisisse ipsum Christi Confessores anno qui sequitur Antonij obitum, qui contigit post sequentem annum. Porrò eiusdem quoque auctoris assertione compertum habetur, tempore mortis ipsius Antonij, eundem Hilarionem fuisse annorum ætatis sexaginta trium, qui cum puer inuisisset olim Antonium annos quindecim natus, largitus sua bona pauperibus monasticam vitam arripuit: quando desertum à Maiuma Nauale Gazæ septem milliaribus distans petijt, vbi magna, miraque operatus non Palestinis tantum innotuit, sed toto penè Orbe conspicuus factus fuit; cuius ad monasticam perfectionem progressus, & præclaras ab eo virtutes, & miracula edita idem auctor pluribus prosequutus est.* Hæc Baronius. Expendenda tamen. Et quidem quod ad Dracontium attinet, facile admittenda, cum & nomen, & temporis ratio congruat. Quod autem dicit de anno, quo S. Hilarion hos Christi Confessores inuisit, scilicet cum fuisse *qui sequitur Antonij obitum, qui contigit post sequentem annum*, id est, id contigisse anno Christi 359. qui sequitur annum 358. quo Antonius obijt, reijcitur à Rosvvedio [b]; ex eo quod, iuxta computum ipsius, Antonij mors non accidit nisi anno 19. Constantij; annus autem ille 358. est 22. eiusdem Constantij. Hoc tamen prætermisso, ex alio capite anceps est Baronij placitum. Ex eo videlicet, quod in ea vita S. Hilarionis à d. Hieronymo descripta [c] supponi videatur Hilarionem ad montem vbi Antonius vixerat non nisi triennio penè elapso post ipsius obitum perrexisse. Dicitur enim ibi: *Triennium erat, quo clausum cælum terras arefecerat, vt vulgo diceretur Antonij mortem etiam elementa lugere.* Non ergo perrexit ad Antonij locum Hilarion anno Christi 359. qui est proximus morti Antonij, sed anno 361. vel paulo ante. Esto autem id certum non sit, quia verba relata non ad tempus, quo Hilarion ad Antonij mansionem accessit, sed ad id quo ex quadam eremo discessit applicari possunt, illud tamen subsistere non potest, quod idem Baronius subiunxit, scilicet: *tempore mortis ipsius Antonij eundem Hilarionem fuisse ætatis annorum 63.* Cum enim Hilarion natus sit

anno

[a] sub hoc anno.

[b] in notat. ad vit. S. Hilarionis n. 19.

[c] n. 27.

anno 292. iuxta eo anno dicta, & eiusdem Baronij computum; & Antonius vltimum diem clausert anno 358. procul dubio eo tempore Hilarion esset 65. vel 66. annorum, tot enim numerantur ab anno 292. vsque ad 358. Id quoque manifeste elicitur ex vita eiusdem Hilarionis. Etenim n. 23. dicitur fuisse 63. annorum, cum cæpit flere se honorari ab hominibus, & c. 24. vixisse biennio in eo luctu, & postea subditur; *Et post paucos dies veniente nuntio Antonij dormitionem audiuit*. Erat igitur pene 66. annorum, cum Antonius obijt. Non ergo 63. vt Baronius autumat. Dolendum sane quod tam egregius auctor in re manifesta defecerit.

3 Inter hos autem Episcopos hac grassante persecutione exules ex nostris monachis fuisse Agathonem, & Ammonium ab Athanasio superius relatos ex eo conijcitur, quod ijdem referuntur ab eodem Athanasio [a] inter Episcopus ex monachismo ad eam dignitatem subuectos, vt constat ex verbis eiusdem Epistolæ relatis *sub ann.* 328. Ad quem porro locum exilij causa ij sancti confessores monachi ducti fuerint, accipiat lector ex eodem Athanasio [b], vbi etiam de contumelijs, & impietatibus, quas cum illis vsi sunt persecutores, Additur etiam ibi hæc de monachis, & Monasterijs: *Vniuersa Ciuitas hanc crudelitatem vidit, omnesque eos vt carnifices, vt maleficos, vt latrones auersati sunt: quippe qui & Monasteria euerterint, & ignes minacernit ad monachos comburendos.* Monachi exules.

a in Epistol. ad Dracontium

b in Epistol. ad Solitarios.

4 Interea Athanasius cum monachis nostris in eremo conuersatus, D. Antonium adhuc superstitem saltem inuisisse, si apud eum manere non liceat, suspicatur Baronius [c]. Et quòd tunc Epistolam illam, quæ *ad Solitarios* intitulatur, scripserit, vt vel per litteras consolaretur eos, quos sibi ob latebras inuisere non licebat. Item Epistolam ad Virgines sacras, quæ plura acerbissimè passæ erant in hac persecutione, quam refert Theodoretus [d]. Ac Apologiam *de fuga sua* cōtra calumniantes, quòd malæ causæ diffisus fugam cepisset. Ac demum aliam, quam *secundam* vocat. Accepit etiam eo tempore à magno illo Serapione è monacho Thumneos Episcopo æquè exule fidei causa litteras, quibus rogabat scribere, quæ passus esset ab Arrianis. Hæc recenset Baronius *supra*. Athanasij gesta.

c hic.

d lib. 2. c. 14.

5 Sæuijsse etiam tunc Arrianos in Eremitas, ac monachos in eremis degentes colligitur ex eodem Athanasio [e] illis verbis. *In tantum enim rabiem per milites extendere ausi sunt, vt non solùm ciuitatis clericos effugarent, sed etiam ad eremitas exirent, & funestas suas manus aduersus monachos immitterent.* Eremitæ quid passi.

e in Epist. ad Luciferum Calaritanum.

6 Eusebius quoque cleromonachus, & Vercellensis Episcopus, de quo in superioribus, cum ablegatus esset Scythopolim in Palæstina, sub cura erat cuiusdam Patrophili veternosi Arriani; licet ei fuerit præsidio Iosephus Comes ex nobili Iudæo factus Christianus sub Costantino magno. Eum quoque visitauit S. Epiphanius, & alij cum ipso, idem Epiphanius [f], Baronius [g] qui plura de eodem Eusebio. Eusebius Vercellensis.

f hæres. 30.

g supra.

7 An sub hoc anno contigerit derelictio militiæ S. Martini sub Iuliano Cæ- Martinus.

no Cæſare aduerſus Barbaros in Gallijs effuſos bellum gerente, prout ex Seuero Sulpitio in vita S. Martini [a] elici videtur, conſulendus Baronius [b]. A nobis enim vel curſim tangendum id fuit ob tanti Archimonachi memoriam noſtra hiſtoria dignam.

a cap. 3. b hinc, & ſub anno 151.

Ioannes Paruus. c in libris Vit. Patr.

8 Nec obliuioni tradendus Ioannes vnus ſolo nomine *Paruus*, aut *Nanus*, quòd eſſet breuis ſtaturæ; ea namque, quæ de illo [c] ſcribuntur valde magnum meritis, & virtutibus fuiſſe omnino ſuadent. Aliqua ex ipſo (qui procul dubio circa hoc tempus clarus erat) accipienda. Tantæ obedientiæ monachus fuit, vt propter eam lignum ſiccum per ſingulos dies aqua rigatum poſt tres annos reuixerit, & fructum fecerit. Sumens autem ſenex quidam Thebæus, qui in eremo Scythi morabatur, qui ipſi id opus præceperat, fructum, attulit eum ad Eccleſiam, & dixit fratribus: *Accipite, & manducate fructum obedientiæ*. Documenta porrò quæ monachis præbebat ex *lib. 4. Vit. Patr. libel.* 1. alta mente nobis recondenda hæc ſunt: *Per ſingulos dies ſurgens manè de omni virtute ſume principium, & mandatum Dei cuſtodi in magna patientia cum timore, & longanimitate, in charitate Dei cum propoſito animæ, & corporis, & humilitate multa: in patientia, & tribulatione cordis, & obſeruationis, in oratione multa, & ſupplicationibus, cum gemitibus; in puritate, & munditia linguæ, & cuſtodia oculorum; iniuriam patiens, & non iraſcens; pacificus, & non reddens malum pro malo: non attendens ad vitia aliorum, neque te ipſum exaltans, ſed eſto ſubditus, & humilior omni creaturæ, renunciando omni materiæ corporali, & his quæ ſecundum carnem ſunt, in cruciatu, in certamine, in humilitate ſpiritus, in bona voluntate, in abſtinentia ſpirituali, ieiunio, in patientia, in fletu, in certamine pugnæ, in diſcretione iudicij, in caſtitate animi, in peceptione boni cum quiete, & opere manuum tuarum; in nocturnis vigilijs, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate, in laboribus, includens te ſepulchro tanquam iam mortuus, vt videatur tibi eſſe proxima mors omni die.*

Annus Christi 357. Liberij Papæ 6. Conſtantij Imper. 21.

1 STELLÆ de Cælo, iuxta *Apocalypſ.* 6. prædictionem, hoc anno ceciderunt. Etenim, cum Concilium Sirmienſe ab Arrianis, vt Catholici viderentur, celebraretur, Papa Liberius per vim, & minas ſolicitatus Athanaſium condemnauit, & cum Arrianis excommunicauit. Licet non propterea ſicut nec propter ſubſcriptionem cuiuſdam fidei formulæ, in qua nomen *conſubſtantialitatis* omiſſum erat, hæreticus cenſeatur. Magnus etiam ille Oſius Cordubenſis ad hoc inductus eſt, vt cum Vrſacio, & Valente Arrianis communicaret, maximo damno totius Eccleſiæ, ob tanti viri miſerabilem caſum. Eum tamen reſipuiſſe morti proximum aliqui affirmant. Et ſpecialiter Lucius Dexter [d], Baronius [e] Biuarius [f], afferens etiam inter alia quod in Eccleſia

d in Chronicon, anno Chr. 360. e ſub hoc anno f Comment. in Dextrum.

Syriæ

Syriæ ad diem quintam Nouembris festum Osij vt sancti celebretur. Id rectè gestum in hoc Concilio, vt Photinus, antea etiam damnatus in *Sardicensi*, quòd etiam negaret Filij diuinitatem, iterum damnaretur. Sozomenus [a] Epiphanius [b], & moderni Chronologi. *a lib. 4. c. 5.* *b hæres. 71.*

2 Hoc anno, qui proximus fuit vltimo vitæ S. Antonij, cygnæa voce dulcius resonabat salutaria vitæ documenta singulis ad se venientibus præbens, & bonum se toti Ægypto medicum præstans. *Quis enim*, vt in eius vita [c] descripsit Athanasius, *non tristitiam apud Antonium mutauit in gaudium. Quis non iram vertit in pacem? Quis orbitatis luctum non ad eius temperauit adspectum? Quis non mœrore paupertatis, quo premebatur, abiecto, statim, & diuitum despexit opulentias, & in sua lætatus est paupertate? Quis post lassitudinem monachus non eius vegetatus est hortamentis? Quis adolescens succensus ardoribus, non ex eius admonitu pudicitiæ amator fuit? Quis vexatus à diabolo sine medela rediit? Quis inimici cogitationibus distractus, non cæca tempestate sopita sereno regressus est animo? Sciebat enim quò quisque laboraret incommodo, & ex vitæ meritis discretionem spirituum agnoscens, adhibebat morborum, prout erant vulnera, sanitatem.* S. Antonij documenta. *c c. 55.*

3 Inter eos autem, qui huiusmodi Antonij documentis feliciter frui poterant, vnus erat Eremicola celebris Abbas Pastor nuncupatus, cui Antonius specialiter dixit aliquando, prout apparet *in 5. lib. vit. Patr. libell.* 15. *sub n.* 2. hæc: *Hoc est magnum opus hominis, vt culpam suam super se ipsum vnusquisque ponat coram Domino, & expectet tentationem vsque ad vltimum vitæ suæ tempus.* De ipso autem celebria multa libri *Vit. Patr.* appellati recensent. Et quibus nos hæc selectiora ab ipso pronunciata: *Paupertas, tribulatio, & discretio, hæ sunt operationes solitariæ*, id est, monasticæ, *vitæ*. Ita *lib. 4. Vit. Patr. libell.* 1. Item ibidem, *Si duas res oderit monachus, potest esse liber ab hoc mundo; carnalem repausationem, & vanam gloriam.* Deinde *lib. 5. libell. 4. n.* 32. sic: *Sicut fumo expelluntur apes, vt tollatur dulcedo operis earum, ita & temporalis quies timorem Domini expellit ab anima, & aufert ab ea omne opus bonum.* Ruminent ista otiosi, & desides. Illud quoque, quod ibidem *libell. 9. n.* 6. de eo scribitur: *Quacunque hora tegimus peccatum fratris nostri, teget etiam Deus nostrum, & quacunque hora prodiderimus culpas fratrum, & Deus nostras similiter prodet.* Iterum *libell.* 10. *n.* 37. eodem libro: *Pone in corde tuo quia peccata tua sunt sicut trabes, illius autem fratris, de quo loqueris, velut parua festuca.* Ac *num.* 50. eiusdem libelli: *Si quis docet aliquid, & non facit quod docet, similis est puteo, qui omnes ad se venientes satiat, & delet sordes, se ipsum autem purgare non potest, sed omnis spurcitia, & immunditia in eo est.* Præterea *libell.* 15. *n.* 32. dixisse fertur: *Semper homo humilitatem, & timorem Dei ita incessanter respirare debet sicut flatum quem naribus attrahit, & emittit.* Innumera alia eodem 5. *libro* reperiet lector de isto Pastore, & nonnulla etiam *in Appendice ad Vit. Patr. c.* 20. Abbas Pastor

4 Pastoris autem erant sex fratres ex eodem vtero nati, monachi in Annub, & fratres.

eadem

eadem parte Scithi, ex quibus vnus erat Pimenus, de quo *sub ann.* 340. dictum; alter & senior Anub, de quo etiam plura *in lib. vit Patr.* & diuersus, vt credimus, ab Anub de quo *sub ann.* 371. loquendum. Hi porro septem fratres mirabili concordia inter se vixerunt, inuicem supportantes, sibi parcentes, semper operantes, & simpliciter obedientes seniori Anub, prout pacis, & quietis amatores Religiosi in sui exemplum reperient *lib. 5. vit. Patr. libell.* 15. *n.* 11. Insuper mirabile præstiterunt mortificationis exemplum, quod narratur *lib. 5. vit. Patr. libell.* 4. *n.* 33. sic: *Cum desideraret mater eorum videre eos, & non posset, obseruauit vna die, et euntibus illis ad Ecclesiam, obtulit se eis. Illi autem videntes eam conuerterunt se ad cellam, et intrantes clauserunt ostium in faciem eius. Illa autem ad ostium stans, clamabat, plorans cum nimia miseratione. Audiens autem eam Abbas Anub, intrauit ad Abbatem Pastorem dicens: Quid faciemus vetulæ isti, ita ante ostium flenti? Surgens autem Abbas Pastor, venit ad ostium, et intro stans, audiuit eam plorantem miserabiliter nimis, & dixit: Quid sic clamas vetula? Illa autem cum vocem eius audisset, multo magis clamabat, plorans, & dicens: Volo vos videre, filij mei. Quid est enim si videro vos? nunquid non sum mater vestra? aut non ego lactaui vos, & tota sum iam canis plena. Sed & audiens vocem tuam, turbata sum. Dicit ei senex: Hic nos vis videre, an in illo seculo? Dicit ei: Et si non videro vos hic, videbo vos illic, filij? Dicit ei: Si potes æquanimiter ferre vt hic nos non videas, videbis nos illic. Et ita discessit mulier gaudens, & dicens; Si omnino visura vos ero illic, nolo vos videre hic.* Vnus prætèrea ex Pastoris fratribus erat Paysion, seu Paysius, prout ex eo 5. *lib. vit. Patr. libell.* 16. *nu.* 8. De quo vnum hoc salubre documentum pro timore Dei addiscendo cuidam ab ipso id sciscitanti datum, Pastor eius germanus eo *lib.* 5. *libell.* 11. *n.* 23, sic refert. *Vade, & iungere homini timenti Deum, & cum illi inhæseris, doceberis & tu timere Deum.*

Annus Christi 358. Liberij Papæ 7. Imper. Constantij 22.

Liberij gesta. 1 LIBERIVS Papa restitutus, & communicans cum Arrianis Romam venit, sed a Catholicis non recipitur, qui potius Felicem alias intrusum, cum se ab Arrianis segregaret, vt verum Pontificem salutabant: vt propterea Constantium damnaret, & ipse Martyrio coronatus obierit. Liberius autem postea resipuit. Sozomenus [a], Baronius, & Coriolanus [b], Platina, Ciaconius, Gualterius [c], & alij.

a lib. 4. c. 14. & 15. b sub hoc ann. c in Liberio.

D. Antonij funus. 2 Vocamur hoc tempore ad funus celeberrimi illius Monachorum Antesignani Antonij, qui hoc anno, iuxta communius computum Doctorum, impollutum spiritum Deo reddidit. Prædixit autem illum suis discipulis annum centesimum quintum iam agens, illos etiam de Arrianorum

norum communione vitanda admonens. Post quæ S. Athanasius [d] eius preciosam mortem describit dicens, vocasse ad se duos fratres, quos ante quindecim annos instituerat, eisque de suo obitu prænunciasse, saluberrima monita dedisse, & inter ipsa, quod ab hæreticorum, & schismaticorum consortio procul abessent; ac præcepisse, ne suum cadauer in Ægyptum deferrent, sed occulte eo in loco sepelirent; atque pro testamento hæc subiunxisse: *Vestimentorum autem meorum sit ista diuisio: melotem, & pallium tritum cui superiaceo, Athanasio Episcopo date: quod mihi nouum ipse detulerat. Serapion Episcopus aliam accipiat melotem: vos cilicinum habetote vestimentum, & valete viscera mea: Antonius enim migrat, & iam non erit in præsenti seculo vobiscum. Verba finierat, & osculantibus se discipulis extendens paululum pedes, mortem lætus aspexit, ita vt ex hilaritate vultus eius Angelorum sanctorum, qui ad perferendam animam eius descenderant præsentia nosceretur; hos intuens tanquam amicos videret, animam exhalauit, & additus est patribus secundum ordinem Scripturarum. Seruauerunt mandata discipuli, inuolutum (vt præceperat) corpus humo operientes, & nemo interim vsque ad hanc diem præter eos vbi sit conditum, nouit. Legatarius autem Antonij benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio eius meruerat accipere, Antonium in Antonij muneribus amplectitur, & tamquam magna hæreditate ditatus lætanter per vestimentum recordatur imaginem sanctitatis.* Hæc Athanasius de Antonij obitu, & funere, cum adhuc in eremo delitesceret. [d: *ac. 58. & seq.*]

3 Sepultus est autem Antonius incognito loco ea de causa, quod id ipsemet præcepisset. Ob quam etiam rationem antiquum illum in Ægypto morem inolitum, & ad Christianos propagatum, detestatus est, quo carorum corpora nequaquam sepulturæ traderentur, sed pollinctorum arte delibuta, ita arida reddebantur, vt absque corruptione, integra seruarentur; quæ sic reddita quasi ænea, ab Ægyptijs (vt auctor est S. Augustinus) *Gabbaras* dicebantur. Id inquam, adeo displicuit Antonio, vt nec Sanctorum cadaueribus id officij exhibendum esse diceret, cum exemplo corporis Christi Sanctorum quoque corpora essent recondenda sepulchro; quod præstare Ecclesia Catholica consueuit, vt beatorum cadauera sepulchris clauderet, sed honorificentissimis tamen, nempe sacris altaribus. Verum quantumlibet id magnis contestationibus discipulos suos admonens fuerit consecutus, vt corpus suum mandaretur oculto loco sepulchro: haud tamen voluit prohibere, quin honoris Sanctis, & Deo dilectis impertiri soliti particeps fieret; vt nempe natalis eius migrationis dies ex antiquo Ecclesiæ more peruigilio, & sacris cæteris ritibus coleretur. Nam de S. Hilarione scribit Hieronymus, quod cognito licet longe absente Antonij obitu, illuc magno labore se contulit, ea nimirum ex causa, vt anniuersariam illius dormitionis diem, eodem in quo defunctus erat loco, præuijs nocturnis vigilijs celebraret. Quod pium officium cum cæteri in Ægypto Catholici, tum etiam vniuersa Ecclesia Sepultura.

Catho-

Catholica præstare hactenus non prætermisit. Quo autem anno ad locum, in quo Antonius conuersatus fuerat, Hilarion peruenire potuerit, ex dictis sub anno 356. innotescet. Eius autem festus dies decimus septimus est mensis Ianuarij. Etenim tam Latini, quam Græci de Antonio agunt hac die. Est vetus memoria in actis S. Euthymij, quæ fidelissime scripsit Cyrillus monachus ante annos fere mille & ducentos, hac eadem die sanctos illos monachos natalem diem sancti Antonij celebrare consueuisse. Scripserunt de Antonio Græcorum veteris historici Socrates, Sozomenus, & Theodoretus, meminit eiusdem Chrysostomus [a] Latinorum Rufinus, ac plurimi ex recentioribus, specialiter noster Baptista Mantuanus [b].

a homil. 8. in Matth.

b in fastis mense Ianuarij

S. Martini gesta.

4 Circa quod tempus Martinus, de quo superius dictũ, postquam apud Hilarium Pictauæ Episcopum aliquandiu commoratus esset; cum hæresis Arriana totum turbaret Orbem, & ipse aduersus eam perfidiam acerrime decertasset, ita vt propterea supplicijs affectus, & publice virgis cæsus esset, de ciuitate exire compulsus Italiam petijt, & Mediolani sibi Monasterium statuit, monachismum ibi exercens. Sed cum ibi quoq; eum Auxentius Arrianę partis fautor insectatus esset, multis affecisset iniurijs, ac de ciuitate exturbasset, ad Insulam Gallinariam nomine secessit. Seuerus Sulpicius [c] Sozomenus [d], & ex ijs Baronius [e]. Erat hoc Mediolanense Monasterium illud, de quo S. Augustinus [f] hæc: *Erat Monasterium Mediolani plenum bonis fratribus extra vrbis mœnia sub Ambrosio nutritore.* Imo & Antonianæ, & Essenæ disciplinæ per consequens, prout ex eodem Augustino elicitur in quo etiam sacrosancto spectatæ disciplinæ, laudatæque obseruantiæ habitaculo aliquandiu cum collegis impietatis sub Catholico nomine, & habitu monastico delituit Iouinianus improbus hæresiarcha; quos instar maris latentia cadauera aquis concupiscentiæ turgidos expuit. Baronius *sub ann.* 382.

c in vit. S. Martini.
d lib. 3. c. 13.
e sub hoc anno.
f lib. 8. Confession c. 6.

Pæmen Abbas

5 Florebat prope id tempus inter Ægyptios Ascetas vnus celeber valde, Pæmen nomine, de quo mira in libris *vit. Patr.* Ex quibus aliqua nos pro instructione nostra. Humilitatis spiritu ductus magnorum virorum conuersationem respuebat. Sororis filium in capitis periculo apud iudices positum non nisi æqua lance iudicari postulabat. In quadam occasione auream hanc sententiam pro Religiosis, qui alijs docendis tum scripto, tum verbotenus attendunt, protulit: *Homo qui alios docet, & non facit ea quæ docet, similis est fonti alto, qui omnium res lauat, & omnes satiat potu, se ipsum autem lauare non potest, sed habet & immunditias, & sordes limorum.* Item: *Doce animam tuam seruare quæ lingua tua alios docet.* Plura alia reperiet lector de isto Pæmene; sicut & de alio eiusdem nominis solitario apud Ioannem Moschum *in lib. 10. vit. Patr. c. 167.* quæ etiam prætermittimus, quia posterior tempore est.

Annus

Annus Christi 359. Liberij Pont. 8. Constantij Imp. 23.

1 DVO Concilia habita hoc anno; alterum Ariminense 400. Episcoporum, vbi Occidentales damnant Vrsatium, Valentem; & alios Arrianos, comprobaturque Nicæna Synodus; alterum Seleuciense in Isauria fere 160. Episcoporum, cui interfuit Hilarius Pictauiensis Episcopus, & vbi Semi arriani inter se contendentes omnia confundere; vt propterea Acaciani damnati Constantinopolim ad Imperatorem venerint, vbi noua Synodus pro ipsis celebratur. Athanasius, Hilarius, Sozom. Seuerus, & alij, quos recentiores Chronologi sequuntur. Tempora sanè turbatissima tunc erant propter Arrianorum nequitiam, vt idcirco D. Hieronymus [a] dixerit: *Ingemuit totus orbis, & Arrianum se esse miratus est.* Concilia. [a] Dialog. contra Lucifer.

2 De ijs quæ ad nostram monasticam historiam specialius spectant, occurrit primò, quod de Cyrillo Hierosolymitano Episcopo (quem ad ipsam quadamtenus spectare diximus *sub ann.* 351.) refertur hoc tempore; videlicet, quòd tumultuantibus Arrianæ sectæ fautoribus, cum ipse inter tot fluctus fidei regulam, & consubstantialitatem Filij cum Patre solidè retineret, e sua Sede pulsus sit, magna quidem sua cum laude. Baronius, & Coriolanus [b] ex alijs. Cyrillus Hierosolymitanus. [b] *sub hoc anno*

3 Laborabat etiam circa hoc tempus Gregorius Nazianzenus, nostræ quoque historiæ, iuxta dicta in superioribus, iustè accitus, pro reductione parentis sui, etiam Gregorij nominati, qui in hac Orientalis Ecclesiæ strage, licet inuitus, nolensque lapsus est; quamuis prior resurrexerit omnium, atque alijs ad resurgendum manum porrexerit. Idem Gregorius [c]. Occasione autem huius lapsus Gregorij parentis cum monachi ab eo desciuissent, licet postea quod ex quadam animi simplicitate abreptus ab alijs fuisset, cognito, cum eo reconciliati essent, Gregorius ipse filius orationem panegyricam scripsit, quæ est *prima de pace*, & inter orationes eiusdem Gregorij *octaua*. Ex qua primum eliciat Lector, qualiter semper monachi fuerunt veritatis Euangelicæ fulcrum inflexibile, vtpote qui semper (rarissimè contrarium) Catholicis adhæserunt, & à deuiis à fide deuiarunt. Quod notat Coriolanus [d]. Secundò, quales hi sanctissimi monachi fuerint, quibusue dotibus, gestis, actibus, & virtutibus ornati: Sic enim eos describit idem Gregorius in oratione relata. *Vigiliæ, ieiunia, preces, lacrymæ, genuum calli, pectorum verberationes, gemitus ab imo profectus, institio totā noctem durans, mentis ad Deum peregrinatio, ploratus inter precandum tener, qui audientibus compunctionis est remedium, hymnos cantantes, glorificantes, meditantes legem Domini die ac noctu, exaltationes Dei suo in guttere ferentes. Adde his præclara vita ex Dei præscripto instituta indicia, & argumenta, præconesque tacitos, squalentem, sordidamque comam, pedes nudos, & Apostolico-* Gregorius Nazianzenus. [c] Orat. in funere patris. [d] *sub hoc anno.*

rum vestigijs inhærentes, nihil mortale ferentes, tonsuram conuenientem, amictum fastum castigantem, cingulum ipsam ob inelegantiam elegans, quod tunicam parumper coerceat, itaut non coercere videatur, incessum constantem, oculum minime vagum, risum gratum, vel potius eum risus motum, qui risum intemperantem castiget, orationem à ratione profectam, silentium oratione præstantius, laudem sale conditam, quæ non ad assentationem comparata sit, sed vt ad meliora quasi manu ducat, obiurgationem prædicatione desiderabiliorem, tristitiæ animique remissionis modum, & factam per vtraque mistionem ac temperamentum, lenitatem cum impetu generoso, austeritatem cum verecundia sic commixtam, vt neutra ab altera corrumpatur sed vtraque laudem opera quasi mutua consequantur, modum item conuersationis in publico, & secessionis, quarum illa instruit alios, hæc spiritus mysterijs initiat, illa in publico immunem ab hominum commercio seruat; hæc in vita solitaria fraternum amorem, & humanitatem retinet. Adde his quæ adhuc maiora sunt, & subliminora in paupertate opulentiam, in inquilinatu possessionem, in ignominia gloriam, in imbecillitate robur, in cælibatu sobolem elegantem (siquidem fœtus diuini præstant ijs, qui ex carne proueniunt.) qui eo ipso delicate viuunt, quia delicias nullas habent submissi propter cælestia, nihil in mundo sunt, & supra mundum sunt positi, extra carnem sunt, & in carne, quorum portio Dominus, pauperes propter regnum, & propter paupertatem regnantes. Hæc, si lector meditetur, comperiet sane illos fuisse non solum *Apostolicorum vestigijs inhærentes*, vt eos compellat Gregorius, sed & Prophetici instituti propagines, quales erant Eliæ nostri veteres discipuli. Prætereca Gregorium iam paulo antea Athenis in patriam reuersum fuisse vna cum fratre Cæsario antequam ad Ponticam solitudinem se contulisset, autumat Baronius [a].

a sub hoc anno §. quod verò. Meletius.

4 Interim etiam Meletius, qui in locum Eustathij est subrogatus Episcopus Sebastenus ab Arrianis, miro Dei consilio factus est robustissimus propugnator Nicænæ, & Catholicæ fidei. Baronius [b]. Hic est ille Meletius, de quo *sub ann.* 354. dictum, & qui conuersus prædicatur a nostro Eutitio, seu Eutitiano, Carmeli Archimandrita. Non tamen, vt hoc pro simplicioribus sit dictum, Meletius iste aliquid commune habet, nisi solum nomen, cum illo Meletio Episcopo Lycopolitano in Ægypto, qui schisma fecit contra S. Petrum Alexandrinum Patriarcham, & à quo Meletiani sectatores dicti sunt, iuxta dicta *sub ann.* 307.

b hic §. successit.

Malchi historia.

5 Occasione autem ex eo sumpta, quod sub hoc tempore Sabinianus quidam in Mesopotamia Dux Romanorum esset, suspicatur prudenter [c] Baronius eum esse, de quo D. Hieronymus [d], ac per consequens Malchi historiam circa hoc tempus contigisse. Ea porrò digna relatu nobis est, non solum quia monachatum is gessit tempore, quo solum Elianum vigebat, sed & quia pietatem vndique spirat, monachorum vitia à Deo puniri, & virtutes præmiari mirabili etiam prouidentia monens. Ea ergo compendiose accepta ex D. Hieronymo [e] talis est: *Malchus natione Syrus Nisibeni agelli colonus vnicus suis parentibus nuptias fugiens monachum se fecit in eremo*

c hic

d in vita Malchi.

e lib. 1. Vit. Patr.

eremo Chalcidos, quæ est inter Immas, & Berœam. Ibi carnis lasciuiam ieiunijs temperans in patriam suam redire voluit, inuito, ac reclamante suo Abbate. In cuius inobedientiæ pœnam (vt vel ex eo discant monachi suorum Prælatorum nutibus obtemperare debere) *ab Ismaelitis irruentibus in itinere capitur cum quadam etiam muliercula, quæ in comitatu illius itineris erat. Ducuntur à Duce ad interiorem solitudinem vbi vxor ipsius erat. Traduntur illi oues pascendæ, & quod ipsi grauius, & molestius, cogitur conseruam illam, quæ alterius coniux erat, in coniugem accipere. Hic lacrymæ, hic suspiria, hic voluntas se occidendi, ne Christi seruus adultero, & sacrilego macularetur connubio. Prohibet mulier promittens se cum illo castitatem in coniugio simulato seruaturam. Annuit Malchus, pactum vtrimque firmatur, & tanquam cum sorore cum illa conuiuebat proxima pericula pudicitiæ amittendæ semper fugiens. Post dies multos cum illa fugit, & herus post illos camelo insidens concite properabat. Occurrit tristibus specus. Intrant sinus illius. Aduenit herus vociferans, mortemque comminans. Seruum mittit vt ipsos ex spelunca extrahat. Sed à leæna occurrente suffocatus intento suo frustratur. At herus serui moram videns, ad speluncam accedit, qui etiam à leæna trucidatus interijt. Interim latentes nihil pro muro nisi pudicitiam habentes è latebris securi egrediuntur, camelos domini, et serui conscendunt ad Romana Castra veniunt, ac Sabinianum Mesopotamiæ Ducem inuisunt. Et quia iam Abbas ille suus dormierat, ad Monachos apud Maroniam prope Antiochiam commorantes venit, fœminam illam Virginibus tradens.* Concludit Hieronymus pijs hisce verbis: *Hæc mihi senex Malchus adolescentulo retulit. Hæc ego vobis narraui senex, et castis historiam castitatis expono. Virgines castitatem custodire exhortor. Vos narrate posteris, vt sciant inter gladios, et inter deserta, et bestias pudicitiam nunquam esse captiuam, et hominem Christo deditum posse mori, non posse superari.* Agit de hoc Malcho Martyrologium Romanum *die 21. Octobris*, & Baronius *in Annotationibus ad hunc locum* notat diuersum esse, etsi in multis illi conueniat, à Malachione monacho huius temporis, de quo Sozomenus [a]. *a lib. 6. c. 32.*

6 Hoc anno, iuxta Baronij computum [b] Hilario ab exilio relaxato S. Martinus ad eum iterum perrexit. *Cumque* (inquit Seuerus Sulpitius in eius vita) *ab eo gratissime esset susceptus, haud longe sibi ab oppido Monasterium collocauit.* En iam duo Monasteria à Martino constructa; alterum Mediolani, de quo *sub anno praecedent.* dictum; alterum Pictauæ, vbi Hilarius residebat. Quo in loco duos mortuos suscitauit, prout ex legenda eiusdem Martini in Carmelitano Breuiario, & Seuero relato habetur. Primus erat quidam catechumenus, qui eidem in eo Monasterio imbuendum se tradiderat. Hic rediuiuus dicere solebat, se corpore exutum ad tribunal iudicis ductum, deputatumque obscuris locis, & vulgaribus turbis tristem excepisse sententiam; sed cum iudici fuisset suggestum hunc esse, pro quo Martinus oraret, se vitæ pristinæ restitutum. Ita Seuerus [c], notandum pro intercessione Sanctorum, præsertim D. Martini. *S. Martinus. b sub ann. 358. S. huius discipulus. c supra.*

Annus Christi 360. Liberij Pont. 9. Imper. Constantij 24.

Ecclesiæ damna.

1 DEFORMATISSIMA Ecclesiæ facies hoc tempore erat propter Arrianam perfidiam per totum Orbem grassantem; Damnumque accrescebant Macedonius olim Constantinopolitanus Episcopus Spiritus Sancti diuinitatem negans; Donatus Carthaginensis Episcopus ei, & Arrianis adhærens; Eunomius Galata adeo delirans, vt diceret se nihil ex rebus diuinis ignorare, sed ipsam Dei substantiam exacte cognoscere. Sozomenus [a], Theodoretus [b] ex quibus alij posteriores.

a lib. 5. c. 26.
b lib. hæret. fabul.

Monachismus conspicuus.

2 Erat autem his temporibus monachorum conuersatio adeo Ecclesiæ conspicua, vt Hæretici non solum totis viribus curarent aliquot ex illis suarum partium sectatores habere, vt patet in Eustathio Sebastiæ Episcopo, qui ex monachis assumptus erat, & cum illis communicabat, prout colligitur ex D. Hieronymo [c] sed etiam populorum auram ambientes, ipsis fauerent, & ipsorum mores, ac viuendi rationem, simiarum instar, æmulari curarent. Sic colligitur ex Sozomeno [d] de Macedonianis loquente, & vno ipsorum Marathonio nomine: *Quorum quidem doctrinæ* (inquit) *non exigua populi multitudo tum Constantinopoli, tum in Bithynia, Thracia, & Hellesponto, tum denique in alijs nationibus finitimis paruit. Etenim vitam cui populus maxime solet animum attendere non male instituebant. Nam incessus grauis illis, & viuendi ratio similis monachorum fuit; oratio non indiserta, indoles ad persuadendum apta: qualem etiam eo tempore Marathonium fuisse tradunt, qui cum Quæstor esset publicus, militum Præfectis inseruientium multas collegit diuitias, & vt primum militiam deseruit, ad conuentus ægrorum & pauperum cura, ac studio subleuandos, se totum contulit; postea vero Eustathij Episcopi Sebastiæ vitam monasticam amplexatus est, & Conuentum Monachorum Constantinopoli coegit, qui etiam ad hoc tempus successionis serie continuatus manet. Hanc hæresim partim studio, partim pecunia adeo auxit Marathonius, vti non sine causa (vt mihi quidem videtur) Macedoniani a nonnullis Marathoniani vocarentur. Nam solus iste cum collegis suis monachis causa extitit, quo minus hæc hæresis Constantinopoli penitus extincta esset.* Quinimo, quantum ex eodem Sozomeno [e] elicitur, Macedonius iste plurium Monasteriorum Constantinopoli extructor fuit, quorum ope suas tuebatur causas. Dicit enim: *Macedonius, Ecclesia Constantinopolitana occupata, præsidijs Monasteriorum complurium, quæ ipse Constantinopoli extruenda curauerat, & fœderibus cum finitimis Episcopis percussis, se ipsum muniens, dicitur Pauli fautores varijs affecisse incommodis.*

c de scriptorib. Ecclesi. in Basilio.
d lib. 4. c. 26.

Marathonius.

e lib. 4. c. 2.

3 Cæterum veros monachos numquam manus dedisse his laruatis Christianis, sed potius contra illos insurrexisse, ex eorum pia conuersatione

tione haud incongrue elici potest. Talis erat Serapion ille Episcopus Thmuis, arma contra Macedonianos sumens, & Athanasium adhuc in Eremi latebris latentem de ipsorum prauo dogmate admonens; vt propterea ipse Athanasius continuo iacula in monstrum de nouo exortum intorquere aggressus sit. Colligit id Baronius *sub hoc anno §. Iam vero* ex eiusdem Athanasij Epistola ad Serapionem eundem *de Spiritu Sancto*.

4 Eudoxiani interim Arrij soboles Meletium Sebastenem Episcopum, quem credebant suæ sectæ fautorem, Antiochiam transferunt. Sed ipse cum iam veram Ecclesiæ doctrinam ebibisset (propinante nostro Carmeli Archimandrita Euticio, prout ex nostris historicis diximus in præcedentibus) pie ipsos decepit, Concilij Nicæni dogmata approbans, & Arrianorum perfidiam confundens in concione. Addit Sozomenus [a] rem scitu dignam: *Dicitur porro Archidiaconum illis Cleri, dum adhuc concionaretur, ad eum accurrisse, & manu admota, eius os obturasse, eum autem manu multo euidentius, quam voce sententiam suam populo indicasse. Nam primum tres tantum digitos palam, vt omnes viderent, extendisse, deinde eosdem rursus compressisse vno solo porrecto, qua quidem manus sua figura tanquam effigie quadam populo expressit tum qua sentiret, tum qua dicere constituisset.* Meletius. a lib. 4. cap. 27.

5 Pergit Sozomenus dicere qualiter Eudoxiani cum viderent Meletium constanter defendentem Catholicam Nicænæ Synodi doctrinam, eum è Antiochiæ Vrbe exulem, & a sua exturbatum Ecclesia eiecerint. Quo tempore contigisse videtur id quod Bostius noster [b] sic dixit: *Habitauit autem his temporibus idem Meletius Antistes in Monasterio in Montana nigra tempore Apostolorum prope Antiochiam a S. Ignatio constructo, de quo supra dicitur cap. 37.* Imo ex eo quod Monasterium hoc Eliadum nostrorum fuerit, occasionem forsan nactus fuit Paleonydorus [c], quem alij sequuntur, vt diceret hunc Meletium ab Eutitio Carmeli Archimandrita habitum, & normam Ordinis accepisse. Eudoxiani contra Meletium. b lib. 5. Oper. hist. c. 45. c lib. 2. c. 9.

6 Huius etiam Meletij tempore acciderunt ea, quæ de S. Basilio refert idem Bostius [d] his verbis: *Vnde his diebus cum B. Basilius, vt quidam autumant, plusquam 12. annis in Monastica vita apud Montem Carmeli desudasset, tandem venit Antiochiam; vt inuiseret Sanctum Meletium eiusdem Vrbis Pontificem. Erat enim in illis diebus idem vir sanctus Meletius Patriarcha Antiochenus, qui ab Eutitiano in Monte Carmeli tempore persecutionis fuerat instructus in fide Catholica, & tunc eam illibatam sicut acceperat, Antiochenum populum non cessauit docere, & publice prædicare. Habitauit autem his temporibus idem Meletius Antistes in monasterio in Montana Nigra tempore Apostolorum prope Antiochiam a sancto Ignatio constructo; de quo supra dicitur cap. 37. Sanctus ergo Basilius sub eodem Meletio in Diaconi ordine consecratus parabolicos sermones aliquibus annis interpretans ab omnibus admiratus est. Desides etiam illius gentis animos, & parum de spe futura solici-* Basilij gesta. d eo cap. 45.

tos stimulare verbis, & prædicatione succendere cæpit; callumque ab his longe negligentiæ iussit abolere, abiectisque manium rerum, & secularium curis, suimet notitiam recipere, & monasteria construere, psalmis, & hymnis, & orationibus docuit vacare: pauperum curam gerere, eisque habitacula honesta, & quæ ad victum necessaria sunt, præbere: virgines instruere, pudicam, castamque vitam omnibus pene desiderabilem facere. Ita in breui permutata est totius Prouinciæ facies, vt in arido, & squallenti campo videretur seges fecunda, ac læta vinea surrexisse. Consonat Palæonydorus [a] de Basilio & Eubolo dicens: *Post hæc in Carmelo commorantes communi consensu Antiochiam intrauerunt. Illic erat tunc Patriarcha nomine Meletius, a quo Basilius dignus reputatus consecratus est Diaconus. Hinc cum Eubolo intrauit Cappadociæ Regionem. Nocte præterita antequam venirent Cæsaream, reuelata fuerunt per visionem Eusebio Episcopo eorum nomina, & quia deberet Basilius ipsius fieri successor. Admirans autem Episcopus in Basilio pelagus profundissimæ sapientiæ, vocatis quibusdam Montis Carmeli fratribus, in Monte Didymi eis monasterium constituit. Cum quibus Basilius omni humilitate conuersando post mortem Eusebij meruit prouehi ad summum in Cæsarea sacerdotij gradum.*

a lib. 4. c. 5.

Marcianus.

7 Erat etiam hoc tempore in eisdem Syriæ partibus egregius quidam Monachus Marcianus nomine Cyro oriundus, Eliani Ordinis sectator, vt vel ex Theodoreti verbis [b] accepimus. Dicit enim de ipso: *Num videlicet eum simul coniungentes cum Elia, & Ioanne, & similibus, qui circumibant in ouinis, & caprinis pellibus egentes, & afflicti, vexati, quibus dignus non erat mundus; errantes in solitudinibus, & montibus, et speluncis, et foraminibus terræ.* Ab hoc autem Marciano Monasticem didicisse nostrum Basilium ipse Theodoretus [c] sic exprimit: *Huius autem Philosophiæ fructum quoque percepit admirandus ille Basilius, qui multis postea temporibus apud Seleucobelum (est autem vrbs Syriæ) monasticum extruxit habitaculum, & clarus quidem fuit in multis generibus virtutum, insigniter autem clarus in ea, quæ Deo longe est gratissima, possessione charitatis, & in Diuino opere hospitalitatis. Porro hic Marcianus nobili prosapia, & regio sanguine ortus solitudinem petijt, & cella non maiori corpore suo se inclusit. Post orationem, & psalmodiam lectionem adhibebat scripturarum; cibus ei erat solus panis in modicissima mensura, nunquam satur, semper esuriens, semper sitiens. Habuit postea duos contubernales Eusebium, et Agapetum, ex quibus Agapetus ad Episcopalem dignitatem vocatus clarus, et illustris euasit. Eusebius autem sacri illius tugurij fuit heres, et Marciani, eiusque austeritatis æmulator. Nam cum centum, et viginti ferri libras corpori haberet impositas sibi quoque imposuit alias quinquaginta Agapeti, et alias octoginta Marciani.* Plura condidit monasteria, plura quoque digna fecit, plurimaque dixit, de quibus Theodoretus supra, & *lib. 4. hist. c. 26.*

b in Philotheo, seu lib. 9. vit. Patr. c. 3.

c supra.

Auitus.

8 Memoratur etiam in eiusdem Marciani vita quidam Auitus nomine, primus in solitudine, & qui gratia monasticæ exercitationis fixerat simile tugurium; in vita dura, & aspera educatus, per duos, & tres

dies

dies sæpe ieiunus manens, nec vnquam ante vesperam cibum sumens. Hic innisit Marcianum, & in ipsius conuersatione charitatem ieiunio prætulit.

9 Maxime celebrandus occurrit hoc tempore Eusebius alius ab eodem Theodoreto decantatus [a], Sozomeno [b], & Nicephoro [c]. De quo agi die 23. Ianuarij iure putant Rosvvedius [d], Bollandus [e], & Raderus apud ipsum. Eius gesta, & aliorum, qui cum ipso nominantur eiusdem instituti ascetæ sic sub compendio sunt. In Monte Coryphe prope Antiochiam Monachus quidam eximius Ammianus nomine Monasterium seu Gymnasium sacræ philosophiæ construxit, quod licet per se, cum virtutibus, & modestia clarus esset, moderari posset, nihilominus ad Eusebium accurrebat, postulans vt esse vellet adiutor, *pædotriba*, & magister eius palæstræ, quam fundauerat. Notet lector vocem *pedotriba*, qua vtitur Theodoretus, propria enim erat magistri Essenorum, vt inde eliciat monachos istos eiusdem scholæ fuisse. Manebat autem tunc Eusebius inclusus in quodam exiguo habitaculo non longe ab Ammiani Monasterio posito, in quo nulla fenestra erat. Ibi enim cum alio fratre ad monasticæ vitæ exercitationem Marianus (alijs Marcianus) eius patruus collocatus fuerat. Donec ab illo mirabili Ammiano ad proximorum salutem curandam persuasus præfecturam Monasterij Ammiani, seu Montis Coryphe assumpsit. Notet hic etiam lector, quod cum eum Ammianus ad id suaderet exemplo Eliæ Prophetæ id faciebat dicens: *Magnum quoque Eliam qui hanc vitam persequebatur*, id etiam gessisse. En quomodo Elias monachus a Theodoreto declaretur. Vnde in margine huius loci apud Rosvvediū sic habetur: *Elias, et Ioannes Baptista Principes vitæ monasticæ*. Ergo Eusebius è voluntario illo carcere exiens curam Monasterij suscipit. Solo vultu negligentes instigabat. Cibum tertio & quarto die sumebat, sed sodalibus iubebat vesci alternis diebus. Ieiunium, & orationem operatione mixtam præscribebat. Distractus quandoque arantium in agro contemplatione suis deinceps oculis legem tulit, se ita inclusit vt nihil aliud videret: lumbos zona ferrea alligans, & grauissimum collare collo imponens, & alio ferro cum ea coniungens, vt hoc modo inclinatus assidue solam terram aspiceret. Illustres etiam monachi Iacobus Persa, & Agrippa successores Iuliani Sabbæ ei se in discipulos tradiderunt. Ex quibus Agrippa ei in præfectura succedens multis prædicatur virtutibus insignis. Eidem post multum tempus Dauides vir mansuetissimus, vultu, & animo semper tranquillus, etiam accepta contumelia 150. Monachis præfuit. Fuit etiam in eodem loco Aman quidam Ismaelita natione discipulus cuiusdam Marosæ. Is nunquam calceis vsus, nec bibens, ferro lumbos succinctus raro sedebat, noctu autem, & maiori parte diei vel stans, vel flectens genua Deo officium precationis offerebat. Miremur hæc segnes, & desides monachi, & si ad illorum beatitudinem peruenire cupimus, ipsorum æmulari merita studeamus.

[a] eo lib. 9. Vit. Patr. seu Philotheo c. 4. & lib. 4. hist. c. 26.
[b] lib. 6. c. 3.
[c] lib. 11. c. 41.
[d] in Annot. ad 9. lib. vit. Patr. n. 24.
[e] in Actis Sanctor. ad. diē.

Annus

Annus Christi 361. Liberij Papæ 10. Constantij Imper. 25 & Iuliani 1.

Imperatorum successio.

1 MORITVR hoc anno Constantius ad Tauri Montis radices, magno dolore; sane pro vita quam duxerat fidei Catholicæ contraria. Succedit ei Iulianus; qui statim Christianam Religionem abnegat, templa deorum aperit, turpis sacrificus efficitur, Pontifices creat, Magos accersit, domesticos Constantij persequitur, Catholicos, & Arrianos vnire studet, & ad conciliandos animos restituit Episcopos in exilium actos, Athanasium quoque ipsum. Ammianus, Socrates, ac alij tum veteres, tum noui Chronologi.

Ecclesiæ, & monachismi damna.

2 In hac turbatissima Ecclesiæ facie propter perfidiam Constantij, & Iuliani apostasiam, luctus vbique, vbique etiam dolor; Orthodoxis præsertim fidei defensoribus magna ex parte exilio pulsis, vel factis extorribus. Monachismus quoque valde fædatus cernebatur, nam propter pseudomonachos quosdam, quorum nomina recenset Theodoretus [a], Dadoen, Sabbam, Adelphium, Simeonem, Hermam, & alios quosdam, inter eos hæresis spargitur Messalianorum, qui ijdem *Euchitæ* sunt dicti, Latine autem *Precatores* sunt nominati; quos, & se spirituales dicere solitos idem Theodoretus [b] affirmat. A temporibus namque Constantij hanc hæresim coaluisse in Mesopotamia auctor est Epiphanius [c], De eorum autem erroribus Epiphanius [d], Augustinus [e], Damascenus [f], Prateolus [g], Castro [h] Gualterius [i]; Baronius [k]. Præcipui erant, quod sola oratio sufficeret ad salutem, propterea enim vocati videntur *Precatores*: monachis non esse laborandum: Sacramenta non esse necessaria: ieiunia inutilia; se Prophetas esse, &c. Quamuis autem hos veros monachos, immò ex Essenis oriundos quis existimare posset, præsertim cum *Precatores* dicerentur, quo etiam nomine Esseni cognominantur à Philone [l]; eos *Supplices* appellãte. Et quia Prophetas se esse dicebant, quo Prophetici Instituti cultores credi deberent. Nihilominus non nisi pseudomonachos, fictos, aut monachorum simias fuisse ex eo elicitur, quod monachorum laborem, & ieiunia spernerent; cum hæc munia propria monachorum sint. Maxime id elicitur ex eo quod, vt Epiphanius de illis refert, simul dormiebant viri, & fæminæ, quo manifeste fœditati carnis vacasse denotatur contra monachismi præcipuam œconomiam. Item quia Martyres ducebant eos, qui pro Ethnico Idolorum cultu necati fuerant, seque ipsi quod illos tumulo mandarent, & vt Martyres exaltarent, Martyrianos nuncupabant. Quo denotabant se Ethnicos; & Gentiles esse, non Christianos. Quomodo ergo veri monachi, qui non nisi in Ecclesia Christi esse possunt? Quæ diximus in monachismi defensionem, & ne propter illos nota aliqua ipsi inuratur. Quod si veros monachos eos quis putet, ad minus deformatissimos fuisse

a hæret. fabul. lib. 4. c. 10.
b hæret. fabul. lib. 6.
c hæres. 80.
d loco relato
e hæres. 57.
f hæres. 80.
g verbo Enthusiastæ, & verbo Euchitæ,
h verbo Oratio
i in Chronographia in 4. Seculo, cap. 21.
k sub hoc anno.
l in lib. de vit. contempl.

fuiſſe ex eo conijci datur quod Epiphanius de illis refert inquiens: *Comas muliebres producunt, & ſacco conſpicuo incedunt*. Et inferius: *Alienum enim eſt à Catholica Eccleſia ſaccus conſpicuus, & coma extenta*. Vt vel hinc noteant noſtri æui Religioſi, ſe, ſi comati, & veſte conſpicua induti incedant, à Catholicæ Eccleſiæ more declinare. An ex iſtis fuerit Euſtathius monachus late Baronius [a], bene impugnans Sozomenum, quod dixerit hunc Euſtathium authorem fuiſſe vitæ monaſticæ, quæ viguit in Armenia, Ponto, & Paphlagonia, ſeu libri, qui vocatur Ἀσκητικός, ideſt, de diſciplina monaſtica, qui Diui Baſilij legitima proles eſt.

a ſub hoc anno.

Hilariones geſta.

3 Per idem quoq; tempus cum Sanctus Hilarion ex Palæſtina Ægyptum perrexiſſet, vt anniuerſarium Antonij diem peruigilio celebraret, & in itinere Dracontium Epiſcopum, & monachum, alioſque Epiſcopos Confeſſores exules viſitaſſet, & poſt voti expletionem in quadam Eremo per aliquod tempus commoratus eſſet, pluuiamque populis impetraſſet, & oleo benedicto ſerpentum, & venenatorum animalium morſibus percuſſos ſanaſſet, Alexandriam perrexit: inde ad vlteriorem Oaſim eremum tranſiturus: interim ad fratres quoſdam ſibi notos in Bruchio, aut procul ab Alexandria diuertit. Sic enim ex eius vita à D. Heron. deſcripta [b] habetur. Notet hic Lector *Bruchium* regionem quandam Ægypti eſſe doctorũ, & Sanctorum virorum domicilium, prout ex Euſebio [c], Ammiano [d] Epiphanio [e] elicit Heribertus [f]. Erat enim ibi *Muſium*, vt ex Spartiano *in Adriano* colligit idem Heribertus. Cum autem *Muſium* locus ſit Muſis, & ſtudijs dicatus, apte ex dictis infertur monachos in hoc loco *Bruchium* dicto, litteris, & doctrinis vacaſſe, ac proinde (vt hoc contra ignauos dicamus) litterarium exercitium proprium. & genuinum monachorum eſſe. Forſan hic locus ille erat, de quo Strabo [g] inquit, apud Alexandriam fuiſſe celeberrimum Muſæum.

b Cap. 25. & ſeqq.
c in Chronico anno primo Claudij.
d lib. 20.
e lib. de ponderib. & menſur.
f in Onomaſt. verb. Bruchiũ.
g lib. vltimo

Epiſcopi Religioſi.
h in Chronic. par. 16.

4 Commemoranda hic veluti ad noſtram hiſtoriam quadamtenus ſpectantia quæ Gotfridus Viterbienſis [h], dum agit de Iuliano Imperatore ſcripſit: *His diebus erant in Eccleſia Dei Epiſcopi Religioſi, & clariſſimi, Miletus Antiochenus, Maris Chalcedonenſis, Baſilius Cæſarienſis, Gregorius Nazianzenus*. De horum autem veritate, ſaltem; quoad temporis chronologiam, multa dici poſſent, de quibus alibi. Pro nunc autem ſufficiat quod Miletus iſte eſt ille Meletius à nobis commemoratus in ſuperioribus; Baſilius, & Gregorius Nazianzenus ij, de quibus plura ſunt dicta, & dicentur. Hi ergo omnes *Religioſi* erant, prout Gotfridus ſcribit.

Abbas Abraham.
i lib. 3. Vit. Pat. n. 117. & 118. & lib. 5. de continentia n. 37. & 38. & lib. de diſcretione n. 25. & libell. 14. de obedientia n. 2.

5 In partibus autem Ægypti florebat Abbas Abraham diſcipulus alterius Siſoi, de quo *ſub anno* 335. dictum manet. De eo porro plures, & graues ſententias pro monaſtica perfectione adquirenda hauriat ſtudioſus Lector [i]. Illud ſpecialiter ex illo memoriæ tradendum, quod *lib. 7. vit. Patr. c. 25. n. 3.* ſcribitur. Interrogauit eum Abbas Pimenius de modo quo dæmones monachos impugnarent, ad quod Abraham ſic reſpondit: *Dæmones nobiſcum non pugnant, quia voluntates eorum facimus, ſed noſtræ nobis*

volun-

voluntates dæmones facti sunt, & tribulant nos. Sapientissime sane,& acriter pungens desidiam nostram.Contigit aliquando [a], quod dæmon ipsum apprehenderet,& in terram deijceret; surrexit autem tunc Sisoius eius magister, & dixit expandens manus suas ad Deum: *Vis non vis, non dimitto nisi curaueris eum*. Et statim curatus est. O mira vis spei Sanctorum!

a lib. 16. Vit. Patr. libell. 2. n. 14.

Annus Christi 362. Liberij Papæ 11. Iuliani Apostatæ 2.

Iuliani nequitia.

1 IVLIANI Imperatoris nequitia in Christianos hoc tempore sæuiens, & Ecclesiam vexans, plura parturijt historiæ nostræ digna, quæ sigillatim censenda,

Cōspiratio cōtra S. Hilarionem.

2 Primo enim Gazenses, in quorum vrbe S. Hilarion cum in Palæstina degeret,commorabatur,crebrius, fauente Iuliano,satellites miserunt Bruchium in Ægypto, vt eum cum sodali suo Hesychio interficerent. Ille autem rei præscius de Bruchio egressus per inuiam solitudinem intrauit Oasim. Eo ergo non inuento,ipsius monasterium Gazæ euertunt, & monachos cum eo conuiuentes varijs supplicijs afficiunt. Sic habetur ex vita Hilarionis à Hieronymo descripta [b], Sophronio, vel Metaphraste de hac historia loquentibus, ac Baronio [c], qui hanc inuasionem Gazensium tribuit miraculis editis ab Hilarione, & quòd propter vnum ipsorum acclamatum fuerit: *Marnam Gazensium Deum superatum fuisse à Christo*. Eius etiam meminit Sozomenus *lib. 5. cap. 14*.

b cap. 28.
c sub hoc anno.

In Virgines etiam.

3 Nec his contenti Gazenses, eo ipsorum,& Ascalonitarum sæuitia progressa est, vt etiam Sacerdotibus, & Virginibus Deo sacris, seu sanctimonialibus, barbarica feritate hoc tempore sacrilegas manus iniecerint. Rem Theodoretus [d] sic enarrat. *Ascalone, et Gaza, quę sunt vrbes Palęstinę, primum virorum Sacerdotij dignitate exornatorum, et mulierum perpetuam Virginitatem professarum ventres discindunt; deinde farciunt hordeo; ad extremum eos porcis deuorandos obijciunt*.

d lib. 8. c. 6.

In reliquias etiam Elisei, Abdiæ,& Baptistæ.

4 In Sanctissimorum quoq; Dei Prophetarum reliquias vesani Etnici grassantes, ossa sacra Elisei, Ioannis Baptistæ, & Abdiæ è sepulchro extrahunt, igni tradunt, & cineres dispergunt. Etenim de Ioanne Baptista id habet Theodoretus [e] dicens: *Sebastę in Palęstina item, quę est vrbis ditioni gentis, de qua supra dixi, subiecta, Ioannis Baptistę tumulum aperiunt, ossa tradunt igni absumenda, et eorum cineres passim dispergunt*. Ruffinus [f] verbis infra referendis, Metaphrastes [g], Baronius [h], & alij. De Eliseo autem Nicephorus [i], Metaphrastes, & Baronius relati, cum alijs etiam. De Abdia vero id ex eo colligitur, quod eodem loco cum Eliseo conditus sit, prout expresse habet D. Hieronymus [k], & ex illo, ac alijs diximus *tom. 1. sub ann. 3204. n. 6. & 7. & sub ann. 4084. n. 11*. Et de ijsdem tribus Mantuanus noster [l], dum de eiusdem Baptistæ sacro corpore canit.

e supra.
f lib. 2. c. 28.
g in actis S. Arsenij die 20. Octobr.
h hic.
i lib. 10. c. 13.
k in Epitaphio Paulæ, & in Abdiam c. 1.
l de sacris diebus in mense Augusto in Decollatione S. Ioannis Baptistæ.

Atque duos inter vates posuisse feruntur

Scili-

Scilicet Abdiam, Carmelicolamque Elisæum.

5 Quomodo autem non obstante impijssima hac Paganorum in- horum Prophetarum reliquias irruptione, eorum aliquæ conseruatæ, Dei prouidentia, & quorundam monachorum Ierosolymitani Monasterij diligentia, fuerint, Ruffinus [a] sic enarrat: *Iuliani temporibus velut relaxatis frenis efferbuit in omnem sæuitiam feritas Paganorum. Ex quo accidit, vt apud Sebastem Palæstinæ vrbem, sepulchrum Ioannis Baptistæ, mente rabida, & funestis manibus inuaderent, ossa dispergerent, atque ea rursus collecta, igne cremarent; sanctos cineres pulueri immixtos per agros, & rura dispergerent. Sed Dei prouidentia factum est, quosdam de Hierosolymis ex monasterio Philippi hominis Dei, orationis illuc causa per idem tempus venisse. Qui cum tantum nefas humanis quidem manibus sed ferina mente fieri viderent; mori gratius habentes, quam huiusmodi piaculo funestari; inter eos qui ossa ad exurendum legebant mixti diligentius, in quantum res patiebatur, ac religiosius congregantes, furtim se, vel stupentibus, vel insanientibus, subtraxere, & ad religiosum patrem Philippum venerandas reliquias pertulere. Ille supra se ducens tantum thesaurum proprijs seruare vigilijs; ad Pontificem maximum tunc Athanasium hostiæ immaculatæ reliquias per Iulianum diaconum suum, post etiam Palæstinæ vrbis Episcopum mittit. Quas ille susceptas paucis arbitris, sub cauto sacrarij pariete inclusas prophetico spiritu profuturas generationi posteræ conseruauit. Quibus nunc, deiectis, & prostratis idololatriæ vestigijs in ædibus quondam prophanis aurea tecta consurgerent.* Circa quæ notat Baronius, illatas esse in nouum, & augustissimum templum eiusdem sancti Ioannis Baptistæ titulo munificentissimum erectum super Serapidis templum dirutum, de quo etiam idem Baronius *in Annot. ad Martyrol. Rom. die 29. Augusti*. Ex quo etiam locus datur Ecclesiasticæ traditioni de capite, & reliquijs Ioannis, & Elisei in aliquibus Ecclesijs conseruatis, de quo etiam idem Baronius loco relato Martyrologij.

Aliquæ tamen conseruatæ.

a lib. 2. c. 28.

6 Quis porro fuerit hic Philippus Archimandrita Monasterij Ierosolymitani, qui pater religiosus eorum Monachorum vocitatur, incertum est. Duos enim tantum Philippos illud tempus recenset, scilicet vnum quem auditorem Hieronymi Gennadius appellat, & Commentator fuit Libri in Iob. Alterum qui *Sydita* appellatur, quique vsus est Ioannis Episcopi Constantinopolitani consuetudine, ac denique competitor in Episcopatu ipso Constantinopolitano post mortem Attici, anno Domini 426. tertio autem Cælestini Papæ. Extat etiam apud Cassanatem nostrum [b] Philippi illius presbyteri, qui Hieronymi auditor dicitur, memoria inter nostros Eliades.

Philippus.

b in Parad. Carmelitici decoris stat. 2. at. 6. c. 164.

7 Vexatam quoque fuisse Ægyptum persecutione Iuliani, ac proinde etiam Monachorum myriades ibi degentes, Acta Apollonij sanctissimi monachi [c] Euagrio a quibusdam cum Baronio tributa; melius vero Ruffino Aquileiensi, cum Heriberto, & alijs, fidem inter alia faciunt; in quibus hæc referuntur: *Hic cum audisset, Iuliani temporibus, fratrem*

Monachi Aegypti.

c in lib. 2. vit. Patr. c. 7.

quendam ad militiam comprehensum detineri in carcere (cogebat impius clericos, & monachos militare) *venit ad eum consolandi gratia, vt moneret in necessitate tenere constantiam, atque imminentia contemnere, ac deridere pericula. Tempus enim, ait, certaminis adest, in quo fidelium mentes tentationibus probandæ sint, & noscendæ. Cumque his, & alijs verbis adhortaretur animum adolescentis, superuenit Centurio, & indignatus, cur introire ausus esset, claues intrinsecus carceri imposuit; ipsum quoque, & omnes qui cum eo venerant, pariter conclusit, quo scilicet etiam ipsi similiter ad militiæ detinerentur officium: constituens quoque custodes quamplurimos, abscessit. Medio autem noctis astare visus est Angelus ingenti luce resplendens, & obstupefactis, perterritisque custodibus, carceris claustra patefecit. Tunc vero ipsi custodes aduoluti ad pedes sanctorum, rogabant eos discedere dicentes, melius sibi esse mori pro his quam diuinæ virtuti obsistere, quæ eorum curam gerebat. Mane vero etiam ipse Centurio cum principalibus viris festinus ad carcerem venit, rogans vt discederent omnes, qui teneri videbantur. Dicebat enim domum suam terræmotu magno concidisse, & electos quosque famulorum suorum peremisse. Sancti vero, his auditis, hymnum Deo, laudesque cecinerunt, & regressi ad eremum erant in vnum positi secundum Apostolorum exemplum, habentes cor vnum, & animam vnam.*

Apollo, & Apollonius.

8 Quia ergo tanti viri, qui etiam aliquando Apollo, seu Apollon vocitari videtur, memoria hoc tempore occurrit, alia de ipso addenda ex ipsius historia perstrictim. Morabatur apud Thebaidem in finibus Hermopolis, Pater 500. Monachorum, & famosissimus in illis partibus propter signa & prodigia, quæ Deus per ipsum faciebat. Quindecim annos natus in eremum perrexit, & cum ibi quadraginta permansisset, reuelatione sibi facta ad loca habitabilia se contulit. Octoginta porro annorum cũ eum Ruffinus inuisit. Centies die, & centies noctu genuflexus orabat: vestitus eius, scilicet stuppeum collobium, seu lebetes, & linteum quod collum, & caput tegebat, nunquam veteratus fuit. Doctrina ipsius erga monachos seu discipulos mirabilis. Hoc in ipso singularissimum vt *quidquid petijsset a Deo* (inquit Ruffinus) *sine mora consequebatur*. Pluribus ab ipso reuelationibus dignatus est, quarum vna cognouit animam sui fratris senioris defuncti, qui etiam in eremo vixerat, inter Apostolos constitutam. Plurimi ad eum fama, & doctrina eius inuitati conuenientes conuentum quendam magnificum fecerunt, communem vitam mensæ vnius vnanimiter conseruantes. Plurima demum signa sanctitatis, miraculorum, & sapientiæ ipsius requirat lector in Ruffino relato. Palladio [a]. Item in eodem Ruffino [b], Auctore *lib. 5. vit. Patr.* [c] & in Lausiaca Palladia [d]. Vbi celebre illud, & satis doctrina plenum pro monachis, qui mundo valedixerunt: *Ad Beatum Apollonem cum germanus suus intempesta nocte venisset, petens vt de monasterio suo paulisper egressus ad eleuandum bouem, qui in paludis cæno cecidisset, ei præberet auxilium, flebiliter quærebatur, quia eum solus non posset eruere. Cui Abbas Apollo instanter*

a lib. 8. vit. Pat. c. 52. 66. & 67.
b lib. 3. vit. Pat. n. 25.
c libell. 5. n. 4. & lib. 7. vit. Patr. c. 17. n. 3.
d cap. 20. n. 7.

ter obsecranti, ait: Cur iuniorem fratrem nostrum, quem præteriens viciniorem quam me habuisti, non rogasti? Cumque ille mortem olim sepulti fratris oblicum ex nimia abstinentia, sollicitudinis, ac solitudinis iugitate velut impotem mentis existimans respondisset: Quemadmodum poteram eum de sepulchro, qui ante annos quindecim obijt, vocare? Abbas Apollo respondit ei, dicens: Ignoras me quoque ante annos viginti huic mundo fuisse defunctum? Agunt etiam de illo, veluti de Eliana prole, ex nostris historicis Thomas de Iesu, Michael de Fuente, Guadalaxara, Casanate, & alij.

9 Ad gesta porro huius anni reuertentes, illud non prætermittendum duximus, vtpote nostrorum monachorum historiam tangens, quod cum Iulianus Imperator ad se vocare conatus fuisset viros eruditione clarissimos, inter eos etiam Basilium sibi Athenis cognitum accersere curauit, vt patet ex Epistola 12. eiusdem Iuliani. Gregorium quoque Nazianzenum blandicijs sibi deuincire conatus est, vt ex posteriori inuectiua eiusdem Gregorij colligitur. Inaniter tamen: nam vterque, mundi vanitate experta, in Eremum Ponti secessit, Elianam, & monasticam vitã exquirendo. Cõnstat hoc ex eiusdem Gregorij Oratione [a], cuius aliquot fragmenta nostræ historiæ perutilia expendere operæ pretium est: *Domum autem reuersi, cum mundo, ac scene nonnihil inseruissemus, hactenus scilicet, vt plerorumque hominum desiderio vtrumque satisfaceremus (nam ipsi quidem ab ambitione, ac Theatrica quadam ingenij ostentatione abhorrebamus) ad nos ipsos quamprimum redijmus: atque ex imberbibus inter viros profiteri cæpimus, virilius que iam ad Philosophiam progredientes non iam corpore (haud enim permittebat liuor) sed desiderio, & amore coniuncti.* Per *Philosophiam* hoc loco, sicut & alijs, Gregorius monasticem intelligit, Monachorum namque, seu Essenorum institutum *Philosophiam* appellatum fuisse, nullus qui eius æui scriptores legerit, refragari poterit. De quo diximus in Apparatu *c.* 9. Pergit Gregorius: *Ille enim a Cæsariensi ciuitate vt alter quispiam conditor ac conseruator retinetur, ac deinde, quoniam me non fruebatur, necessarias quasdam peregrinationes minimeque a proposita sibi Philosophia scopo alienas iniuit.* Circa quæ Baronius [b] hæc habet: *Putat interpres* (id est Elias Cretensis eiusdem Gregorij scholiastes) *in Seleuciam ad S. Theclę eiusmodi Basilij peregrinationẽ contigisse, quo pietatis ergo frequens erat accessus: sed mea quidem sententia fallitur; nam cum non peregrinationem, sed peregrinationes Gregorius dicat, manifeste significare visus est peregrinationes illas, quas ad visendos monachos Ægypti, Palæstinæ, Syriæ, & Mesopotamiæ instituit: cum eorum inflammatus exemplo, reuersus in patriam, idem viuendi genus consectatus est, vt declarat ipsemet scribens ad Eustachium.* Hæc recte Baronius. Ex quibus non incongrue elicitur inter has peregrinationes vnam assumpsisse, vt Carmeli locum, prout nostri historici tenent, vtpote inter Asceteria Syriæ, & Palæstinæ celebrem, etiam visitaret, vt ipse Basilius innuit [c] dicẽs inuenisse aliquos, quos æmulari cupiebat, in Palestina, & Cælosyria. Carmeli namque promontorium ad has Prouincias spectat. Pro-

Iuliani gesta erga monachos.

a In laudem Basilij.

b hic.

c in epist. 79. ad Eustachiũ

ſequitur deinde de ſe ipſo Gregorius: *At me, & parentum pietas, & ſenilis ætatis curatio, & incurſantes calamitates ab illius conſortio abſtractum tenuerunt, haud recte quidem, ac iuſte fortaſſe, ſed tamen tenuerunt. Atque haud ſcio, an mihi hinc quoque omnis vitæ difficultas, aſperitaſque fluxerit, quodque incommodum, ac ſalebroſum ad Philoſophiæ iter habuerim, nec cupiditate mea animique propoſito ſatis dignum. Sed rerum quidem noſtrarum ſtatus, quo Dei voluntas tulerit feratur; vtinamque illius precibus in melius feratur.* Hæc de ſe ipſo excuſans ſe quod haud licuerit tam cito, vt exoptabat, in ſolitudine vitam monaſticam exercere. De Baſilio autem pergit dicere qualiter iam Presbyter ordinatus, & per gradus Eccleſiæ (non per ſaltum vt alij) euectus, paſſus ſit ſimultatem cum Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo, ob violentam videlicet ipſius creationem in Epiſcopum. Quomodo autem huius ſimultatis cauſi monachi, quibus tunc in Cæſarea Baſilius præerat, ab Euſebio defecerint, & quas ob cauſas, & qualiter Gregorius cum ipſo Pontum ſeceſſerit, & alia ad intentum ſic adiungit idem Gregorius: *Ergo aduerſus eum* (ſcilicet Euſebium) *concitatur Eccleſiæ pars ſelectior, & ſapientior; ſi modo ſapientiores ij habendi ſunt, quam reliquum mortalium vulgus, qui ſeipſos a mundi conſortio ſegregarunt, ac vitam ſuam Deo conſecrarunt. Nazaræos noſtrates dico, atque in huiuſmodi res præſertim maxima animi contentione incumbentes. Qui turpe, & indignum eſſe arbitrati principis ſui contumeliam, repulſæque iniuriam diſſimulanter ferre periculoſiſſimum facinus aggrediuntur.* Et poſt pauca: *Id autem ob tres cauſas, eaſque firmiſſimas perfacile erat. Primum enim Baſilius tanta apud omnes veneratione erat, quanta haud ſcio an quiſquam noſtræ ætatis Philoſophorum, eamque vim habebat, vt cohorti ſuæ, ſi voluiſſet, animos ac fiduciam afferre poſſet. Deinde qui negocium illi faceſſebat propter tumultum in ipſius electione coortum, ciuitati ſuſpectus erat, vt non magis rite, ac legitime, quam tyrannice præfecturam conſecutus. Poſtremo aderant Epiſcopi quidam ex Occidente, qui orthodoxos omnes ad ſuas partes pertrahebant. Quid igitur præclarus ille, & Pacifici diſcipulus? (nec enim ijs qui contumeliam ipſi inferebant, aut qui ipſius partibus ſtudebant, obluctari poterant; nec illius erat dimicare, aut Eccleſiæ corpus lacerare, alioqui etiam bello vexatæ, atq; ab hæreticis, penes quos tum ſumma rerum erat, in periculum adductæ: ſimul etiam conſultoribus nobis, ſinceriſque monitoribus in ea re vſus) nobiſcũ hinc profugus in Pontum ſecedit, pietatiſq; gymnaſia, quæ in illis locis erant, moderatur; atque cum Elia, & Ioanne ſummis Philoſophis ſolitudinem amplectitur: fructuoſius id ſibi eſſe exiſtimans quam in præſenti negotio cogitationem quandam ſuſcipere pene Philoſophia ſua indignam, ac conſilij, prudentiæq; clauum, quem in tranquilitate tenuerat, in tempeſtate perdere.* Horum autem verborum hæc eſt expoſitio: *Eccleſiæ pars ſelectior, & ſapientior,* id eſt, monachi, ſeu Religioſi, infra Epiſcopos enim primatum in Eccleſia tenent. *Nazaræos noſtrates*, id eſt, eoſdem monachos, monachi enim *Nazareni* a Gregorio vocantur, vt notat Baronius [a] & nos diximus *in Appar. cap.* 4. Verbis illis *Principis ſui* denotatur idem Baſilius, vt notat ipſe

Monachi ſequuntur Baſilium in Pontũ pergentem.

[a] lib. 9. Cum Baſilio.

ipse Baronius. Qui & addit: *Plane significat iam ante hoc tempus, cum adhuc Cæsariensis Ecclesiæ presbyter esset, arripuisse vitæ monasticæ institutum, quod postea (vt dicemus) perfecit in Ponticis solitudinibus*. Optime sane, & nostræ historiæ congrue. Addere etiam posset, nomine illo *Principis sui* denotari, Basilium, cum Cæsareæ esset, monachis ibi existentibus præfuisse; hoc enim totum vox *Principis* indicat, & nostræ quoque historiæ congruit, vt ex dicendis constabit. Illa *Nobiscum hinc profugus in Pontum secedit*, se ipsis indigitant Gregorium cum Basilio in Monastica disciplina commilitonem fuisse. Ex illis porro *Pietatisque gymnasia, quæ in illis locis erant, moderatur*, inferat lector, monachos ante Basilium in Ponto fuisse, quos tamen adueniens gubernare cœpit. Illa denique *Atque cum Elia, & Ioanne summis Philosophis solitudinem amplectitur*, se ipsis indicant id quod sæpius diximus de Eliano instituto a Basilio recepto.

10 Porro, quibus passibus, atq; vitæ gressibus in eam Ponti Eremum moraturus venerit, quosue ibi æmulari studuerit (quod vtile valde pro nostra historia erit) non grauetur lector audire ex ijs quæ ipsemet Basilius [a] scribit his verbis: *Ego cum multum temporis in vanitate consumpsissem, & totam ferme iuuentutem meam in vano labore perdidissem, quem in disciplinarum sapientiæ a Deo infatuatæ perceptione conuersatus insumpsi; postquam aliquando velut ex somno profundo expergefactus, ad admirandam veritatis Euangelij lucem respexi, & inutilitatem sapientiæ principum huius seculi exoletorum conspexi; miserabili vita mea multum deplorata, optabam mihi dari manuductorem ad introductionem ad dogmata veritatis. Et præ omnibus sane multam curam adhibebam, vt correctionem aliquam morum facerem, multo iam tempore ex malorum conuersatione corruptorum. Itaque vbi legissem Euangelium, & vidissem illic maximam occasionem ad perfectionem venditionem bonorum, & distributionem in indigos fratres, & in summa nullam huius vitæ curam habere, & a nulla affectione ad vitæ res animam conuerti; optabam inuenire aliquem fratrem, qui hanc vitæ viam elegisset, vt vna cum ipso profundam hanc vitæ inundationem penetrarem. Et sane multos inuenimus in Alexandria, multos etiam per reliquam Ægyptum, & alios in Palæstina, cauaque Syria, ac Mesopotamia; quorum quidem admirati sumus circa victum abstinentiam, admirati sumus item tolerantiam in laboribus, consternauit me etiam ipsorum in orationibus intentio, & quomodo somnum superabant, & a nulla naturali necessitate inflectebantur, altam semper, & nulli seruituti obnoxiam animæ constantiam conseruantes, in fame, & siti, in frigore, & nuditate, non corporis curæ intenti, neque sustinentes vt aliquam ipsi curam impenderent, sed velut in aliena carne degentes, opere commonstrarunt, quid sit cohabitare rebus in hac vita, & quid conuersationem habere in cælo. Illa admiratus, & beata prædicata virorum vita, quod opere ostendunt mortificationem Iesu in corpore se circumferre: optabam etiam ipse quantum eius a me fieri posset, illorum virorum imitator esse. Hac itaque gratia cum vidissem aliquos in patria vitam illorum imitari aggressos, auxilium quoddam me inuenisse putabam ad meam salutem, & ea quæ videbantur, obscu-*

Basilij gesta ante Ponti eremum.

[a] Epist. ad Eustath. 79.

rerum demonstrationem faciebam. Quandoquidem igitur incerta sunt, quę in occulto vniuscuiusque nostrum sunt, opinabar humilitatem indumenti, sufficiens signum esse humilitatis, & sufficiebat mihi ad certitudinem, crassa vestis, & cingulum, & de corio impolito calceamenta. Et cum multi me abducerent ab ipsorum consuetudine, non sustinebam, cum viderem ipsos voluptaria vitę pręferre tolerantem malorum, & propter vitę, ac conuersationis diuersitatem ipsis inuidebam.

Notanda. 11 Expendas, mi lector, in hac Basilij enarratione, qualiter, conformiter ad dicta in præcedentibus, ipse in monachismi professione æmulari studuerit viuendi modum, quem in Ægypto, Palæstina, & Cælosyria in quibusdam animaduerterat; imo quem in patria sua, Cæsarea videlicet, ab alijs imitatum cernebat. Item illud *crassa vestis, & cingulum*, seu *zona*, prout Baronius [a] legit; hæc enim etiam indicant Eliani instituti professionem, cui hoc erat genus indumenti, iuxta dicta *in Appar. c. 7.* Adeo autem constanter Basilius hunc modum sibi viuendi arripuit, vt nec suorum Cæsariensium suasionibus reuocari voluerit, prout ex *Epist.* 141. elicitur; quin ipse Socium & Sodalem Gregorium aliquantulum detentum accersiuit, prout ex ipso Gregorio [b] elicit Baronius [c].

a hic §. Huius itaque.
b in Carmin. de vit. sua & ep. 4
c hic.

Concilium Alexandrinum. 12 Circa id tempus Concilium Alexandrinum Catholicorum, & Confessorum Episcoporum congregatur, Liberio Papa consentiente, & Athanasio procurante. Subscripserunt huic Synodo ex ijs, quos in nostris Annalibus commemoramur, Eusebius Vercellensis, & Dracontius paruæ Hermopolis Episcopi. Adfuerunt etiam monachi quidam ab Apollinari Episcopo missi. Baronius [d].

d sub hoc an.

13 Interim etiam Donatistæ in Africa aduersus Catholicos insanientes vim sacris Virginibus, & Castimonialibus inferebant, & virginitatem professas ad secundam professionem faciendam reuocabant. Optatus [e], Baronius [f] late etiam disputans de Mitrellis, quæ imponebantur in Africana Ecclesia fæminis per Virginitatem Deo consecratis.

e lib. 2. & 6.
f hic.

Publia castitatem professa. 14 Harum porro in Antiochia Antesignana erat fæmina quædam nobilissima, Publia nomine, aliquando matrimonij iugo copulata, quæ insignem victoriam contra impudicum Iulianum Antiochiæ agentem fidei confessione reportauit. Casum refert Theodoretus [g] his verbis: *Hęc mulier chorum Virginum perpetuam castimoniam professarum secum habens, Deum omnium opificem, ac Saluatorem hymnis assidue celebrare solebat. At cum Imperator illac prætergrederetur, virgines inter se mutuo clariori voce canunt, ratę illum consceleratum tyrannum contemnendum esse, & omnium irrisione ludendum. Canebant autem illos potissimum psalmos, quibus debilitas simulacrorum scite derideretur, & cum Dauide dicebant: Simulacra Gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. At postquam versus qui illa sensus omnis expertia esse pronunciant recitauerant, illum adiungebant. Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. His Iulianus cum maxima animi ægritudine auditis, iussit vt eo progrediente conticescerent. At Publia eius leges parui ęstimans, maiori cum claritate chorum virginum in vnum*

g lib. 3. c. 17.

coegit

coegit, & illo prætereunte, denuo cantare mandauit: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, &c. Itaque tyrannus grauiter commotus, iubet magistram chori ad se abduci; quam cum anum propter ætatem ingrauescentem cum primis venerandam cerneret; tamen neque canicie corporis ad misericordiam illius capiendam, neque animi virtute ad honorem ei tribuendum adducitur; sed satellitii cuidam dat mandatum, vt vtramque malam verberet, & genas cruentet manibus. Illa hanc contumeliam pro summo honore ducens, domum reuertitur, & tyrannum, vt solebat, spiritualibus cantilenis perstringit, non aliter, quam ipse psalmorum scriptor, & magister Dauid, qui malignum spiritum, quo Saul agitabatur, compressit. Etenim iste tyrannus, vbi sceleratos dæmones sibi familiares reddiderat, Corybantum more facere, & contra verum Dei cultum rabiem exercere non destitit. Refert etiam hanc historiam Baronius *hic*, reijciens merito eundem Theodoretum, & Græcos alios existimantes hanc Publiam matrem fuisse Ioannis Chrysostomi; cum ipsam appellatam fuisse Anthusam certius sit. Eam porro eo libentius referimus, quo suspicari possumus hoc Monasterium Virginum id fuisse, quod sancta Thecla virgo prophetici Ordinis alumnis Virginibus in ea Vrbe fundauit; prout nostri historici, & specialiter Palæonydorus [a] tradunt.

[a] lib. 2. c. 2.

Annus Christi 363. Liberij Rom. Pont. 12. Iuliani Imper. 3. & Iouiani 1.

1 HOC anno, grassante impietate Iuliani, dum ageret apud Persas, accidit nostra historia monastica dignum, vt dæmon, quo internuncio vtebatur ad res ocyus cognoscendas, in Occidentem missus, in quodam loco, vbi Publius Monachus assidue orabat, per decem dies sisteretur, sic vt progredi non posset, & re infecta reuersus, rem Iuliano referret, dicens: *Moram feci, & sine actione reuersus sum: sustinui decem dies monachum nomine Publium, si forte cessaret ab oratione, vt transirem, & non cessauit, sicque prohibitus sum transire, & redij nihil agens. Tunc impius Iulianus dixit: Cum regressus fuero vindictam in eo exercebo; & intra paucos dies interemptus est diuina prouitia.* Hæc apud Cedrenum [b], Glycam [c], & alios; vt de ea re a nemine reperiatur esse dubitatum. De Publio etiam Monacho, qui hoc seculo claruit in Zeugmatensibus solitarijs locis, mentio est apud Nicephorum [d]. Addit vero ad hæc Cedrenus ex Vitis Sanctorum Patrum: *Hoc cum quidam procerum eius inaudiuisset de legatione dæmonis reddita irrita, admiratione ductus post reditum omnia pauperibus distribuit, atque ad senem istum Publium profectus, præclarus monachus euasit, omnibus prædicans monachorum vim, qua aduersus tenebrosos dæmones sunt praditi.* O Monachi, o Religiosi quanta sit vis orationis, expendite.

Publius monachus.

[b] in Compend. in Iulian.
[c] Annal. par. 4.
[d] lib. 11. c. 41.

2 Accidit etiam, vt cum Iulianus Nisibi esset, Dometius sanctissimus Monachus Christianus, natione Persa, in ipsum magna constantia insur-

rexerit, exprobrans apostasiam, qua desertor pietatis factus pro dæmonibus bellum gereret aduersus sanctos. Quod indigno ille perferens animo, mox ipsum cum duobus eius discipulis lapidibus iussit occidi, victoriam putans auspicatam de Persis nece hominis Persæ; sed contrarium plane accidit; cum victus potius a Persis monachis, eorum sanguine pro Persis pugnantem senserit aduersarium; vincique cœperit, cum se vincere inferendo illis necem existimauit. De eis fit mentio in Martyrologio Romano [a], qua etiam die Græci in Menologio.

[a] die 7. Augusti

Hilarinus.

5 Hoc etiam tempore cõmemorandus venit Hilarinus, alijs Hilarianus, alijs vero Hilarius monachus, & martyr, de quo Episc. Equilinus [b] hæc scribit: *Hilarius monachus, & martyr sub Iuliano Imperatore in ciuitate Ostia passus est. Hic de ciuitate Aretij ortundus, & cum beato Donato Episcopo, & martyre dudum conuersatus est; & plurima vna secum miracula perfecit, vt de eo dicetur in passione Donati 7. Idus Augusti. Post hæc in ciuitate Ostiensi degens Gallicanum martyrem eodem venientem suscepit, & in Christi fide confortauit. Denique tentus a Quadratiano Præside in præfato oppido cum sacrificare nollet, fustibus cæsus martyrium sumpsit 17. kal. Augusti. Cuius corpus ibidem tumulatum quiescit.* De illo quoque Beda, Vsuardus, Ado, Martyrologium Romanum, & Acta Sanctorum martyrum Ioannis, & Pauli, & S. Donati Aretini Episcopi.

[b] lib. 6. c. 105.

Iuliani mors.

4 Interim Deo pro sua Ecclesia prouidente, Iulianus in suo bello Persico sagitta incerti cuiusdam diuinitus percussus anno Christi 363. ætatis suæ 31. Iaculo creditur confossus a Mercurio martyre, vt Glycas [c], & Sozomenus [d] tradunt, a Nicephoro autem [e] Mercurius, & Artemius, olim egregij milites Christiani, & martyres percussores Iuliani diuinitus fuisse perhibentur; ipsi autem lethale, toti vero Orbi Christiano salutare vulnus inflixere. Manum sanguine vulneris impletam in aerem iactasse fertur, inquiens, *Vicisti Galilaee, vicisti*. Ita enim Christum, & Christianos compellare contemptus nota solebat; non se cohibens moribundus a blasphemijs in Christum impendendis. Successit autem ei Dei speciali fauore Iouianus Imperator optimus, Orthodoxus, & Christianorum studiosus Princeps. Baronius, Ciaconius, Gordonus, Coriolanus, & alij.

[c] 4. par. Annal. [d] lib. 6. c. 2. [e] lib. 10. 34. & lib. 16. c. 53.

Iulianus Sabbas.

5 At quid ea hora qua diuina vltione Tyrannus occisus est, diuinitus ostensum fuerit Anachoretæ Iuliano Sabbæ, quod proprius ad nostram spectat historiam, Theodoretus [f] sic narrat: *Porro autem Iulianus, cognomento Sabba (sic namque Syriaca lingua vocabatur) cuius vitam in historia nostra, quæ Philotheus inscribitur, litteris mandauimus, eorum viuendi genus qui sunt expertes corporis, in corpore imitatus; cum esset de Iuliani minis certior factus, longe attentius preces Deo omnium moderatori adhibuit; atque eo eodem ipso die quo Iulianus interfectus est, quamquam iter viginti dierum, & amplius aberat ab exercitu, cædem eius inter precandum agnouit. Nam ferunt eum, dum Dominum clementem, & benignum supplex oraret, derepente fletum repressisse, & effusum in lætitiam exultasse gaudio, hilarique vultu cœpisse intueri*

[f] lib. 3. c. 29.

tuerit qua re voluptas quam capiebat animo manifeste declarata est. Quem familiares eius cernerent, orasse, vt causam lætitiæ suæ ipsis indicaret. Eum autem respondisse: Aprum siluestrem, hostem vineæ Domini, debitas scelerum in Christum admissorum pependisse pœnas, & mortuum iacere, ne amplius Christianis insidias struat. Quibus cognitis omnes triumphare gaudio, & hymnum quo Deo gratias agerent, cantare cœperunt. Postea autem facti sunt certiores ab illis, qui mortem eius nunciabant, sceleratum illum tyrannum extinctum eadem die, & hora, qua diuinus ille senex Iulianus eum cecidisse cognouerat, & prædixerat.

6 De Didymo autem ita Sozomenus [a]: *Eadem die Didymus vir Ecclesiasticus, & diuinæ sapientiæ, ac pietatis studiosissimus Alexandriæ ætatem degens, supra modum dolebat, non modo ob Imperatoris scelera contra Christianam Religionem admissa; sed etiam quod cæco errore vagabatur, & Ecclesias contemnebat. Itaque ieiunare, & Deum hac de re supplex orare cœpit. Qui cum ob hanc causam animo adeo solicito, ac mœsto esset, vti sequenti nocte nihil comederet, forte in solio assidens, somno oppressus est, ac velut extra se positus, videre equos albos in aere cursare, & qui in eis vehebantur, eos ita prædicare: Nunciate Didymo, hodie Iulianum hac ipsa hora interfectum esse; ipseque idem illud Athanasio Episcopo significet. Didymus igitur illico somno solutus surrexit, cibumque cepit.* Hæc Sozomenus.

Didymus.

a lib. 6. c. 2.

7 Quis tamen is Iulianus Sabbas, de quo illam reuelationem de apostatæ Iuliani morte attulimus, fuerit (vtpote nostræ historiæ proprium) dicere debemus. Si quidem, testante Theodoreto [b], in Regione, quæ olim quidem, Parthorum, postea Osrænorum, nominata fuit, versum Ripam fluuij Euphrates ad exercitationem monasticam tugurium habuit. In eo autem degebat, in hebdomada semel cibum capiens: cibus autem erat panis hordeaceus, isque furfuraceus; obsonium autem, sales, potus autem suauissimus per se natiuum aquæ fluentum, idque non satietate dimensum, sed vsu demissi prius sibi definitum. Erant autem ei deliciæ opiparumque, & lautissimum epulum, Dauidicorum hymnorum decantatio, & assidua cum Deo couuersatio; & cum eis frueretur insatiabiliter, eorum nunquam voluit capere satietatem, sed semper quidem implebatur, semper autem clamabat: *Quam dulcia gutturi meo eloquia tua? super mel, & fauum ori meo.* Hic ergo tanto amoris igne fuit incensus, vt inebriaretur desiderio, & nihil videret ex terrenis; solum autem dilectum & noctu somniaret, & interdiu visione apprehenderet. Hinc ad ipsum æmulandum plures accurrerunt discipuli. Eos autem cum tot essent, accipiebat illud antrum; à sene enim didicerant negligere curam corporis; vescebantur autem ipsi quoque similiter atque pædotriba, hordeaceo pane, sale condito. Aliquo autem post tempore, & olera sponte nascentia colligentes, deinde dolia implentes, & muriæ quantum satis erat miscentes id habebant obsoniū, qui opus habebant curatione. Solitus etiam erat sæpe quidē quinquaginta stadia, nonnunquam autem etiam bis totidem in desertū proficiscens,

Quis is Iulianus Sabbas.

b in lib. 9. vit. Patr. c. 2.

ſcens,& ſe ab omni humana conſuetudine ſeparans,& ad ſe ipſum rediens per ſe cum Deo congredi,ac conuerſari,& diuinam illam,& ineffabilem ſpeculari pulchritudinem. Hęc pro nunc de iſto Iuliano, alia *ſub an.370.*

Quis Didymus 8 Similiter quis fuerit ille Didymus, cui etiam reuelatio de interitu Iuliani à Deo conceſſa eſt, inueſtigare debemus. Duos enim eius nominis pro eodem ferme tempore in hiſtoria Patrum reperimus: Alterum, de

a lib.2.vit.Pat. c.34. quo Ruffinus [a] hæc: *Vidimus quendam inter eos ex ſenioribus virum bonum, nomine Didymum,in quo multa erat Domini gratia, quam in eo etiam vultus ipſe indicabat. Hic ſcorpiones, & cerastas, id eſt beſtias, quas cornutas vocant; angues, qui in illis locis præ feruore ſolis acerrimi habentur, tanquam terra quoſdam vermiculos pedibus conculcabat, & ita extinguebat, vt nihil ab eis omnino pateretur.* Alterum verò Didymum Alexandrinum appellatum,qui à quarto anno ſuæ ætatis oculos amiſit, fuit tamen celebris ſcriptor in S. Scripturam, & ad extremum in Origenis errores lapſus eſt. Huic ergo poſterio-

b lib.8.vit.Pat. c.4.& Lauſiac. c.2. ri tribuunt hanc viſionem de interitu Iuliani Palladius [b], Heraclides [c], & alij. Illum ergo, vtpote de hæreſi ſuſpectum prætermittimus, priorem

c in Parad. c.1. alium non prætergredientes. Quamuis autem in faſtis ſacris non reperia-

d in Annot. ad 2.lib. vit.Patr. n.42. tur, pręterquam in Florario Sanctorum M.S. quod refert Heribertus [d] vbi dicitur, *S. Didymi Eremitæ*; nihilominus Socrates [e] eum monachum

e lib.4.c.18. appellat, dicitque nonaginta confeciſſe annos, & per totum vitæ ſuę ſpatium nullius hominis conſuetudine vſum fuiſſe, de eo etiam in Scete floruiſſe habet Sozomenus [f]. Eum quoque commemorat Baronius [g], & de vtroque Didymo diſcurrit *ſub anno 393.*

f lib.6. c.30.
g ſub ann.372.

Hadrianus monachus. 9 Interim Hadrianus monachus Hilarionis diſcipulus de Palæſtina veniens ei annunciat Iuliani interitum, ſuadens vt ad Monaſterium ſuum reuerteretur. Renuit ſenex id facere & ad maritimam vrbem Libyæ Paretomium ſeceſſit, vbi Hadrianus priſtinam magiſtri quærens gloriam multis eum affecit iniurijs, & eo neſciente profectus eſt. Suæ tamen inobedientiæ pœnas cito dedit: poſt aliquantulum namque temporis

h in vita Hilarionis c.29. morbo regio computruit. D.Hieronymus [h]. Ipſe autem Hilarion in Siciliam nauigauit cum Zanano ſene, & Euangeliorum Codice, vbi multis ſignis patratis cognitus eſt ſeruus Chriſti, & Religioſorum hominum

i ſupra c.30.& 31. multitudo ad eum conuenit. Idem Hieronymus [i].

D. Hieronymi pueritia. 10 Interim quoque dum D. Hieronymus puer eſſet, & in Grammaticæ ludo ſub Donato, quem ipſe ſæpius ſuum magiſtrum appellat; audireturque Iuliani interitus, eleganter vnus de ethnicis: *Quo modo*, inquit, *Chriſtiani dicunt, Deum ſuum eſſe patientem, ἀνεξίκακον? nihil iracundius, nihil hoc furore pręſentius, nec modico quidem ſpacio indignationem ſuam differre*

k in Habacuc cap.3. *potuit*. Ita idem Hieronymus [k].

Gregorius, & Baſilius monaſticæ. 11 Hoc autem tempore duo illa Eccleſiæ lumina Gregorius, & Baſilius in Pontica degentes ſolitudine, ſeorſum tamen ab inuicem habitantes inſtar monachorum Ægyptiorum, quos Baſilius inuiſerat, monaſti-

l epiſt. 146. cam,& vere propheticam vitam gerebant. Ipſo prælertim Baſilio [l] teſtan-

te dum

te.dum dicit Libanio: *Nos quidem ò praeclare vir, cum Moyse, & Elia, similibusque beatis viris versamur, qui nobis barbarica voce doctrinam suam tradunt, & nos quę ab illis audiuimus, loquimur, sensu quidem vera, verbis autem rudia, vt & hac ipsa, quæ scribimus, indicant.* Emmelia Basilij mater illis annonam suppeditabat. Locus incolatus *Mataza* dicebatur. Ibi Psalmodiæ, vigiliæ, concordia animorum, diuinorum oraculorum studium, lignorum comportationes, lapidum fractiones, arborum insitiones, & irrigationes, & quod magis est, Sacræ Scripturæ expositiones. Ibi quoque maledicorum linguæ exagitabant Basilium: occasione namque accepta ex eo quod, cum tunc Ecclesia Neocęsariensis proprio viduaretur Pastore, & in eligendo Basilio propensior esset, quidam Sabelliani hæretici, qui se in eam intrudere conabantur, indigno id ferentes animo, in ipsum conspirarunt, eumque hominem ambitiosum, nouorum dogmatum inuentorem, fideique sinceræ desertorem dictis, scriptisque euulgarunt. Gregorius Nazianzenus [a], Basilius [b], & ex illis Baronius [c]. *a epist. 8. 9. & 12. 161.*

12 Prætextus vero, quibus Basilium malignabantur, & quid ipse responderit ex dicta *epist. 63.* sic habemus: *Quod si causam interrogentur belli huius nec indicti, & implacabilis, psalmos dicunt, & melodiæ modum a consuetudine apud vos obtinente immutatum, & talia quædam propter quam ipsos obuelari oportebat. Porro vitio vertitur nobis etiam quod homines habemus exercitatores pietatis, qui renunciauerunt mundo, ac omnibus temporalibus solicitudinibus, quas spinis assimilat Dominus, non permittentibus verbo, vt ad fertilitatem perueniat. Tales mortificationem Iesu in corpore circumferunt, & leuata Cruce sua sequuntur Deum. Ego vero totius vitæ meæ pretio æstimauerim meas esse has iniurias, & habere apud me ipsum viros, qui sub me præceptore exercitationem hanc elegissent. Nunc autem in Ægypto talem esse audio virorum virtutem: & fortassis quidam etiam in Palæstina vitam secundum Euangelium rite peragunt. Audio etiam in Mesopotamia esse viros perfectos, ac beatos. Nos autem pueri sumus ad perfectorum sane cõparationem. Si vero & mulieres sunt euangelicè viuere eligentes, virginitatem nuptijs præferentes, elationem carnis in seruitutem redigentes, & in luctu qui beatus prædicatur, viuentes, beatæ illæ ob hoc propositum vbicumque terrarum fuerint.* Et post pauca: *Notum autem vobis esse volo, quod nos optamus & virorum, & mulierum congregationes habere, quorum conuersatio est in cælis, qui carnem crucifixerunt vna cum affectionibus, ac cupiditatibus, qui non soliciti sunt de cibis, ac indumentis, sed indistracti existentes, & assidentes Domino noctem, ac diem in orationibus perseuerant; quorum os non loquitur opera hominum, sed psallunt hymnum Deo nostro assidue operantes suis manibus, vt habeant quod impertiantur indigentibus.*

Basilij exe tia... *b Epist. 63. & 164.* *c sub hoc ann.*

13 Ex his porro elicitur hoc primum tempore Basilium suæ monasticæ Religionis primordia inchoasse ex viris, & fœminis Deo dicatis, hymnos canentibus, manibus operantibus, mortificationem Iesu in corpore circumferentibus, & crucem ipsius sectantibus. Sic enim, Duce Baronio, *Basilius instituit monachos*

ronio,

a in lib. de antiq. & Reg. S. Basilij c. 1. §. 2. b in Oper. cont. tit. Feniz de la Gracia lib. 2. in fin.

ronio, amplectuntur ex Basilij monachis Clauelus [a], & Didacus Nyssenus [b]. Quibus fauet Alfonsus Maldonatus [c].

Quo sensu institutor.

c in Chronic. ann. 363.

14 Sed quid intenderit Basilius in suo Ordinis Monastici institutione, non omnibus peruium, vt propterea in eo cœcutiant plures: Verum tamen, vnico verbo Ecclesia id expressit, dum in eius Officio recitat: *Duriorem illum antiquorum monachorum ritum ad meliorem formam redegit, magisque Religioni congruentem*. En finis, & scopus Basilianæ Religionis; *antiquorum monachorum ritum ad meliorem formam* redigere, *magisque Religioni congruentem*. Non igitur, vt quidam minus scite autumant, primus monachorum Author fuit; prout satis id ipsemet testatur ea epistola 63. relata, dum se & suos sodales pueros vocat respectu perfectorum, qui erant in Ægypto, Palæstina, & Mesopotamia, monachorum videlicet in ijs partibus agentium. Et colligitur ex ijs, quæ *sub anno* 318. diximus de Porphyrio; & *sub anno* 354. de Eutitio, ac *sub anno* 360. de Marciano ipsius in monastica disciplina Ductoribus. Hinc Baronius [d] de instituto monastico ait: *Non est igitur quod quis huiusmodi vitæ instituti Basilio primas tribuat, quæ debentur Antonio*, (quo pacto id accipiendum in superioribus diximus) *Basilius enim imitator potius accessit, quam inuentus fit auctor*. Quod probat ex eodem Basilio [e]. Vnde Spondanus Baronij abbreuiator [f] hęc expresse: *Basilius non fuit auctor vitæ Cœnobiticæ, sed imitator*.

d sub ann. 328. §. non est igitur.

e Epist. 63. adducta.

f in Comp. Annal. in Indice verbo Basilius.

Reformator monasticęs.

g lib. 1. Antiq. Ord. Carmel. h lib. 1. c. 14. i in vit. ipsius pro 14. Iunij.

15 Potest etiam dici reformator status monastici, prout specialiter eum vocant ex nostris aliqui, maxime Thomas de Iesu [g], Didacus Coria [h], & de exteris Petrus de Ribadeneira [i] dicens: *S. Basilio no fue author e instituidor de los monjes, y monasterios; fue su maestro, e illustrador*. Quia scilicet, Propheticum, Elianum, & Monasticum institutum ab Elia primitus erectum & postea per Ioannem Baptistam, Essenos, & Anachoretas, Paulum, Antonium, Hilarionem, Macarios, & alios propagatum, legibus, & Regulis scriptis instituit.

Basilij Regulæ.

16 Scripsit enim S. Basilius pro monachorum instructione, præter alia opera ascetica, duo specialiora; vnum quidem per modum dialogi, alterum vero per modum admonitionis. Imo, vt Thomas de Iesu relatus autumat, aliud pro illis Anachoretis Ponti, cum quibus habitabat, & quos ad vitam Cœnobiticam gerendam instruebat. Ex quibus primum pro noua Religione S. Basilij nuncupata composuit; postremum vero monachi montis Carmeli susceperunt, prout testatur Bostius noster *lib. 5. histor. c. 53*. De hac Regula intelligendus Soretius noster, dum [k] inquit: *Basilius Regulam monasticę vitæ scripsit, illam suis confratribus eremitis montis Carmeli transmittens, quam obseruare conati sunt iuxta Eliæ, & Elisei vestigia*. Rem differit Paleonydorus [l] sic dicens: *Iste est Basilius, qui monachorum instituta duplici sub forma composuit. Vna est per modum dialogi, & hanc eius confratres Carmelitæ in monte Didymi assumpserunt, & eundem in Patronum eligentes de Ordine S. Basilij vocati sunt. Alia*

k in Praef. ad Regul. Albert.

l lib. 3. c. 5.

per

per medium communis admonitionis, quam S. Ioannes 44. Ierosolymorum Episcopus suo libro inseruit, & Carmelitis tradidit. Paulo aliter rem sic expressit [a] Bostius relatus: *Secundo vero anno ipsius Pontificatus scripsit Regulas monachorum, & instituta pro noua Religione, quam in ciuitate sua primus erexit: Nam duo Monasteria idem vir sanctus in ciuitate Caesarea Cappadociae construxit; vnum extra ciuitatem in monte Didymi Ordinis Carmelitarum; & aliud prope Ecclesiam, quod Ordinis S. Basilij appellatur.*

17 Sed tamen, quod Basilius primus Legislator monachorum fuerit, nulli hæc nouitas (quam his temporibus a quibusdam nedum verbis, sed & effigie quadam sculptam Sanctæ Inquisitionis in Hispania Tribunal abolere præcepit) in mentem veniat. Nam vt omittamus, quæ de veteris legis monachis, ipsorumque instituto, Regulaque viuendi diximus *to.* 1. horum Annalium, quis nisi indoctus, vel cogitare poterit Essenos illos Alexandrinos primos Apostolicos in lege noua monachos, & monachorum antesignanos, de quibus *in Apparatu* plura diximus, & quos constans est Doctorum sententia a S. Marco in monastica perfectione institutos fuisse, regula caruisse? Expendat lector quæ in eo Apparatu scripta reliquimus, quæ Philo, Eusebius, Cedrenus, Solinus, & alij de ipsis scripserunt, & nouissime Bellarminus [b] & prorsus sine fundamento istorum placitum fuisse manifeste comperiet. Sed altius rem pensitamus. Nonne Apostolos Regularem monasticam vitam egisse, iuxta mentem S. Augustini [c] tradunt Theologorum summus S. Th. 2.2. *q.* 82. *ar.* 4. *ad* 3. & post ipsum Paludan. [d], Sotus [e], Castrus [f], Pennotus [g]. Magnum præterea illum Ægyptiorum monachorum patrem Antonium suis monachis Regulam, seu quod idem est, vitæ institutionem tradidisse ex ipsius vita à D. Athanasio descripta *c.* 15. 28. & 58. clare elicitur. Quam sine dubio vitæ institutionem idem Athanasius cum Isidoro, & Socijs Romam adueniens feliciter inuexit, vt notat Baronius [h]. Quo etiam tempore Pachomij Regula clarescere cœpit, quam *sub anno* 341. retulimus. Macarium similiter huius temporis ante Basilium Archimandritam suis alumnis regulam pariter dedisse omnibus compertum est. Eam etiam commemorant Smaragdus Abbas [i], Auctor vitæ S. Philiberti Abbatis apud Surium [k], Antonius de Iepes [l], referens eam vidisse litteris Gothicis descriptam in antiquo monasterio S. Petri de Arlanca simul cum Regula Pachomij; ac Alphonsus de Sancto Victore [m]. Et sane, si iste Macarius, prout ex vita Postumij [n] habetur, quinquaginta fere millium monachorum ductor fuit, sine vitæ Regula ipsos regere nullatenus posset. Nonne etiam magnus Athanasius Regulam pro monachis, seu exhortationes ad illos, item pro monialibus conscripsit? Prout ex eius operibus constare Alphonsus relatus notat. Refert quoque ibidem inter Monachorum legislatores ante Basilium Oresium Pachomij discipulum. Sed etsi certum sit hunc Patrem monachis Regulam tradidisse, prout ex Gennadio [o] & alijs post ipsum habetur, & extat in Biblioth. veterum PP. incer-

tum

Minime primus legislator monachorum.

a lib. 1. hist. c. 7.
b lib. 2. de monach. c. 4.
c lib. 7. de huic. Dei c. 4.
d in 4. d. 38.
e de Iust. lib. 7. q. 2. ar. 5.
f de haeres. verbo votum.
g in hist. Trip. lib. 1. c. 5.
h sub ann. 340.
i super Reg. S. Benedicti c. 28. & 53.
k to. 4. 20. die Augusti.
l to. 1. centur. 1. ann. Chr. 558. c. 53.
m vel b. eius tit. suius Sol del Occidente prælud. 1. c. 19. n. 2.
n in libr. vita Patr.
o de Scripe. Eccles.

tum tamen, an ante Basilium id egerit. Immo cum Gennadius dicat vice testamenti prope obitus sui diem fratribus eam obtulisse, cum non constet de certo anno sui obitus nec liquidum erit an ante, vel post Basilium id contigerit. Idem dicendum de Posthumio relato, qui etiam legis lator quinque millium monachorum, Angelo Regulam dictante, describitur: Quid etiam de Carithone Abbate suorum discipulorum institutore in Monasterijs *Laura* sentiendum ex dictis in superioribus innotescet. Extat quoq; memoria Regulæ Abbatis monasterij in Palæstina vbi fuerat S. Epiphanius monachus [a]. Et vt aliquid de nostris proprioribus dicamus, cum tanto tempore antequam suam Religionem Basilius instituerit, Regulasque ediderit, monachus ipse fuerit sub Porphyrio, Euthitio, & Marciano Archimandritis, vt superius notatum, quis abneget regulariter vixisse? Sub Regula ergo monachum egit. Sub qua? Pro nostris respondet Alphonsus de S. Vict. relatus [b] fuisse eam, quam Carmelitæ seruabant. Quod colligit ex Mantuano [c], immò ex Gregorio Nazianz. [d] vbi de ipso in Ponto monasticè agente sic: *Nobiscum hic profugus secedit in Pontum, atque cum Elia, & Ioanne summis Philosophis solitudinem amplectitur.* Abscedat igitur huiusmodi opinatio de primatu legislatoris S. doctori Basilio attributo, & veritas vincat.

[a] lib. 5. Vit. Patr. libell. 12. n. 6.
[b] tract. 4. c. 2. n. 17. & tract. 6. c. 1. n. 22.
[c] Isagoge ad patient. lib. 2. c. 27.
[d] orat. 30. de Laudib. Basilij

Obiecta quorundam.

18 At dicunt iuniores quidam: *Primus Cœnobia excogitauit*, quod aiunt ex Gregorio Nazianzeno [e] haberi. Sed in ea Oratione 20. nihil Nazianzenus de hoc. In Oratione autem 30. quam pro 20. isti acceperunt, solum dicitur extruxisse *Monasteria, non tamen longo interuallo ab ijs, qui in sodalitio viuunt remota.* Vbinam illud *Primus*? Proloquium sane, viris doctis indignum, cum ipsa luce clarius ex pluribus historijs in superioribus relatis innotescat Essenos Ægyptios sub S. Marco institutos, qui & id acceperunt a Palæstinis, & ab vtrisque Thebaidenses, Nitrienses, Scythientes, & alij apud Ægyptum monachi, Monasteria, Arceteria, seu Cænobia habuisse: item Carithonem, Helenum, Frontonium, Antonium, Hilarionem; ac in Hispanijs Philibertum, & Fabricianum; innumerosque alios, quos inutile est, cum res sit clarissima, referre. Ad perdoctum, & diligentem authorem P. M. Petrum Quesada Ordinis nostri alumnum [f] remittimus lectorem, maxime *in* §. 3. vbi ex eodem Basilio *Epist. 56. ad clericos Neocæsarien., et epist. 73. ad Eustachium Episcopum* perspicue ostendit ipsum Basilium nobis fauere. Potiori iure dicere possent, iuxta dicta *n.* 15. S. Patrem Basilium Monastices reformatorem nuncupari debere, quia, vt habetur in Breuiarijs, Romano præsertim, & Dominicano, *Monasterijs extructis ita monachorum institutum temperauit, vt solitariæ, atque actuosæ vitæ vtilitates præclare simul coniungeret*; Vel vt in Carmelitano: *Primus duriorem illum antiquiorum monachorum ritum ad meliorem formam redegit, magisque Religioni congruentem.* Sed quomodo monasticem reformauit Basilius? Inquiunt illi, quos supra commemorauimus: *Quia primus vota religionis inuenit.* Nouum itidem paradoxon, falsitatis conuictum ex

[e] Orat. 20.
[f] in informat. summar. antiquit. Ordin. ar. 1. §. 11.

ijs, quæ

ijs, quæ *to. 1. in Appar. c. 4. et ad ann. 3545. n. 35. 36. et 37.* scripta reliquimus de Essenis, qui voto, vel iuramento sui instituti dogmata firmare soliti erant. Secundo, quia saltem nullus refragabitur, quod Apostoli, & Apostolici viri triplici votorum ligamine spontaneo astricti fuerint, prout ex D. Augustino [a], & S. Th. [b] Theologi desumunt. Adhæc, sane si ante Basilium non fuit in Orbe Christiano trium votorum obseruantia, vtique nec Religio, aut monachatus, cum res sine sua essentia consistere nequeat. Et ita monachi, & Religiosi anterioris temporis a D. Dionysio, Patribus, & Historicis cunctis nominati solum æquiuoce tales dici possent. Conciliorum præterea auctoritati thesis, quam impugnamus, omnino aduersatur. Etenim in Illiberritano circa annum 300. celebrato, prout eo anno diximus, mentio fit Virginum Deo dedicatarum per pactum, id est, virginitatis votum. Vnde Loaysa eius Concilij Scholiastes inquit: *Erant hoc tempore virgines Deo sacratæ speciali dedicatione, et voto,* prout expendit Quesada [c]. Et in Ancyrano circa annum 314. vel paulo post, vt eo anno visum, & ad intentum affert Quesada [d], mentio quoque fit promissionis, & professionis virginitatis. Adstipulantur, quæ ex Marcello Papa idem Quesada [e] refert, & nos *supr. ad ann. 305.* vbi professionis monasticę nomen reperitur. Quid vltra? nonne idem Basilius [f] supponit potius quam imponit monachis votorum professionem? At inquiunt, ipse [g] ad Amphilochium ait: *Virorum professiones non nouimus.* Agit ibi de professione inter sæculares, vel forsan de expressa, pro illa dumtaxat Regione. De quo Balsamon [h], Quesada supra [i]. Nos innumera alia pro istorum placito reijciendo ex dictis in hoc tomo elicere possumus, sed ea prætermittimus. Inquiunt vlterius: saltem votorum solemnitas Basilium agnoscet auctorem. Sed nihil minus; cum ea ex sola Ecclesiæ institutione sit *cap. vnico de voto in 6.* ex Bonifacio Octauo: & esto antiquior fuerit, sine fundamento ad S. Basilij tempus refertur. Idem dicendum de nouitiatus institutione, præsertim, cum iuxta dicta *to. 1. ad ann. 3545. n. 28.* Nouitiatus vsus etiam inter Essenos primos post Apostolos Euangelicę legis monachos increbuit. De quo præter auctores ibi relatos legi possunt Comestor [k], Serarius [l], & Quesada [m].

[a] *lib. 17. de ciuit. c. 4.*
[b] *2. 2. q. 88. ar. 4. ad 3.*
[c] *supr. § 13.*
[d] *§. 6.*
[e] *§. 7.*
[f] *in Constitut. monast. c. 1. & 22.*
[g] *can. 19.*
[h] *ibid.*
[i] *n. 12.*
[k] *in hist. Euang. c. 29.*
[l] *lib. 3. tribar. c. 4. n. 36.*
[m] *supr. §. 10.*

Annus Christi 364. Liberij Papæ 13. Valentiniani, & Valentis Imper. 1.

1 NON leui Christianitatis iactura Iouianus Imperator post septem, vel octo mensium Imperium, improuiso casu exanimatus interijt; locum præbens Valentiniani electioni, qui simul Valentem fratrem declarauit Augustum, cum eo Imperium diuidens, & Orientem ipsi concedens. Ammianus, Eutropius, Suidas, & noui Chronologi post ipsos. Imperatores Valentinianus, & Valens.

2 Clarus erat (vt ad propriora veniamus) miraculis hoc tempore Hila- S. Hilarionis gesta.

rion in Sicilia; propter quæ, quamuis latere vellet, ipsi non concedebatur; id quoque procurante dæmone, qui cum cuiusdam scutarij corpus Romæ in Basilica S. Petri torqueret, dixit: *Ante paucos dies ingressus est Siciliam Hilarion seruus Christi, et nemo eum nouit, et putat esse secretum: ego vadam, et prodam illum*. Fecit quod dixit, sed energumenus ante tugurium Hilarionis se prostrans illico curatus est. Ibi etiam quendam de primoribus tabentem morbo aquæ intercutaneæ sanitate donauit, qui postea offerens ei magna munera (sane in exemplum Religiosorum) audiuit dictum Saluatoris ad discipulos. *Gratis accepistis gratis donate*. D. Hieronymus [a]. Dum autem hæc geruntur in Sicilia, Hesychius discipulus eiusdem Hilarionis (de quo *sub anno* 319. dictum) *toto Orbe senem quærebat, lustrans littora, deserta penetrans, et hanc tantum habens fiduciam, quod vbicumque esset, diu latere non posset*. Ita Hieronymus *supr. c.* 32.

a in vit. Hilarionis c. 31.

Ioannis Ierosolymitani.

2 Erat hic annus tertius decimus ætatis Ioannis nostri postea Ierosolymorum Antistitis, de quo *sub ann.* 351. dicere cœpimus. Quia autem Diuus Hieronymus ibi relatus eum inquit *a parua ætate sacris literis eruditum* fuisse, non incongrue suspicari possumus sub hoc tempore, vel circiter earundem studijs vacare cœpisse. Sed sub quo magistro, vel præceptore dubium anceps est. Etenim Petrus Vvastelius [b] putat eum sancti Pambonis discipulum fuisse, eo quod Heraclides [c] loquens de isto Pambone, dicat: *Quem & Dioscorus Episcopus, & Ammonius, & Eusebius, & Euthymius fratres, & Origenes, & Dracontius viri admirabiles, & Nepos habuerunt magistrum*. Verbo namque illo *Nepos* Ioannes iste noster denotatur, cum vnum ex nominibus ipsius, iuxta dicta eo loco, sit *Nepos*. Vnde suo nomine *Ioannis* eum vocat Palladius [d] dicens: *In monte hoc fuit, & beatus Pambo præceptor Dioscori, qui postea Episcopus ordinatus est, & Ammonius, & Ioannes, fratres Dracontij viri mirabilis*. Posset aliquis existimare discipulum quidem eius fuisse, sed non tam in sacris litteris, quam in monastica disciplina. Sed cur non in vtroque? Sane Antonium, Hilarionem, Basilium, & alios monachorum Archimandritas non solum in monastica disciplina, sed in diuinis litteris suos alumnos instituisse ex eorum historijs elici facile potest. Cur ergo de Pambone id inficiabimur? Illud hic prænotandum quod si Ioannes noster Pambonis discipulus fuit, vt fuisse credimus, vtique fatendum etiam, prout relatus Vvastelius [e] ingenue fatetur, in montem Nitriæ Ægypti conuenisse, & sub eo Theologiæ operam dedisse. Siquidem Pambo eius montis accola fuit, testibus Heraclide, & Palladio relatis, alijsque multis. Quod & indicant verba relata Palladij. Quia etiam, iuxta dicenda inferius *sub anno* 374. Pambo relegatus est in Palæstinam, credibile est Ierosolymam petijsse, & ibi Ioannem in discipulum habere potuisse, vel saltem in Carmelo per aliquod tempus.

b lib. 1. Vindic. apol. Io. Ierosol. sect. 4 art. 1. §. 7. & 9.

c in Parad. c. 10.

d in Lausiaca c. 5.

e in Vindic. lib. Io. Ierosol. de instit. monach. sect. 4. ar. 1. §. 8.

Pambonis gesta.

3 Id certius, hunc Pambonem magnæ sanctitatis virum, & inter monachos illius æui celebrem valde in eo monte Nitriæ fuisse. Vt enim testan-

testantur Heraclides, Palladius, & alij, multis, ac varijs virtutum prærogatiuis effulsit. Ac inter cætera, quod auri, & pecuniæ contemptor esset, ita vt cum Melania, qui eum inuisit triginta libras argenti illi obtulisset, eas Pambo per œconomum inter egentes dispensari fecisset. De ipso etiam asseritur septuagesimo ætatis suæ anno in pace quieuisse, non ægritudine, aut febre aliqua vexatum. De eo quoque Heraclides supra hæc valde notabilia, monachis præsertim, sic refert: *Hic ipse Pambo in fine vitæ suæ, ipsaque hora qua exiturus erat è seculo, assistentibus ei Paulo presbytero, & œconomo, & Ammonio sanctitate famatis viris, & cæteris fratribus, hoc dixisse memoratur: Ex quo veni in istum solitudinis locum, et habitaui in cellula quam meis manibus extruxi, panem gratis ab aliquo me manducasse non memini, nec verbum vsque in præsentem horam locutus sum, de quo pœnitentiam agere debuissem; ita tamen ad Dominum meum pergo, tanquam necdum diuinæ seruitutis cultum attigerim. Asserebant autem nobis referentes, et testimonijs confirmantes suis Paulus, et Ammonius serui Christi, quia numquam cum aliquid interrogatus fuisset vel de spiritualibus, vel de secularibus scriptis, cito responsum sciscitantibus dedit; sed semper, necdum se quod responderet inuenisse dicebat. Sæpe autem, et cum mensium spacia fluxissent, nec sic quidem responsum quærentibus dabat, adhuc se non asserens peruenisse ad notitiam veritatis. Tam diligentes autem, cautasque secundum Deum sententias proferebat, vt eas omnes tamquam ab ipso Deo prolatas susciperent. Hanc enim Antonium quoque illum magnum in suis sermonibus perhibent habuisse virtutem.* Alia de ipso Vitarum Patrum Scriptores, quæ vel sub compendio a nobis delibari debuere, quia ipse inter præcipuos Eliani instituti cultores vnus habetur, & pro tali eum accensent nostris Palæonydorus, Thomas de Iesu, Guadalaxara, & alij.

4 Hoc etiam anno, vel paulo post, iuxta accuratiorem nostri Petri Vvastelij [a] computum, profectio contigit è Roma in Ægyptum clarissimæ illius fœminæ Melaniæ senioris, de qua tot, & tam præclara eius temporis Patres, & Scriptores dixerunt. Etenim satis id indicat Heracl. [b] inquiens, cōtigisse *inter principia Valentis Imperij*; & quod Palladius referēdus dixit *Valente tenente Imperium*, rectius è Græco dici deberet: *Temporibus Valentis initium tenentis Imperij*, vt notat idem Vvastelius Græce peritissimus. Hoc ergo anno, vel paulo post Roma soluit Melania, quod contra Baronium non recte de hac profectione, nec de annis absentiæ ab Vrbe sentientē, ostendit idem Auctor. Profecta fuit, vt inquit S. Hieron. [c], *ingruente iam hyeme* id est, circa Nouembrem, vel Decembrem. Eius autem historiam nostris Annalibus accensendam luce clarius est, siquidem, prout ex dicendis constabit, hæc Melania Monachorum, & Monialium, Ægypti, & Palæstinæ consolatrix, protectrix, & propagatrix egregia fuit. Imo plurium Monialium in Monasterio Dominici sepulchri Ierosolymitani Mater, prout Palæonydorus [d], & alij post ipsum, profitentur; quibus etiam ex damnatis auctoribus fauet Io. Balæus in libro ante. apo-

Melania senior.

a in vit. Oper. Io. Ierosol. lib. 2. sect. 4. ar. 1 § 10.

b in Paradiso c. 33.

c epist. 25.

d lib. 2. c. 5.

ſtaſiam edito, & de Catholicis Carolus de Tapia [a] noſtris etiam eam accenſentes. De ea porro Palladius [b] ſic loquitur: *Multas quidem vidi pias ac religioſas, & plurimas virtutis ergo conueni & virgines, & viduas, inter quas erat etiam beatiſſima Melania Romana, quæ fuit quidem filia Marcelli Conſularis, vxor cuiuſdam viri, qui erat in magna auctoritate, cuius nominis non rectè memini. Hæc cum eſſet vidua, agens annum vigeſimum ſecundum, diuino amore digna fuit habita, & nemini quicquam dicens (probibebatur enim ijs temporibus, Valente tenente Imperium) cum curaſſet, vt filij ſui nominaretur tutor, ipſa acceptis ſuis mobilibus, & in nauem iniectis cum aliquot famulis, & ancillis, curſu nauigauit Alexandriam.* Heraclides vero [c] ſic de ipſa: *Sancta illa, & multum beata Melania de Hiſpano, vel Vrbico genere deſcendens, filia quidem Marcellini cuiuſdam exconſulis fuit, vxor autem cuiuſdam honorabilis viri, cuius nomen meminiſſe non poſſum. Quæ vigeſimo ac ſecundo ætatis ſuæ anno ad viduitatem redacta, diuinitatis amore, æterno Sponſo meruit copulari, vſque in finem vitæ ſuæ diligens eum. Quæ nulli ſecreta animi ſui prodens (probibebatur enim inter principia Valentis Imperij) procuratore ante filio ſuo conſtituto, ea quæ habere in mobilibus videbatur cum certis pueris, ac puellis in nauem miſit, itaque feſtinans Alexandriam nauigauit. Ex qua (poſteaquam illis omnia vendidit, & in pecunias totum atque in aurum redigit) Nitriæ attigit montem.* Quibus ſimilia noſter Boſtius [d].

5 Comes indiuiduus huius peregrinationis Melaniæ fuit vir quidam eo tempore celeberrimus Ruffinus nomine, patria Aquileienſis. Ita enim ſupponunt communiter Doctores, ſpecialiter Baronius [e] ex Diuo Hieronymo [f], Diuo Paulino [g], & alijs. Qua vel ſolum de cauſa eius hiſtoria noſtris Annalibus accenſeri debuit. Sed maxime cogit quod ipſe Monachus fuerit. Prout Diuus Hieronymus [h] loquens de clericis Aquileienſis Eccleſiæ cum ait: *Florentius, Bonoſus, & Ruffinus inſignes monachi habentur*. Monachum etiam eum appellant tum ipſe Baronius ſupra, tum Poſſeuinus [i] qui etiam eum cognominatum dicit *Toranum*, ſeu *Tarmum*; & ante ipſos Ioannes Trithemius *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, & noſtri Authores, ſpecialiter Palæonyd. [k] & Caſſanate [l]. Quo etiam ſenſu a Caſſiano [m] vocatur *Chriſtianæ Philoſophiæ vir*, & a Gelaſio Pontifice in Concilio Romano *vir Religioſus*. Nec refert quod Presbyter fuerit Eccleſiæ Aquileienſis, prout etiam Gennadius, & Honorius [n] eum compellant, certi enim docti ſunt quod plures eo æuo tales fuerint, vt in vno Vercellenſi Antiſtite Euſebio id recipiunt. Monachus etiam fuit Monaſterij Montis Oliueti, prout ipſe teſtatur [o] dicens: *Teſtes quamplurimos fratrum habere poſſum, qui in mei cellulis manentes in Monte Oliueti,* Quinimo ad horum fratrum inſtantiam librum vitarum Patrum Ægyptiorum quorum conuerſationem cum Melania expertus erat, deſcripſit, ipſo quoque teſtante [p]. Cum autem hoc Montis Oliuarum Cœnobium Carmelitici iuris fuerit a tempore, quo Helena pijſſima Conſtantini primi Imperatoris Chriſtiani Parens illud extruxit, prout Arnoldus Boſtius [q] aſſeruit, non incon-

a in Autentic. ingreſſi ver. Monaſt. n. 10.
b lib. 8. vit. Pat. c. 117.
c in Paradiſo c. 33.
d lib. 5. hiſt. c. 61.
Ruffinus.
e ſub ann. 372.
f Epiſt. 41. & 5. ad Florentiū
g in ep. ad Seuerum.
h in Chron.
i in Apparatu.
k lib. 3. c. 15.
l in Paradiſo atta. 6. ſtac. 2. cap. 127.
m lib. 7 de Incarnat. c. 27
n de illuſt. Eccleſ Scrip. c. 17.
o Inuectiua 2.
p in Prolog. ad 2. lib. vit. Patr.
q lib 5. hiſt. c. 37.

incongrue relati Auctores hunc Ruffinum Eliadibus accensent. In hoc tamen non multum insistendum, quia enim Origenistam fuisse pro comperto videtur haberi. De quo, & an excusabilis, in sequentibus dicetur.

Annus Christi 365. Liberij Pont. 14. Valentiniani, & Valentis Imper. 2.

1 CONGREGANTVR hoc tempore Valentis Imperatoris Arrianæ dediti perfidiæ permissione Lampsaci in Hellesponto Vrbe Semiariani contra Arrianos deteriores, seu Acatianos; vbi damnata est professio Ariminensis, lataque sententia in Acatium, & Eudoxium. Socrates, Sozomenus, Basilius, & alij; quorum vestigijs inhærent Baronius, Gordonus, Coriolanus, ac alij *sub hoc anno*. Synodus Lampsacena.

2 Ex nostris autem monasticæ, & Elianæ vitæ professoribus Hesychius Hilarionis discipulus, cum eum terra marique quæreret, post tres annos inuenit, & medio Zanano eius socio audijt Hilarionem ad barbaras nationes velle pergere, vbi & nomen, & sermo eius ignota essent. Existimabat enim probi monachi Tesseram esse mundi applausum declinare. Ad Epidaurum ergo Dalmatiæ oppidum se contulit; vbi etiam Boam draconem miraculose concremari fecit. Cernens autem quod propterea eius fama euulgaretur, *Aliam parabat fugam, & solitarius terram mente perlustrans, mœrebat, quod, tacente de se lingua, miracula loquerentur*. Diuus Hieronymus [a] pergens sic dicere de eodem Hilarione: *Ea tempestate terræmotu totius Orbis, qui post Iuliani mortem accidit, maria egressa sunt terminos suos, & quasi rursum Deus diluuium minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naues ad prærupta delatæ montium pependerunt. Quod cum viderent Epidauritani frementes fluctus, et vndarum moles, et montes gurgitum littoribus inferri, verentes quod iam euenisse cernebant, ne oppidum funditus subuerteretur, egressi sunt ad senem, et quasi ad prælium proficiscentes posuerunt eum in littore. Qui cum tria crucis signa pinxisset in sabulo, manusque contra tenderet, incredibile dictu est, in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit; ac diu fremens, & quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsum relapsum est. Hoc Epidaurus & omnis illa regio vsque hodie prædicat, matresque docent liberos suos ad memoriam in posteros transmittendam.* Hæc porro huic tempori adscribimus, quia tunc contigit ingens ille terræmotus, & mira inundatio maris, de quibus Baronius, & alij [b] ex Ammiano. Hesychius. S. Ilarionis gesta.

[a] in vita S. Hilarionis c. 33.

[b] hic.

3 Basilius autem in sua eremi solitudine manens hoc anno litteras dedit ad Tyanensem Synodum, quæ hoc tempore celebrabatur, pacem eis Episcopis apprecans, simulque exponens qualiter ipse eam exoptaret. Quod præsertim fecit propter Eusebium Cæsareæ Cappadociæ Episcopum, qui illi Synodo aderat. Nec sine fructu, cum idcirco Eusebius ipsi quoq; pacem dederit; adeo vt postea ad suam Cæsariensem Ecclesiam ex Basilij.

eremo accersiuerit. Baronius, & Coriolanus [a] ex eodem Basilio [b].

4 Hoc etiam anno, & primis mensibus ipsius, Melania, & Ruffinus Roma præterito anno soluentes Alexandriam appulerunt. Hoc enim sequitur ex dictis, & eorum profectione, & clare exprimit noster diligens Auctor Vvastelius [c]. Vendidit autem ibi Melania omnia quæ habebat, & in aurum conuertit, sicque ingressa est montem Nitriæ, sanctos Patres ibi manentes inuisura. Palladius [d], Heraclides [e], Bostius noster [f].

5 Antequam autem singulorum monachorum, quos Melania, & Ruffinus inuisere, gesta recenseantur, operæ pretium videtur, quid de hoc primo ingressu in Ægyptum, & de ipsis in genere scripserit idem Ruffinus [g]. Qui sic: *Benedictus Deus qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui etiam nostrum iter direxit ad Ægyptum; & ostendit nobis mirabilia magna ad posteritatis memoriam profutura, ex quibus non solum nobis causa salutis orietur, verum ex historia exemplum salutis, atque doctrina pietatis aptissima conderetur, quę virtutis iter egere volentibus, gestorum præcedentium fide amplissimum tramitem pandat.* Et infra: *Tamen quoniam fratrum charitas eorum, qui in Monte sancto Oliueti commanent, hoc a nobis frequenter exposcit vt Ægyptiorum monachorum vitam virtutesque animi, & cultum pietatis, atque abstinentiæ robur, quod in eis coram vidimus explicemus, precibus ipsorum qui hoc imperant, iuuandum me credens, aggrediar, non tam ex stylo laudem requirens, quam ex narratione rerum ædificationem futuram legentibus sperans, dum gestorum vnusquisque inflammatus exemplis, horrescere quidem seculi illecebras, sectari vero quietem & ad pietatis exercitia inuitatur. Vidi ergo, & vere vidi thesaurum Christi in humanis absconditum vasculis, quemque thesaurum repertum nolui tamquam inuidus occultare; sed quasi pro multis inuentum proferre in medium, & facere communem: certus quod quanto plures ex eo fuerint ditati, tanto mihi amplius acquiretur.* Inferius quoque: *Vidimus enim apud eos multos patres cælestem vitam in terra positos agentes, & nouos quosdam Prophetas tam virtutibus animi, quam vaticinandi officio suscitatos, quibus ad testimonium meritorum, nec signorum quidem, ac prodigiorum deerat efficacia, & merito. Cur enim hi qui nihil terrenum, nihil carnale cupiunt, non accipiant cælestium potestatem? Nonnullos namque eorum ita ab omni malitiæ cogitatione, ac suspicione vidimus defæcatos, vt nec si aliquid mali adhuc gereretur in seculo, meminissent. Tanta in eis inerat tranquillitas animi, tantusque inoleuerat eis bonitatis affectus, vt merito de eis dictum sit: Pax multa diligentibus nomen tuum Domine. Commanent autem per eremum dispersi, & separati cellulis, sed charitate connexi. Ob hoc autem dirimuntur habitaculis, vt silentij quiete, & intentione mentis diuina sectantes, nec vox aliqua, nec occursus vllus, aut sermo aliquis otiosus obturbet. Intentis ergo suo quisque loco animis, velut boni patris Christi expectant aduentum, aut tamquam miles paratus in castris Imperatoris presentiam, vel vt fideles serui aduentantem Dominum sustinent, liber-*

[a] his.
[b] epist. 62.
Melaniæ, & Ruffinus.
[c] in vind. oper. Io. Ierosol. lib. 2. sect. 4. ar. 1. §. 10.
[d] lib. 8. vit. Pat. c. 117.
[e] in Parad. c. 33.
[f] lib. 5. c. 61.
Monachi Aegypti.
[g] in Prologo ad lib. 2. Vit. Patr.

libertatem sibi pariter, & munera largiturum: Omnes ergo hi nullam cibi, aut indumenti, aut vllius horum sollicitudinem gerunt. Sciunt enim, quia sicut scriptum est, hæc omnia gentes cogitant. Ipsi vero iustitiam, & regnum Dei requirunt, & hæc omnia secundum promissionem Saluatoris apponuntur eis. Denique plurimi eorum, si in aliquo forte necessarijs ad vsus corporis eguerint, non ad humana perfugia, sed ad Deum versi, & ab ipso tamquam a patre poscentes quæ poposcerint, illico consequuntur. Tanta namque in eis fides est, quæ etiam montibus, vt transferantur, valeat imperare. Vnde, & nonnulli eorum, irruptiones fluuij in perniciem vicinarum regionum concitatas orationibus represserunt. Et pede incedentes aluei eius profunda digressi sunt, immanesque eius bestias presserunt, & plurima, atque innumera signa, quæ ab Apostolis, & Prophetis antiquitus gesta fuerant, consummauerunt, vt dubitari nō debeat ipsorum meritis adhuc stare mundum. Sed illud valde mirum est, cum si semper optima quæque rara sint, & difficilia, in illis tamen vtrumque pariter conuenisse vt & numero immensi sint, & virtutibus incomparabiles. Sunt enim alij in suburbanis locis, alij per rura, plures autem & egregij per eremum dispersi, & velut quidam cælestis exercitus in procinctu positus, atque in tabernaculis degens, ad obedientiam præceptorum Regi semper intentus, armis orationum pugnans, & scuto fidei ab inimico insidiante protectus, regnum sibi cæleste conquirit. Sunt ergo ornati moribus, quieti, lenes, tranquilli, & charitatis vinculo, velut quadam germanitate constricti. Ad æmulationem vero virtutum certamen ingens exercent, & agones. Studet enim vnusquisque clementior altero, benignior, humilior, ac patientior inueniri. Si quis autem sapientior cæteris fuerit, hic ita communis erga omnes, & mediocris existit, vt secundum mandatum Domini omnium minimus, & omnium seruus esse videatur. Hæc in genere de Ægypti monachis Ruffinus, ex quibus, si expendantur, quod eos Prophetas *tam virtutibus animi quam vaticinandi officio* appellet; & quod mores, ritumque viuendi eorum describens, prorsus similes eos Essenis depingat, de quibus eadem prorsus diximus *to. 1. sub ann. 3545.* & supra *in Appar. huius 2. tomi*, apposite eliciet lector Monachos hos Ægyptios Prophetici, & Esseni instituti propagines fuisse, prout sæpius inculcauimus.

5 Sigillatim tamen quod Melania in montem Nitriæ ingressa, & per medium circiter annum ibi agens visitauerit Pambonem, Arsisium, Serapionem magnum, Paphnutium Scetiotem, Isidorum confessorem Episcopum Hermipolis, & Dioscorum, ex Palladio [a] & Heraclide [b] perspicue habetur. De quibus aliqua dicenda, vt ad alios etiam in sequentibus properemus. Is ergo Pambo ille est, de quo *sub anno præcedenti* nonnulla dicta sunt, & præsertim qualiter triginta libras argenti, quas illi Melania pie obtulit, inter egentes dispensari fecerit. Similiter Arsisius hic cognominatus is est, de quo *sub anno 313.* dictum ex Palladio Sozomeno, & Nicephoro, dum discipulos Ammonis, qui primus Nitriæ Montis monachus fuit, recenseremus. Pariter etiam hic Serapion non solum diuersus

Melania visitat Monachos.

a lib. 8. vit. Pat. c. 117. b in Paradiso c. 33.

Pambo. Arsisius.

Serapion.

est ab eo Antiocheno Patriarcha, de quo *sub anno* 189. dictum, vt de se patet; sed & ab alio quoque eiusdem nominis Thmueos Episcopo, cuius memores sumus *sub anno* 328. cum is, de quo in præsenti Episcopus non vocetur. De alijs porro, cum quibus confundi potest ob nominis similitudinem, inferius dicetur. Paphnutius autem Sceetiotes hic cognominatus ille videtur, de quo Cassianus [a] & nos *sub anno* 312. Cæterum Isidorus iste, Episcopus Hermipolis alius videtur ab eo Isidoro Alexandrino Presbytero, qui Athanasium Romam comitatus est, & de quo *sub anno* 340. dictum, licet vterque Nitriæ Montis Anachoreta fuerit. Dioscorus vero, seu Dioscurus, de quo in præsenti, idem videtur esse cum alio eiusdem nominis etiam Episcopo, qui frater Ammonij nuncupatur ab eodem Palladio [b]; & Heraclide [c]. An vero idem sit cum Dioscoro Presbytero Eremi Scythiæ, de quo idem Palladius [d], & cum Dioscoro Presbytero apud Thebaidem centum Monachorum Patre, de quo Ruffinus [e], & Palladius [f], vt in re dubia, hæremus. Consulatur Heribertus [g]. Serapion autem ille Nitriota, de quo superius, in memoriam nobis reuocat duos alios eiusdem nominis, & sæculi egregios ascetas, vt propterea commemorari iure debeant. Vnus est Serapion Arsenoites, qui Presbyter, & decem milium monachorum Pater vocatur a Ruffino [h], Palladio [i], Bostio nostro [k]; & alijs. Qui etiam de monachis illis, quibus præerat, id satis laudabile, & commendabile contra quorundam otiositatem, referunt, vt omnes illi decem mille numero æstatis tempore suas operas ad metendum segetes locarent, & pretij talis laboris partem pro eorum sustentatione seruantes, aliam pauperibus illius Regionis, & Alexandriæ Vrbis distribuerent. Quem etiam morem alij Ægyptij monachi æmulati sunt. Ex his porro notis elicitur hunc Arsenoitam, & Presbyterum tantorum Monachorum Archiphylacem diuersum fuisse a Nitriota superius relato.

Paphnutius. a in collat. 3. c. 1. & collat. 18. c. 15. Isidorus. Dioscorus. b in Lausiaca c. 4. c supra. d eo c. 4. e lib. 2. vit. Patr. c. 20. Serapion Arsenoites. f lib. 8. c. 68. g in Annot. ad lib. vit. Patr. n. 114. h lib. 2. vit. Patr. c. 18. i in Lausiaca, seu 8. lib. vit. Patr. c. 76. k lib. 5. hist. c. 31.

8 Alter est Serapion *Sindonites*, seu *Sindonius* dictus, a Sindone, qua sola ille induebatur, non *Syndonius*, vt eum non rite vocat Baronius [l] (quod notat Heribertus [m]) fuit insignis, & singularissimæ sanctitatis monachus, vt propterea eius historia, etsi sub compendio a nobis recenseri debeat. Eius namque gesta mirabilia egregium præbent cunctis monasticæ vitæ professoribus exemplar. Extitit enim singularissimus sanctæ paupertatis amator. Quod non solum in eo relucet, quod sola sindone pro veste vteretur (in quo etiam obiter apparet Essenæ scholę alumnum fuisse, cum Essæi lineis & candidis vestibus induerentur, vt ex Iosepho, & Porphyrio diximus *to. 1. ann.* 3545. *n.* 29.) sed & quia nũquam aliquid habuisse, vel possedisse pro comperto est. Vlterius sola sindone vsum fuisse ex eo ortum habuisse videtur, quod de ipso refertur in vita S. Ioannis Eleemosynarij [n], videlicet, quod amictum suum egeno cuidam dederit; & iterum inde procedentem frigus inopi patienti obuiasse, ac illi tunicam præbuisse; & quod cum nudus sederet, & a quodam interrogaretur, *quis te ex-*

Serapion Sindonites. l in Annot. ad Martyr. Rom. 21 Martij. m in Notat. ad lib. vit. Patr. n. 34. n c. 22. in lib. vit. Patr.

te expoliauit Abba? respondisse, sanctum Euangelium quod in manibus habebat, ostendendo: *Iste*. Alio etiam tempore (ibi refertur) ipsum quoque Euangelium vendidisse,& in eleemosynam tradidisse, ac discipulo interroganti: *Abba, vbi est Euangelium?* Respondisse: *Qui dixit mihi vende quæ habes, & da pauperibus, ipsum vendidi, & dedi eis, vt in die iudicij habeamus fiduciam abundantiorem apud Deum*. Charitate etiam feruentissima erga proximos cor eius exarsisse ex eo quoque mirabiliter elucet, quod seipsum in quadam Vrbe viginti solidis vendiderit quibusdam histrionibus paganis, cum eis manens,donec eos Christianos effecit (prout intenderat,) & a ludis theatralibus abduxit. Abstinentia etiam Essenorum vsus fuit, panem & aquam pro victu quotidiano sumens. Auri contemptor ex eo conspicitur,quod cum ab istis paganis conuersis, vt aurum acciperet pro pauperibus subleuandis, rogaretur, ipse respondERIT: *Date vos, quia vestrum est, ego enim aliena pecunias non do pauperibus*. Ob perfectionem sectandam, per Orbem totum, Apostolico more, peregrinationem suscepit. Ex quo non mirum lectori erit,quod inferius dicetur de incolatu Carmeli. Hinc apud Athenas quondam existens, cum fame grauaretur, ex tribus fœneratoribus, qui eum molestare soliti erant, scilicet auaritia, luxuria, & gula, a duobus prioribus liberatum esse, sed non ab vltimo, exclamare cœpit. Audierunt hoc quidam philosophi, & ei commiserati solidum dedere. Quo ille sumpto, & cuidam qui panes vendebat, dato, vnoque pane accepto, reliquit ciuitatem. Apud Lacedæmonas cum fuisset, vt Deo lucrifaceret quendam Manichæum, eiusque familiam, se ipsum ei vendidit iterum, sicque duorum annorum spatio, illum, vxorem, & familiam ad Ecclesiam traxit. Romam postea nauigauit, Domnionem quendam famigeratissimum Origenis discipulum, & de quo ferebatur miracula patrasse (quis hoc facile credat?) conuenit. Monachum fuisse hunc Domnionem ex Palladio, & Heraclide referendis elicitur; sed quia Origenis errore notatur, eum respuimus. Si autem credamus, hunc Domnionem esse illum, de quo Martyrologium Romanum die 28. Decembris, Baronius, & Heribertus Rosvvedius [a], dicendum eum fuisse virum sanctitate clarissimum, a D. Hieronymo, & Paulino valde commendatum, ac perinde decipi Palladium,dum dicit eum Origenis fuisse discipulum. Ab eo didicit esse in ea Vrbe Virginem quandam per 25. annos in cellula quadam silentem, quietam, & inclusam. Ipsam ergo adijt,& mori mundo consistere in omnimoda sui abnegatione ac humilitate, miris potius,quam imitandis exemplis docuit. Hoc ipsum Deus ipsi ostendere volens eum in desertis (Ægypti forsan,quæ ipsius patria erat) mori,& sepeliri fecit.De eo Palladius [b], Heracl. [c] Petrus de Natalibus [d] eum tamen confundens cum Arsenoita Serapione,de quo *supra* ac dicens eundem esse cum alio eiusdem nominis, de quo [e] refertur solitum fuisse,dum puerulus esset furari paximatium(genus quoddam panis) ab Abbate Theone,cum quo morabatur,licet postea pœnitentia hunc defectum

purga-

Domnion.

a *in Onomastico in additionibus verbo Domnion.*

b *in Lausiaca, seu 8. lib. vit. Patr. c. 83. 84. & 85.*

c *in Parad. c. 34.*

d *lib. 3. c. 217.*

e *lib. 4. vit. Patr. c. 47.*

ronio, amplectuntur ex Basilij monachis Clauelus [a], & Didacus Nyssenus [b]. Quibus fauet Alfonsus Maldonatus [c].

a in lib. de antiq. & Reg. S. Basilij c. 1. §. 2.
b in Oper. cui tit. Fenix de la Gracia lib. 2. in fin.
Quo sensu institutor.
c in Chronic. ann. 363.

14. Sed quid intenderit Basilius in suo Ordinis Monastici institutione, non omnibus peruium, vt propterea in eo cœcutiant plures. Verum tamen, vnico verbo Ecclesia id expressit, dum in eius Officio recitat: *Duriorem illum antiquorum monachorum ritum ad meliorem formam redegit, magisque Religioni congruentem.* En finis, & scopus Basilianæ Religionis; *antiquorum monachorum ritum ad meliorem formam* redigere, *magisque Religioni congruentem.* Non igititur, vt quidam minus scite autumant, primus monachorum Author fuit; prout satis id ipsemet testatur ea epistola 63. relata, dum se & suos sodales pueros vocat respectu perfectorum, qui erant in Ægypto, Palæstina, & Mesopotamia, monachorum videlicet in iis partibus agentium. Et colligitur ex iis, quæ *sub anno* 318. diximus de Porphyrio; & *sub anno* 354. de Eutitio, ac *sub anno* 360. de Marciano ipsius in monastica disciplina Ductoribus. Hinc Baronius [d] de instituto monastico ait: *Non est igitur quod quis huiuscemodi vitæ instituti Basilio primas tribuat, quæ debentur Antonio*, (quo pacto id accipiendum in superioribus diximus) *Basilius enim imitator potius accessit, quam inuentus sit auctor.* Quod probat ex eodem Basilio [e]. Vnde Spondanus Baronij abbreuiator [f] hęc expresse: *Basilius non fuit auctor vitæ Cœnobiticæ, sed imitator.*

d sub ann. 328. §. non est igitur.
e Epist. 63. adducta.
f in Comp. Annal. in Indice verbo Basilius.
Reformator monastices.
g lib. 1. Antiq. Ord. Carmel.
h lib. 1. c. 14.
i in vit. ipsius pro 14. Iunij.

15. Potest etiam dici reformator status monastici, prout specialiter eum vocant ex nostris aliqui, maxime Thomas de Iesu [g], Didacus Coria [h], & de exteris Petrus de Ribadeneira [i] dicens: *S. Basilio no fue author e instituidor de los monjes, y monasterios; fue su maestro, e illustrador.* Quia scilicet, Propheticum, Elianum, & Monasticum institutum ab Elia primitus erectum & postea per Ioannem Baptistam, Essenos, & Anachoretas, Paulum, Antonium, Hilarionem, Macarios, & alios propagatum, legibus, & Regulis scriptis instituit.

Basilij Regulæ.

16. Scripsit enim S. Basilius pro monachorum instructione, præter alia opera ascetica, duo specialiora; vnum quidem per modum dialogi, alterum vero per modum admonitionis. Imo, vt Thomas de Iesu relatus autumat, aliud pro illis Anachoretis Ponti, cum quibus habitabat, & quos ad vitam Cœnobiticam gerendam instruebat. Ex quibus primum pro noua Religione S. Basilij nuncupata composuit; postremum vero monachi montis Carmeli susceperunt, prout testatur Bostius noster *lib. 5. histor. c. 53.* De hac Regula intelligendus Soretius noster, dum [k] inquit: *Basilius Regulam monasticę vitæ scripsit, illam suis confratribus eremitis montis Carmeli transmittens, quam obseruare conati sunt iuxta Eliæ, & Elisei vestigia.* Rem differit Palçonydorus [l] sic dicens: *Iste est Basilius, qui monachorum instituta duplici sub forma composuit. Vna est per modum dialogi, & hanc eius confratres Carmelitæ in monte Didymi assumpserunt, & eundem in Patronum eligentes de Ordine S. Basilij vocati sunt. Alia*

k in Præf. ad Regul. Albertis.
l lib. 2. c. 5.

per

per medium communis admonitionis, quam S. Ioannes 44. Ierosolymorum Episcopus suo libro inseruit, & Carmelitis tradidit. Paulo aliter rem sic expressit [a] Bostius relatus: *Secundo vero anno ipsius Pontificatus scripsit Regulas monachorum, & instituta pro noua Religione, quam in ciuitate sua primus erexit. Nam duo Monasteria idem vir sanctus in ciuitate Casarea Cappadocia construxit; vnum extra ciuitatem in monte Didymi Ordinis Carmelitarum; & aliud prope Ecclesiam, quod Ordinis S. Basilij appellatur.*

17 Sed tamen, quod Basilius primus Legislator monachorum fuerit, nulli hæc nouitas (quam his temporibus a quibusdam nedum verbis, sed & effigie quadam sculptam Sanctæ Inquisitionis in Hispania Tribunal abolere præcepit) in mentem veniat. Nam vt omittamus, quæ de veteris legis monachis, ipsorumque instituto, Regulaque viuendi diximus *to.* 1. horum Annalium, quis nisi indoctus, vel cogitare poterit Essenos illos Alexandrinos primos Apostolicos in lege noua monachos, & monachorum antesignanos, de quibus *in Apparatu* plura diximus, & quos constans est Doctorum sententia a S. Marco in monastica perfectione institutos fuisse, regula caruisse? Expendat lector quæ in eo Apparatu scripta reliquimus, quæ Philo, Eusebius, Cedrenus, Solinus, & alij de ipsis scripserunt, & nouissime Bellarminus [b] & prorsus sine fundamento istorum placitum fuisse manifeste comperiet. Sed altius rem pensitamus. Nonne Apostolos Regularem monasticam vitam egisse, iuxta mentem S. Augustini [c] tradunt Theologorum summus S. Th. 2. 2. *q.* 82. *ar.* 4. *ad* 3. & post ipsum Paludan. [d], Sotus [e], Castrus [f], Pennotus [g]. Magnum præterea illum Ægyptiorum monachorum patrem Antonium suis monachis Regulam, seu quod idem est, vitæ institutionem tradidisse ex ipsius vita à D. Athanasio descripta *c.* 15. 28. & 58. clare elicitur. Quam sine dubio vitæ institutionem idem Athanasius cum Isidoro, & Socijs Romam aduenienis feliciter inuexit, vt notat Baronius [h]. Quo etiam tempore Pachomij Regula clarescere cœpit, quam *sub anno* 341. retulimus. Macarium similiter huius temporis ante Basilium Archimandritam suis alumnis regulam pariter dedisse omnibus compertum est. Eam etiam commemorant Smaragdus Abbas [i], Auctor vitæ S. Philiberti Abbatis apud Surium [k], Antonius de Iepes [l], referens eam vidisse litteris Gothicis descriptam in antiquo monasterio S. Petri de Arlanca simul cum Regula Pachomij; ac Alphonsus de Sancto Victore [m]. Et sane, si iste Macarius, prout ex vita Postumij [n] habetur, quinquaginta fere millium monachorum ductor fuit, sine vitæ Regula ipsos regere nullatenus posset. Nonne etiam magnus Athanasius Regulam pro monachis, seu exhortationes ad illos, item pro monialibus conscripsit? Prout ex eius operibus constare Alphonsus relatus notat. Refert quoque ibidem inter Monarum legislatores ante Basilium Oresium Pachomij discipulum. Sed etsi certum sit hunc Patrem monachis Regulam tradidisse, prout ex Gennadio [o] & alijs post ipsum habetur, & extat in Biblioth. veterum PP. incer-

tum

Marginal notes:

a lib. 1. hist. c. 7.

Minime primus legislator monachorum.

b lib. 2. de monach. c. 6.

c lib. 7. de iusti. Dei c. 4.

d in 4. d. 38.

e de Iust. lib. 9. q. 2. ar. 5.

f de hæres. verbo votum.

g in hist. Trip. lib. 2. c. 5.

h sub ann. 340.

i super Reg. S. Benedicti c. 28. & 53.

k to. 4. 10. die Augusti.

l to. 1. centur. 1. ann. Chr. 558. c. 53.

m nel b. cus titulus Sol del Occidente prælud. 1. c. 19. n. 2.

n in libr. vita Patr.

o de Script. Eccles.

ijs, quæ *to.* 1. *in Appar.c.* 4. *et ad ann.* 3545. *n.* 35. 36. *et* 37. scripta reliquimus de Essenis, qui voto, vel iuramento sui instituti dogmata firmare soliti erant. Secundo, quia saltem nullus refragabitur, quod Apostoli, & Apostolici viri triplici votorum ligamine spontaneo astricti fuerint, prout ex D. Augustino [a], & S. Th. [b] Theologi desumunt. Adhæc, sane si ante Basilium non fuit in Orbe Christiano trium votorum obseruantia, vtique nec Religio, aut monachatus, cum res sine sua essentia consistere nequeat. Et ita monachi, & Religiosi anterioris temporis a D. Dionysio, Patribus, & Historicis cunctis nominati solum æquiuoce tales dici possent. Conciliorum præterea auctoritati thesis, quam impugnamus, omnino aduersatur. Etenim in Illiberritano circa annum 300. celebrato, prout eo anno diximus, mentio fit Virginum Deo dedicatarum per pactum, id est, virginitatis votum. Vnde Loaysa eius Concilij Scholiastes inquit: *Erant hoc tempore virgines Deo sacratæ speciali dedicatione, et voto,* prout expendit Quesada [c]. Et in Ancyrano circa annum 314. vel paulo post, vt eo anno visum, & ad intentum affert Quesada [d], mentio quoque fit promissionis, & professionis virginitatis. Adstipulantur, quæ ex Marcello Papa idem Quesada [e] refert, & nos *supr. ad ann.* 305. vbi professionis monasticę nomen reperitur. Quid vltra? nonne idem Basilius [f] supponit potius quam imponit monachis votorum professionem? At inquiunt, ipse [g] ad Amphilochium ait: *Virorum professiones non nouimus.* Agit ibi de professione inter sæculares, vel forsan de expressa, pro illa dumtaxat Regione. De quo Balsamon [h], Quesada supra [i]. Nos innumera alia pro istorum placito reijciendo ex dictis in hoc tomo elicere possumus, sed ea prætermittimus. Inquiunt vlterius: saltem votorum solemnitas Basilium agnoscet auctorem. Sed nihil minus; cum ea ex sola Ecclesiæ institutione sit *cap. vnico de voto in* 6. ex Bonifacio Octauo: & esto antiquior fuerit, sine fundamento ad S. Basilij tempus refertur. Idem dicendum de nouitiatus institutione, præsertim, cum iuxta dicta *to.* 1. *ad ann.* 3545. *n.* 28. Nouitiatus vsus etiam inter Essenos primos post Apostolos Euangelicę legis monachos increbuit. De quo præter auctores ibi relatos legi possunt Comestor [k], Serarius [l], & Quesada [m].

a lib. 17. de ciuit. c. 4.
b 2. 2 q. 88. ar. 4 ad 3.
c supr. §. 7.
d §. 6.
e §. 7.
f in Constitut. monast. c. 1. & 22.
g can. 19.
h ibid.
i n. 12.
k in hist. Euāg. c. 29.
l lib. 3. tribar. c. 4. n. 36.
m supr. §. 10.

Annus Christi 364. Liberij Papæ 13. Valentiniani, & Valentis Imper. 1.

1 NON leui Christianitatis iactura Iouianus Imperator post septem, vel octo mensium Imperium, improuiso casu exanimatus interijt; locum præbens Valentiniani electioni, qui simul Valentem fratrem declarauit Augustum, cum eo Imperium diuidens, & Orientem ipsi concedens. Ammianus, Eutropius, Suidas, & noui Chronologi post ipsos. Imperatores Valentinianus, & Valens.

2 Clarus erat (vt ad propriora veniamus) miraculis hoc tempore Hila- S. Hilarionis gesta.

rion in Sicilia; propter quæ, quamuis latere vellet, ipsi non concedebatur; id quoque procurante dæmone, qui cum cuiusdam scutarij corpus Romæ in Basilica S. Petri torqueret, dixit: *Ante paucos dies ingressus est Siciliam Hilarion seruus Christi, et nemo eum nouit, et putat esse secretum: ego vadam, et prodam illum*. Fecit quod dixit, sed energumenus ante tugurium Hilarionis se prostrans illico curatus est. Ibi etiam quendam de primoribus tabentem morbo aquæ intercutaneæ sanitate donauit, qui postea offerens ei magna munera (sane in exemplum Religiosorum) audiuit dictum Saluatoris ad discipulos. *Gratis accepistis gratis donate*. D. Hieronymus [a]. Dum autem hæc geruntur in Sicilia, Hesychius discipulus eiusdem Hilarionis (de quo *sub anno* 319. dictum) *toto Orbe senem quærebat, lustrans littora, deserta penetrans, et hanc tantum habens fiduciam, quod vbicumque esset, diu latere non posset*. Ita Hieronymus *supr. c.* 32.

a in vit. Hilarionis c. 31.

Ioannis Ierosolymitani.

2 Erat hic annus tertius decimus ætatis Ioannis nostri postea Ierosolymorum Antistitis, de quo *sub ann.* 351. dicere cœpimus. Quia autem Diuus Hieronymus ibi relatus eum inquit *a parua ætate sacris literis eruditum* fuisse, non incongrue suspicari possumus sub hoc tempore, vel circiter earundem studijs vacare cœpisse. Sed sub quo magistro, vel præceptore dubium anceps est. Etenim Petrus Vvastelius [b] putat eum sancti Pambonis discipulum fuisse, eo quod Heraclides [c] loquens de isto Pambone, dicat: *Quem & Dioscorus Episcopus, & Ammonius, & Eusebius, & Euthymius fratres, & Origenes, & Dracontius viri admirabiles, & Nepos habuerunt magistrum*. Verbo namque illo *Nepos* Ioannes iste noster denotatur, cum vnum ex nominibus ipsius, iuxta dicta eo loco, sit *Nepos*. Vnde suo nomine *Ioannis* eum vocat Palladius [d] dicens: *In monte hoc fuit, & beatus Pambo præceptor Dioscori, qui postea Episcopus ordinatus est, & Ammonius, & Ioannes, fratres Draconti viri mirabilis*. Posset aliquis existimare discipulum quidem eius fuisse, sed non tam in sacris litteris, quam in monastica disciplina. Sed cur non in vtroque? Sane Antonium, Hilarionem, Basilium, & alios monachorum Archimandritas non solum in monastica disciplina, sed in diuinis litteris suos alumnos instituisse ex eorum historijs elici facile potest. Cur ergo de Pambone id inficiabimur? Illud hic prænotandum quod si Ioannes noster Pambonis discipulus fuit, vt fuisse credimus, vtique fatendum etiam, prout relatus Vvastelius [e] ingenue fatetur, in montem Nitriæ Ægypti conuenisse, & sub eo Theologiæ operam dedisse. Siquidem Pambo eius montis accola fuit, testibus Heraclide, & Palladio relatis, alijsque multis. Quod & indicant verba relata Palladij. Quia etiam, iuxta dicenda inferius *sub anno* 374. Pambo relegatus est in Palæstinam, credibile est Ierosolymam petijsse, & ibi Ioannem in discipulum habere potuisse, vel saltem in Carmelo per aliquod tempus.

b lib. 2. Vindic. apol. Io. Ierosol. sect. 4. art. 1. §. 7. & 9.

c in Parad. c. 2.

d in Lausiaca c. 5.

e in Vindic. lib. Io. Ierosol. de instit. monach. sect. 4. ar. 1. §. 8.

Pambonis gesta.

3 Id certius, hunc Pambonem magnæ sanctitatis virum, & inter monachos illius æui celebrem valde in eo monte Nitriæ fuisse. Vt enim

testan-

testantur Heraclides, Palladius, & alij, multis, ac varijs virtutum prærogatiuis effulsit. Ac inter cætera, quod auri, & pecuniæ contemptor esset, ita vt cum Melania, qui eum inuisit triginta libras argenti illi obtulisset, eas Pambo per œconomum inter egentes dispensari fecisset. De ipso etiam asseritur septuagesimo ætatis suæ anno in pace quieuisse, non ægritudine, aut febre aliqua vexatum. De eo quoque Heraclides supra hæc valde notabilia, monachis præsertim, sic refert: *Hic ipse Pambo in fine vitæ suæ, ipsaque hora qua exiturus erat è seculo, assistentibus ei Paulo presbytero, & œconomo, & Ammonio sanctitate famatis viris, & cæteris fratribus, hoc dixisse memoratur: Ex quo veni in istum solitudinis locum, et habitaui in cellula quam meis manibus extruxi, panem gratis ab aliquo me manducasse non memini, nec verbum vsque in præsentem horam locutus sum, de quo pœnitentiam agere debuissem; ita tamen ad Dominum meum pergo, tanquam necdum diuinæ seruitutis cultum attigerim. Asserebant autem nobis referentes, et testimonijs confirmantes suis Paulus, et Ammonius serui Christi, quia numquam cum aliquid interrogatus fuisset vel de spiritualibus, vel de secularibus scriptis, cito responsum scitantibus dedit; sed semper, necdum se quod responderet inuenisse dicebat. Sæpe autem, et cum mensium spacia fluxissent, nec sic quidem responsum quærentibus dabat, adhuc se non asserens peruenisse ad notitiam veritatis. Tam diligentes autem, cautasque secundum Deum sententias proferebat, vt eas omnes tamquam ab ipso Deo prolatas susciperent. Hanc enim Antonium quoque illum magnum in suis sermonibus perhibent habuisse virtutem.* Alia de ipso Vitarum Patrum Scriptores, quæ vel sub compendio a nobis delibari debuere, quia ipse inter præcipuos Eliani instituti cultores vnus habetur, & pro tali eum accensent nostris Palæonydorus, Thomas de Iesu, Guadalaxara, & alij.

4 Hoc etiam anno, vel paulo post, iuxta accuratiorem nostri Petri Vvastelij [a] computum, profectio contigit è Roma in Ægyptum clarissimæ illius fœminæ Melaniæ senioris, de qua tot, & tam præclara eius temporis Patres, & Scriptores dixerunt. Etenim satis id indicat Heracl. [b] inquiens, cõtigisse *inter principia Valentis Imperij*; & quod Palladius referẽdus dixit *Valente tenente Imperium*, rectius è Græco dici deberet: *Temporibus Valentis initium tenentis Imperij*, vt notat idem Vvastelius Græce peritissimus. Hoc ergo anno, vel paulo post Roma soluit Melania, quod contra Baronium non recte de hac profectione, nec de annis absentiæ ab Vrbe sentientẽ, ostendit idem Auctor. Profecta fuit, vt inquit S.Hieron. [c], *ingruente iam hyeme* id est, circa Nouembrem, vel Decembrem. Eius autem historiam nostris Annalibus accensendam luce clarius est, siquidem, prout ex dicendis constabit, hæc Melania Monachorum, & Monialium, Ægypti, & Palæstinæ consolatrix, protectrix, & propagatrix egregia fuit. Imo plurium Monialium in Monasterio Dominici sepulchri Ierosolymitani Mater, prout Palæonydorus [d], & alij post ipsum, profitentur, quibus etiam ex damnatis auctoribus fauet Io. Balæus in libro ante apo-

Melania senior.

[a] in vid. Oper. Io. Ierosol. lib. 2. sect. 4. ar. 8. 9. 10.

[b] in Paradiso c. 33.

[c] epist. 25.

[d] lib. 2. c. 5.

ftaſiam edito, & de Catholicis Carolus de Tapia [a] noſtris etiam eam accenſentes. De ea porro Palladius [b] ſic loquitur: *Multas quidem vidi pias ac religioſas, & plurimas virtutis ergo conueni & virgines, & viduas, inter quas erat etiam beatiſſima Melania Romana, quæ fuit quidem filia Marcelli Conſularis, vxor cuiuſdam viri, qui erat in magna auctoritate, cuius nominis non recte memini. Hæc tum eſſet vidua, agens annum vigeſimum ſecundum, diuino amore digna fuit habita, & nemini quicquam dicens (prohibebatur enim ijs temporibus, Valente tenente Imperium) cum curaſſet, vt filij ſui nominaretur tutor, ipſa acceptis ſuis mobilibus, & in nauem iniectis cum aliquot famulis, & ancillis, curſu nauigauit Alexandriam.* Heraclides vero [c] ſic de ipſa: *Sancta illa, & multum beata Melania de Hiſpano, vel Vrbico genere deſcendens, filia quidem Marcellini cuiuſdam exconſulis fuit, vxor autem cuiuſdam honorabilis viri, cuius nomen meminiſſe non poſſum. Quæ vigeſimo ac ſecundo ætatis ſuæ anno ad viduitatem redacta, diuinitatis amore, æterno Sponſo meruit copulari, vſque in finem vitæ ſuæ diligens eum. Quæ nulli ſecreta animi ſui prodens (prohibebatur enim inter principia Valentis Imperij) procuratore ante filio ſuo conſtituto, ea quæ habere in mobilibus videbatur cum certis pueris, ac puellis in nauem miſit, itaque feſtinans Alexandriam nauigauit. Ex qua (poſteaquam illis omnia vendidit, & in pecunias totum atque in aurum redigit) Nitriæ attigit montem.* Quibus ſimilia noſter Boſtius [d].

5 Comes indiuiduus huius peregrinationis Melaniæ fuit vir quidam eo tempore celeberrimus Ruffinus nomine, patria Aquileienſis. Ita enim ſupponunt communiter Doctores, ſpecialiter Baronius [e] ex Diuo Hieronymo [f], Diuo Paulino [g], & alijs. Qua vel ſolum de cauſa eius hiſtoria noſtris Annalibus accenſeri debuit. Sed maxime cogit quod ipſe Monachus fuerit. Prout Diuus Hieronymus [h] loquens de clericis Aquileienſis Eccleſiæ cum ait: *Florentius, Bonoſus, & Ruffinus inſignes monachi habentur*. Monachum etiam eum appellant tum ipſe Baronius ſupra, tum Poſſeuinus [i] qui etiam eum cognominatum dicit *Toranum*, ſeu *Tarmum*; & ante ipſos Ioannes Trithemius *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, & noſtri Authores, ſpecialiter Palæonyd. [k] & Caſſanate [l]. Quo etiam ſenſu a Caſſiano [m] vocatur *Chriſtianæ Philoſophiæ vir*, & a Gelaſio Pontifice in Concilio Romano *vir Religioſus*. Nec refert quod Presbyter fuerit Eccleſiæ Aquileienſis, prout etiam Gennadius, & Honorius [n] eum compellant, certi enim docti ſunt quod plures eo æuo tales fuerint, vt in vno Vercellenſi Antiſtite Euſebio id recipiunt. Monachus etiam fuit Monaſterij Montis Olineti, prout ipſe teſtatur [o] dicens: *Teſtes quamplurimos fratrum habere poſſum, qui in mei cellulis manentes in Monte Oliueti*, Quinimo ad horum fratrum inſtantiam librum vitarum Patrum Ægyptiorum quorum conuerſationem cum Melania expertus erat, deſcripſit, ipſo quoque teſtante [p]. Cum autem hoc Montis Oliuarum Cœnobium Carmelitici iuris fuerit a tempore, quo Helena piiſsima Conſtantini primi Imperatoris Chriſtiani Parens illud extruxit, prout Arnoldus Boſtius [q] aſſeruit, non

incon-

a in Autentic. ingreſſi ver. Monaſt. n. 10.
b lib. 8. vit. Patr. c. 117.
c in Paradiſo c. 33.
d lib. 5. hiſt. c. 61.
Ruffinus.
e ſub ann. 372.
f Epiſt. 41. & 5. ad Florentiū
g in ep. ad Seuerum.
h in Chron.
i in Apparatu.
k lib. 3. c. 15.
l in Paradiſo aſſu. 6. ſtac. 2. cap. 127.
m lib. 7. de Incarnat. c. 27
n de illuſt. Eccleſ Script. c. 17.
o Inuectiua 2.
p in Prolog. ad 2. lib. vit. Patr.
q lib 5. hiſt. c. 37.

incongrue relati Auctores hunc Ruffinum Eliadibus accensent. In hoc tamen non multum insistendum, quia eum Origenistam fuisse pro comperto videtur haberi. De quo,& an excusabilis, in sequentibus dicetur.

Annus Christi 365. Liberij Pont. 14. Valentiniani, & Valentis Imper. 2.

1 CONGREGANTVR hoc tempore Valentis Imperatoris Arrianæ dediti perfidiæ permissione Lampsaci in Hellesponto Vrbe Semiariani contra Arrianos deteriores, seu Acatianos; vbi damnata est professio Ariminensis, lataque sententia in Acatium, & Eudoxium. Socrates, Sozomenus, Basilius,& alij; quorum vestigijs inhærent Baronius, Gordonus, Coriolanus, ac alij *sub hoc anno*. Synodus Lampsacena.

2 Ex nostris autem monasticæ, & Elianæ vitæ professoribus Hesychius Hilarionis discipulus, cum eum terra marique quæreret, post tres annos inuenit,& medio Zonano eius socio audijt Hilarionem ad barbaras nationes velle pergere, vbi & nomen, & sermo eius ignota essent. Existimabat enim probi monachi Tesseram esse mundi applausum declinare. Ad Epidaurum ergo Dalmatiæ oppidum se contulit; vbi etiam Boam draconem miraculose concremari fecit. Cernens autem quod propterea eius fama euulgaretur, *Aliam parabat fugam,& solitarius terram mente perlustrans, mærebat, quod, tacente de se lingua, miracula loquerentur*. Diuus Hieronymus [a] pergens sic dicere de eodem Hilarione: *Ea tempestate terræmotu totius Orbis, qui post Iuliani mortem accidit, maria egressa sunt terminos suos,& quasi rursum Deus diluuium minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naues ad prærupta delata montium pependerunt. Quod cum viderent Epidauritani frementes fluctus, et vndarum moles, et montes gurgitum littoribus inferri, verentes quod iam euenisse cernebant, ne oppidum funditus subuerteretur, egressi sunt ad senem, et quasi ad prælium proficiscentes posuerunt eum in littore. Qui cum tria crucis signa pinxisset in sabulo, manusque contra tenderet, incredibile dictu est, in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit; ac diu fremens,& quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsum relapsum est. Hoc Epidaurus & omnis illa regio vsque hodie prædicat, matresque docent liberos suos ad memoriam in posteros transmittendam*. Hæc porro huic tempori adscribimus, quia tunc contigit ingens ille terræmotus, & mira inundatio maris, de quibus Baronius, & alij [b] ex Ammiano. Hesychius.

a in vita S. Hilarionis c. 33. S. Ilarionis gesta.

b hic.

3 Basilius autem in sua eremi solitudine manens hoc anno litteras dedit ad Tyanensem Synodum, quæ hoc tempore celebrabatur, pacem eis Episcopis apprecans, simulque exponens qualiter ipse eam exoptaret. Quod præsertim fecit propter Eusebium Cæsareæ Cappadociæ Episcopum, qui illi Synodo aderat. Nec sine fructu, cum idcirco Eusebius ipsi quoq; pacem dederit; adeo vt postea ad suam Cæsariensem Ecclesiam ex Basilij.

a *bic.*
b *epist. 62.*

eremo accersiuerit. Baronius, & Coriolanus [a] ex eodem Basilio [b].

Melaniæ, & Ruffini.

4 Hoc etiam anno, & primis mensibus ipsius, Melania, & Ruffinus Roma præterito anno soluentes Alexandriam appulerunt. Hoc enim sequitur ex dictis, & eorum profectione, & clare exprimit noster diligens Auctor Vvastelius [c]. Vendidit autem ibi Melania omnia quæ habebat, & in aurum conuertit, sicque ingressa est montem Nitriæ, sanctos Patres ibi manentes inuisura. Palladius [d], Heraclides [e], Bostius noster [f].

c *in vind. oper. Io. Ierosol. lib. 2. sect. 4. ar. 1. §. 10.*
d *lib. 8. vit. Pat. c. 117.*
e *in Parad. c. 33*
f *lib. 5. c. 61.*

Monachi Ægypti.

5 Antequam autem singulorum monachorum, quos Melania, & Ruffinus inuisere, gesta recenseantur, operæ pretium videtur, quid de hoc primo ingressu in Ægyptum, & de ipsis in genere scripserit idem Ruffinus [g]. Qui sic: *Benedictus Deus qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui etiam nostrum iter direxit ad Ægyptum; & ostendit nobis mirabilia magna ad posteritatis memoriam profutura, ex quibus non solum nobis causa salutis orietur, verum ex historia exemplum salutis, atque doctrina pietatis aptissima conderetur, quę virtutis iter egere volentibus, gestorum præcedentium fide amplissimum tramitem pandat.* Et infra: *Tamen quoniam fratrum charitas eorum, qui in Monte sancto Olìueti commanent, hoc a nobis frequenter exposcit vt Ægyptiorum monachorum vitam virtutesque animi, & cultum pietatis, atque abstinentiæ robur, quod in eis coram vidimus explicemus, precibus ipsorum qui hoc imperant, iuuandum me credens, aggrediar, non tam ex stylo laudem requirens, quam ex narratione rerum ædificationem futuram legentibus sperans, dum gestorum vnusquisque inflammatus exemplis, horrescere quidem seculi illecebras, sectari vero quietem & ad pietatis exercitia inuitatur. Vidi ergo, & vere vidi thesaurum Christi in humanis absconditum vasculis, quemque thesaurum repertum nolui tamquam inuidus occultare; sed quasi pro multis inuentum proferre in medium, & facere communem: certus quod quanto plures ex eo fuerint ditati, tanto mihi amplius acquiretur.* Inferius quoque: *Vidimus enim apud eos multos patres cælestem vitam in terra positos agentes, & nouos quosdam Prophetas tam virtutibus animi, quam vaticinandi officio suscitatos, quibus ad testimonium meritorum, nec signorum quidem, ac prodigiorum deerat efficacia, & merito. Cur enim hi qui nihil terrenum, nihil carnale cupiunt, non accipiant cælestium potestatem? Nonnullos namque eorum ita ab omni malitiæ cogitatione, ac suspicione vidimus defæcatos, vt nec si aliquid mali adhuc gereretur in seculo, meminissent. Tanta in eis inerat tranquillitas animi, tantusque inoleuerat eis bonitatis affectus, vt merito de eis dictum sit: Pax multa diligentibus nomen tuum Domine. Commanent autem per eremum dispersi, & separati cellulis, sed charitate connexi. Ob hoc autem dirimuntur habitaculis, vt silentij quiete, & intentione mentis diuina sectantes, nec vox aliqua, nec occursus vllus, aut sermo aliquis otiosus obturbet. Intentis ergo suo quisque loco animis, velut boni patris Christi expectant aduentum, aut tamquam miles paratus in castris Imperatoris præsentiam, vel vt fideles serui aduentantem Dominum sustinent,*

g *in Prologo ad lib. 2. Vit. Patr.*

liber-

libertatem sibi pariter, & munera largiturum. Omnes ergo hi nullam cibi, aut indumenti, aut vllius horum solicitudinem gerunt. Sciunt enim, quia sicut scriptum est, hac omnia gentes cogitant. Ipsi vero iustitiam, & regnum Dei requirunt, & hac omnia secundum promissionem Saluatoris apponuntur eis. Denique plurimi eorum, si in aliquo forte necessarijs ad vsus corporis eguerint, non ad humana perfugia, sed ad Deum versi, & ab ipso tamquam a patre poscentes qua poposcerint, illico consequuntur. Tanta namque in eis fides est, qua etiam montibus, vt transferantur, valeat imperare. Vnde, & nonnulli eorum, irruptiones fluuij in perniciem vicinarum regionum concitatas orationibus represserunt. Et pede incedentes aluei eius profunda digressi sunt, immanesque eius bestias presserunt, & plurima, atque innumera signa, qua ab Apostolis, & Prophetis antiquitus gesta fuerant, consummauerunt, vt dubitari nō debeat ipsorum meritis adhuc stare mundum. Sed illud valde mirum est, cum si semper optima quaque rara sint, & difficilia, in illis tamen vtrumque pariter conuenisse vt & numero immensi sint, & virtutibus incomparabiles. Sunt enim alij in suburbanis locis, alij per rura, plures autem & egregij per eremum dispersi, & velut quidam calestis exercitus in procinctu positus, atque in tabernaculis degens, ad obedientiam praceptorum Regi semper intentus, armis orationum pugnans, & scuto fidei ab inimico insidiante protectus, regnum sibi caleste conquirit. Sunt ergo ornati moribus, quieti, lenes, tranquilli, & charitatis vinculo, velut quadam germanitate constricti. Ad emulationem vero virtutum certamen ingens exercent, & agones. Studet enim vnusquisque clementior altero, benignior, humilior, ac patientior inueniri. Si quis autem sapientior cateris fuerit, hic ita communis erga omnes, & mediocris existit, vt secundum mandatum Domini omnium minimus, & omnium seruus esse videatur. Hæc in genere de Ægypti monachis Ruffinus, ex quibus, si expendantur, quod eos Prophetas *tam virtutibus animi quam vaticinandi officio* appellet; & quod mores, ritumque viuendi eorum describens, prorsus similes eos Essenis depingat, de quibus eadem prorsus diximus *to. 1. sub ann. 3545.* & supra *in Appar. huius 2. tomi*, apposite eliciet lector Monachos hos Ægyptios Prophetici, & Esseni instituti propagines fuisse, prout sæpius inculcauimus.

5 Sigillatim tamen quod Melania in montem Nitriæ ingressa, & per medium circiter annum ibi agens visitauerit Pambonem, Arsisium, Serapionem magnum, Paphnutium Scetiotem, Isidorum confessorem Episcopum Hermipolis, & Dioscorum, ex Palladio [a] & Heraclide [b] perspicue habetur. De quibus aliqua dicenda, vt ad alios etiam in sequentibus properemus. Is ergo Pambo ille est, de quo *sub anno pracedenti* nonnulla dicta sunt, & præsertim qualiter triginta libras argenti, quas illi Melania pie obtulit, inter egentes dispensari fecerit. Similiter Arsisius hic cognominatus is est, de quo *sub anno 313.* dictum ex Palladio Sozomeno, & Nicephoro, dum discipulos Ammonis, qui primus Nitriæ Montis monachus fuit, recenseremus. Pariter etiam hic Serapion non solum diuersus

Melania visitat Monachos.

a *lib. 8. vit. Pat c. 117.*
b *in Paradiso c. 33.*

Pambo. Arsisius.

est

Serapion.

est ab eo Antiocheno Patriarcha, de quo *sub anno* 189. dictum, vt de se patet; sed & ab alio quoque eiusdem nominis Thmueos Episcopo, cuius memores sumus *sub anno* 328. cum is, de quo in præsenti Episcopus non vocetur. De alijs porro, cum quibus confundi potest ob nominis similitudinem, inferius dicetur. Paphnutius autem Scetiotes hic cognominatus ille videtur, de quo Cassianus [a] & nos *sub anno* 312. Cæterum Isidorus iste, Episcopus Hermipolis alius videtur ab eo Isidoro Alexandrino Presbytero, qui Athanasium Romam comitatus est, & de quo *sub anno* 340. dictum, licet vterque Nitriæ Montis Anachoreta fuerit. Dioscorus vero, seu Dioscurus, de quo in præsenti, idem videtur esse cum alio eiusdem nominis etiam Episcopo, qui frater Ammonij nuncupatur ab eodem Palladio [b], & Heraclide [c]. An vero idem sit cum Dioscoro Presbytero Eremi Scythiæ, de quo idem Palladius [d], & cum Dioscoro Presbytero apud Thebaidem centum Monachorum Patre, de quo Ruffinus [e], & Palladius [f], vt in re dubia, hæremus. Consulatur Heribertus [g].

Paphnutius.

a in collat. 3. c. 1. & collat. 18. c. 15.

Isidorus.

Dioscorus.

b in Lausiaca c. 4.
c supra.
d eo c. 4.
e lib. 2. vit. Pat. c. 20.

Serapion Arsenoites.

f lib. 8. c. 68.
g in Annot. ad lib. vit. Patr. n. 114.
h lib. 2. vit. Pat. c. 18.
i in Lausiaca, seu 8. lib. vit. Patr. c. 76.
k lib. 5. hist. c. 38.

7 Serapion autem ille Nitriota, de quo superius, in memoriam nobis reuocat duos alios eiusdem nominis, & sæculi egregios ascetas, vt propterea commemorati iure debeant. Vnus est Serapion Arsenoites, qui Presbyter, & decem milium monachorum Pater vocatur a Ruffino [h], Palladio [i], Bostio nostro [k], & alijs. Qui etiam de monachis illis, quibus præerat, id satis laudabile, & commendabile contra quorundam otiositatem, referunt, vt omnes illi decem mille numero æstatis tempore suas operas ad metendum segetes locarent, & pretij talis laboris partem pro eorum sustentatione seruantes, aliam pauperibus illius Regionis, & Alexandriæ Vrbis distribuerent. Quem etiam morem alij Ægyptij monachi æmulati sunt. Ex his porro notis elicitur hunc Arsenoitam, & Presbyterum tantorum Monachorum Archiphylacem diuersum fuisse a Nitriota superius relato.

Serapion Sindonites.

l in Annot. ad Martyr. Rom. 21 Martij.
m in Notat. ad 2 lib. vit. Patr. n. 34.

8 Alter est Serapion *Sindonites*, seu *Sindonius* dictus, a Sindone, qua sola ille induebatur, non *Syndonius*, vt eum non rite vocat Baronius [l] (quod notat Heribertus [m]) fuit insignis, & singularissimæ sanctitatis monachus, vt propterea eius historia, etsi sub compendio a nobis recenseri debeat. Eius namque gesta mirabilia egregium præbent cunctis monasticæ vitæ professoribus exemplar. Extitit enim singularissimus sanctæ paupertatis amator. Quod non solum in eo relucet, quod sola sindone pro veste vteretur (in quo etiam obiter apparet Essenæ scholę alumnum fuisse, cum Essæi lineis & candidis vestibus induerentur, vt ex Iosepho, & Porphyrio diximus *to. 1. ann.* 3545. *n.* 29.) sed & quia nūquam aliquid habuisse, vel possedisse pro comperto est. Vlterius sola sindone vsum fuisse ex eo ortum habuisse videtur, quod de ipso refertur in vita S. Ioannis Eleemosynarij [n], videlicet, quod amictum suum egeno cuidam dederit; & iterum inde procedentem frigus inopi patienti obuiasse, ac illi tunicam præbuisse; & quod cum nudus sederet, & a quodam interrogaretur, *quis te ex-*

n c. 22. in lib. vit. Patr.

te expoliauit Abba? respondisse, sanctum Euangelium quod in manibus habebat, ostendendo: *Iste*. Alio etiam tempore (ibi refertur) ipsum quoque Euangelium vendidisse,& in eleemosynam tradidisse, ac discipulo interroganti: *Abba, vbi est Euangelium?* Respondisse: *Qui dixit mihi vende quæ habes, & da pauperibus, ipsum vendidi,& dedi eis, vt in die iudicij habeamus fiduciam abundantiorem apud Deum*. Charitate etiam feruentissima erga proximos cor eius exarsisse ex eo quoque mirabiliter elucet, quod seipsum in quadam Vrbe viginti solidis vndiderit quibusdam histrionibus paganis, cum eis manens,donec eos Christianos effecit (prout intenderat,) & a ludis theatralibus abduxit. Abstinentia etiam Essenorum vsus fuit, panem & aquam pro victu quotidiano sumens. Auri contemptor ex eo conspicitur,quod cum ab istis paganis conuersis, vt aurum acciperet pro pauperibus subleuandis, rogaretur, ipse responderit: *Date vos, quia vestrum est; ego enim alienas pecunias non do pauperibus*. Ob perfectionem sectandam, per Orbem totum, Apostolico more, peregrinationem suscepit. Ex quo non mirum lectori erit,quod inferius dicetur de incolatu Carmeli. Hinc apud Athenas quondam existens, cum fame grauaretur, ex tribus fœneratoribus, qui eum molestare soliti erant, scilicet auaritia, luxuria, & gula, a duobus prioribus liberatum esse, sed non ab vltimo, exclamare cœpit. Audierunt hoc quidam philosophi, & ei commiserati solidum dedere. Quo ille sumpto, & cuidam qui panes vendebat, dato, vnoque pane accepto, reliquit ciuitatem. Apud Lacedæmonas cum fuisset, vt Deo lucrifaceret quendam Manichæum, eiusque familiam, se ipsum ei vendidit iterum, sicque duorum annorum spatio, illum, vxorem, & familiam ad Ecclesiam traxit. Romam postea nauigauit, Domnionem quendam famigeratissimum Origenis discipulum, & de quo ferebatur miracula patrasse (quis hoc facile credat?) conuenit. Monachum fuisse hunc Domnionem ex Palladio, & Heraclide referendis elicitur; sed quia Origenis errore notatur, eum respuimus. Si autem credamus, hunc Domnionem esse illum, de quo Martyrologium Romanum die 28. Decembris, Baronius, & Heribertus Rosvvedius [a], dicendum eum fuisse virum sanctitate clarissimum, a D. Hieronymo, & Paulino valde commendatum, ac perinde decipi Palladium,dum dicit eum Origenis fuisse discipulum. Ab eo didicit esse in ea Vrbe Virginem quandam per 25. annos in cellula quadam silentem,quietam, & inclusam. Ipsam ergo adijt,& mori mundo consistere in omnimoda sui abnegatione ac humilitate, miris potius,quam imitandis exemplis docuit. Hoc ipsum Deus ipsi ostendere volens eum in desertis (Ægypti forsan,quæ ipsius patria erat) mori,& sepeliri fecit.De eo Palladius [b], Heracl. [c] Petrus de Natalibus [d] eum tamen confundens cum Arsenoita Serapione,de quo *supra* ac dicens eundem esse cum alio eiusdem nominis, de quo [e] refertur solitum fuisse,dum puerulus esset furari paximatium(genus quoddam panis) ab Abbate Theone,cum quo morabatur,licet postea pœnitentia hunc defectum

Domnion.

a in Onomastico in additionibus verbo Domnion.

b in Lausiaca, seu 8. lib. vit. Patr. c. 83. 84. & 85.
c in Parad. c. 24.
d lib. 3. c. 217.
e lib. 4. vit. Patr. c. 47.

purga-

purgauerit. Hunc quoque Serapionem, de quo pueruło iſta narrantur, Eremitam montis Carmeli fuiſſe habet liber vitarum Patrum Italice deſcriptus, & Romæ Typis editus apud Guillelmum Faccioti 1627. [a] Si autem ita contigit, vtique Serapion iſte Sindonites in ea mundi, quam ſuſcepit peregrinatione Carmeli incola per aliquod tempus fuit.

a lib. 3. c. 18.

Annus Chriſti 366. Liberij Rom. Pont. 15. Imper. Valentiniani, & Valentis 3.

Huius temporis geſta.

1 DVM hoc tempore, extinctis Procopio, & conſanguineis Iuliani, infelix Valens Arrianus fieret, vxoris Arrianæ cooperantibus blanditijs, vt propterea merito ærumnas paſſus ſit (Theodoretus [b], Ammianus [c]) ex ijsquæ propius noſtram hiſtoriam tangunt, accidit id, quod de S. Hilarione refert D. Hieronymus [d] his verbis: *Quod intelligens ſenex, in breui lembo clam nocte fugit, & inuenta poſt biduum oneraria naui, perrexit Cyprum. Cumque inter Maleas, & Cytheram piratæ derelicta claſſe in littore, quæ non antemna, ſed conto regitur, duobus haud paruis myoparonibus occurriſſent; denuo hinc inde fluctus vertente remige, omnes qui in naui erant trepidare, flere, diſcurrere, præparare contos, & quaſi non ſufficeret vnus nuntius, certatim ſeni piratas adeſſe dicebant. Quos ille procul intuens, ſubriſit. Et conuerſus ad diſcipulos, dixit: Modicæ, inquit, fidei quare trepidatis? Nunquid plures ſunt hi quam Pharaonis exercitus? Tamen omnes Deo volente ſubmerſi ſunt. Loquebatur, & nihilominus ſpumantibus roſtris, hoſtiles imminebant carinæ, iactu tantum lapidis medio. Stetit ergo in prora nauis, & porrecta contra venientes manu: Hucuſque, ait, veniſſe ſufficiat. O mira rerum fides, ſtatim reſilvere nauiculæ, & impellentibus contra remis ad puppim impetus redit. Mirabantur piratæ poſt tergum ſe redire nolentes, totoque corporis niſu, vt ad nauigium peruenirent laborantes velocius multo quam venerant, ad litus ferebantur.* Hæc Hieronymus. Qui etiam *cap. ſequenti* quomodo Hilarion Paphum Vrbem Cypri appulerit, & qualiter in ea, & alijs Vrbibus a Dæmoniacis proditus eſſet, quos tamen ab ſpiritibus liberauit.

b lib. 4. c. 11.
c lib. 17.
d in ipſius vita c. 34. Hilarionis.

Gregorius Nazianzenus geſta.

5 Cum propter Valentis Imperatoris perfidiam, eo præſertim quod baptiſmum ſuſcepiſſet ab Eudoxio Arriano, Orthodoxi omnes Epiſcopi tamquam ad prælium excitati, arma capeſſerent, opportunum viſum eſt tempus, vt duo illa cæli conitrua Gregorius Nazianzenus, atque Baſilius ex eremo ad arenam certaminis prodeuntes in hoſtes fidei cominus fulmina verbi iacerent. Primum id obtinuit Gregorius pater iam ſenio prægrauatus, vt ſibi ad ſubeundam ſenilibus humeris iam imparem ſarcinam filius robuſtus viribus præſto eſſet; licet id ſæpe ante fruſtra tentaſſet, illumque penitus refragrantem expertus eſſet. At cum infelix ſtatus Orientalis Eccleſiæ, iam colla erigentibus Arrianis, & minas cędeſque ſpirantibus, tum etiam ſacri parentis ſenectus ſub onere paſtorali ſatiſcens, eum

inuitum

inuitum licet, diuque refugientem, ac penitus renitentem, traxere tamen è Pontica solitudine Nazianzum, adnitentibus, eundemque funem cum patre trahentibus alijs Gregorij perneceſſarijs, ad id litteris, precibus, atque adeo obiurgationibus, & amantium contumelijs adhuc cunctantem hominem compellentibus. Baronius *ſub hoc anno* ex eiuſdem Gregorij ſcriptis. Notans etiam Gregorium ex eremo redeuntem non fuiſſe factum Epiſcopum Nazianzi, ſed Patris adiutorem. Ergo Gregorius Nazianzum reuerſus illam potiſſimam ſibi partem curæ paſtoralis arripuit, quę in Dei verbo prædicando, ſimulque hæreticos inſectando, veritatemque catholicam illuſtrando, verſatur: quod & ab eo in primis opportunitas temporis exigebat, cum hæreſis Arriana decorata diademate Imperatoris, petulans, procaxque geſtiret, inſtarque filiæ Herodiadis ſaltatricis, non vnius tantum Ioannis capitis dono contenta, omnium Epiſcoporum Orthoxorum ſanguinem temulenta ſitiret. Prodijt ex aduerſo Gregorius, tumque inter alias luculentas orationes illam in ipſo ingreſſu ad populum habuit, cuius eſt titulus: *Ad ſancta lumina*, in qua plane conſpicitur, quo animi ardore pugnaturus aduerſus hoſtes in campum deſcenderit. Baronius [a] ex eodem Gregorio. [a] *hic.*

3 Gregorius etiam præſentiens ad prælia cum hæreticis gerenda præſentiam Baſilij merito deſiderari, ipſum è Pontica eremo reuocare conatus eſt in patriam, iam cum Euſebio Epiſcopo Cæſareæ Cappadociæ reconciliatum. Ad ſe ergo traxit. Baſilij autem ſtudium illud fuit, Euſebium ſuum Antiſtitem reuereri, Eccleſiam adminiſtrare, pauperum alendorum, hoſpitum excipiendorum, virginum curandarum, monachorum inſtituendorum, partim ſcripto, partim voce curam gerere; populo diuinam ſcripturam explicare, Synodis pro ſuo Epiſcopo legationibus fungi, & ea omnia facere quibus homo ſanctiſſimus, & pijſſimus Deo & plebi deſeruire poſſet. Idem Baronius ſupra ex eiſdem Gregorio, & Baſilio. Quibus iungenda ea, quæ ſuperius *ſub anno 363*. ex Boſtio noſtro diximus de duobus Monaſterijs a Baſilio in ſua hac ciuitate Cæſareæ Cappadociæ conſtructis, vno extra ciuitatem in monte Didymo Carmelitici inſtituti, alio prope Eccleſiam, quod ordinis S. Baſilij dicitur.

Baſilius recedit ex eremo.

Geſta ipſius.

4 Ioannis Thebaidis in Ægypto coloni celeberrimi inter alios eius temporis memoria huic tempori aſciſcenda. Eum commemorat auctor ſecundi libri Vitarum Patrum, quem alij Palladium Galatam, alij Heraclidem Bithyniæ Epiſcopum, alij Euagrium Antiochenum, alij Euagrium Ponticum, alij noſtrum Ioannem Ieroſolymitanum Antiſtitem, alij Petronium Bononienſem Epiſcopum, alij D. Hieronymum, alij Poſthumianum Monachum, autumant: nos vero cum Heriberto Roſvvedio alios ſecuti Ruffinum Aquileienſem Monachum, & presbyterum, de quo in ſuperioribus. Eo vel maxime, quod his annis in Ægypto cum Melania manebat, & poterat monachorum eius regionis teſtis oculatus, cum vitas, tum geſta, referre. De ipſo eo libro [b] plura refert, quæ hic compendioſe [b] *c.* 1.

Ioannes monachus.

diose referimus, ea in suo fonte libanda lectori relinquentes. Manebat in Thebaidæ partibus in eremo, quæ adiacet ciuitati Lyco, in rupe quadam montis. Ascensus ad eum difficilis, aditus monasterij obstrusus, & clausus, ita vt a quadragesimo ætatis suæ anno vsq; ad nonagesimum, quo eum inuisit Ruffinus, monasterium eius nullus intrauerit. Aduenientibus vero per fenestram se videndum præbebat, & inde eis, vel verbum Dei ad ædificationem, vel si qua fuisset consolatio, responsa reddebat. Mulierum consortia semper vitauit. Prophetiæ spiritu clarus extitit! Longe posita, & arcana cordis sæpius agnouit. Flagellorum Dei causas propagauit. Oleo benedicto sanitates restituit. Hæc & plura alia [a] Ruffinus, ac Palladius [b]. Et nos *sub anno* 388. dum de Prophetia illius de Theodosij victoria contra hostes dicemus.

a ibid.

b lib 8. vit. Pat. c. 43. 44. 45. & 46.

Hyperichius Abbas.

5 Inter Ægypti etiam Patres vnus circa id tempus celebris erat ob spiritualis doctrinæ singulare magisterium, Hyperichius nomine. De hoc, multis prætermissis, quæ in lib. *vit. Patr.* facile habebit diligens lector, aliqua non prætermittenda, quæ frigidorum monachorum corda ad perfectionem sectandam inflammare poterunt. Primo illud *lib. 5. Vit. Patr. libell. 3. n. 17. Monachus in orationibus permanens, pungens cor suum producit lacrymas, & celerius prouocat Dei misericordiam.* Deinde ibidem *libell. 4. n. 46. Ieiunium frænum est monacho aduersus peccatum. Qui autem abijcit ieiunium velut equus feruens desiderio feminæ rapitur.* Et ibidem *nu. 48. Castus monachus in terra honorabitur, & in cælis corona ab Excelso coronabitur.* Præterea *libell. 6. n: 12. Thesaurus monachi est voluntaria paupertas. Thesauriza ergo tibi, frater, in cælo, quia ibi ad requiescendum sine fine sunt secula.* Maxime hoc apophthegma ex eod. *lib. 5. libell. 10. n. 75.* nobis pensitandum: *Ille est vere sapiens, qui facto suo docet alios, non qui verbis.* Sicut & illud ibidem *libell. 11. n. 35. Cogitatio tua semper sit in Regno cælorum, & cito in hereditatem accipies illud.* Ac *libell. 14. n. 11.* Illud: *Ministerium monachi est obedientia, quam qui possidet, quod poscit exaudietur, & cum fiducia Crucifixo astabit.*

Annus Christi 367. & 368. Damasi Pont. 1. & 2. Valentiniani & Valentis Imp. 4. & 5. Gratiani 1. & 2.

Damasus Papa.

1 DVM hoc tempore Valentinianus Imp. Gratianum filium Augustum creat, & expeditionem feliciter in Alemanos mittit, mortuo Liberio Papa succedit Damasus Pontif. selectissimus flos, Hispaniæque decus. Contendit Lusitania patriam esse tanti Pontificis, suffragantibus quibusdam, alij quoque Patria Tarraconensem eum appellant; sed robustiori nisi fulcro Matritensem tuemur. Id enim sæpius vidimus Matriti in Ecclesia Parochiali S. Saluatoris descriptum in vetusta imagine eiusdem Pontificis. Refert etiam Franciscus Biuarius [c] legi in eadem Parochia marmore incisam scriptionem veteri-bus

a in Annotat. ad Chron. Lucij Dextri sub ann. 366. n. 3.

bus characteribus compactam, qua asseritur in ea Ecclesia baptizatum fuisse, quo etiam denotatur ibidem natum. Dexter etiam eo anno ex Mantua Carpentanorum oriundū describit. De quo Ægidius Gundisaluus Dauila Regius historiographus, & Thomas Tamayo de Vargas [a]. Contra hunc ergo Damasum Vrsicinus quidam acclamatus est, Basilicam *Sicininam* dictam occupans, & multorum cædium in eadem Basilica causa existens. Ciaconius [b] ex Ammiano Marcellino, & alijs.

a in notis ad Dextrum, & ad Chron.Luit. prandi pag 25.

b in Damaso.

2 Instant propriora de Hilarione apud Paphum Cypri per bienium commorante, & postea ad montem fugiente, quæ D.Hieronymus ipsius historiographus [c] in eius vita sic descripsit: *Manens itaq; biennio, & semper de fuga cogitans, Hesichium ad se veris tempore reuersurum, Palæstinam ad salutationem fratrum, & monasterij sui cineres visendos misit. Qui cum reuertisset, cupienti rursum ad Ægyptum nauigare, hoc est, ad ea loca quæ vocantur Bucolia, eo quod nullus ibi Christianorum esset, sed barbara tantum, & ferox natio, suasit vt in ipsa magis insula ad secretiorem locum secederet. Quem cum diu lustrans omnia reperisset, perduxit eum duodecim millibus a mari procul inter secretos, asperosque montes, & quo vix reptando manibus, genibusque posset ascendi. Qui introgressus contemplatus quidem est terribilem valde, & remotum locum, arboribusque hinc inde circumdatum, habentem etiam aquas de supercilio collis irriguas, et hortulum peramœnum, & pomaria plurima (quorum tamen fructum nunquam in cibum sumpsit) iuxta quem erat antiquissimi templi ruina, ex quo (vt ipse referebat, & eius discipuli testantur) tam innumerabilium per noctes, & dies dæmonum voces resonabant, vt exercitum crederes. Quo ille valde delectatus, quod scilicet antagonistas haberet in proximo.* Hic notet lector locum illum *Bucolia* vocatum in Ægypto, quo Hilarion pergere cupiebat, Essenorum habitationem fuisse; iuxta dicta *in Appar.c.* 4. & *sub ann.* 64. vt vel hic eliciat id quod de ipso sæpius inculcatum manet, videlicet Esseni instituti alumnum fuisse, prout etiam dictum *sub anno* 292.

Hilarionis gesta.

c cap. 36.

3 Gregorii autem Nazianzeni, & Basilij commilitonis iam hoc tempore ex eremo reducum, & Vrbium incolarum pro Dei, & Ecclesiarum obsequio, talis vitæ ratio erat. Gregorius prædicationis munus, pastoralemque functionem nomine patris sui obibat Nazianzi. Episcopus eius vrbis appellatus a pluribus, etiam in Breuiario Carmelitano, quia patris sui eiusdem nominis coadiutor fuerit, non quod extiterit primarius Episcopus. Basilius vero Cæsareæ Cappadociæ factus Presbyter, cum fames atrocissima grassaretur, solicita charitate pauperum & egenorum sustentationi incumbebat, adeo vt prædia, possessiones, pecuniasque in alimenta ipsorum conuerteret. Baronius [d] ex Nazianzeno, Nysseno, & alijs.

Gregorij, & Basilij.

d sub hoc anno.

4 In partibus autem Ægypti celebre erat nomen cuiusdam monachi Hor, seu Or vocati; quem Ruffinus hoc tempore in ea regione, iuxta dicta in superioribus, manens apud Thebaidem inuisit, cum iam nonaginta esset annorum. Pater fuit multorum Monasteriorum, licet prius in

Hor, seu Or.

vltima eremo Anachoreta pluribus abstinentiæ laboribus exercitatus. Ibi herbis, & radicibus pro cibo, & aqua pro potu, orationibus, & hymnis totum tempus occupans, alebatur. Admonitus ab Angelo eremum deseruit. Litteras diuinitus nouit. Dæmoniacos, & alios ægros indemnes restituit. Per tres continuos annos nullum terrenum sumpsit cibum, sed Angelus Dei tertia quaque die escam ei deferebat cælestem. Cum diabolus & ministri eius currus igneos agentes velut alterum Eliam transferre vellent, ipse humili, & egregio responso phantasiam diabolicam dispulit. De ipso refertur numquam mentitum fuisse, numquam iurasse, aut hominem maledixisse, imo nec locutum sine necessitate; ac dicere solitum suo discipulo: *Vide ne aliquando alienum verbum adducas in cellam istam*. Speculentur ista monachi amatores perfectionis. Quæ, & alia egregia de ipso *in Vit. Patr. lib. 2. c. 2. lib. 8. c. 9.* Palladio [a] & Heraclide [b], Quamuis autem D. Hieronymus [c] eum Origenistam vocet, nihilominus quia in ea hæresi obijsse non constat, imo ex his quæ dicit Somenus [d] elici potest resipuisse, maxime quia in Menæis 7. Augusti *Sanctus* vocatur, & alijs Martyrologijs recentioribus inter Diuos recensetur (de quo Heribertus Rosvvedius [e]) ideo inter alios eius seculi monachos Elianæ scholæ æmulatores a nobis recenseri debuit.

a in Lausiaca c. 5.
b in Parad. c. 2.
c in Epist. ad Ctesiphontem.
d lib. 8. c. 17.
e in Annot. ad lib. 2. vit. Pat. n. 2. & Proleg. 15. ad lib. de vit. Patr.

Ammon.

5 Inuisit etiam Ruffinus eodem tempore in Ægypto manens Ammonem, siue Ammonam celebrem Abbatem, & trium millium circiter monachorum, qui Tabbenensij appellantur Patrem. Qui sine dubio alius est ab alio Ammon, seu Amone Nitriote, de quo *sub anno* 296. dictum. Et ab Ammonio monacho, & Episcopo, cuius memoriam ex Diuo Athanasio egimus *sub anno* 328. Sicut & ab Ammonio alio etiam monacho, qui cum Athanasio Romam venit, vt diximus *sub anno* 340. Quamuis enim temporis habita ratione non valde differant, nomine tamen diuersi sunt. Is tamen Ammonas videtur fuisse, de quo [f] dicitur, quod quatuordecim annis steterit in Scythi deprecans Deum die, ac nocte, vt daret ei virtutem superandi iram. Notent hoc Neotherici monachismi professores. Eius porro discipuli *collobijs quasi saccis lineis, & pelle confecta a collo post tergum, & latus descendente contegi* dicuntur. Vt vel inde Esseni instituti asseclæ agnosci possint, iuxta dicta *in Appar. c. 7.* De eo Ruffinus [g], Palladius [h], Sozomenus [i], Nicephorus [k], & vt putat Heribertus [l] Menæa Græcorum, dum 26. Ianuarij dicunt: *Sanctus Ammonas in pace consummat*. Quis porro ex istis sit ille Ammonius, de quo D. Hieron. [m] Origenis errore labefactum dicit non cõstat.

f lib. 5. vit. Pat. libell. 7.
g lib. 2. vit. Pat. c. 3.
h lib. 8. vit. Pat. c. 48.
i lib. 6. c. 28.
k lib. 9 c. 34.
l in Annot. ad Ruffinum relatum n. 14.
m supra.

Benus.

6 Vidit etiam in eadem Regione venerabilem alium monachum nomine *Benum*, quem Palladius appellat *Be*. De quo Ruffinus [n] hæc: *Vidimus & alium senem mansuetudine omnes homines præcellentem, Benum nomine, de quo asserebant fratres, qui cum ipso erant, quod neque iuramentum vnquam, neque mendacium de ore eius processerit, neque vllus hominum iratum viderit eum aliquando, aut sermonem superfluum, otiosumque proferentem, sed*

n eo lib. 2. vit. Patr. c. 4.

sed erat vita eius in summo silentio, morisque tranquilli, & per omnia quasi Angelici Ordinis vir; humilitas quoque immensa, & in omnibus pro nihilo semetipsum ducens. Denique multum rogantibus vt aliquem sermonem ab eo aedificationis audiremus, vix impetrare potuimus, vt pauca nobis de mansuetudine loqueretur.

7 Nec prætermittenda ea, quæ idem Ruffinus de incredibili monachorum, & virginum multitudine in vna ciuitate Thebaidis *Oxyrincho* nominata [a] his verbis scripsit: *Venimus autem & ad ciuitatem quandam Thebaidis, nomine Oxyrinchum, in qua tanta religionis deprehendimus bona, vt ea nemo digne valeat enarrare. Repletam namque eam monachis intrinsecus vidimus, & extrinsecus omni ex parte circumdatam. Ædes publicæ (si quæ in ea fuerant) & templa superstitionis antiqua, habitationes nunc erant monachorum, & per totam ciuitatem multo plura monasteria, quam domus videbantur. Sunt autem in ipsa vrbe, quia est ampla valde, & populosa, duodecim Ecclesiæ, in quibus publicus agitur populi conuentus, exceptis monasterijs, in quibus per singula orationum domus sunt. Sed nec portæ ipsæ, nec turres ciuitatis, aut vllus omnino angulus eius monachorum habitationibus vacat; quique per omnem partem ciuitatis die, ac nocte hymnos, ac laudes Deo referentes, vrbem totam, quasi vnam Dei Ecclesiam faciunt. Nullus enim ibi inuenitur aut hæreticus, aut paganus, sed omnes ciues Christiani, omnes Catholici, vt nihil omnino differat, si Episcopus in platea orationem, aut in Ecclesia facit. Ipsi quoque magistratus, & principales ciuitatis & reliqui ciues studiose per singulas portas statuunt qui obseruent, vt sicubi apparuerit peregrinus, aut pauper, certatim ad eum qui præoccupauerit adductus, quæ sunt necessaria consequatur. De his autem qui erga nos ab ipsis populis gesta sunt, videntibus transire nos per ciuitatem suam, & velut Angelis occurrentibus, atque honorem deferentibus, quomodo enarrem? Aut de ipsis monachis et virginibus, quorum innumeræ multitudines (vt supra diximus) in illa vrbe habentur? Requirentes enim a sancto Episcopo loci illius, viginti millia virginum, & decem millia monachorum inibi haberi comperimus.* O vere terrestris Paradisus hominum Angelicam vitam ducentium.

Multitudo Monachorum, & Virginum in Oxyrincho.

[a] *lib. 2. de Vit. Patr. c. 5.*

Annus Christi 369. Damasi Papæ 3. Valentiniani, & Valentis Imp. 6. & Gratiani 3.

1 QVO anno, vt Monachalem prosequamur historiam, & Vrsicini contra Damasum Papam schisma omittamus, defuncto Eusebio Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, in locum eius Basilius magnus electus est, cooperantibus Gregorij, Nazianzeni patre, & ipso filio. Qui statim fratrem suum Petrum ex decem vltimo loco natum, virtutibus vero consummatum, ex monacho presbyterum ordinauit. Rem refert noster Bostius [b] ad annum 360. sed Baronius quem alij sequuntur, ad hunc annum.

Basilius.

[b] *lib. 1. bull. c. 7.*

Theonis gesta. 2 Inter eos etiam Ægypti monachos, quos Ruffinus hoc tempore in Ægypto inuisebat, vnus erat Theon nomine, vir sanctus, intra cellulam suam clausus solitarius, vt per triginta annos silentium seruasse dicatur. Benedictione & manuum impositione morbos curabat, oratione latrones ad eum venientes ligauit, vt propterea, abiecta scelerum voluntate ad monasteria vicina confugerent, atque ibi emendatioris vitæ formam susciperent. Ægyptiaca, Græca, & Latina lingua doctus erat. Dicebant autem, quod & noctibus ad eremum progrediens, comitatu vteretur plurimo eremi bestiarum. Ipse vero hauriens aquam de puteo suo, & præbens eis pocula obsequij earum remunerabat laborem. Huius autem rei manifestum dabatur indicium, quod vestigia bubalorum, caprarumque, & onagrorum circa eius cellulam plurima deprehendebantur. De quo ipse Ruffinus [a], Palladius [b], Sozomenus [c], Cassiodorus [d], Nicephorus [e].

[a] lib. 2. de Vit. Patr. c. 6.
[b] lib. 8. cap. 50.
[c] lib. 6. c. 28.
[d] lib. 8. c. 1.
[e] lib. 11. c. 34.

Appollonius. 3 Inuisit præterea Apollonium (alijs Apollo) apud Thebaidem in finibus Hermopolis habentem Monasteria, & sub se quingentos monachos, virum illis partibus famosissimum. Diuersum sane ab eo eiusdem nominis, de quo *sub anno* 328. dictum, cum ille Episcopus fuerit, de isto vero nihil tale dicitur. Et ab alio eiusdem etiam nominis, de quo *sub anno* 336. dictum visitasse Pachomium crebrius, ac demum apud ipsum vitam consummasse. Est tamen ille Apollonius, de quo *sub anno* 362. diximus, vnde eius historiam ex ibidem dictis requirere potest lector.

Ammon, seu Amun. 4 De quodam etiam Ammone, seu Amun, qui propterea diuersus videtur ab omnibus alijs similis nominis hæc narrabat vnus ex eius discipulis, quem Ruffinus vidit, prout ipse refert [f]: quibus etiam Palladius [g] similia habet. *Frequenter veniebant ad eum latrones panem, quo solo vescebatur auferentes ei, & si quid erat quod ad victum suum continentissimum repositum videbatur. Cumque frequenter ab his molestiam pateretur, quadam die processit ad eremum, & inde rediens duos dracones ingentes secum comitari iussit, atque ad ostium monasterij sui manere eis præcipit, ingressumque seruare. Veniunt ex more latrones, videntes qui essent custodes in limine, & vt viderunt dracones, exanimes, & amentes effecti, obmutuerunt, & statim conciderunt. Quod vbi senior sensit egressus inuenit eos semineces, & accedens, atque erigens, increpabat eos dicens: Cernitis quantum vos duriores bestijs estis: illæ enim nobis propter Deum obediunt, vos autem nec Deum timetis, nec vitam seruorum Dei inquietare erubescitis. Veruntamen introducens eos in cellam posuit eis mensam, & iubet, vt perciperent cibum. Illi vero corde compuncti, & ab omni mentis suæ immanitate conuersi, multis qui prius Domino seruire cœperant, in breui meliores fiunt. In tantum enim per pœnitentiam profecerunt, vt post non multum temporis, etiam ipsi eadem facerent signa, easdemque virtutes. Alio præterea tempore, immanissimo quodam dracone vicinas vastante regiones, & plurimos perimente, venerunt habitatores loci illius ad supra dictum patrem, orantes eum, vt de regionibus suis perimeret bestiam; simul*

[f] lib. 2. vit. Pat. c. 8.
[g] lib. 8. vit. Pat. c. 53.

etiam

etiam, vt ad misericordiam flecterent senem, puerum quemdam pastoris filium secum detulerunt, qui solo visu draconis exterritus mente exciderat, & ab solo halitu bestiæ exanimis portabatur, ac turgens. Tunc ille puerum quidem perungens oleo, restituit sanum. Semetipsum vero ad necem draconis instigans, illis interim, quasi qui nihil eos posset iuuare, promittere nihil voluit. Mature autem surgens abijt ad digressus bestiæ, & fixit genua sua in terram deprecans Dominum. Tunc bestia cum ingenti impetu venire super eum cœpit, teterrimis flatibus, ac sibilis, stridoribusque præmissis. At ille nihil horum metuens conuersus ad draconem dixit: Perimat te Christus Filius Dei, qui pertemptus est cetum magnum. Et vbi hæc senior dixit, statim dirissimus draco omne simul cum spiritu euomens venenum, disruptus crepuit medius. Cum autem conuenissent finitimi habitatores, & cum facto miraculo obstupescerent, fœtoris vehementiam non ferentes, congregauerunt super eum arenæ moles immensas, astante tamen ibidem patre Ammone, quia nec sic quidem, cum mortua fuisset bestia, sine ipso appropinquare ei audebant.

5 Visus etiam est inter hos insignes monachismi Ægyptiaci cultores senex quidam Copres nomine, annorum circiter octoginta, multas virtutes faciens, languores curans, dæmones fugans, & alia mirabilia perpetrans. Retulit is Ruffino, & socijs gesta Mutij quondam latronis, & postea celeberrimi monachi, de quo in superioribus dictum. Hic Copres benedictione fertilitatem terræ sterili contulit, illæsus in igne in confirmationem fidei stetit, & Idololatras gentiles, & furem ethnicum miraculo ad fidem adduxit. De ipso Ruffinus [a], Palladius [b] Sozomenus [c], Nicephorus [d]. Caue Copretem hunc, & Mutium confundas cum duobus alijs eiusdem nominis, qui fuere martyres tempore Iuliani Apostatæ, de quibus in Menæis, & Meniologio 9. Iulij. Alius etiam Coprius tempore Theodosij Cœnobiarchæ, de quo Græci 24. Septembris, nam hic iunior. Heribertus Rosvvedius [e].

Copres.

a lib. 2. vit. Pat. c. 9.
b lib. 8. c. 54.
c lib. 6. c. 28.
d lib. 11. c. 34.
e in Annot. ad lib. 2. de vit. Patr. n. 24.

Annus Christi 370. Damasi Pont. 4. Valentiniani, & Valentis Imper. 7. & Gratiani 4.

1 IN hunc annum refert Baronius excitatam persecutionem a Valente Imperatore contra Episcopos, vt propterea multi ex illis è proprijs sedibus pulsi sint. Reueritus autem est Valens Epiphanium ore omnium celebratum, virtutibusque insignem, & Paulinum Episcopum, ne eos sicut alios relegaret. Non tamen Meletium Antiochenum Episcopum, de quo in superioribus actum. Baronius & Gordonus [f] ex D. Hieronymo, Sozomeno, Chrysostomo, & alijs.

Persecutio contra Episcopos.

f sub hoc anno

2 Interea Gregorius Nazianzenus, & Basilius exules Episcopos, & Catholicos dira vexatione afflictos, qua poterant, litteris videlicet consolatorijs, adiuuabant. Prout cernere licet in epistolis Gregorij ad Euse-

Gregorij Nazianzeni, & Basilij gesta.

bium, quæ sunt 28. & 30. & ad Gregorium Nyssenum 34. & 35. & Basilij ad ipsum Eusebium, quas ex Sextilij Episcopi Alexani versione refert Baronius [a], Basilij ad Antiochenos [b] & ad Nicopolitanos. Basilius etiam cōtra Valentem Cæsaream venientem mire se opposuit, Modestum eius Præfectum repressit, ipsumque Imperatorem humiliauit. Exilium propterea contra sanctum Episcopum decernitur, sed cum Valentis filius ægrotaret, aduentuque Basilij melius se haberet (etsi postea accersitis hæreticis morbus grauaretur, & obiret) non fuit relegatus; eo vel maxime, quod Valenti exilij sententiam scribere volenti tres calami atramentum non reddidere. Alias quoque patitur Basilius calumnias coram Præfecto Ponti, & Cappadociæ occasione cuiusdam viduæ ad eum confugientis. Sed vindice Deo populus in Præfectum insurgit. Gregorius Nazianzenus [c], Theodoretus [d], & S. Ephrem Syrus [e].

a supra.
b Epist. 60. & ep. 9.
c Orat. de laudib. Basilij.
d lib. 4. c. 17.
e Orat. in laud. Basilij.

Ephrem.

3 Huius porro Ephrem memoria huic tempori ascribenda, quo Basilium inuisere, & alloqui potuit. Debuit autem nostris Annalibus inseri, quia ipse ex monachis eius æui Elianorum, & Essenorum sectatoribus vnus fuit; cum a iuuenili ætate eremum incoluerit, prout in eius vita, quæ auctore Græco incerto, & interprete Gerardo Vosio habetur *in lib. 1. Vit. Patr.* Vbi etiam qualiter eius sanctitas pluribus visionibus a Deo demonstrata fuerit, tum parentibus ipsius, tum viris alijs pijs. Ibi etiam, quod cum ingrederetur Edessenorum vrbem Dominum precatus est, vt illi occurreret aliquis, qui de Sacra Scriptura sermonem cum ipso haberet. Occurrit autem ei meretrix quædam, quam aspiciens Ephrem indoluit dicens: Domine Iesu Christe despexisti preces serui tui, quo pacto enim hæc de Scriptura mecum loquetur. *Substitit autem meretrix, intuens illum. Ad quam sanctus: Dic mihi puella quid subsistis, & ita intentis in me intueris oculis? Cui respondens meretrix ait ad eum: Intueor te, quia ego mulier ex te viro sumpta sum. Tu autem ne me intuearis, sed terram, ex qua vir sumptus es; Quæ cum audiret seruus Dei Ephrem, suspexit, & glorificauit Deum qui talem ei sapientiam dederit, & eiusmodi ab ipsa responsum acciperet. Et cognouit suam a Deo nequaquam fuisse spretam orationem.* Refertur etiam in eadem vita Ephrem casus alius, qui cum alia meretrice illi contigit, his verbis: *Casu autem iuxta eius hospitium alia meretrix habitabat, quæ, cum ille per complures dies in Vrbe commoraretur, dixit ad eum: Benedic domine Abbas. Et fixis oculis fenestram intuens, vidit illam prospicientem, atque ad eam; Deus Benedicat tibi. Ad quem illa: Quid tuo deest septo atque domicilio? Cui sanctus: Tres lapides, & argilla medica, vt fenestra obstruatur, per quam prospicis; Cui ipsa respondit, dicens: Cum primum te alloquor, reijcis me ego dormire tecum cupio & tu vel a collocutione me excludis? Respondens autem illi seruus Dei Ephrem, ait: Si mecum dormire velis, veni quo dixero tibi, vt ibi simul dormiamus. Ad quem meretrix: Dic mihi, inquit, locum, & veniam: Et sanctus ad illam: Si condormire mihi cupias, non poteris alio in loco nisi in vrbe media. Respondens autem illa dixit ad illum: Et non erubescimus conspectum*

ctum hominum? Et respondens magnus Ephrem, dixit ei: Si homines erubescimus, multo magis Deum erubescere simul, & timere oportebit, qui nouit etiam occulta hominum, quoniam ipse est, qui veniet iudicaturus mundum & redditurus vnicuique secundum opera sua. Hæc audiens meretrix, compuncta est ex verbis illius, & accedens procidit ante pedes eius, plorans, dicensque: Serue Dei, deduc me in viam salutis, vt a multis meis malis, operibusque improbis liberer. Sanctus autem senex multis eam admonens ex Sacra Scriptura, confirmansque illius pœnitentiam, misit ipsam in Monasterium, & saluauit eius animam ex cœno flagitiorum, Casum etiam alterius meretricis fere similem præcedenti in ipsius vita leget studiosus. De congressu porro eiusdem Ephrem cum magno Basilio hoc tempore habito sic ibi dicitur: *Et discedens a ciuitate illa, venit Cæsaream Cappadociæ, vbi ingressus templum reperit sanctum Basilium Archiepiscopum concionantem ad populum, & cœpit magna voce beatissimus Ephrem prædicare eum. Dicebant autem quidam de turba: Quis est iste peregrinus, qui sic laudat Episcopum, quippe adulatur ipsi potius, vt aliquid ei largiatur. Peracta autem iam concione, ait Basilius: Accersite ad me hominem, qui insistebat laudando me. Et accersito eo dicit ipsi: Quid ita instanter vociferabaris laudando me domine Ephrem? Respondens autem sanctus senex dixit: Ideo perseuerabam clamando, & laudando te, quia aspiciebam immaculatam columbam stantem in humero tuo dextro, & in aures tibi suggerentem, quæ concionabaris. Magnus autem Basilius Spiritu sancto plenus ipsum agnouit, & dixit ad eum: Tu ne Ephrem es Syrus? Vere quemadmodum intellexi sic in te comperi, quietis amator. Scriptum habetur in Propheta Dauid: Ephrem fortitudo capitis mei. Nam mansuetudo tua, atque clementia, & simplicitas clara est, velut lumen apparens omnibus.* Alia de ipso ibidem, & apud Palladium [a], Heraclidem [b], Gregorium Nyssenum [c], Diuum Hieronymum [d], post quos Metaphrastes eius vitam descripsit, quam habent Lipomanus [e], & Surius [f]. De Ephrem quoque Vincentius [g], Antoninus [h], Petrus Episcopus Equilinus [i], qui sua desumpserunt ex vita S. Basilij. Eius quoque memoria extat in Martyrologio Romano *die* 1. *Februarij*, & in Menologio Græcorum 18. *Ianuarij*.

4 Specialiora tamen de ipso Ephrem, & Basilio ex *lib. operis histor.* nostri Arnoldi Bostij [k] habentur. Ex quibus constat Ephrem in eremo commorantem vidisse columnam ignis ad Cælum pertingentem, & audijsse talem esse Basilium; & propterea ad eum videndum Cæsaream venisse, & quia ipsum clericis, & ornamentis Ecclesiasticis circumseptum vidit de ipsius sanctitate dubitasse, donec, quia eum lingua ignea loquentem aspexit, magnæ sanctitatis virum esse agnouit. Ab eoque postulasse, ac obtinuisse, vt lingua Græca, quam ignorabat, loqui posset.

5 Erat hoc tempore Macrina soror Basilij Monasterij Virginum Præfecta, in quo etiam Vestiana vidua, quæ ad Basilium confugerat, inclusa mansit. Sic enim ex Gregorio Nysseno eiusdem Basilij, & Macrinæ fratre *in Epist. ad Olympium Monachum*, quæ extat apud Lipomanum [l], &c.

a lib. 8. vit. Pat. l. 101.
b In Parad. c. 38.
c in encomio eiusdem Ephrem
d Catal. illust. Eccles. Scrip. c. 115.
e to. 5. de vit. 68.
f tom. 1.
Specialiora Basilij, & Ephrem.
g in Spec. hist. lib. 14. c. 86.
h par. 2. tit. 9. c. 4. §. 1. & 2.
i in Catal. Sanctor. l. 3. c. 70.
k cap. 8.
Macrina soror Basilij.
l tom. 1.

a to. 4. die 19. Iulij. Surium [a] habetur. Vbi etiam qualiter hæc nostra Macrina (quam nostram etiam vocamus, quia monastici instituti cultrix extitit) præstantis formæ esset, vt propterea a multis adolescentibus coniux appeteretur; sed quod illa coniugia respuens non solum Sanctimonialium vitam elegerit, sed matri quoque vt Monasterium intraret, causa fuerit; Basilium fratrem ad studium perfectionis incitarit; & Petrum fratrem similiter sanctissime a teneris annis instituerit. Quam porro vitæ rationem Macrina, eius mater, & aliæ virgines cum eis in Monasterio commemorantes gererent, omittere non possumus, quia instructionem & pietatem redolent, & a Gregorio Nysseno loco relato sic scripta sunt: *Auctor, vt dictum est, matri virgo* (Macrina) *fuit, vt ad sapientiæ studium, & puram viuendi rationem sese conferret, eamque a reliquis omnibus rebus, & pristina consuetudine ad propriam humilis, abiectæque vitæ moderationem adduxit, vt in ea virginum multitudine eadem cum illis conditione viueret, vnaque mensa, simili lectulo, pari denique, et æqua rerum omnium, quæ ad vitam pertinent ratione vteretur, omni ex ipsarum vita dignitatis differentia sublata. Quamobrem talis erat vitæ ordo, tantaque in sapientiæ studio præstantia, et tam grauis viuendi disciplina, vt nulla describi possit orationis facultate. Quales enim sunt animi, qui corporis vinculis soluti, molestijsque liberati, ex hoc vitæ carcere euolauerunt, talis erat earum vita, quippe quæ ab omni rerum humanarum vanitate aliena ad Angelorum vitæ similitudinem proxime accedebat. Non ira, non inuidia, non odium, non suspicio inter eas cernebatur, omnis honoris, gloriæ, et aliarum id genus inanium rerum cupiditas, omnis fastus, et superbia, et reliqua similia vitia inde reiecta erant. Delicias suas in temperantia collocabant: gloriam suam in eo putabant sitam, quod notæ essent nemini; diuitias, quod nihil possiderent, quodque terrenas omnes copias tamquam puluerem a corporibus suis excussissent. Nullum autem non inane studium esse ducebant, quod in hac vita curanda, colendaque poneretur. Sola illic rerum diuinarum vigebat cura, perpetuumque precandi studium, et assidua psalmorum decantatio, quæ nullo vnquam tempore nec die, nec nocte intermittebatur, vt in ea re, et opus ipsarum pariter, et quies consisteret.* De vitæ quoque austeritate, qua vehementer etiam ægrotans Macrina vtebatur, sic prosequitur idem Nyssenus: *Neque vero in lecto, aut strato quopiam, sed humi quiescebat subiecta sacco tabula, et altera caput eius sustinente tabula, quæ puluinaris loco insigni figura collum eius subibat, et ceruicem ipsius in se decore recipiebat.* Quanta porro, & quam admirabilis huius Virginis sapientia fuerit, qui scire desiderat, auide legat disputationem de anima eiusdem Gregorij cum hac sua sorore habitam, quæ extat inter opera Gregorij Nisseni, in qua eam sæpius *Magistram* vocat, & merito sane; quia tum Philosophiæ, tum Theologiæ Scholasticæ, & Mysticæ Magistram sapientissimam eo loco ostendit.

Petrus Basilij frater. 6. Fit etiam memoria in eadem Nisseni *epistola ad Olympium Monachũ* Petri quoque fratris S. Basilij, quem monachum fuisse (& propterea a nobis non prætermittendum) Baronius [b] tenet. De eo habetur in ea epistola

b sub anno præcedenti.

stola

stola fuisse vltimum ex decem, quos pater ipsius habuit filios; & a B. Macrina sorore natu maxima sanctissime instructum, adeo vt Basilio magno virtutis præstantia nihilo inferior iudicaretur; ac in monastica vita vna cum matre, & sorore contenderet; insuper quod tempore famis multos, qui ad eum confluebant, beneficentia reficeret.

7 Commemoratur etiam in eadem Epistola Lampadia quædam earum Monialium Præfecta, quæ Macrinæ paupertatem commendans dixit: *Ecce pallium, ecce capitis tegmen, & trita pedum calceamenta. Hæ sunt opes, hæc supellex.* Item fit mentio de illa Vestiana relata, & de ea dicitur sustulisse de collo Macrinæ defunctæ ferreum Crucis signum, & annulum quendam ex eadem materia, in quo particula ligni Crucis excauata erat, quæ semper cordi adhærebant; annulumque Gregorio Nysseno dedisse, sibi autem crucem reseruasse. Notent hic Religiosi Religiosæ Macrinę paupertatem, & pietatem illis imitandam. Alia plura de Macrina ibi. De qua in Martyrologio Romano *die* 19. *Iulij*, & Baronius *ibi* adnotans hanc Macrinam diuersam esse ab alia seniore eiusdem nominis auia sua paterna, & magni illius Gregorij Thaumaturgi discipula.

Lampadia & Vestiana.

8 Prodit in lucem hoc tempore illustris valde monachus alius, nomine Aphraates, de quo Theodoretus [a] loquens, de tempore quo Valens Antiochiæ agebat Arrianam impietatem propugnans, post alia, inquit, qualiter, gurgustio, in quo vitam monasticam agebat, relicto, pro Ecclesiæ defensione foras erumperet, & transiens per locum vbi ab Imperatore visus esset, ab eo vocatus audierit: Cedo, quo te conferas? *Ille tunc* (inquit Theodoretus) *sapienter sane, & apposite: Pro tuo, inquit, regno precaturus. Tum Imperator: At domi, inquit, tibi manendum est, & intra cellam, vti lex monastica postulat, orandum. Cui diuinus ille vir: Praclare admodum, inquit, dicis ò Imperator. Illud sane mihi faciendum est, & hactenus feci, dum oues Saluatoris pace fruerentur. Verum quoniam iam magnopere perturbantur, & multum illis impendet periculi, necesse est omnes viam persequi, non modo, ne a feris capiantur, sed etiam, vt conseruentur incolumes. Nam dicito mihi, quaso, ò Imperator: si filia alicuius essem, & sederem in conclaui vti ædes curarem, atq; inde cernerem flammam in eas incidisse, ædesque paternas iam conflare: dicito mihi, inquam, quid me facere oporteret; intus ne manere, & ædes incensas negligere, expectareque donec flamma impetus longius peruaderet, an relicto conclaui, sursum, deorsumque cursitare, & aquam afferre, qua flammam extinguerem? Hoc certe te responsurum constat: nam hæ sunt partes filiæ prudentis, & prouidæ. Atque hoc ipsum nos agimus, ò Imperator. Etenim cum tu iam in Patris nostri ædes flammam inieceris, nos circumcursitamus, quo eam mature possimus extinguere. Quæ cum locutus esset Aphraates, Imperator ei interminatus conticuit.* Hic notent monachi, qualiter cum Ecclesiæ commodum id postulat, aut hæresis grassatur, liceat illis è claustris egredi, vt communi saluti prospiciant, prout Doctoribus in confesso est. Vnde Theodoretus [b] cum commemorasset

Aphraates.

a lib. 4.

b lib. 4. hist. c. 27.

moraſſet hunc Aphraatem Iulianum, de quo poſtea, & S. Antonium, qui deſertis eremi locis Alexandriam venit, vt Athanaſium defenderet, & Arrium impugnaret, ſubiungit hæc aurea verba: *Ita nouerant diuini illi homines omnibus temporibus conuenientes accommodare actiones, ſciebantque quando quieti indulgendum, & quando ſolitariæ vita vrbana anteferenda eſſet.* Refert poſtea idem Theodoretus, qualiter cubicularius quidam Imperatoris, quod contra Aphraatem minas iactaſſet in aquam calidiſſimam præcipitatus mortem obierit. In *Philotheo* autem *c.* 8. refert idem Theodoretus alia miracula huius Aphraatis, & inter ea, quod eius precibus equus quidam Imperatori chariſſimus a morbo liberatus fuerit, mirante Imperatore. De eo idem Teodoretus [a] refert ſimilia; & ait fuiſſe ex Magorum Perſarum genere; aſceticam vitam, primo Edeſſæ, deinde Antiochiæ exercuiſſe; omnis conditionis homines inſtruxiſſe, quantumuis barbare loqueretur; nihil ab illis accepiſſe; nec Perſicam quandam tunicam, quam ei quidam Conſul offerebat. Addit de ipſo [b] ſepultum fuiſſe Antiochiæ.

[a] lib. 9. de vit. Patr. c. 8.

[b] cap. 10.

Iulianus Sabbas.

9 Occurit etiam hoc tempore memoria celebris illius Iuliani *Sabbas* nuncupati, de quo *ſub anno* 363. dicere cœptum. Is, (cum Arriani dicerent ſuæ ſectæ fauere, & tres pij, & Catholici, ſcilicet Flauianus, Diodorus, & Aphraates commemoratus ad eum mitterent Acacium, vt aduerſariorum mendacium coargueret, & Acacius cum Aſterio eiuſdem Iuliani diſcipulo ad eum veniſſet) eorum precibus inductus, Antiochiam peruenit; vbi miraculis patratis, ſe veræ fidei profeſſorem eſſe oſtendit. Theodoretus [c], Nicephorus [d], Chryſoſtomus [e], & Martyrologium Romanum die 14. Ianuarij de eo dicens: *In Syria ſancti Iuliani Sabbæ ſenioris, qui Valentis Imperatoris tempore fidem Catholicam Antiochiæ pene collapſam virtute miraculorum erexit.* Vbi Baronius notat diuerſum eſſe ab alio *Sabba* dicto.

[c] lib. 3. hiſtor. c. 19. & lib. 4. c. 25. & lib. 9. vit. Patr. c. 2.

[d] lib. 11. c. 25.

[e] hom. 21 in epiſt. Paul. ad Epheſ.

Monachi alii.

10 At non vnum tantum Iulianum, alterumue Aphraatem ſanctiſſimos monachos nutrierant his temporibus Syriæ ſolitudines, ſed alios pleroſque his virtute haud impares. Nam vt prætermittamus Carmeli incolas ob priſcorum Phrophetarum Eliæ, & Eliſei memoriam iugiter eam ſolitudinem habitantes, alios refert Theodoretus [f] his verbis: *Erant* inquit, *etiam eodem tempore alij vitæ monaſticæ diſciplina valde præſtantes. Nam in ſolitudine Chalcidenſi Auitus, Martianus, Abrahamus, et alij pretérea non pauci in corporibus perturbationibus obnoxijs vitam ab omni perturbatione vacuam traduxerunt. In Apamia item Agapetus, Simeon, Paulus, et alij in eo genere vitæ facile primas tulerunt. In ſolitudine porro Zeugmatenſi Publius, et Paulus; in Cyreſtenſi quoque vir ab omnibus laudatus Acepſimus ſe concluſit in cellulam, et eum vita modum ſexaginta annos continuos tranſegit, neque viſus a quoquam, neque cuiquam locutus. Adde his Zeugmatium virum cumprimis admirabilem: qui tametſi luminibus orbatus erat, tamen circuibat ſedulo, tum vt confirmaret oues, tum lupos dimicando profligaret: quam ob cau-* ſam

[f] lib. 4. c. 26.

sam cellula eius monastica incensa fuit: alteram tamen Traianus dux fidelissimus ei ædificauit, aliasque res ad cultum vitæ necessarias impetijt. In solitudine etiam Antiochena Marianus, Eusebius, Ammianus, Palladius, Simeon, Abrahamus, & alij quoque, qui imaginem Dei, ad cuius similitudinem conditi erant, integram conseruarunt. Atque tum horum, tum illorum vitam scriptis prodidimus. Itemque mons, qui vrbi illi amplissimæ imminet, huiusmodi floribus pratensibus pulchre vestitus est: nam in eo cum magna nominis celebritate vixit Petrus Galata, & eius gentilis Ægyptius, quin etiam Romanus, Seuerus, Zeno, Moses, Malchus, & alij quamplurimi, vulgo quidem ignoti, Deo autem penitus perspecti, & cogniti. Horum igitur celebrium huius temporis monachorum memoria à nobis iure recolenda fuit.

11 Accidit hoc quoque anno iuxta Florianum Sanctorum, quod refert Heribertus Rosvvedius [a] Onuphrij Hermopolitani Cœnobij, & Eliæ Phrophetę alumni (de quo hæc, & alia *sub ann.* 310. diximus) pretiosissima mors. Eam Paphnutius Abbas ad eum sepeliendum a Deo missus late prosequitur, prout *in* 1. *lib. vit. Patr.* vulgo legitur. Vbi inter alia hæc: *Post hæc surrexit, & ad Dominum lacrymans orauit, genuaq; flexit, atq; subito dixit: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Cumq; hæc dixisset, lumen splendidum corpus eius obumbrauit, & in ipsius claritate luminis anima sancta carne soluta est. Repente vero vocem Angelorum multorum audiui laudantium Deum, & in discessu sanctissimæ animæ S. Onuphrij æthera scilicet Angelicis canticis resonantia gaudium ineffabile astris intulerunt, per quæ cælestis exercitus animam militis inclyti cælis inuexerunt. Mox oculi mei fletu profluunt, interiora gemitus producunt, lacrymarum riui manarunt, planctus mei miseri Paphnutij exuberant: illud flebilis planxi, quia quem vix inueni, diutius habere non potui. Deinde tunicam meam per dimidium scidi, vna parte indutus sum, in alteram collocaui corpus beatum, sepeliui illud in sepulchro quod excisum erat de petra. Tunc videns me solum remanere iterum cœpi lugere. Ita mærens surrexi, speluncque illius habitaculum intrare volui. Denique me adstante, ipsa spelunca cecidit cum magna ruina, & palmæ radicitus erutę simul procubuerunt. Cognoui itaque ego Paphnutius, quia non esset voluntas Domini me in loco illo habitare; secessi inde, in Ægyptum redij, ibique Ecclesiæ retuli quæ vidi, & audiui.* De Onuphrio agunt Metaphrastes [b], Martyrologium Romanum, Menologium Græcorum, & Menæa [c] ac præter alios, ex nostris Philippus Visquin [d] versibus eum celebrans. Pro Paphnutio autem, qui eum sepeliuit, consule dicta *sub anno* 312.

12 Porro vt studiosus Lector magis firmetur in eo quod *sub ann.* 310. diximus de Anachorismo ante Antonij institutum in Ecclesia celebri, recolat S. Honuphrij vitam a Metaphraste descriptam, & a Surio sub die 11. Iunij repositam, ac reperiet hunc Paphnutium post Honuphrij transitum in ea eremo reperisse senem alium Anachoretam, qui etiam eam incoluerat cum tribus alijs æque longæuis, per 60. annos, forsan ab eodem Honuphrio eo ductos. Nomina ipsorum interroganti Paphnutio patefacere

S. Honuphrij obitus.

a in annot. ad vit. S. Honuphrij n. 25.

b die 11. Iunij.

c eadem die.

d in suo Carmelo Poetico.

Ioannes, Andreas, Heraclábon, & Theophilus Anachoretę.

cere

cere nóluere, dicentes; *Is ſcit, qui omnium nouit nomina*. Inuenit poſtea alios quatuor iuuenes ex ciuitate Oxyrinchos, & parentibus Senatoribus ortos, qui per ſex annos eum locum habitauerant, de fructibus ſolum arborum victitantes, & ſub vnius ſenis iam demortui diſciplina edocti. Mirentur in hoc, quin ſtupeſcant delicati monachi ſolum terrena ſapientes.

Annus Chriſti 371. Damaſi Rom. Pont. 5. Imp. Valentiniani, & Valentis 8. & Gratiani 5.

Eccleſiæ turbatio.

1 TURBATISSIMAM Eccleſiæ Orientalis faciem ob Arrianorum perfidiam vix tueri poterant litteris, ſcriptis, legationibus ad Romanum Pontificem, & alijs Epiſcopalis curæ ſolicitudinibus SS. Athanaſius, Meletius, Baſilius, & Gregorius Nazianzenus. Ex quibus Baſilius calumnioſe in inuidiam vocatur quod Euſtathium hæreticum, ſed Catholicum fingentem, in communionem recepiſſet; & adhuc grauius, quod cum Arrianis dixiſſet aliquando *Gloria Patri per Filium in Spiritu ſancto*, vt propterea ſui, & amicorum defenſione vſus fuerit. De quo late Baronius, Coriolanus, & alii.

Euſebij Vercellenſis obitus.

2 Moritur interea celebris ille Euſebius Vercellenſis Epiſcopus inter cleromonachos accenſitus, iuxta dicta *ſub anno 352. Confeſſor an Martyr. proprie? Confeſſorem S. Ambroſius, & alij antiqui ſemper vocant. Martyrē etiam Epitaphiū, & Martyrologia: an vero id ſecundum veterem loquendi vſum quo illi etiam Martyres dicebantur, qui fidei cauſa poſt confeſſionē aliquid in corpore paſſi eſſent, etiamſi ex illatis pœnis minime contigiſſet ſpiritū exhalare: an vero etiam proprie Martyr, quod in patriam reuerſus, poſt raptationem, & cruciamenta, lapidibus obrutus eſt, quod eius vita habet, non facile affirmari poteſt: certe quæ de martyrij genere dicuntur, ab antiquis non ſunt deprompta ſcriptoribus.* Hæc Coriolanus [a] Baronij doctrinæ innitens. Nos ad alia.

a ſupra.

Syrus, Iſaias, & Paulus.

b lib. 2. vit. Pat. c. 10

c lib. 1. c. 55. 56. & 57.

3 Etenim Syri Abbatis, Iſaiæ, & Pauli Monachorum memoria ex Ruffino [b], Palladio [c] huic tempori occurrit. Erant viri iſti ſummæ abſtinentiæ, & religioſæ vitæ. Pergebant viſitare quendam nomine Anuph, cuius monaſterium tribus manſionibus diſtabat. Cum ergo vellent tranſire fluuium, nec tranſmeandi copia adeſſet, precibus a Deo nauigium impetrarunt, quo aduerſus fluminis curſum vnius horæ ſpatio trium dierum iter perfecerunt. Ad Anuph ergo peruenientes, ab eo poſtularunt, vt qui in proximo abſceſſurus eſſet de hoc mundo aliquid ipſis poſterorum memoriæ commendandum, relinqueret. Tunc ille iſta, quibus Palladius [d] ſimilia: *Nihil magnum geſſiſſe me memini, hoc tamen cuſtodiui, ex quo nomen Saluatoris noſtri in perſecutione confeſſus ſum, ne poſt confeſſionem veritatis mendacium de ore meo procederet, neque poſt amorem cæleſtium terrenum aliquid amarem, ſed nec gratia Domini in his defuit mihi. Nunquam enim me fecit egere aliquo terreno, omnem quem deſideraui cibum Angelorum mihi de-*

d cap. 58.

Anuph.

bi deferens ministerio. Nihil a me occultauit Dominus eorum, quæ geruntur in terris, numquam defuit cordi meo lux eius, per quam suscitatus somnum corporis non requirebam, desiderium habens semper videndi eum. Sed & Angelum suum assistere mihi semper fecit, edocentem me de singulis quibusque virtutibus mundi. Lux mentis meæ nunquam extincta est. Omne quod petij a Domino sine mora consecutus sum. Ostendit mihi frequenter multitudines Angelorum assistentium sibi, vidi & cœtus iustorum, congregationesque martyrum, monachorum conuentus, omniumque sanctorum, eorum dumtaxat, quorum opus non est aliud, nisi laudare semper, & benedicere Dominum in simplicitate cordis, & fidei. Vidi è contrario Satan, & Angelos eius æternis ignibus tradi, & rursus iustos æterna lætitia perfrui. Subiungitur postea: *Cumque hæc, & multa alia his similia per totum triduum enarrasset, eis tradidit spiritum. Et continuo vident ipsi ab Angelis suscipi eius animam, atque ad Cælos ferri, ita vt vocem hymnorum audirent etiam ipsi quibus vna cum Angelis anima eius abscedens Dominum collaudabat.*

4 Fuit & alius celebris monachus circa hoc tempus in Thebaide, Elias nomine, de quo Sozomenus [a], Nicephorus [b], Cassiodorus [c]. Maxime vero de ipso Palladius [d]; & Ruffinus [e] hæc de eo dicens: *Vidimus & alium senem venerabilem, Eliam nomine, in finibus ciuitatis Antinoo, quæ est metropolis Thebaidis, centum fere iam, & decem (vt dicebatur) annorum, super quem dicebant, quod vere spiritus Eliæ in eo requieuisset. Multa enim de eo, & magnifica referebantur: septuaginta namque annos in solitudine vastissima cum transegisse perhibebant, cuius deserti horrorem, terroremque nullus sermo digne poterit exponere. Illic ergo sedebat senior tota hac ætate, humanæ habitationis nesciens loca. Semita autem erat angusta, & scrupea, quæ ad eum ducebat, quæ vix inueniri a commeantibus posset. Locus vero ipse, in quo sedebat, spelunca erat terribilis quædam, & intuentibus plurimum horroris incutiens. Ipse autem tumentibus iam membris præmatura quatiebatur ætate. Incessabiliter tamen per singulos dies signa faciebat, & aduenientes ad se quacumque incommoditate constrictos omnimodis resoluebat. Cuncti vero patres confirmabant, quod nullus omnino meminisset quando hic secessisset ad eremum. Cibus erat panis exiguus, & paucissima oliua vsque ad vltimam senectutem. Nam in iuuentute septimanas frequenter ieiunasse perhibebant.* Huius porro Eliæ videtur fuisse quandam Congregationem *Abbatis Eliæ* nuncupatam, de qua sermo extat *lib. 5. vit. Patr. libell. 9. n. 1.*

Elias Monachus.

a lib. 6. c. 28.
b lib. 11. c. 34.
c in Tripar. lib. 8. c. 1.
d lib. 8. vit. Pat. c. 12.
e lib. 2. vit. pat. c. 12.

5 De alio quoque monachismi sectatore, Pithyrion nomine, de quo Nicephorus [f], Palladius [g], & maxime Ruffinus [h] hæc: *Interea redeuntes ex Thebaide vidimus montem quendam præruptum fluuio imminentem, elatione minacis saxi aspectu etiam ipso terribilem, in quo erant per ipsa præcipitia speluncę difficilis ascensus. In his monachorum plurimi commanebant, quorum pater nomine Pithyrion. Hic & ex discipulis beati Antonij fuit, & post illius obitum cum sancto habitauerat Ammone. Post huius quoque abscessum in hoc se constituerat monte; sed & tanta in eo erat virtutum copia, tanta-*

Pithyrion.

f lib. 9. c. 14.
g lib. 8. c. 74.
h lib. 2. c. 13.

quę gratia ſanitatum, & poteſtas aduerſus dæmones, vt duorum merito ſummorum virorum, ſolus hæreditatem conſecutus duplicem videretur. Hic ergo multos monitis ædificans, multaque doctrina inſtruens, præcipue tamen de diſcretione ſpirituum nos docebat dicens, eſſe quoſdam dæmones, qui certis quibuſque vitijs obſequantur, quique cum affectus animæ paſſibiliter, & vitioſe viderint moueri, conuertunt eos ad omne facinus malum. Si quis ergo eſt qui vult dæmonibus dominari, prius vitijs ſuis, & paſſionibus dominetur. Quodcumque enim vitium propriæ paſſionis abieceris, huius vitij dæmonem poteris etiam de obſeſſis corporibus effugare. Et ideo conandum eſt paulatim propria vitia ſuperare, vt poſſimus etiam dæmones ſuperare, qui huiuſmodi vitijs obſequuntur. Hic ſecundo reficiebatur in ſeptimana, pulticulas accipiens ex farina, nec poterat iam accipere aliam eſcam, neque ætate, neque conſuetudine permittente.

Eulogius. 6 Mirabilis etiam hoc tempore fuit ſanctus quidam pater, Eulogius nomine, de quo Palladius [a], Sozomenus [b], Nicephorus [c] Caſſiodorus [e]. Maxime vero Ruffinus [e] qui hæc: *Vidimus & alium Sanctum patrem, Eulogium nomine, qui in offerendis Sacramentis tantum gratiæ acceperat a Domino, vt vniuſcuiuſque accedentium ad altare Dei merita, culpaſque agnoſceret: Denique ex monachis quoſdam volentes accedere ad communionem retinebat, dicens: Quomodo auſi eſtis accedere ad Sacramenta diuina, cum mens veſtra, & propoſitum ſit in malo? Denique aiebat: Tu hac nocte habuiſti cogitationes fornicandi. Tu vero dixiſti in corde tuo: Nihil intereſt ſiue iuſtus ad ſacramenta, ſiue peccator accedat. Et alius dubitationem habuit in corde ſuo dicens: Quid enim me ſanctificare communio poteſt? Hos ergo ſingulos remouebat a communione ſacramenti, & dicebat eis: Secedite paululum & agite pœnitentiam, vt purificati per ſatisfactionem, & lacrymas, digni habeamini communione Chriſti.*

a lib.8.vit.Pat. c.75.
b lib.6. c. 28.
c lib.11.c.34.
d lib.8.Tripar. c.1.
e d. lib. 2.c.14.

Ioannes Chriſoſtomus. 7 Ingrediebatur circa hunc annum Ioannes ille Antiochenus, Chriſoſtomus cognominatus, annum 18. ac propterea huic tempori aſcribenda, quæ de ipſo Eraſmus vitæ ipſius ex varijs auctoribus collectæ auctor dixit: *Iam annum ingreſſus 18. alijſque liberalibus diſciplinis ſtrenuam nauauit operam ætatis lubricum aſſiduis laboribus coercens. Philoſophię doctorem habuit Andragathium, iam tum Ægyptiorum opes ad Dominici templi ſtructuram comparans, vt teneris ſtatim annis eloquentiam cum ſapientia coniungeret. Verum poſtea quam ante capitis canos, mentis caniciem induiſſet, mature ad diuinarum litterarum cognitionem, ſtudiumque pietatis animum applicuit. Iam inſignem adoleſcentis indolem varijs indicijs emicantem animaduertens Meletius Antiochenæ Eccleſiæ Antiſtes, cum ad ſe accitum inter familiares habuit, quem cum ferme triennio Chriſtianę fidei dogmatibus ſatis imbuiſſet, aqua regenerante tinxit, moxque lectorem ordinauit. At iuuenis haudquaquam tutum ratus in ciuitate celebri publicis functionibus implicari, in montes vicinos ſeceſſit, atque illic ſeni cuidam Syro adhæſit, vt ex eius contubernio continentiam, vitæque auſteritatem diſceret. Manſit autem apud hunc annos quatuor, diuinarum*

narum litterarum vigilanti studio iuuenilis ætatis stimulos, æstusque domans, ac reprimens, ab hoc gradu tendit ad perfectiora, abdit se in remotiora deserti, ibique spelunca inclusus biennium fere peregit solus, noctes, diesque versans in meditatione sacrorum voluminum, eaque ediscens. Verum dum hic humi cubat, saxo insidet, ieiunijs, ac peruigilijs vtitur, carnis quidem rebellionem prorsus edomuit, sed corporis valitudinem vehementer offendit. Ea res illum compulit, vt velut è graui tempestate ad Ecclesiæ portum redire cogeretur, hac omnia moderante prouidentia numinis ad publicam hominum vtilitatem. Hæc porro eremitica, & ascetica vita a Chrysostomo hoc tempore habita eum inter monachos censuit, prout dicta in superioribus *sub ann.* 354. comprobant, & expresse admittit Simeon Metaphrastes [a], dicens. *Hæc parua esse putans, nempe orationem, & conciones, & quæcumque ad superuacaneam pertinent ambitiones, angelicam vitam statuit suscipere.* Immo etiam quia, iuxta dicta in præcedentibus *in montes vicinos secessit*, vt scilicet monachi vitam ageret, inferunt Auctores nostri *sub eo anno* 354. relati in Montem Neroi, seu montana Nigra Antiochię vicina in Cœnobio iampridem ab antiquis temporibus Ordinis Prophetici, & Eliani id fecisse.

8 Addit Metaphrastes relatus quod eam vitam elegerit Chrysost. *Consultore, & instituti socio vtens Basilio quodã suo familiari, & qui erat vnius animæ: & fraterni cũ eo spiritus.* Quod vero hic Basilius non fuerit magnus Basilius Cæsareæ Cappadociæ Episc. (in quo hallucinati plures etiam ex nostris) sic comprobat idem Metaphrastes: *Non is autem erat ille, qui & patriam, & sedem ornauit Cappadocũ, vt quidam existimant, decepti à similitudine nominis. Siquidem ad fidem huius rei faciendam, hic ipse sufficit lingua aureus, qui satis illud ostendit in libris de Sacerdotio. Dicit enim eum esse ipsum secutum toto tempore, & easdem attigisse disciplinas, & eosdem habuisse præceptores. Quod autem maxime omnium probibet non hunc esse magnum illum Basiliũ, est, quod ipsum quidem ostendit eiusdem patriæ, fuisseq; & genere pares, & diuitijs. Quomodo vero statues hec esse magno, & huic maximo communia, quæ sunt maxime diuersa? Siquidem plurimum inter se differunt Antiochia, & Cappadocia. Sunt autem multa quoque alia, per quæ conijci potest, non esse hunc magnum Basilium sed quendam alium, ortum Antiochiæ.* Eadem late confirmat Baronius [b]. Quis enim sit iste Basilius sic disquirit ipse: *Quisnam vero fuerit ille Basilius Chrysostomi pernecessarius: haud quid certum habemus, quod firmiter affirmare possimus: scimus tamen eodem tempore, in eadem Syriæ prouincia duos vixisse Basilios, qui interfuerunt Synodo Constantinopolitanæ, nempe Basilium Raphanensem in Syria, & alium Episcopum Bibli in Phœnicia. Opinantur alij fuisse Basilium Seleuciæ Isauriæ Episcopum: attamen constat, Theodoreto auctore, illum vitam egisse monasticam sub sancto Marciano Abbate, & sum eo diu versatum, Episcopum vero postea claruisse tempore Concilij Chalcedonensis, cui & subscriptus habetur post annos septuaginta vno minus; cum tamen Seleucia Syriæ tempore Chrysostomi esset Episcopus Maximus, qui (vt auctor est Socrates) collega fuit ipsius Ioannis in exercitatione vitæ monasticæ*

a in eius vita.

b sub ann. 382.

 vna

vna cum Theodoro illo postea Mopsuestia Episcopo plane infelicissimo, nam a monachatu excidit, & a fide: ad quem lapsum scribens ex eremo ipse Chrysostomus recenset insigniores collegas Valerium, Florentium, & Porphyrium. Hos autem omnes sub cura egisse Diodori, & Carterij Abbatum, Socrates tradit: quorum priorem Tassensi ait Præfectû Ecclesiæ: addit Euagrium iuniorem filium senioris Euagrij nobilissimi ciuis Antiocheni in eremum iam antea concessisse, & eius exemplo nonnihil esse permotum Chrysostomum. Eremus porro illa fuit in Syria: nam Diodorum, sub quo etiam Chrysostomus excoluit vitam monasticam, in ea regione habitasse, Theodoretus affirmat. Ex quibus plura eliciet lector pro historia nostra monastica perutilia, de huiusmodi scilicet monastices cultoribus.

Chrysostomi gesta.
[a] de compunct. cordis l. 2.

9 Similiter de vitæ ratione, quam Chrysostomus eo tempore gessit, sic ex eodem Chrysostomo [a] elici potest: *Arctam vitam, & angustam iussus es ambulare, vt quid de requie? vt quid de abundantia percuntaris? Per angustam ianuam transire iussus es: quid amplos requiris ingressus? Est aliquid ista peruersitate nequius? est aliquid ista peruersitate deterius?*

Sirus ipsius magister.

10 De eo autem Syro Chrystomi magistro, si viri nomen denotet, proculdubio dicendum quod non est ille Syrus Abbas Ægypti, de quo supra *sub hoc anno* actum. Si vero patriam indicet, cum iuxta dicta, locus, in quo monasticâ exercuit, fuerit solitudo Antiochiæ, Mons *Neroi*, seu *Montana Nigra* dictus, vtique aliquis fuit ex illis celeberrimis, quos in eo loco hoc tempore claruisse scribit Theod. [b] verbis relatis *sub anno præcedenti*.

[b] lib. 4. c. 26.

Ioannes Ierosolymitanus.
[c] l. b. 5. histor. c. 67.
[d] lib. 11. c. 6.

11 Prope id tempus, quo Ioannes ille postea Ierosolymorum Præsul, de quo *sub ann. 351.* dicere cœpimus, vigesimum, agebat annum Carmeli iugo ceruicem supposuisse credimus, prout noster Bostius [c] his verbis a Palæonydoro [d] ferme mutuatis, expressit: *Is Ioannes tempore iuuenili cernens quam raræ sint amicitiæ, quam fallaces amores, quam lucra difficilia, pecuniam quasi fumum adolescens contempsit. Tandem seculo vale dicens, & cum sanctis Prophetis sua collocare ossa disponens, eremum Montis Carmeli expetijt, quo se credidit facile posse celari, ne a parentibus inueniretur. Ab adolescentia ergo seniori ibidem deseruiens tanta humilitate emicuit, vt ipsi quoque seniori stuporem summum obedientia eius incuteret.* Eadem ferme alij posteriores.

Carmelum pergit.

12 Ne tamen gratis, aut sine authoritatis maximo fulcro hæc à nostris dicta quisquam autumare queat (prout fecit egregius quidam Chronologus, etsi in nostris Historijs nec leuiter versatus, contra quem veluti antigonistam alibi pugnandum) varijs, nec debilibus fundamentis adnitendum Ioannis hunc in Carmelo incolatum comprobare. Id primò euincitur, si cum pijs Catholicis res agatur, ex Ecclesiæ testimonijs, quæ in Officio Canonico S. Cyrilli Alexandrini, de quo inferius dicetur sæpius ab Apostolica Sede approbatum fuisse: lect. 4. sic habet de eodem Cyrillo: *Ad Ioannem Episcopum Ierosolymitanum, vt Christiana vitæ perfectione imbueretur, se contulit. Cuius consuetudine in Carmelum montem secedens, ibi cum aliquot pijs hominibus illic degentibus cælestem vitam in terris*

aliquan-

aliquandiu egit. Quibus Carmeli incolatum Cyrillo ad imitationem Ioannis expressum videmus. Comprobant intentum Ordinis Kalendaria non solum neotherica, sed etiam vetusta, vnum præcipuè in Mechliniensi Cœnobio repertum, de quo inferius; in quo huius Ioannis festum sicut de Sancto Ordinis pro 12. Ianuarij reponitur. Qua etiam die sub Carmelitarum Ordinis titulo ipsum collocat vir maximæ eruditionis Ioannes Molanus *in Martyrol.* vltimæ editionis. Accinit ad propositum copiosissimus Scriptorum chorus, qui vno veluti ore hunc Ioannem Carmelitam, vel Carmelitis accensendum putant. Quidam, quos *to. 1. Annal. in Appar. c. 9. nu. 15.* recensemus, dum aiunt, librum *de Institut. monachorum* huius Ioannis legitimam prolem esse; eidem ascribendum; vel pro ipsius authore cognoscendum; hi namque consequenter, & implicite ipsum Carmelicolam profitentur, siquidem eius libri auctor id de se fatetur sæpius in ipso. Alij verò, quos eodem loco *n. 6. & sequentibus* retulimus, cum inquiunt librum hunc pro Regula, normaque viuendi ab eodem Ioanne suis Consodalibus olim in Carmelo scriptum fuisse. Concinit, ex ijs, quos postmodum videre licuit, Anonymus quidam vir doctus, & diligens Guillelmitanus Vallis S. Antonij Brugensis [a] quem apud se in magno pretio seruari dicit noster Vuastelius [b] vbi de Ioanne nostro habet: *S. Ioannes Abbas Eremitarum Carmeli.* De nostris autem auctoribus, quam uis superfluus labor videatur eos recensere, quia pro perpetua, & constanti traditione hoc apud illos semper fuit; nihilominus vel compendio dumtaxat aliqui vetustiores referendi, ex quibus plures tantæ authoritatis sunt, vt non nisi a turbatæ mentis hominibus reprobari queant. Hi sunt B. Cyrillus Constantinopolitanus supra 400. annos scriptor *in lib. seu Epist. ad Eusebium Montis Neroi Eremitam*, quæ habetur in *Speculo Ordin. lib. 8. c. 18.* Ioannes de Malinis a 300. fermè annis [c], Ioannes de Cimineto circa idem tempus [d], Philippus Ribbotus eiusdem æui, & alterius operis similis tituli compilator; Ioannes de Vineta eiusdem fermè temporis author in Tractatu, qui incipit *Cum quidam fratres cap. 4.* Reuerendissimus Ioannes Grossus Ordinis Generalis circa annum 1389. florens *in viridar. & in tit. de Sanctis Ord.* etsi non rectè confundat hunc Ierosolymorum Antistitem Ioannem cum alio valde posteriori; alius Reuerendissimus Pater, & inter Beatos à pluribus numeratus, Ioannes Soreth Generalis [e], qui anno 1471. temporalem vitam pro æterna commutauit; Thomas Vualdensis Doctor celeberrimus, & inter Ecclesiæ luminaria iure cēsendus [f] tempore Martini S. Pontificis maximi. Innumeros alios posteriores silentio prætermittimus, quorum plures simul cum cæteris plerisq; qui huic sententiæ subscripsere loco relato ex *1. to. Annal.* recensuimus. Quibus cæteris etiam iungendus Philippus Lopezius Romanus Aduocatus, qui [g] de hoc Ioanne inquit, fuisse Ordinis nostri Religiosum, & eidem Regulam tradidisse.

371. Pariter ad hoc tempus Ioannis incolatus in Carmelo referimus alterius coëollegæ ipsis in eius montis instituto, Cyrilli nempe, Alexandrini postea

a in lib. Epistolarum & Epist. Scriptorum Ecclesiæ Dei.
b in vindic. huius libri in 2. fol. 4. n. 2. 9. 6.
c in Spec. lib. 8. 6.
d in Tract. speculum Ord. dicto c. 5.
e in expositione paranetica Regula Carmelit. præfat.
f to 3. de Sacrament. tit. 9. c. 89.
g in comp. vit. S. Theresiæ c. 11.

Cyrilli Alexandrini natalitia.

 stea

ftea Antiftitis, Natalitia. Cum enim pro anno Chrifti 444. vt loquenti tomo dicemus, vitam finierit, *fenio confectus*, vt in ipfius legenda habetur, proculdubio circa hoc tempus ortum habuit. Eius porro hiftoria noftris Annalibus genuine, & proprie attexenda, quia non folum imitatione, prout plures, quos referre folemus monachi, fed etiam fucceffione legitima inter Eliæ alumnos computari debet. Fuit enim fanctus hic Pater Eremi Carmeli per aliquod tempus confocius. Sic etenim in relata legenda fæpius pro noftris Carmelitis a Sede Apoftolica approbata lect. 4. habetur: *Cyrillus Epifcopus Alexandrinus, claris parentibus ortus, Theophili item Epifcopi Alexandrini ex fratre nepos, a quo adolefcens Athenas ftudiorum caufa miffus, cum plurimum profeciffet, ad Ioannem Epifcopum Ierofolymitanum, vt Chriftianæ vitæ perfectione imbueretur fe contulit, Cuius confuetudine in Carmelum Montem fecedens, ibi cum aliquot pijs hominibus illic degentibus cæleftem vitam in terris aliquandiu egit.* Habetur id quoque ex Ordinis peruetufta traditione, Patrum ipfius teftimonijs fulcita, cæterorumque atteftationibus mire roborata. Ex his primo occurrit teftimonium Gallici cuiufdam Chronici, quod apud Regem Galliæ extaffe dicunt Coria [a], Vuaftelius [b], Saracenus [c], Munozius [d], & Emanuel Romanus [e], cuius exemplar vidiffe, & legiffe in antiqua Religiofiffimi Ciftercienfis Cœnobij *de la Oliua* teftatur nofter Caffanate [f] apud quem ex verbis cuiufdam Legati pro Galliæ Rege in Ephefino Concilio fic Gallico idiomate fcribitur: *Au Concile d'Ephefe, qui fe celebra per deux cens Euefques l'an du Seigneur 418. au lieu du Pape Celeftin, y prefidoit le Bien-heureux fainct Cyrille Moine du Mont Carmel, le quel pour le fainctété vie, admirable fcience, e doctrine difputant contre Neftor Patriarche de Conftantinople qui mit tache en l'honneur de la Vierge Marie, & en celle de Iefus Chrift fon fils, emporta la victoire fur lui.* Quæ nunc fic iam traducta latine verba tenemus. *In Concilio Ephefino quod fuit celebratum per CC. Epifcopos, anno Domini CCCCXVIII. præfidebat loco Papæ Cæleftini I. B. Cyrillus monachus montis Carmeli, qui ob fanctitatem vitæ admirabili fcientia, & doctrina difputans contra Neftorium Patriarcham Conftantinopolitanum, qui maculam pofuit in B. Virgine Maria, & in eius filio Chrifto Iefu, eum fuperauit.* Allegant hoc Chronicon Reuerendifs. Generalis Bernardus Olerius circa annum 1378. in libro feu informatione ad Papam [g] Illuftriffimus Epifcopus Dromorienfis, ac Suffraganeus Norduicenfis Thomas Seropus Thomæ Vualdenfis difcipulus [h] & *lib. de fundat. fui Ordin. c. 5.* Balduinus Leerfius [i], Ioannes Paleonyd. [k] quos alij pofteriores fequuntur fuperius relati. Accinit Ioannes Trithemius Abbas Spanheimenfis non leuis quidem, fed grauiffimus, & difertifsimus auctor qui [l] fic loquitur: *Cyrillus Epifcopus Alexandrinus doctor Græcus, Montis Carmeli quondam decus, & cultor infignis, &c.* Quid clarius ad rem dixiffe potuit? Trithemij nobiliffimi Scriptoris fententiam, refert Villegas [m], & fecutus eft Ioannes Riegle, infignis Minorita [n], cuius hæc funt verba: *Hic B. Auguftinus fuit vita monaftica, vt & B. Hieronymus, Bafilius,*

a lib. 9. c. 19.
b in Vindic. Ierofol.
c in Menolog. in vit. S. Cyrilli.
d in propugnac. epift. Eliæ.
e de viris Illuftrib. Ord. in Cyrillo Alexandrino.
f in Parad. Carmel. in Apolog. pro Io. Ierofol. tract. 2. difcurfu. c. 11.
g in Spec. Ord. fol. 53. & 54.
h in Chron. ad Eugenium IV. Papam.
i in Collectar. Miraculor. Virginis Mar. c. 1.
k lib. 2. antiq. Ord. c. 1
l lib. de Scrip. Ecclef. in Cyrillo Alexandrino.
m in vit. S. Cyrilli inter Extrauagantes.
n lib 2. de Sacr. Doct. Eccle. c. 24.

Gregorius, & Cyrillus, qui fuit ex Congregatione Montis Carmeli. Vbi aperte, non alterius Cyrilli Constantinopolitani, aut Ierosolymitani, locutus esse videtur, cum de temporibus proximioribus S. Hieronymo, Augustino, Basilio, &c. qui synchroni fuere huic S. Cyrillo, & æquales, verba commisceat. Fauet Guillelmus Pipinus Dominicanus [a] a quo vocatur *Inhabitator montis Carmeli.* Suffragatur Arnoldus de Villanoua [b], quem etsi non legerim, ex ipso tamen hæc refert Cassanate *supra*, quæ ad verbum etiam Palæonydorus [c] recitat: *Tempore prædicti S. Ioannis* (XLIV. Patriarcham Hierosolymitanum subaudi) *mortuo Patriarcha Alexandrino Theophilo anno Domini 405. Cyrillus eremita Montis Carmeli, Episcopus Alexandrinus 28. ordinatur; vir vitæ sanctissimæ, fideique Catholicæ fidelissimus propugnator, strenuusque Hæreticorum debellator, fuit vero contra Timotheum, qui ad Patriarchatum adspirabat, totius populi assensu assumptus. Hic apud Alexandriam nedum claris, sed & Christianis ortus parentibus ab auunculo suo Theophilo Athenas missus adeo profecit, vt in breui adipisceretur Doctoris insignia. Audiens autem S. Ioannis in Hierusalem bonam famam, dum ipsius præsentia aliquandiu fruitus fuisset, iunctus fratribus Carmeli in Religione speculum dedit illis fulgentissimæ sanctitatis.* Maxime id sequuntur de ijsdem exteris auctoribus plures alij, qui eundem Cyrillum nostro Carmelo accensent. Hi sunt Guillelmus Einsengreneus in suis Centurijs Ecclesiasticis [d], Christianus Massæus Cameracesiu [e], Anonymus Guillelmitanus Vallis S. Antonij Brugis [f], quem magno in pretio seruat diligentissimus antiquitatis inuestigator Petrus noster V vastelius, vt testatur ipse [g] dum agit de vindicando libro de institutione Monachorum eiusdem Ioannis [h], Ioannes Carthagena [i], Renatus Choppin [k] eundem Cyrillum inter Carmelitas recensens. Carolus de Tapia [l] Philippus Lopezius relatus supra, & Laurentius Beyerlinck [m].

14 De nostris porro auctoribus non solum relati, vt Oliuanus, Guadalaxara, Episcopus Alguerensis, Philippus a S. Iacobo, & Coria, quos Cassanate relatus affert, sed & Vinieta, Ioannes Hildensinus, Ioannes Soreth, quos ex antiquioribus V vastelius [n] numerat huic assertioni subscribunt. Item Thomas Iesu nostrorum Excalceatorum decus, qui [o] sic scripsit: *Fue contemporaneo de Ioan. Hierosolymitano el gran Cyrillo Patriarcha Alexandrino, el qual presidio en el Concilio Ephesino en tiempo de Celestino Papa I. y alli destruio la eregia de Pelagio, y el error, y pertinacia de Nestorio, contra el qual (como tan hijo de la Virgen) honero a su Madre defendiendo el titulo tan honeroso y cierto que tiene de ser Madre de Dios. Que este glorioso Padre fuesse Monge del Monte Carmelo lo affirma Trithemio varon insigne, y en historias digna de gran credito, y auctoridad, y lo mismo siente Guilhelmo Eysengreleno en su historia Ecclesiastica, el qual pone a este glorioso S. por Monge Carmelita, y deste S. pone Paleonydoro la profession y vida y dice que consta haber sido S. de vuestra Orden de las historias de Ierusalem, Alexandria, y de otras muchas historias de los Griegos, de Ioan Cassiodoro, Thomas Neruicense, y finalmente*

[a] in concione de S. Anna.
[b] in Ep. ad Reg. Aragoniæ.
[c] lib. 2. c. 7.
[d] in tit. de monach. Carm.
[e] in Chron. ad tempus Concilij Ephesini.
[f] in lib. Episcop. & Episcop. Ecclesiæ Dei.
[g] in vindic. Ierosol. to. 2.
[h] sect. 4. ar. 8.
[i] homil. 2. de laudib. Carm.
[k] obsect. 7.
[k] lib. 1. monasticon.
[l] super Antonij tic. ingressi ... 17. n. 10.
[m] in Theatro vit. hum. to. 6. lib. 6. verbo Religiosus.
[n] supra §. 6.
[o] antiq. Carm. lib. 1. c. 12.

mente

mente de Thomas Vvaldense, y entre los autores denuestro tiempo lo affirma por cierto Basilio Sanctoro, y el Mantuano en su Martyrologio, o: fiestasde los Sanctos no se oluida de S. Cyrillo, como se coll ge destos versos:

Producente diem Phœbo, gelidamque fugante
Ex agris hyememfert annua festa Cyrillus
Vrbis Alexandri Pastor, defluxit ab alto
Vertice Carmeli; sancta primordia vitæ
Eliæ de fonte tulit —

Et post pauca idem Thomas hæc addit: *Y en el principio de las obras de este S. se pone del, entre otros testimonios, que fue Monge del Monte Carmelo; y es euidente confirmacion el hauerle concedido la Sede Apostolica a la Religion para que rece del como de S. proprio, y an si en la Orden se celebra su oficio a 28. de Enero. Florecio nuestro P. S. Cyrillo en los tiempos del Emperador Theodosio el menor, cerca de los anos del Senor de 432.* Hucusque Thomas, qui vno in se, omnium quæ legit, assertiones comprehendit.

Roborato. 15. Firmatur porro hęc Ordinis traditio circa monachismum Cyrilli in Carmelo non solum ex Officio Ecclesiastico ipsius iamrelato, quod tempore Gregorij XIII. Sixti V. Pauli V. & Vrbani VIII. a Sanctæ Sedis ministris recognitum fuit (quodpro pijs Catholicis satis, superque est) sed etiam ex Kalendarijs Ordinis nedum posterioribus, & neothericis, sed & antiquis, & vetustis valde. Vnum enim quod manu scriptum habetur in Codice Mechliniensi, & ante tempora Eugenij IV. & Sixti IV. iuxta olim in Ordine receptum vsum Ecclesię Ierosolymitanæ refert Vvastelius [a] eum habet ad quintum kalendas Februarij, (quo die Martyrologium Romanum, & alij Latini) sic: *Cyrilli Patriarchæ Ordinis nostri*. Quod & secuti sunt Patres Capituli generalis Romæ in Conuentu S. Martini; Præside S. Carolo Borromæo anno 1564. celebrati, statuentes etiam celebrandam esse octauam S. Cyrilli Patriarchæ.

a supra t. 6.

Ex Isidoro Pelusiota. 16. An idem intentum colligatur ex epistola quadam S. Isidori Pelusiotæ ad ipsum, quæ est 25. inter epistolas eiusdem Isidori in libro primo, lectorem interpellamus: Carpit eum sic: *Quid tibi vtilitatis affert Ioannis in locum desertum secessio, quam olim studiose imitatus es? Cum eum nunc minime imiteris, verum ad priuatas curas te referas, atque in solitudine tumultueris, & ab hominum cœtu remotus perturberis?* Sciscitari namque possumus, quis sit iste Ioannes, quem olim æmulatum fuisse in secessione ad desertum Cyrillum opponit Isidorus? Si enim dicatur, Baptistam Christi Præcursorem fuisse, quod notari videtur in margine illius Epistolæ, dum additur *Marc.* 1. quo Euangelij loco id denotari potest, non abhorret ab intento; cum ipsum circa Carmeli arua vitam aliquando egisse, plures, vt *tom.* 1. retulimus, sibi persuadeant. Sin verò Ioannes iste sit ille Ierosolymitanus eo tempore Cyrillo, Isidoro, & toti Orbi notissimus, de quo multa scripsimus, adhuc clarius corroboratur nostrum thema; siquidem is Ioannes Carmeli accola fuit, vt sæpius inculcatum manet.

manet. Nec marginalis illa additio *Marc.* 1. perturbet lectorem, simile namque marginale glossema sæpius vel ab imperito typographo, vel a parum docto reuisore libri addi solet. Hæc quoque vires sumunt ex eo, quod supra diximus, Ecclesiæ subnixi auctoritati, quod Scilicet Cyrillus ad huius Ioannis exemplum Carmeli in montem secesserit, & *ibi cum aliquot pijs hominibus cælestem vitam in terris aliquando egerit*. De quo etiam *sub anno* 396. *&* 397. dicetur. Fateatur saltem monachismi Cyrilli aduersarius licet inuitus eum vere monachum eremi cultorem egisse, prout ex relatis Isidori verbis, & ex sequentibus, vbi sic; *Etenim externo habitu, ac specie quiescere, mentis autem perturbationibus inquinari tum sensum caligine perfundit, tum susceptos iam labores extinguit*, clare videtur haberi. Quod adhuc clarius exprimit in sequentibus illi obijciens Apostolicum illud: *Nemo militans implicat se negotijs sæcularibus*. Et quod magis est audiatur ipsemet Cyrillus, qui *to.* 2. suorum operum *epist.* 1. iuxta plures editiones hunc titulum ipsi præfixit: *Cyrillus Presbyteris Diaconis, Patribus monachis, & ijs qui solitariam nobiscum vitam exercent, &c.* Cyrillus go solitariam vitam cum monachis aliquando exercuit. Cur ergo non in Carmelo, vt monumenta tradita proclamant?

Annus Christi 372. Damasi Pont. 6. Valentiniani, & Valentis Imper. 9. & Gratiani 6.

1 INTER plura nostræ Propheticæ, & monasticæ historiæ digna illud primo recensendum, quod de morte pretiosissima magni illius Hilarionis Abbatis post septuaginta pene annorum in eremo seruitium, miracula multa patrata, ac discipulorum instructionem, octogesimo suæ ætatis anno, qui huic tempori congruit, scribit S. Hieronymus [a] in eius vita his verbis: *Igitur octogesimo ætatis suæ anno, cum absens esset Hesychius quasi testamenti vice breuem manu propria scripsit epistolam, omnes diuitias suas ei derelinquens, Euangelium scilicet, & tunicam sacceneam, cucullam, & palliolum. Nam minister eius ante paucos dies obierat. Venerunt itaque ad ægrotantem de Papho multi Religiosi viri, & maxime quod eum dixisse audierant, iam se ad Dominum migraturum, & de corporis vinculis liberandum. Sed & Constantia quadam sancta femina, cuius generum, & filiam vnctione olei de morte liberauerat: quos omnes adiurauit, vt ne puncto quidem hora post mortem reseruaretur, sed statim eum in eodem hortulo terra operirent, sicut vestitus erat in tunica cilicina, & cuculla, & sago rustico. Iamque modicus calor tepebat in corpore, nec præter sensum quidquam viui hominis superarat, & tamen apertis oculis loquebatur. Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis seruisti Christo, & mortem times? In hac verba exhalauit spiritum. Statimque humo obrutum ante vrbi sepultum, quam mortuum nuntiauerunt. Quod postquam Palæstina sanctus vir audiuit Hesychius, perrexit ad Cyprum, &* S. Hilarionis obitus.

simulans

simulans se velle habitare in eodem hortulo; vt diligentis custodiæ suspicionem accolis tolleret, cum ingenti vitæ suæ periculo post decem fere menses corpus eius furatus est. Quod Maiumam deferens, totis Monachorum, & oppidorum turbis prosequentibus, in antiquo monasterio condidit, illæsa tunica, cuculla, & pallio; & tota corpore quasi adhuc viueret integro, tantisque fragrante odoribus vt delibutum vnguentis putaretur. Subiungit idem Hieronymus *cap. seq.* ista: *Cernas vsque hodie miram inter Palæstinos, & Cyprios contentionem, his corpus Hilarionis, illis spiritum se habere certantibus. Et tamen in vtrisque locis magna quotidie signa fiunt, sed magis in hortulo Cypri, forsitan quia plus illum locum dilexerit.* Qui alia de Hilarione desiderat legat Sozomenum [a], Nicephorum [b] & *lib.* 10. *c.* 8. ac *lib.* 11. *c.* 29. Lippomanum, & alios vitarum Sanctorum scriptores. Coriam, & Historicos Ordinis, præsertim Arnoldum Bostium [c].

a lib. 3. c. 13. lib. 5. c. 9.
b lib. 9. c. 15.
c lib. 5. operis hist. c. 32. 33. 34. & 35.

Melania, & Ruffinus.

2 Huic anno ascribit Baronius peregrinationem Melaniæ & Ruffini è Roma in Orientem. Cæterum ante hoc tempus contigisse *sub ann.* 364. dictum cum diligenti auctore Vvastelio. Credendum potius hoc anno, quo, defuncto Magno Athanasio dira persecutio exagitauit Ecclesiam Alexandrinam, totamque Ægyptum, D. Hieronymum in Syriæ eremo latitantem, monachiq; vitam gerentem ad Ruffinum in Ægypto manentem, & monachos illic confessores inuisentem, epistolam scripsisse; in qua inuitat ipsum vt ad se in Syriam pergat; asserens se vno Euagrio excepto omnibus derelictum fuisse, Innocentio scilicet, Hylaque defunctis, & Bonoso. Insulam quandam pœnitentiæ peragendæ causa incolente. Eam porro scripsit Hieronymus epistolam postquam è Gallijs rediens, & per Aquileiam transiens, mox Thraciam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam, Ciliciam, atque Syriam peragrando, Antiochiæ consederat. Locus porro Syriæ, in quo solitariam, & Monachalem vitam gerebat, Chalcidis Prouinciæ solitudo erat, inter Syros, & Sarracenos. Fuere eius comites Innocentius, atque Hylas relati; accessit postea Heliodorus, qui & cito recessit, spe tamen redeundi. Ibi autem scripsisse super Abdiam Prophetam commentaria facile credi potest. Sic colligit Baronius ex varijs eiusdem Hieronymi Epistolis.

D. Hieronymus gesta.
d in epist. 22.

3 De vitæ vero ratione, quam in ea eremi solitudine gerebat, prælijs tum carnis, tum dæmonis exercitatus, sic ipse [d] ad Eustochium: *O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horrendum monachis præstat habitaculum, putabam, me Romanis interesse delitijs? Sedebam solus, qui amaritudine plenus eram: horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat: quotidie lacrymæ, quotidie gemitus: etsi quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis vero, & potu taceo, cum etiam languentes monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantum socius, & ferarum, sæpe choris intereram*

puella-

puellarum: pallebant ora ieiunijs, & mens desiderijs aestuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne praemortua sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Iesu iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Non erubesco confiteri infelicitatis meae miseriam; quin potius plango, me non esse, quod fuerim. Memini me clamantem, diem crebro iunxisse cum nocte, nec prius a pectoris cessasse verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam, quasi cogitationum mearum consciam, pertimescebam, & mihimet iratus, & rigidus, solus deserta penetrabam; & sicubi concaua vallium, aspera montium, rupium praerupta cernebam; ibi meae orationis locus, ibi illud miserrimae carnis ergastulum; & vt ipse testis est Dominus, post multas lacrymas, post caelo inhaerētes oculos, nonnumquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum, & laetus, gaudensque dicebam: Post te in odorem vnguentorum tuorum cucurrimus. Hactenus ipse. Praeter quae etiam grauissime afflictatus est in ea eremo, quod calumnijs impeteretur, Sabellianus appellatus, adeo vt coactus fuerit inde recedere. Idem Hieronymus [a]. Ibi quoque non ieiunijs solum, sed iugi litterarum studio, Hebraicorum praesertim, carnis impetus infraenasse, ipsemet Hieronymus testatur [b]. *a epist. 17. ad Marcum. b in ep. ad Rusticum.*

4 Arripuit autem hoc tam arduum monasticae vitae institutum Hieronymus, consulto praesertim Theodosio inter alios Syriae monachos clarissimo, prout ex *epist.* 38. elicit Baronius hic. Quis porro fuerit iste Theodosius, dubium emergit, cum multi huius nominis fuerint. Veruntamen credimus illum esse, de quo Theodoretus [c] haec habet, conformiter ad ea, quae de ipsomet Theodoreto [d] refert Baronius [e]. Videlicet, in monte quodam versus Rosum Ciliciae oppidum habitasse Theodosium, *quadam modica extructa domuncula.* Vbi inquit hęc: *Acibo abstinentia, & quomodo humi cubaret, & cilicio indueretur, superuacaneum est dicere ijs, qui eius vident discipulos, sodales, & in eis eandem cernunt viuendi formam. Hęc tamen ille insigniter persequebatur, vt qui seipsum certantibus exemplar proponeret. His autem adijciebat ferreum onus collo, & lumbis, & ambabus manibus. Porro autem gestabat quoque comam sordidam, & quę ad ipsos vsque pedes pertingebat, & vlterius etiam progrediebatur, & ideo erat lumbis eius alligata. Deprecatione autem, & hymnodia vtens assidue, cupiditatem, & iram, & arrogantiam, & alias animi belluas sopiebat. Labores autem semper augens laboribus, persequebatur eam quoque, quae manibus fit operationem: nunc quidem sportellas quae vocantur, & vimineas crates contexens, nunc autem parua praedia in saltu efficiens, & semina deijciens, & illinc quantum victui satis esset colligens. Postquam autem procedente tempore eius fama peruasit in omnem partem, multi multis ex locis concurrebant, eius & habitationis, & laboris, et instituti esse socij cupientes: quos quidem excipiens ad eandem vitam deducebat. Et videre licebat alios quidem vela, alios vero sagum ex pellibus texentes: alios vero crates vel sportellas connectentes, alios vero terram*

Theodosius. *c in lib. 1. de Vit. Pat. c. 10. d in Philot. e sub hoc anno.*

ram

ramcolentes. Et quoniam locus erat maritimus, ad transmittendum quoque quadam constructa nauicula, quæ ponto appellatur, ea vtebantur ad ea, quæ erant inferenda, et exportans opera eorum qui simul habitabant, & importans ea quæ erant necessaria. Memor enim vocis Apostolicæ, quæ dicit: Noctu, diuque operantes, ne essemus oneri alicui vestrum: et manus hæ mihi, & ijs qui erant mecum suppeditarunt, & ipse laborabat, et hortabatur suos contubernales, vt cum animæ laboribus, corporis quoque labores coniungerent. Est enim absurdum vt ij quidem, qui aluntur in vita seculari, se affligentes, & laborantes alant filios & vxores, & præterea, & tributa conferant, & ab eis exigantur vectigalia, & Deo offerant primitias, & mendicorum pro viribus medeantur inopiæ: nos autem non quæramus ex laboribus ea, quæ sunt necessaria, idque cum vili quidem, & modico cibo, vili autem veste vtamur: sed sedeamus quidem compressis manibus, alienis autem fruamur laboribus. Hæc & talia dicens, hortabatur ad operandum, in tempore quidem, quæ sunt vbique præscripta diuina peragens officia, id autem quod intercedebat temporis, impendens operi. Non leuem autem curam gerebat hospitum, viris lenitate, & morum mansuetudine ornatis, & in proximum charitate præditis, vt eis prouiderent committens: ipse autem visebat, & inspiciebat omnia perscrutans an ex latis legibus vnusquisque suo fungeretur officio. Hinc factum est, vt tam insignis, & celebris esset eius fama, vt qui nauigabant, & plus quam mille stadijs aberant, Deum Theodosij inuocarent in periculis, & Theodosij appellatione sedarent tempestatem. Post alia ista de eodem Theodosio: *Dum autem me trahit impetus orationis prætermisi narrare miraculum, quod a diuino illo viro factum est, quod multis quidem fortasse videbitur esse incredibile, & tamen remanet in hodiernum vsque diem, oratione testificans, et ostendens qualem apud Deum gratiam, & fiduciam est consecutus hic vir admirabilis. Præceps quædam petra imminet monasterio quod ipse ædificauit: erat autem primo sicca, & omni humore vacua. In ea fecit aquæductum, qui à vertice fertur in monasterium, tamquam qui motum aquarum haberet in potestate. Plenus autem fiducia in Deum, & firmiter credens, vt est verisimile, se Dominum habere beneuolum, & fidem habens in quam nulla cadebat dubitatio ascendit in supremam partem eius, qui nunc est aquæductus, priusquam surrexissent sodales ad preces consuetas: & Deum precatus, fretus eo qui facit voluntatem timentium eum, virga cui inixus erat petram percussit. Ea vero recepta, aqua instar fluminis scaturijt: & monasterium ingrediens per aquæductum, et quantum ad omnem vsum sufficis abunde suppeditãs, in mare propinquum influit, et in hodiernum vsque diem ostenditur operans Mosayca magni Theodosij gratia. Sufficit vel hoc solum ad ostendendam viri huius erga Deum fiduciam. Cum autem Antiochiæ vixisset paruo tempore, migrauit ad choros Angelorum. Per mediam autem vrbem ferebatur sacrum corpus tamquam aureis quibusdam coronis, feretro illo decoratum, cum omnes duces concurrissent, et qui magnos suæ fidei creditos gerebant magistratus. De cubili autem erat magna lis, et decertatio, cum id omnes auferre contenderent, et ex eo benedictionem, et vtilitatem percipere*

pere

pere cuperent. Sic elatus ponitur in æde sanctorum martyrum, cum Iuliani victoria insignis in pietate athleta fuisset, et contubernalis, et eodem tecto vsus. Idem autem loculus eum excepit, qui illum quoque diuinum, et beatum Aphraatem. Ecce sancti Monachi magnalia.

5 In demortui Athanasij Alexandrini Antistitis locum sufficitur Petrus Præsulatu dignissimus, cooperantibus monachis; contradicentibus tamen Iudæis, & Gentilibus, vt propterea Romam fugere coactus sit, & in eius locum Lucius introductus, vir pessimus, & qui magnam cladem eidem Ecclesiæ attulit, monachis præsertim, ex quibus plures lacerati fuerunt, sicut & virgines sacræ denudatæ, alij vero Neocæsaream Ponti relegati. Theodoretus [a], Nazianzenus [b], Petrus ipse apud Theodoretum [c], Cassianus [d], qui a Baronio iure reprehenditur, quod in Eremis Ponti, & Armeniæ dixerit non fuisse tunc Anachoretas.

Petrus Alexandriæ suffectus.

a lib. 4. c. 10. & 19.
b Orat. in laudib. Heron.
c supr. c. 20.
d collat. 8. c. c. 7.

6 Cæterum Ruffinus [e] hæc de Monachorum excidio sub hoc Lucio narrat: *Inde post fugas ciuium, & exilia, post cædes, et tormenta, flammasque, quibus innumeros confecerat, ad monasteria furoris sui arma conuertit, vastat eremum, et bella quiescentibus indicit. Tria millia simul, aut eo amplius viros per totam eremum secreta, et solitaria habitatione dispersos oppugnare pariter aggreditur, mittit armatam equitum, & peditum manum. Tribunos, præpositos, et bellorum duces tamquam aduersus barbaros pugnaturus eligit. Qui cum venissent nouam belli speciem vident, hostes suos gladio obiectare ceruices, et nihil aliud dicere, nisi: Amice ad quid venisti? Per id tempus patres monachorum vitæ, et antiquitatis merito, Macarius, Isidorus, aliusque Macarius, atque Heraclides, et Pambus Antonij discipuli per Ægyptum, et maxime in Nitriæ deserti partibus habebantur viri qui consortium vitæ, et actuum non cum cæteris mortalibus, sed cum supernis Angelis habere credebantur. Quæ præsens vidi, loquor, et eorum gesta refero, quorum in passionibus socius esse promerui.* Rursus idem Ruffinus *n.* 4. de monachis: *Hi ducebant exercitum Domini in eremum non mortalibus telis, sed fide religionis armatum, exercitum moriendo vincentem, et qui sanguinis sui profusione victor Christum sequeretur ad cœlum. Quique dum in tabernaculis positi, et orantes expectarent interfectores suos.* Prosequitur post hæc referens miraculum ab his monachis effectum in nomine Iesu, quem Lucius persequebatur. Et de illuminatione cuiusdam cæci meritis Macarij. De quo etiam refert visum tribuisse catulis leonis cæcis, quos leæna mater ad ipsum attulerat. Vt propterea bestia velut munus pro suscepta gratia redditura pelles ouium ipsi detulerit. Pergit deinde de hac Lucij persecutione erga monachos sic: *Sed in his omnibus Lucius non erubuit, nec aliquid reuerentiæ virtutum mirabilibus detulit; quinimo iubet patres ipsos ablatos a grege suo, immo clam raptos in Insulam quandam Ægypti paludium deportari, in qua comperer at neminem prorsus esse Christianum, quo per hoc, vel absque solatijs, vel absque consuetis actibus viuerent. Senes igitur cum duobus solis pedissequis noctu ad insulam deducuntur.* Et post hæc, quomodo in hoc loco filiam cuiusdam Saerdo-

Monachi sub Lucio quæ passi.

e lib. 10. c. 3. & 4.

tis Idolorum templi, quod ibi erat, a dæmone obsessam, liberauerint, & in causa fuerint, quod templum illud ab ipsis ethnicis euerteretur, & Ecclesia loco ipsius extrueretur. Ac tandem. *Sed hoc cum fuisset Alexandriæ nuntiatum, veritus Lucius, ne forte etiam suorum in eum odia iusta consurgerent, qui aperte iam bellum non hominibus, sed Deo indiceret, occulte eos reuocari, & in eremum remitti iubet.* Commemorant etiam hanc persecutionem Socrates [a], Sozomenus [b], Theodoretus [c], D. Basilius [d] litteras consolatorias idcirco Alexandrinis scribens, per Eugenium monachum, quem filium suum appellat, & per quem postulat, vt ad eum rescribant.

a lib. 4. c. 17. & 19. b lib. 6. c. 21. c lib. 4. c. 19. d Epist. 71.

Conuersio Reginæ Mauuiæ.

7 Interea magnum quid admiratione dignum, & diuinæ prouidentiæ erga suam Ecclesiam sponsam indicium, vt dum Imperator, & Arriani eam ignominijs afficerent, direque vexarent, eidem nomen dare procuraret Mauuia Saracenorum Regina, sub vno celebri ea tempestate monacho, Moyses nomine, qui in episcopum electus Lucium Arrianum reiecit, nec ab illo ordinari passus est, sed ab ijs Episcopis, quos Lucius ipse in exilium truserat. Rem ex Ruffino [e] sic habemus historiæ nostræ monasticę iure inserendam: *Mauuia Saracenorum gentis Regina vehementi bello Palæstini, & Arabici limitis oppida, atque vrbes quatere, vicinasque simul vastare prouincias cœpit. Cumque frequentibus bellis Romanum attriuisset exercitum, & plurimis peremptis, reliquos vertisset in fugam, orata pacem non aliter se amplexuram promittit, nisi Moyses quidam nomine, monachus, genti suæ ordinaretur Episcopus. Qui in eremo partibus suis propinqua vitam solitariam ducens meritis, & virtutibus, ac signis, quæ faciebat Deus per illum, magnifice innotuerat. Petitio eius Principi indicata Romano sine vlla dilatione iubetur impleri a ducibus nostris, qui ibi infeliciter pugnauerant. Captus Moyses ad Sacerdotium suscipiendum Alexandriam ex more deducitur. Adest Lucius, cui ordinandi ferebatur officium. Quo viso, Moyses, præsentibus ducibus, qui perurgebant, & populis, ait: Ego quidem me non esse dignum tanto sacerdotio iudico, veruntamen si aliqua in me, licet indigno, diuina dispensatio putatur explenda, Deum nostrum cæli, ac terræ dominum testor, quod Lucius sanctorum sanguine pollutas, & cruentas super me non injciet manus. Cumque Lucius tam graui nota inustum se videret in oculis plurimorum: Quare, inquit, ô Moyses, tam facile condemnas eum, cuius fidem ignoras? Aut si tibi aliquis de me aliter indicauit, audi fidem meam, & tibi ipse magis quam alijs crede. Tunc ille: Desine, inquit, ô Luci, dolosis tuis me quoque imaginibus aggredi. Bene mihi nota est fides tua, quam protestantur serui Dei per metalla damnati, Episcopi in exilium trusi, presbyteri, diaconi extra Christiani nominis habitacula relegati, bestijs alij, alijctiam ignibus traditi. Nunquid potest verior esse fides quæ auribus capitur, quam quæ oculis peruidetur? Apud me certum est, quod qui Christo recte credunt, ista non faciunt. Et ita maiore dedecore deformatus (quoniam perurgebat necessitas reipublicæ consulendi) compulsus acquiescere, vt ab Episcopis, quos in exilium truserat, sacerdotium*

e lib. 11. c. 6.

cnum sumeret. Quo suscepto, & gentis ferocissimæ pacem tenuit, & fidei catholicæque custodiuit intemerata consortia. Pro hac Moysis historia adeat lector Socratem [a], Sozomenum [b], & Theodoretum [c]. Et animaduertat plures huius nominis referri in libris vitarum Patrum, videlicet Moysem Abbatem; Moysem in cacumine montis degentem, Moysem Schiticum, Moysem Abbatem, qui habitabat in Petra; Moysem ex latrone monachum; Moysem Lybicum; Moysem Antiochenum; & Moysem Polychronij discipulum, & incertum an cum aliquo ex istis coincidat.

[a] lib. 4. c. 29. [b] lib. 6. c. 38. [c] lib. 4. c. 2.

8 Agit sub hoc anno Baronius de Didymo Alexandrino cæco, de quo nos *sub anno 363.* diximus, & ab ipso inquit hausisse Ruffinũ, & Melaniam cum dulci potu venenum Origenianę sectæ. Sed quod spectat ad Didymum, Origenistam fuisse, & non Monachum, ac proinde a nostra historia alienum eo loco dictum. Vnde Gordonus, qui hunc Didymum monachum appellat, corrigendus. Ruffinum autem, & Melaniam hoc veneno infectos fuisse maiori eget indagine, & ita de hoc in sequentibus, vbi an ab hac nota excusari possint, saltem Melania; esto id de Ruffino negari non posse videatur. Pij enim scriptoris partes esse putamus in benigniorem partem inclinari; & qua fieri possit, errores viris clarissimis affixos submouere.

Didymus Alexandrinus.

9 Facilius credimus huic tempori tribuenda, quæ de Melania ipsa habet S. Paulinus [d]: sunt etenim propria eius persecutionis, qua sub hoc tempore a Valentis Imperatoris ministris monachi Egypti afflictabatur. Et ita sentire videtur Heribertus [e], verisimile etiam putans gesta esse in Nitria Ægypti loco. Sic ergo Paulinus de Melania: *Eadem tempestate per triduum quinque millia monachorum latentium panibus suis pauit; vt per eius manum iterum Dominus Iesus pristinum numerum in deserto pasceret, tanto quidem nunc impensiori clementia, quanto minori licentia fouebantur occulti, quam illi quondam, qui ad Dominum voluntarie in libertate, & pace conuenerant. Sed hæc nec timida deprehendi, interdictum secura præbebat officium; nec volens gloria operationis agnosci, tamen operis magnitudine prodebatur, totidem apud homines testimonijs gloriosa, quot pastis, Deo conscio.*

Melania.

[d] Epist. 10.

[e] in Prælud. ad lib. vit. Patr. annot. 19.

Annus Christi 373. Damasi Papæ 7. Valentiniani, & Valent. Imper. 10. & Gratian. 7.

1 DAMNATI sunt hoc tempore errores Apollinaris, viri alias egregię famæ in Ecclesia, Vitalis, & Timothei sectatorũ ipsius a Damaso Papa, & Concilio Romano; quibus dicebatur Sanctam Virginem Mariam Deiparam non esse; Christi carnem de cęlo sumptam: per Virginem tanquam per canalem decurrisse, anima humana caruisse, Verbo animæ vicem supplente. De his portentis Hieronymus, Nazianzenus, Sigibertus, Onuphrius, Baronius, Gualterius, & alij.

Gesta in Ecclesia.

Ioannes Monachus. a lib. 2. vit. Pat. c. 25. b lib. 8 vit. Pat. c. 60. & 61.

2 Interim ad Ægyptum reuertentes occurrit ex Eremo Ioannes quidam diuersus ab alijs eiusdem nominis in superioribus relatis, de quo Ruffinus [a] & Palladius [b] plura enarrant. Inter quæ, quod tribus continuis annis, sub cuiusdam saxi rupe stans semper orauerit, nunquam residens, aut iacens, & tantum somni capiens quantum sic poterat: Quod Satanæ presbyterum simulanti viriliter restiterit, claudo cingulo eius tacto sanitatem donauerit, sanatq; quoque ægri pane ab ipso benedicto: & absens fratrum conuersationem agnosceret. De ipso etiam Nicephorus [e].

e lib. 11. c. 30.

Hæreticorum monstra.

3 Quo etiam tempore inter plurima hæreticorum monstra, vel nomine ipso horrenda quæ Galatiam, & Cappadociam occupabant, scilicet inter alios *Borboritas*, qui dediti concupiscentijs futurum negabant iudicium; *Passalorincitas*, qui digitum naribus, orique imponentes perpetuum silentium seruabant, nihil præterea curantes: *Ascodrogitas*, siue *Ascodrobos*, qui bacchanalia in Ecclesiam induxerunt: *Artoritas*, qui in sacrificio panem & caseum offerebant, de quibus meminerunt D. Hieronymus [d], & Philastrius [e], in eis partibus florebant plures monachi, inter quos primas tulit Leo sanctissimus monachus, qui postea Ecclesiæ Ancyræ Episcopus creatus est. Sozomenus [f], Baronius [g].

d in ep. ad Galat. lib. 2. e cap. 74. 75. & 76. f lib 6. c. 34. g hic.

Ioannis Ierosolymitani gesta.

4 Præcipuè tamen inter Carmeli incolas vnus cum esset Ioannes ille postea ad Ierosolymitanæ Ecclesiæ regimen assumptus, suorum coeremitarum curam veluti ipsorum Pastor solicitè gerebat, ad vitam Propheticam, quam profitebantur inducens, ex diuersis tam veteris quam noui testamenti testimonijs, alijsque ipsorum monumentis suam doctrinam exponens. Sic enim ex B. Cyrillo Constantinopolitano *in Epistola ad Eusebium montis Neros Eremitam*, quæ extat in Speculo Ordinis [h], his verbis habetur: *Fuit autem tempore Arcadij, & Honorij Imperatorum in Mõte Carmeli pater dictorum religiosorũ quidam vir miræ virtutis, et perfectionis Ioannes nomine, qui cęteros consortes suos eiusdem montis monachos exemplo suo, et magisterio solicite inducebat ad perfectionem adquirendã secundũ Propheticam disciplinam vitæ monasticæ per Eliam Prophetam institutæ. Quam disciplinam Ioannes eis exponebat ex diuersis dictis tam veteris quam nouæ legis, et ex nonnullis tractatibus editis a prædecessoribus suis.* Eadem mutuati fuerunt Ioannes de Vineta [i], percelebris, & venerabilis pater Ioannes Soreth [k], Palæonydorus [l], & alij historici Ordinis, in eo solum lima digni quod dicere videantur tempore Arcadij, & Honorij Ioannem Carmeli Præsulatum gessisse, cum tamen hi Imperij clauum non sumpserint vsque ad annum 395. prout neotherici Chronologi describunt. Æquiuocationis forsan causam dedit quod horum Imperatorum tempore Ioannes ipse nominatissimus habebatur. Alia de ipso in sequentibus.

h lib. 8. c. 8.

i in Tract. qui incipit cum quidam fratres. k in Prolog. ad Comment. Reg. Carmel. l lib. 2. c. 6.

Annus

Annus Christi 374. Damasi Pont. 8. Valentiniani, & Valentis Imper. 11. & Gratiani 8.

1 CIRCA hoc tempus magnus ille Episcopus Epiphanius, de quo in superioribus, Librum *Ancoratum* dictum pro fide Catholica scribebat, petentibus Magistratu, & clericis Ecclesiæ Suedrorum in Pamphylia. Sic colligit ex ipso Epiphanio Baronius, & alij hoc loco. Quia tamen S. hic Pater aliquando Essenos inter hæreticos collocat, ne ex hoc lector errandi ansam subripiat animaduertat ipsum *in Panario*, seu alio libro *contra hæreses hæres.* 29. honorificam mentionem habere de Essenis, quos vocat *Iessæos*, quia scilicet ex Hebræis ducebant originem. De illis enim multa, iuxta Philonem præcipuè; præsertim de eorum conuersatione, Monasterijs, habitatione circa *Mariam* paludem, conuersione sub Marco Euangelista; & alijs. Quæ autem *hæres.* 10. de Essenis Samaritis, & *hæres.* 19. de Ossenis scribit, procul absunt a nostris Essenis, vt diximus *to 1 sub ann. 3545. n. 45. & 46. & sub ann. 3608 n. 11.* ex Posseuino, Serario, Vvastelio, Scaligero, & Drussio. S. Epiphanius.

2 Prope idem tempus in eremo, quæ Parthenio Mari adiacet, & vicina est oppido Diolco virtutibus, & reuelationis gratijs florebat Piammon Presbyter, de quo Ruffinus [a] qui eum cum alijs eo loco visitauit hæc scripsit: *Quodam tempore, cum Domino sacrificium offerret, vidit Angelum Domini stantem iuxta altare, & vniuscuiusque monachorum accedentium ad altare scribentem nomina in libro, quem tenebat in manibus; quorundam tamen nomina non scribentem. Cumque diligenter obseruaret senior, qui essent quorum nomina non scripsisset, posteaquam sunt completa mysteria, vnumquemque eorum seorsum vocans, percontatur, quid eis in occulto peccati fuisset admissum; & inuenit ex confessione vnumquemque eorum mortalis peccati obnoxium. Tunc hortatur eos agere pœnitentiam, & semetipsum cum eis ante Dominum prosternens, die, ac nocte tamquam ipse in eorum peccatis esset obnoxius; flebat, & tam diu permansit cum eis in pœnitentia, & lacrymis, donec iterum videret eundem Angelum stantem, & scribentem nomina accedentium. Et posteaquam omnium scripsit, tunc etiam illos ex nominibus euocantem, atque ad reconciliationem altaris inuitantem. Vbi hoc vero senior vidit, intellexit eorum susceptam esse pœnitentiam: & sic eos altari tota cum gratulatione restituit.* Aliter rem narrat Palladius [b], & sane credibilius, cum vix credi potest, quod eo florentissimo monachorum æuo aliqui fuissent, qui ad Sacram Synaxim cum lethalis piaculi reatu accedere præsumerent. *Est autem alia quoque solitudo in Ægypto, maritima quidem, sed difficillima, in qua multi, & magni habitant Anachoretæ, quæ est prope Vrbem Diolcon. Vidimus autem illic presbyterum virum sanctum, & valde humilem, & assidue videntem visiones, nomine Ammonam. Is aliquando offerens Deo sacrificium videt Angelum stan-*

Pammon.

a lib. 2. vit. Pat. c. 32.

b lib. 8. vit. Pat. c. 72.

tem a dextris altaris, & not antem fratres accedentes ad gratiam, & scribentem in libro eorum nomina. Cum autem non adfuissent aliqui in Synaxi, vidit deleri eorum nomina, qui post tres dies sunt mortui. Hunc enim Ammonam Palladij, & Piammonem Ruffini eundem fuisse indicant ipsius Presbyterium, Eremus Diolchon, & visiones quas habebat; idque supponit Heribertus [a]. Maxime id elicitur ex eo quod vterque referat de ipso, quod cum aliquando a dæmonibus varie tortus esset, ab Angelo coram fratribus sanitati restitutus fuisset. De eo etiam Sozomenus [b], Nicephorus [c], & ex nostris Palaeonydorus, Thomas de Iesu, Fuente, Philippus a S. Iacobo, Guadalaxara, & alij *in suis Catalogis.*

a in Annotat.
b lib 6. c. 28.
c lib 11. c. 35.

Ioannes Abbas
d supr. c. 33.
e cap. 73.

3 Refertur etiam ab eodem Ruffino [d], & Palladio [e] in eadem Eremo floruisse quendam, Ioannem nomine, Monasteriorum Patrem, & cui Deus gratiam curationum, præsertim circa paralyticos, & podagra laborantes contulerat. De eo quoque Sozomenus supra, etiam ad chiragricos eius virtutem extendens. Sed non prætermittenda singularis gratia huic sancto monacho concessa a Deo, quam Ruffinus sic commemorat: *In quo tanta erat consolationis gratia, vt quacunque mæstitia, quocunque tædio oppressa fuisset anima, paucis eius sermonibus, alacritate, & lætitia repleretur.* De eo quoque quidam ex nostris.

Monachi alij.
f in Epilogo sui 2. lib. vit. Pat.

4 Prosequitur idem Ruffinus [f], dicens se in pluribus alijs locis Ægypti sparsim vidisse monachos plurimos virtutes multas, & mirabilia facientes. Ad eos vero qui in superiori Thebaide circa *Sienem* habitare dicebantur, accedere non potuisse propter pericula itinerum, latronum, sitis, asperitatis locorum, & crocodilorum homines inuadentium.

g lib. 3. Vindic. epoc. 10. sect. 4. ar. 4. § Prior est.
h lib 8 vit Pat. c. 118.
i in Laurad. c. 33. & 42.

5 Manebat in Ægypto toto hoc decennio, quod ab anno 364. vel 365. vsque ad præsentem, vel immediatè sequentem computatur, celebris illa Melania, de qua in superioribus actum. Sic enim luce clarius colligitur ex Palladio, & Heraclide, quos sequitur noster Vvastelius [g], Etenim Palladius [h], & Heraclides [i] expresse asserunt totum tempus peregrinationis Melaniæ ab Vrbe Roma fuisse triginta septem annorum, & ex ijs viginti septem Ierosolymis insumpsisse, ex hoc enim euidenti illatione elicitur toto isto primo decennio in Ægypto egisse. Post quod, cum ob malitiam Valentis Imperatoris Episcopi ex proprijs sedibus pellerentur, multique ex Ægypti partibus, hac clade afficerentur, hæc pia fæmina ipsis commiserata vsque in Palæstinam cum alijs monachis extorribus illis associata suis proprijs expensis alebat. Rem sic narrat idem Palladius loco relato [k]. *Post hæc autem cùm Augustalis Alexandriæ relegasset Isidorum, & Pissimium, & Adelphium, & Paphnutium: & Pambo, & inter eos etiam Ammonium Parotium, seu vnam habentem auriculam, & duodecim Episcopos, & presbyteros, & clericos, & anachoretas, vt essent omnes numero centum viginti sex in Palæstinam circa Diocæsaream, ipsa eos est secuta, eis ex suis proprijs pecunijs subministrans in necessitatibus sumptuum, atque ministerius suppeditans.* Narrat confestim qualiter induta seruili veste

k cap. 117.

eis

eis ad vsum necessaria ministraret, & quomodo cùm Consularis Palæstinæ eam propterea in carcerem coniecisset, ipsa illi suam ingenuitatem christiana libertate obiecisset, vt propterea Iudex eam impunè dimitteret. Similia habet lector in Heraclidis Paradiso [a], Baronio [b], nostro Bostio [c].

a cap. 33. *b sub ann. 372.* *c lib. 5. histor. c. 61.*

6 Creditur etiam in hac peregrinatione Melaniæ ex Ægypto ad Palæstinam comitem habuisse Ruffinum, de quo in superioribus dictum. Nec enim par erat, vt quam è Roma Ægyptum venientem comitatus fuerat, Ierosolymam peregrinantem dimitteret. Præsertim, cùm D. Hieronym. [d], de eo dicat: *Ruffinus, qui cum S. Melania ab Ægypto Ierosolymam venisse narratur &c.* Et S. Paulinus [e] eum vocet *S. Melaniæ spiritualis viæ comitem.*

Ruffinus.

d in ep. ad Florentium. *e in ep. 9. ad Seuerum.*

7 Cùm autem inter exules Ægypti monachos, & ad Palæstinæ loca relegatos vnus fuerit Pambo, vt ex Palladio, Heraclide, & Baronio habetur, credi datur eo etiam tempore Ioannis nostri postea Ierosolymitani Antistitis magisterium gessisse, vel in Carmelo ipso, vbi idem Ioannes curam aliorum coeremitarum gerebat, iuxta dicta *sub ann. 373.* vel alio loco quo ad tempus conuenire poterat tam celebrem in monachatu virum. Præter Carmelum etenim alia Syriæ deserta loca coluisse Ioannem disertè habet Author eiusdem instituti desertor Ioannes Balæus, dum [f] de Palladio Græco loquens dicit: *Palladius Græcus, primus Scotorum Apostolus, Ioannis 44. Ierosolymorum Episcopi discipulus olim fuit, vt author est Nicolaus Harlemius, dum adhuc eremi cultor solitaria Syriæ loca, potissimè Carmelum, incoleret.* Non igitur Ioannes noster Carmelum dumtaxat, sed & alia Syriæ solitaria loca coluit, vt propterea etiam hoc tempore Pambonis huius celeberrimi inter Ægyptios Archimandritæ auditor esse potuerit.

Ioannes Ierosolymorum.

f in Catal. Script. Britanniæ Centur. 14.

Annus Christi 375. Damasi Papæ 9. Valentiniani, & Valentis Imper. 12. & Gratiani 9.

1 HOC anno, prout spectat ad sæcularem historiam, Valentinianus subita sanguinis eruptione moritur. Valens autem Imperator nequitia exardescens, etsi ab Ecclesiarum persecutione abstinuisse videretur, nouo tamen excogitato prætextu, diram aduersus monachos nostros, eos præsertim, qui in partibus Ægypti, & Nitriæ gloriose eremos colebant, tribunis, & militibus ad hoc facinorosum scelus missis, ad militiam sectandam cogens, mouit; quod & multis ipsorum interfectis exequebatur. Alijs verò dira imposita exactione tributorum, in ijs vindictam sumebat, quòd eos ipsi inuisos agnosceret. D. Hieronymus [g], Gregorius Nazianzenus [h], Basilius [i], qui eos per Sactesimum Presbyterum consolatus est.

Huius anni gesta.

g in Chron. *h Orat. ad Iulian.* *i epist. 19.*

2 Clari erant sub hoc tempore in monachismo Acacius, & Paulus Archi-

Monachi clari.

Archimandritæ, & Patres Monasteriorum partium Chalcidis, seu Chalcedonis, & Beræ Cauæ Syriæ, qui ad D Epiphanium Epistolam scripsere postulantes, vt ea quæ de hæreticis dixerat, ipsis impertiretur. Prout patet ex ea, quæ præponitur inter opera eiusdem Epiphanij ante *Panarium*, seu *opus de heresibus*, & ex alia responsiua ad eosdem, quæ ibi etiam præponitur. In ea porro Acacij, & Pauli Epistola eum vocant *Ioannem nouum, & prædicantem quæ debent seruari ab his qui cursum hunc propositum habent*, id est monachis. Quibus nedum monachum, sed & monachorum Principem eius æui, sicut Ioannes Baptista in virtute Eliæ fuit, eum commendare videntur. Pro quo videnda, quæ in superioribus de eo dicta manent, & Baronius sub hoc anno. De hoc Acacio frequens mentio apud Theodoretum [a], reperitur. Et eius, & Aetij, Pauli, & Siluani etiam monachorum apud Basilium [b].

a in Comment. hist. SS.PP.
b epist. 19.
Simplicianus.

3 Clarissimus etiam hoc æuo fuit S. Simplicianus D. Augustini postea Ecclesiæ iubaris Magister, & D. Ambrosij Mediolanensis tunc Antistitis in Episcopali munere obeundo coadiutor transmissus; de quo plura in sequentibus. Est enim historiæ, & Annalibus nostris iure, meritoque inserendus, nedum propter monasticam, & eremiticam ab ipso gestam vitam, sed & specialiter, quia illum nostris Eliadibus, & Carmeli fruticibus accensent historici nostri, specialiter Palæonydorus [c], Coria [d], Thomas de Iesu [e], quos Embum, Fuente, & Guadalaxara sequuntur, maxime Cassanatè *in Paradis. Carmelitic. decor. stat. 2. art. 6. c. 150.* Asserentes etiam a Caprasio Carmeli Archimandrita, cuius discipulus Simplicianus erat, missum fuisse in Italiam tempore Euticianæ hæresis sicut Liberatum, & Felicem ad Africam; Romanum Constantinopolim; & Timotheum in Monasterium Montis Neroi. Cæterum, quod ad Simplicianum attinet, etsi credi fas sit in Carmelo peregrinasse, prout non obscure elicitur ex D. Ambrosio [f], sic de eo, & cum eo loquente: *Quid est quod ipse dubites, & a nobis requiras, cum fidei, & acquirendæ cognitionis diuinæ gratia totum Orbem peragraueris.* Attamen, quod à Caprasio è Carmelo missus fuerit, subsistere non potest. Etenim Caprasius Carmeli Archimandratum non ascendit nisi post assumptionem Ioannis ad Ecclesiæ Ierosolymitanæ regimen prout ex historicis nostris in sequentibus dicemus; quod contigit post hos annos. Decepti ergo sunt authores nostri, erroris ansam ex eo habentes, quod ille a Caprasio missus a Paleonydoro vocetur Simplicianus, cum tamen non nisi *Simplicius* vocaretur, prout eum vocat Arnoldus Bostius [g] & dicemus *tomo sequenti.* Vbi etiam quod non a Caprasio sed a Timotheo Cõstantinopolim missus fuerit. Hisce ergo prætermissis, certiora de Simpliciano afferenda. Romanus Presbyter fuit, prout Baron. eum vocat [h] licet Patria Mediolanensis, sicut Iacobus Philippus Bergomensis [i] & Hieronymus Romanus [k] de eo scribunt. Romæ porro existens celebre illud facinus gessit conuersionis ad fidem Marij Victorini Afri Romani Rethoris celeberrimi, & statua in foro

c lib. 2. c. 6.
d lib. 9. c. 14. & 15
e lib. 1 Antiq. Ordin. c. 12.
f epist. 2.
g lib. 5. hist. c. 73.
h sub ann. 385.
i in supplem. sub ann. 413.
k in Ord. S. Augusti. i hist. lib. 3 in vit. S. Simpliciani.

in foro Romano decorati. Ita enim habent D. Augustinus [a] ex ipsomet Simpliciano id audiens, & alij. Habebatur, & diligebatur ab Ambrosio veluti pater, Augustinus *ibid.* Monasticam porro vitam gessisse, vt propterea, etsi alia non suppeterent, nostro calamo iure celebrandus esset, manifeste colligitur ex Bergomensi, Hieronymo Romano, & nostris relatis, & multis alijs, quos immerito reijcit Gabriel Pennotus.[b] putans clericum fuisse, non monachum; acsi repugnaret clero monachum fuisse, vt Eusebium Vercellensem, & aliosquamplures.

a lib. 8. Confes. 2.

b in hist. Trip. Canonic. Reg. lib. 1. c. 7.

4 Hoc etiam anno creatus est Episcopus Turonensis S. Martinus, iuxta Baronij calculum *hic*. Modum vero quo id contigit, Seuerus Sulpitius in eius vita, & Breuiarium nostrum Carmelitanum narrant fuisse; quod cum Turonensis Ecclesiæ regimen vacaret, nec è Monasterio facile erui posset, *ciuis quedam Turonensis simulato vxoris languore, ad genua viri Dei prouolutus, vt ad eum accederet, rogabat. Cuius precibus flexus ipsum secutus est. At ciuium turmis in itinere septus inuitus ad Ecclesiam perducitur, & omnium voluntate in Pontificali Cathedra collocatur.* Alia in eodem Seuero. Ex quibus hæc de tempore, quo in Episcopatu mansit, non omittenda, quia monasticam historiam valde concernunt. *Cum inquietudinem se frequentantium ferre non posset, duobus fere extra ciuitatem millibus Monasterium sibi statuit. Qui locus tam secretus, & remotus erat, vt eremi solitudinem non desideraret. Ex vna enim latere præcisa montis excelsi rupe ambiebatur, reliquam planitiem Liger fluuius reducto paululum sinu clauserat. Vna tantum eademque arcta admodum via adiri poterat. Ipse ex lignis contextam cellulam habebat: multique ex fratribus in eundem modum. Plerique saxo superiecti montis cauato receptacula sibi fecerant. Discipuli vero octoginta erant, qui ad exemplum beati magistri instituebantur. Nemo sibi quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur. Non emere, aut vendere (vt plerisque monachis moris est) cuiquam licebat. Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur: cui tamen operi minor ætas deputabatur; maiores orationi vacabant. Rarus cuiquam extra cellulam suam egressus, nisi cum ad locum orationis conueniebant. Cibum vna omnes post horam ieiunij accipiebant. Vinum nemo nouerat, nisi quem infirmitas coëgisset. Plerique camelorum setis vestiebantur: mollior ibi habitus pro crimine erat. Quod eo magis sit mirum necesse est quod multi inter eos nobiles habebantur, qui longe aliter educati ad hanc se humilitatem, & patientiam coegerant. Pluresque ex his postea Episcopos vidimus. Quæ enim esset ciuitas, aut Ecclesia, quæ non sibi de Martini monasterio cuperet sacerdotem?* Notent hic monachi nostri non solum proprias monachorum virtutes, sed & scriptionem librorum, ad Dei scilicet laudem, & proximorum commodum, eis extraneam non esse.

S. Martini gesta.

5 Porro Syluanus, de quo *supra* in memoriam nobis reuocat alium eiusdem nominis, in partibus Ægypti celebrem Abbatem, de quo nonnulla *in lib. vit. Patr.* quibus prætermissis, vnum omittere vix possumus, quod *lib. 3. Vit. Patr. nu.* 205. *lib. 5. libell.* 3. *n.* 15. & *in Appendic. n.* 48. *Syluanus.*

sic

ſic paucis mutatis deſcribitur: *Abbas Siluanus dum ſederet in ſpelæo factus in ecſtaſi pendebat in faciem ſuam. Et poſt aliquot horas ſurgens plangebat vehementer. Aſtans autem diſcipulus eius dixit ei: Quid habes, pater? At ille tacens plangebat. Cum autem compelleret eum diſcipulus, vt diceret ei quid plangeret, dixit ei: Ego ad iudicium raptus fui, fili, & vidi multos de habitu noſtro monachili euntes ad ſupplicium, & multos laicorum euntes in regnum Dei. Et hæc dicens ſenex plangebat.* Expendamus hæc pigri, & tepidi Religioſi, tanto maiori ponderatione digna, quanto illius æui monachi ſanctiſſimi erant, noſtri vero plus æquo laxiores.

Cirion, vel Squirion.

6 Pro eorum tamen ſolamine, qui in laxioribus Religionibus degentes cum Dei timore ipſi placere ſtudent; & ad confuſionem eorũ, qui quod in arctioribus viuant, alios contemnunt, commemorandus hoc loco, qui circa id tempus nomine, & vita clarus erat Cirion, Squirion, Iſquirion, vel Hiſtiron nuncupatus, monachus Scythiæ. De ipſo enim dicitur, quod cum ſancti illi Patres prophetarent de futuris monachis, quales videlicet eſſent futuri, ipſe dixit: *Nos quidem adhuc mandata Dei implemus.* Interrogatus autem de ſucceſſoribus, dixit: *Dimidium operis noſtri operaturi ſunt.* Interrogatus vero de alijs poſterioribus, reſpondit: *Omnino non habebit operationem generatio illa ventura:* Subiunxit tamen: *Qui reperti fuerint probati in tempore illo meliores ſuper nos, & patres noſtros erunt.* Hæc perlegat lector *3. lib. vit. Patr. n. 197. & 6. lib. libell. 1. de prouidentia n.* 5.

Annus Christi 376. & 377. Damaſi Pont. 10. & 11. Valentis Imp. 13. & 14. Gratiani Imp. 10. & 11. ac Valentiniani Iunior. Imper. 1. & 2.

Imperatores.

1 FACTVS eſt Imperij collega Valentinianus iunior Gratiani frater hoc tempore, ita vt tres Imperio potirentur, Valens, Gratianus, & Valentinianus puer. Valens prohibet hæreticis conuentus agere ſub grauibus pœnis, ſed Gentiles impunè Dijs libare permittuntur. Deus autem permiſſores impunè abire non conſenſit. Baronius, Gordonus, & alij *hoc tempore*.

Virgines plures.

2 Erant tunc ſacratæ, & velatæ Virgines magno numero, & pretio in Eccleſia Dei, non ſolum in priuatis domibus manentes, ſed & in Monaſteriorum conclaui Religioſam vitam ducentes. De illis D. Ambroſius [a], ac S. Gregorius Nazianzenus [b].

3 Erant quoque prope idem tempus plures monachi in partibus Ægypti, quorum dicta, & geſta, & ſi eorum celatis nominibus, refert Author tertij libri *Vit. Pat.* qui, vt Heribertus autumat, eſt idem qui & ſecundi, Ruffinus videlicet Aquileienſis; quod alij forſan indicant nullum ei authorem præfigentes, eo notantes ab eodem conſcriptum. Vt vt res hæc ſit, quod ad nos ſpectat, illud eſt, vt pro præſentium Reli-

a in libris tribus de Virginitate, ſeu Virginibus, & ad Virginem lapſam.
b in Carmin. ad Hellenium.
Et monac. II.

Religiosorum instructione, qui est horum Annalium scopus, ex eis selectiora hic inseramus.

4 Quidam ergo ex senioribus abstinentiæ de causa interrogatus dixit: *Oportet filioli, vt odio habeamus requiem præsentis vitæ, siue delectationes corporeas, & honorem ab hominibus non requiramus; dabit enim Dominus Iesus nobis cælestes honores, & requiem in vita æterna.* Alius senior in eremo interiori per multos annos laborans interrogatus quomodo toleraret tam aridum, & squalidum locum, respondit: *Omnis labor totius temporis quo hic dego nondum vnius horæ tormentorū æternorum gehennæ spatium habet.* Quidam, qui in eremo Scythiæ conuersabatur, cum grauiter tentaretur a spiritu fornicationis ob memoriam cuiusdam fœminæ, quam olim viderat, & audijsset quod iam defuncta esset, abijt ad locum vbi cadauer ipsius erat, & accepta sanie putredinis illius cum ea reuersus est ad cellam, & eo fœtore se ipsum cruciabat vsque quo sordidissima impugnatio cessauit. Dicebatque suis cogitationibus: *Ecce habetis quod quærebatis, satiate vos ex eo.* Alius sciens quendam incidisse in fornicationem dixit ei quod idem ipsi contigerat, cum tamen non sic esset. Eo tamen fine id fecit, vt eum ad simul coagendam pœnitentiam excitaret, prout præstitit. Deus autem reuelauit Patribus Eremi, quod propter charitatem istius indulgentiam donauerit ei, qui peccauit. Probatissimus alius monachus orabat Deum pro quodam, qui tentabatur ad fornicandum, idque frequentius; cum tamen non exaudiretur a Deo, contristatus est valde. Cæterum ipsi reuelatum est, quod negligentia in paruis cogitationibus repellendis, & ignauia cordis illius pro quo orabat, erant in causa quod non exaudiretur. Alius, qui immundis quoque cogitationibus agitabatur, a Deo inspiratus fecit ex luto figuram cuiusdā fœminæ, & aliam alterius quasi ipsius filiæ, dicebatque: En vxor, & filia, oportet te laborare pro ipsarum sustentatione, quod & faciebat, vt ostenderet, nullum maius remedium pro obscænis tentationibus superandis esse quam continuò laborare. Quidam nomine Ioannes per 24. annos non est egressus è Monasterio, & diu rogatus a sorore, vt eam visitaret, se illi incognitum exhibuit. Alius monachus abijt ad visitandam sororem suam monialem ægrotantem in Monasterio, sed famula Dei id detrectans mandauit ei dicere: *Vade domine frater, & ora pro me, præstante enim gratia Dei, & Saluatoris nostri, videbo te in futuro sæculo in Regno Domini nostri Iesu Christi.* De quodam sene refertur, quod cum desiderasset cucumerem, & eum attulisset, ipsum suspendit ante oculos suos; & ne a cupiditate vinceretur non tetigit illum, sed agebat pœnitentiam, eo quod ipsum desiderasset. Alius dicebat se nunquam impugnatum fuisse immundis cogitationibus, quia *ex quo* (aiebat): *factus sum monachus non sum satiatus neque pane, neque aqua, neque somno.* Item alius: *Pallor & macies cum humilitate decus est monachi.* Alius quoque hoc consilium dabat: *Neminem pro nihilo aspicias, nullum condemnes, nulli detrahas, & dabit*

Patrum Apothegmata.

tibi

tibi Dominus requiem. Hæc inter multa alia a Religiosis perfectionis amatoribus ruminanda in eo libro cernuntur. Inter quæ etiam celebre illud quod D. Antonio Abbati contigit de Angelo, quem vidit torquentem funiculum, & surgentem ex opere, & orantem; vt denotaretur, in quo tota vitę Religiosæ ratio posita est, scilicet *Oratio, & operatio*.

Posthumio Abbas. a in lib. 1. vit. Patr.

5 Circa id tempus illustris inter hos Patres erat in eremo Posthumius Abbas, quinque millium monachorum Pater; cuius vita [a] notata habetur, in pluribus similis vitæ Pachomij, vt propterea, & ex affinitate nominis eundem fuisse aliqui autument. Nos de hac re dubij, sicut de anno obitus ipsius, eius gesta vel sub compendio prætermittere non potuimus; præsertim quia diuersum a Pachomio, vt ex dicendis colligi potest, probabilius existimamus. Erat Mempheus genere, ignarus litterarum, & restium spatarius, id est, plectam de spacto plectebat; vir tamen honestus, verax, & pacificus. Ab Angelo illi viso modum orandi, & recipiendi baptismum à Prisco Sacerdote accepit. Virtutibus deinde charitatis, humilitatis, abstinentię, & mortificationis emicans: nam agrestes edebat herbas, aquam bibebat, cilicio corpus domabat, oriositatem vitabat, & patientia superbos & iracundos vincebat; eremi petiuit arcana, vbi innumeras dęmonum insidias superauit. Eius sanctitas nota fuit Macario Antonij discipulo, vni scilicet ex illis, de quibus *sub anno* 333. dictum, & cui, vt dicitur in hac Posthumij vita, Antonius fere quinquaginta millia monachorum commendauerat. Ad eum igitur Macarius iste peruenit, quia se proximum monti videbat, & gregem suorum monachorum illi gubernandum imposuit: quod munus etsi inuitus accepit, vt tamen adimpleret, triduo Dominum orauit, idcirco a suo Angelo edoctus hanc Regulam illis tradidit.

Regula Posthumij ab Angelo illi tradita.

Regula Posthumij.

6 *Audite filioli verbum, quod Dominus locutus est vobis, praclaram praeceptorum iustitiam, & charitatis regulam sensibus nostris volens infundere. Paterna enim voce loquor ad vos in nomine Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus Dei nostri. Accepi enim formam de manu Angeli, vt dicam vniuersa, qua acciderint sensui meo ad vestram ædificationem. Intente igitur prebete aures. Deus ipse mandauit, quod de ore meo procedit. Prima est enim mandati confœderatio in omnibus vos obedire maioribus. Secunda mandati est subiectio, vt in timore casto seruiatis Domino. Tertia positio est vt temperanter, & pie, & iuste viuatis in hoc seculo. Quarta mandati ratio, vt corpora vestra affligatis per omnia, quo possitis acquirere animarum salutem, domando ieiunijs, ac mortificando carnem, quia hæc est delectatio bonorum operum. Quinta constitutio, orationi frequenter instare, sicut & Apostolus indesinenter orare nos iubet. Orantes quippe semper, ac ieiunantes, fidei dona in memoria mentium tenebimus infixa, vt possimus scaturentium dæmonum superare naturam. Sequitur aliud*

aliud genus erroris, in quo maius est animę damnum, superbiæ malum per omnia esse cauendum. Hæc Angelum in primordio mundi de cęlo deiecit: & nouimus superbiam originale esse peccatum. Ad quam excludendam de cogitationibus nostris Deum semper deprecemur, vt donetur vobis forma humilitatis. Accedit & alia infestatio mortis in corpore si de seculari vitiorum causa monachorum solicitet quemquam. Funiculum vero charitatis ante omnia inter vos habete, fide continua in spe manentes; quoniam ad regnum Dei festinatis æternitatis. Cura ergo disciplinæ monachorum perfecta est dilectio. Hæc vincula charitatis, & pacis exornant sine auaritia. Igitur in dilectione sincera modus sufficiens est præsentibus; & qui inuicem diligunt, filij regni vocabuntur. Perfectius inuicem diligentes ipsi sunt qui manducant panem in regno Dei sine macula. Perfecti ergo eritis si mundum sacrificium charitas in odorem suauitatis zelo succendet. Gaudebit enim Dominus Iesus in vobis, quia fecistis fideliter quod ipse mandauit: nam prima legis in monte Sina ordinatio hæc ad Moysen data est: Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Secunda: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Vacat enim dilectio Dei nisi iungatur & proximi. Plenum ergo pręceptum veritatis, vt maneat in sensu indiuiduo regula charitatis. Tunc ergo dilectio beata erit in pleno si colla obedientiæ posueritis proposito. Obedientia quoque in congregatione laudatur. Nihil vobis proderit, filioli, si diligitis inuicem, & non vultis inuicem obedire. Dilectio sine obedientia faciet criminosum, & conscientiæ ægrum: Quomodo enim gramen seminales impedit fructus, sic inobediens homo frustra ieiunat, & orationis nullum accipit fructum. Igitur qui in vno esse concupiscunt, & viuere mente communi disposuerunt, hi consilijs maioribus seruant. Quidquid ex consilijs processerit patrum, hoc faciat qui a perfectione adhuc procul est. Quicunque frater oneris quidpiam collo suo portauerit, nec quidem sustinet de humero suo onus extare, si abbas præsens fuerit reperiens aquam scatiuam siue germinantem, præter abbatis consilium diuerterit ad bibendum, aut alterius fratris secum comitantis etiam iunioris, peccatum fecisti, qui præter benedictionem aquam potasti. Quod si calor solis exarserit, & volueris bibere, & abbas ad te demandum prohibuerit: si vel mente murmuraueris, deliquisti: Deinde si in via calcaueris spinam, non est educenda, donec abbas præceperit. Procul ab inuicem contextas vites sternite. Cum ad dormiendum secedítis interstitium cubitus habeatur vnius: ne dum ad inuicem proximant corpora, nutriantur libidinis incentiua. Porro negotium noctis propter lucifugas dęmones, & noctipetas, in spiritali opere peragatur. Expergectis autem nulla de secularibus causa ingerenda, donec ad galli cantum fraternarum orationum communis hora succedat. Alterius vocis cantus alterum non excitet ad orandum: sed cum suum pectus tundere cœperit, qui primum experrectus est prouocetur, etiam ille qui dormit, exurgere. Sæpe enim Satanas somno animam captam nocturnis inuoluit tenebris, vt ab orationis patrocinio separata sit, oprante diabolo socio tenebrarum. Ideo dico vobis, filioli, vigilate; quia nescitis qua hora fur veniet animarum. Studete igitur complacere Deo conuersationem habentes spiritalem. Diuina mandata in dile-

dilectione Dei eum sapientia legis praecepta in tabulis cordium vestrorum sint: nec quidem amplius sapiatis, quam simplicitas confirmat scripturarum Dei. Multi autem de Deo aliter sentientes exciderunt ex dilectione ipsius, & proximorum suorum. Qui autem huiusmodi sunt audiant Baruch Prophetam dicentem: Pax iustitiae, & bonor pietatis. Sic enim videns populi sui dilectionem fraternitatis esse incorruptam inter eunctos facit eos amicitiae Dei fieri socios. Quoniam qui diligunt Deum secundum boni operis gloriam, inuicem in operibus bonis irritam faciunt vitam istius mundi: profanantes quidquid ex diabolo est cogitationum malarum in cordibus Dei seruorum. Quoniam cupiunt Anachoretarum perfrui vita, si corpus abdicant adhuc in terra positi iam caelestibus delectentur, nihil terrenum prorsus exquirant, vt iam secularium tenebrarum causas conculeantes, ac prosternentes. Verum quia caelestibus regionibus apti vos, satis placere conuenit Creatori, virgines mente, & corpore permanentes, fructus fidei, & limam sermonis, quam maxime conseruantes: nefas est enim, vt monachum quis reprehendat in modico, vel in maximo. Irreprehensibiles enim nos esse oportere, Apostolus docet, & vt sermo noster in gratia sale semper sit conditus, scilicet condimento quo nos Euangelista condiuit dicens: Vos estis sal terrę: Quod peto, vt non in vobis euanescat, ne forte cum euanuerit, extra congregationem multitudinis foras proijciatur, linguis inimicorum quotidie conculcandum. Hoc autem obsecro, filioli, secundum formam quae mihi data est de manu Angeli, fugere linguam detrahentium iniquorum, qui mordaci dente etiam sine causa Ecclesiae Christi insultare festinant. Dissensiones, quas habetis inter vos proijcite ab inuicem: scientes Dominum nostrum non esse dissensionis, sed pacis. Si qua igitur scandala, inimico suggerente, frater habet aduersus fratrem, propter obedientiam, fide extante, dimittat: quoniam ego non ex me loquor, sed ex Deo qui in manu nuntij sui docuit me. Et si obedientiam Praelato prębueritis, hospitalitatem peregrinanti ex pręcepto Domini facitis. Si fieri potest, nullo pacto miles Dei debet irasci non solum ad socios, verum etiam ad extraneos. In quocumque negotio nullus secularium seruum Dei audeat iudicare, quia inter se, & illum distat. Non patiaris coniugatum iudicio tecum contendere; melius est enim monacho fraudem, & iniurias sustinere, quam vt audiatur vox militis Christi in clamore. Non decet monachum causa pecuniae esse negotiatorem, sed caelestium bonorum lucra mercantem. Praedicet verbum salutis, animas inuitet ad caelum, ad nihilum deducat seculi desiderium. Cor enim Christianum exultat, maxime serui Dei: tyrannum fraudatorem animarum diuinae virtutis oratione expugnat. Quod si terrores aliquos intulerint, currat ad auxilium Crucis: statim ille recedit: versutia eius crebris orationibus, & ieiunijs deuincitur. Filioli, quid ad vestram pertinet curam, si aduersus vos conueniant daemonum castra, potestis, & vos multis adiuuari agminibus Angelorum. Sed cum daemonum cateruae crescere coeperint, oculos vestros ad caelum leuetis, dicentes: Domine Iesu Christe, adiuua infirmitatem meam. Tunc sermo vobis Prophetae Elisaei conueniat aduersus eos, qui de Samaria comprehendere eum venerant, qui terrenti se puero suo respondit: Aperi Domine oculos serui tui, & videat,

deat quod plures sunt nobiscum quam cum illis. Statim ergo ad adiuuandum vos Angelorum Dei legiones aduenient, qui fidei vestræ auxilium præbeant. Hæc ibi ruminanda monastices professoribus.

Annus Christi 378. Damasi Pont. 12. Imper. Valentis 15. Gratiani 12. Valentiniani Iun. 3.

1 HOC anno Valens Imp. Antiochiæ digressus, Constantinopolim cum venisset, offensum sibi populum reperit, & Traianum ducem, re male gesta cum Gothis, reuersum acerbe increpauit, & ignauiam exprobrauit. At ille libere, vti virum generosum decebat: *Non ego*, inquit, *Imperator, victus sum, sed tu ipse prodidisti victoriam, qui contra Deum aciem instruere non desinis, & ita eius auxilium Barbaris concilias; nam abs te oppugnatus, se illis adiungit: atque Deum semper sequitur victoria, & ad eos accedit, quibus Deus se ducem præbet. Non nosti*, inquit, *quos viros Ecclesijs expuleris, & quibus eas tradideris?* Socrates [a], Theodoretus [b]. Notent hæc Principes, ij maxime, qui in res Ecclesiasticas sacrilegi sunt. Hinc egredienti Valenti cum exercitu Isacius Monachus cladem, & interitum ~~prædixit his verbis~~: *Quo proficisceris, o Imperator, qui auxilio Dei, contra quem bellum gesseris, prorsus destitutus es? Nam quoniam tu multorũ linguas ad blasphemias aduersus eum loquendas acuisti, & pios illum laudibus celebrantes Ecclesijs exturbasti, idcirco ille barbaros aduersus te concitauit. Desine igitur tu bellũ contra eum facere, & ipse bellum contra te cõmotum sedabis. Redde gregibus optimos pastores* (id est Episcopos Ecclesijs) *& victoriam facile reportabis. Quod si his omnibus neglectis bellum suscipias, rerum euentu experiere, quam durum sit contra stimulos calcitrare. Nam neque ipse reuerteris & exercitum propterea amittes.* O felix sæculũ, quod monachos tam ab adulatione extraneos enutriebat. Imperator autem illi: *Reuertar*, inquit, *& te interficiam, falsæque prædictionis pœnas abs te repetam.* Tum monachus clara voce: *Eneca*, inquit, *si quid falsi me dixisse deprehenderis*. Ita Theodoretus [c] & ex eo alij, qui in eo conueniunt, quod veridicus hic Isacius monachus repertus fuerit, siquidem Valens Imperator ab hostibus post prælium igne in quadam casa agresti combustus fuit. Addit Nicephorus [d], Isaacium tunc agentem Constantinopoli diuine afflatum dixisse ea hora, qua male perijt Valens: *Nunc Valens igne torretur, & nares profluentem ab eo ingratum odorem sentiunt.* Quis neget Propheticum hunc monachum Prophetalis instituti asseclam?

Valentis gesta.
a lib. 4. c. 38.
b lib. 4. c. 29.
Isacius monachus.
c lib. 4. c. 30.
d lib. 11. c. 50.

2 Vocat hunc monachum idem Theodoretus [e] Isaac, quo nomine in notitiam alterius, qui hoc tempore monachismum, & Ægyptum Isaac etiam vocatus decorabat, nos ducit. De eo autem ex 3. *lib. vit. Patr. n.* 22. & clarius ex *lib.* 7. *c.* 33. hæc habeat lector: *Abbas Isaac audiens quia presbyterum eum patres volebant facere in Scithi, fugit in Ægyptum, & ingressus in agrum latuit inter herbas. Contigit autem vt patres, qui sequebantur*

Isaac alius.
e in Tripar. lib. 8. c. 13.

 bantur

bantur eum, in eodem agro requiescerent, quia iam nox erat, & dimiserunt asinum vt pasceretur. Ille autem peruenit pascendo ad locum, vbi latebat Abbas Isaac. Et manè facto, quærentes asinum inuenerunt, & senem; & mirati sunt. Cum autem vellent eum ligare, dicit eis: Iam non fugio, quia scio ex iussione Dei esse, & quocunque fugero, ad hoc peruenturus sum.

Candida, & ipsius filia.

3 Florebat etiam monachismus in fœminis, facto ipso testantibus Candida vxore Traiani illius Ducis, de quo diximus liberè, & acerbè secum Valente gessisse, & eius virgine filia. Vt enim Theodoretus [a] inquit: *Traiani vxor, Candida nomine, laudatissima fœmina, post viri obitum magno animo monasticum vitæ institutum arripuit, secumque duxit filiam Virginem Christo dicandam.* Candidæ ergo in suscepto instituto laudabilem perseuerantiam, & optimum finem Palladius [b], & Heraclides [c] narrant dicentes, noctibus laborasse, ac in molendo, & faciendo panem pro oblationibus ad vires corporis reprimendas, simul cum ieiunijs, & vigilijs incubuisse, sicque cum beata requie in Domino obdormijsse.

a lib. 4. c. 29.
b in lausiacis c. 145.
c in Paradis. c. 44.

S. Basilij obitus

4 Accidit hoc anno, iuxta computum Baronij, & eorum, qui ipsius insistunt vestigijs, mors felicissima magni Patris nostri Basilij, anno scilicet nono post sui consecrationem, & quinquagesimo primo suæ ætatis. Etsi noster Bostius [d], anno 384. obijsse dicat. Eius historiam narrat Gregorius Nazianzenus ipsius fidelis amicus, Religione frater, & monachismo compar [e], ac præcipuè ille Syrus Ephrem Diaconus, qui eidem postrema persoluit miris encomijs, vtpote, vt eius Acta testantur, qui cum Basilium conuenit, vidit super eius dexteram insidentem columbam, eidem concionanti sermonem suggerenti. Narrat etiam Bostius idem lib. 5. hist. c. 60. Iosephum quendam Hebræum medicũ conuersum fuisse ad fidem cum tota ipsius domo, ac vocatum Ioannem, eo quod vidisset miraculosè, & contra medicinæ regulas superuixisse S. Basilium longiori tempore quàm secundum naturam viuere poterat. Plura etiam alia de illo idem Bostius, & multo plura Amphilochius in vita eiusdem Basilij. Inter quæ, vt Baronius, & alij notant, nonnulla sunt à veritate aliena & ab alio forsan cõficta, & Amphilochio ob viri authoritatẽ tributa.

d lib. 1. histor. c. 7.
e in orat. de laudib. Basil. & epist. 37. ad Gregor. Nazianzenum, & epist. 39.

S. Ephrem mors.

5 Vno autem mense post Basilij obitum S. Ephrem ei coniunctissimus ex hac etiam vita ad æternam discessit; iuxta votum sanè ipsius, dum in fine orationis panegyricæ in eius laudibus recitatæ dixerat: *Deprecare pro me admodum miserabili, & reuoca me tuis intercessionibus.* Sic enim ex D. Hieronymi computo elicit Baronius hìc. Homo fuit in terris vitam cælestem agens, & monachorum mirabile exemplum, cum ex eius ore (teste Possevino [f]) ex Sozomeno, & Nicephoro vitæ monasticæ egregius cultor extiterit; & eius ore adhuc infantis excrescere vitis visa sit, quæ omnem sub Cœlo regionem explebat. Indicat & hoc sententia illa Religiosorum digna, quæ in effigie ipsius in antiquo Monasterio Constantinopolis *Sula* dicto cernitur: *Charitas, & continentia animam purgat.* De hoc Patre, præter dicta in superioribus, illud specialiter nostra historia

f in Apparat.

ria dignum, quòd cuncta ipsius opera, paræneses, orationes, admonitiones, apologiæ, odæ, exhortationes &c. nihil ferme sapiunt nisi monachismi instructionem, ascetarum disciplinam, & anachoretarum, seu eremicolarum exercitia. Quinimo ex ipsis nonnulla historiam aliorum monachorum eiusdem æui concernunt: qualis est *Narratio* illa *ad monachos de sua conuersione*, quæ *in* 2. *to. operum ipsius*, ex duobus a Gerardo Vossio concinnatis reperitur, quæ etiam denotat monachorum copiam eo temporis agentium. Item epistola ad Ioannem monachum Monasterij cuiusdam Præpositum. Et quatuor adhortationes ad *Nouitium monachum*, in quibus tum de monachis in Eremo agentibus, tum de Cœnobitis fit mentio. Item Parænesés quinquaginta ad monachos, in quarum prima ipsis proponit Ioannis Baptistæ vitam dicens: *Vita, & mores S. Ioannis forma, atque descriptio quædam sunt monachorum*. Quod recte eius scholiastes Gerardus Vossius intelligit, quia, vt sæpius nos inculcauimus, ipse fuit Princeps Monachorum, prout ex Basilio, Nazianzeno, Chrysostomo, Hieronymo, & Cassiano probat. Hæ porro Ephremi Parænesés vtinam præ manibus Religiosorum semper essent: sicut & liber alius eiusdem *de perfectione monachi*, & *Panoplia, seu armatura spiritualis* ad Religiosos, & monachos, & *Sermo Asceticus* ad fratres etiam eiusdem Ephremi. Ille autem Sermo Paræneticus *de pœnitentia, ac resipiscentia* olim *ad fratres in Eremo degentes* inscriptus erat. Apophthegmata autem SS. & antiquorum PP. eidem Ephremi secundo tomo adiuncta omnia sunt ex monachis antiquis Antonio, Pastore, Geruntio, Colobio, & Sarra Abbatissa desumpta, pretiosissima sanè pro Religiosi status professoribus.

6 Huius Ephremi discipulus, vt propterea dubitari possit, an ex monachis vnus fuerit, erat quidam Paulinus presbyter; alijs, scilicet Honorio, & aliquibus codicibus *Paulonas*, alijs vero apud Posseuinum [a] Paulonius. Eum porro in exemplum superbi monachi, qui consilia Superiorum audire renuit, afferimus; plus enim *exempla, quam prædicamenta succendunt*, vt inquit Gregorius [b]. Hic ergo homo acris ingenij, & in diuinis Scripturis eruditus ac declamator clarus, ab Ephremo obituro audiuit: *Vide Pauline, ne te submittas cogitationibus tuis, & eleueris; sed cum te ad purum comprehendisse putaueris Deum, crede nec intellexisse*. Præsenserat enim illum ex studijs, vel sermonibus noua inuestigare, & in hæreseon tendere. Vnde frequenter eum *Bardesanem nouellum* appellabat. Exitus prophetiam comprobauit; nam amore Primatus (o ambitio) separans se ab Ecclesia contra fidem Catholicam scripsit. Gennadius [c]. Baronius [d], Posseuinus [e], ex Suffrido Petro, & alijs. Discamus ergo monachi humilitatis esse amatores. Quod vtinam didicisset hic Paulinus a suo Magistro Ephremo, de quo inquit Sozomenus [f], quod cum quæreretur ad Episcopatum gerendum *In forum cursitat, atque incomposite incedendo, vestem lacerando, & cibum palam capiendo se furere monstrat*. Sic enim effugit Episcopatum sibi oblatum.

Paulinus.

a in Apparat.

b lib. 1. Dialog. c. 1.

c in cathalogo, d hic, e supra.

f lib. 3. c. 15.

Florent aly.

7 Sanctitate etiam,& meritis florebant interim Meletius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, & Macrina soror S. Basilij, & Gregorij Nysseni, de quibus in præcedentibus. Etenim Meletius, contra quem antiquum schisma Antiochiæ ortum erat, & Gregorius Nazianzenus a Concilio Antiocheno hoc tempore celebrato, electi sunt ad visitandas Orientis Ecclesias, & eas in fide confirmandas. Cum quibus & Gregorius Nyssenus, licet antea S. Macrinam suam, & Basilij sororem Monialem morti proximam visitauerit, prout ipse in Epistola ad Olympium monachum sanctum scribit. Meletius in sua legatione nouos ordinauit Episcopos, Syriæ monachos inuisit, ac inter eos celeberrimum Simeonem Stylitam habitationem sibi super columnam habentem. Nazianzenus porro Constantinopolim venit, vbi ab Arrianis eum vt hæreticum inclamantibus lapidibus impetitur, ad tribunal ducitur, solum a Deo consolationem recipiens. Hieronymus autem similem calumniam passus ab aliquibus Sabellianus appellabatur, vt propterea ex Syriæ solitudine apud Chalciden, vbi monasticem agebat, recedere coactus sit; nunquam tamen monachismum deserens. Hierosolymam ergo regrediens litteris Hebraicis perscrutandis nauabat. Hæc Baronius, Coriolanus, & Gordonus ex priscis authoribus.

Melania.

8 Porrò Melania illa celebris Heroissa de qua in præcedentibus, Ierosolymis existens cum 50. monialibus in monasterio degebat. Sic Palladius [a], Heraclides [b], & alij. Qui quamuis non meminerint de hoc Virginum sacrarum monasterio quale, aut in quali Ierosolymitanæ Vrbis loco positum fuerit, nostri tamen authores domesticarum rerum conscij locum Dominici sepulchri, iuxta dicta *sub an.* 326. ab Helena erectum, fuisse tradunt. Sic Palæonydorus [c], & alij.

[a] lib. 8. Vit. Patr. c 118.
[b] in Paradiso c. 33.
[c] lib. 2. c. 5.

Melania.

9 Multa præterea idem Palladius de sua Melania. Inter quæ illud: *Triginta enim & septem annos hospites excipiens, illis ea quæ erant vsui suis prabuit sumptibus, Ecclesijsque, & monasterijs, & hospitijs, & carceribus; & vt semel dicam; nullus ex ijs qui eam conuenit non est aliquam partem eius opum conse. utus, suppeditantibus ei consanguineis, & ipso filio, & procuratoribus quot annis pecunias, & tanquam luculenta lucerna oleum ministrantibus, vt fulgido lumine flammam accendens eleemosyna largitione cunctos illuminaret.*

Rufinus.

10 Prosequitur multa idem Palladius de suo etiam Ruffino Melaniæ comite. Quæ cum valdè commendent ipsum cautè legenda. Etenim sicut ipse Palladius Origenista censetur, sic & Origenistam Ruffinum multis laudibus extulisse. Prout notat Heribertus [d], ad hunc locum *Notat.* 165. Diui Hieronymi & Gelasij authoritati subnixus. Licet noster Vvastelius exquisitæ doctrinæ author [e] piè contendat, salua D. Hieronymi & Gelasij authoritate veneranda, in mera quæstione facti, Ruffinum ab hæresi vindicare. Quod ad Hieronymum attinet, quia ipse ob vehementem zelum, ac fidei ardorem interdum incerto ictu id actitabat, vt plures veluti hæreticos, aut hæresi fauentes, stylo peteret. Quod

[d] in not.
[e] in lib. 3. Vindic. oper. Ioan. Ierosol. sectione 3. §. 11. & 12.

verò

verò ad Gelasium, & Concilium illud Romanum, quia non tam personam Ruffini, quam aliquot eius libros damnarent. Quæ tamen aliorum trutinæ reuerentię causa relinquimus.

11 Tangit preterea eo loco Palladius Melaniam, & Ruffinum 400 monachos Paulini schisma fouentes ad meliorem frugem redegisse. Quo denotatur, iuxta Baronium, & ipsius sectatores, istos monachos; cum in Ecclesia Antiochena essent plures Episcopi, Meletius scilicet, & Paulinus, Paulino contra Meletium fauisse. Cæterum Vvastelius noster [a], contra Baronium contendit, hoc schisma non fuisse illud Antiochenum, quia illud non fuit monachorum, sed communium fidelium; nec fuisse compositum per Ruffinum, ac Melaniam, sed per Chrysostomum, Theophilum, & alios; sed fuisse quoddam Bethleemiticum contra Ioannem Ierosolymitanum Antistitem. Quod a nobis non prætermittendum, cum specialiter eiusdem Ioannis historiam tangat.

a l. lib. 3. sect. 4. ar. 1.

Annus Christi 379. Damasi Pont. 13. Imper. Gratiani 13. Valentinian. 2. Theodosij 1.

1 THEODOSIVS Imperator hoc anno a Gratiano creatus in locum Valentis defuncti; *Caucę* Gallecia in Hispania oppido (hodie *Coca*) natus, prout Sozimus [b] narrat, & Idatius Lamacensis [c] seu potius *Italica* in Bethica, quæ etiam fuit patria Traiani, prout Marcellinus [d] ait, & supponit Biuarius in Flauium Lucium Dextrum [e]. Id certum Hispaniam tantum virum Ecclesiæ, & Imperio dedisse. Vt propterea ipsum, & ipsam valde celebret Latinus Pacatus [f], quod affert Biuarius [g]. Eius creationem refert Dexter relatus. Sed in huiusmodi Chronologia Imperatorum, cum parum ad nostram historiam referat, Baronio, & sectatoribus assentiri interim placet.

Theodosius Imperator.

b lib. 4.
c in Chronic.
d in sui Chron. principio.
e Comment. ad ann. 382.
f in panegirico
g supra ad ann 382.

2 Quo tempore Hieronymus vna cum collega Vincentio e Syria contulit se Constantinopolim, vt Gregorij Nazianzeni esset auditor; vt propterea eum *ad Pammachium* Magistrum appellet; & *ad Domnionem ep.* 51. suum Catechistam; & *lib.* 1. *aduersus Iouinian.* & *de Scriptorib. Ecclesiastic.* suum præceptorem. Discant hinc monachi humilitatem sectari, cum videant magnum Ecclesiæ luminare Hieronymum, quem Episcopus Episcoporum Damasus sæpe consulebat, nedum gloriantem, sed longo itinere frui volentem, Gregorio Doctore. Eo præsertim quod in multis Gregorius ipse Hieronymo primatum daret.

D. Hieronymus.

3 Hac ergo gloria, & pluribus meritis cohonestatus Nazianzenus Constantinopoli existens, Episcopus eius Vrbis postulatus in odium Demophili Arriani id munus gerentis. Annuit in principio Petrus Alexandrinus, sed postea Maximo ex Philosopho Cynico Christiano facto fauens, in causa fuit, quod Maximus in Sedem intruderetur. Baronius, & alij [h].

Gregorius Nazianzenus.

h sub hoc anno

Huic

Simeon Stylita. 4 Huic tempori aſcribendus videtur admirabilis ille Simeon monachus *Stylita* cognominatus a columna, in qua ſtans pluribus annis toti mundo pertentoſiſſimum ſanctitatis prodigium extitit. Si enim, vt Cedrenus ait, vſque ad quartum annum Leonis magni imperatoris, qui correſpondet anno 460. ſuperuixit, quod etiam colligitur ex Actis Danielis Stylitæ, qui eius columnæ ſucceſſor dicitur, cum iuxta Theodoretum [a] temporibus Meletij Antiocheni Epiſcopi, qui hoc tempore in humanis erat, clarus etiam corporis maceratione eſſet, huic tempori eius hiſtoria aſcribenda. Præſertim, cum iuxta Bellarminum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, quem alij ſequuntur 81. annis in ſua illa columna ſteterit, qui retrograda ſupputatione ab anno 460. computati hoc tempus indicant. Fatendum, ſane tricis, & ambagibus, ob plures eius nominis celebres viros varias Doctorũ opiniones circa tempus, quo ſuper columnam ſtetit, diuerſaſq; ipſius mutationes, plenam eſſe; de quibus Herib. Roſvved. [b]. Eius vita *lib.1.vit.Pat.* a quodã Antonio eius diſcipulo (de quo tertio tomo dicetur) deſcripta habetur, vbi etiam errorem Menologij, & Baronij illud ſequentis annotat Heribertus. Eam quoq; habet Arnoldus Boſtius noſter [c]. Cæterum quæ ex præfato Antonio elici poſſunt, hic attexenda. Si tamen prius cum Theodoreto ſupra, & alijs eius Chronologis animaduertat lector, ne fabuloſa reputet, quæ de hoc Simeone dicuntur, ea nota fuiſſe toti ferme orbi, & Spiritus ſancti gratia ſpecialiſſima propoſitum fuiſſe a Deo ſingulariſſimum pœnitentiæ, & mortificationis portentum, ad excitandum torporem hominum, prout Bellarminus [d] contra Magdeburgenſes, & Caluinianos, dixit; vel confundendum imperfectorum Religioſorum mollitiem, qui modicis ſuarum Religionum auſteritatibus difficiles ſe exhibent.

[a] lib.9.vit.Pat.
[b] in Notat. ad ipſius vitam.
[c] lib.5. hiſtor. c. 74. & ſequent.
[d] to.2. controu. 2. lib. 2. c. 39.

Eius geſta. 5 Hic ergo Simeon *ex vtero matris ſuæ electus a Domino* dicitur: quod aliqui accipiunt de ſanctificatione in vtero. Sed licet tam prodigioſo viro hoc quoque inſigne priuilegium adaptari poſſe videatur, nihilominus non ita facile credendum contra generales S.Script.Regulas: præſertim cum id poſſit intelligi de ſingulariſsima electione ad eximiam, & extraordinariam ſanctitatem. Cum factus fuiſſet ann. 13. & oues patris ſui paſceret, ac de timore Dei quendam ſeniorem ſibi loquentem audijſſet, Monaſterium S. Timothei petijt, & per dies quinque ante fores non manducans neque bibens procidens, recipi meruit. Ibi per quatuor menſes Pſalterium ex integro memoriæ commendauit, quotidie percipiens cibum diuinum, corporalem vero non niſi ſeptimo quoque die; nam eum, quem a fratribus accipiebat, tacite pauperibus erogabat. Totum corpus fune conſtrinxit carnem vſque ad oſſa ſecante, adeo vt vermes, & grauiſſimus fœtor de ipſo egrederentur. Re cognita a monachis, & ad Abbatem de ſingularitate accuſatus è Monaſterio eijcitur, & in puteo deſerto vbi non erat aqua, abſconditus manſit, donec Timotheus cæleſti viſione admonitus cum fratribus eum quæreret, & ad Monaſterium nolentem reuocaret.

Proſe-

Prosequitur eius discipulus Antonius sic: *Posthac egressus occulte pergit non longe a monasterio, ibique multo tempore fuit, ædificauitque sibi clausuram ex lapide sicco, ibique fuit annos tres, & veniebant ad eum multi ad orationem. Deinde fecit columnellam cubitorum quatuor, stetitque in ea annos quatuor: crescebat autem de eo fama sancta per orbem terræ, & faciunt ei columnam habentem cubitos duodecim, & stetit in ea annos duodecim. Rursumque fecerunt columnam cubitorum viginti, stetitque in ea annos duodecim. Tunc congregati sunt omnes habitores loci illius, & ædificauerunt iuxta ipsam columnam basilicas duas, & columnam cubitorum triginta: & super ipsam stetit annos quatuor, & cœpit virtutes facere. Multi languidi veniebant ad eum, & dæmonia habentes, & curabat eos; cæci visum recipiebant, debilium manus restituebantur, surdi auditum recipiebant, leprosi mundabantur. Multas hic gentes inclinauit ad fidem Christianam, idest Saracenos, Persas, Armacenos, & Laotos, similiter & Allophylos, audientesque de eo, & de virtutibus eius conueniebant, & adorabant eum. Tunc inuidus diabolus transformauit se in speciem Angeli, fulgens in splendore cum equis igneis, & currus igneus apparuit iuxta columnam, vbi stabat beatus Simeon, illuxitque cum fulgore, & splendore quasi specie Angeli fulgens. Et dixit diabolus blandis sermonibus: Simeon audi verba mea, quæ tibi Dominus mandauit. Misit me Angelum suum cum curru igneo, & equis igneis, vt rapiam te, quomodo rapui Eliam. Tempus tuum iam est. Et tu similiter ascende iam mecum in currum, quia Dominus cæli, & terræ transmisit hunc; ascendamus pariter in cælos, vt videant te Angeli, & Archangeli cum Maria matre Domini, cum Apostolis, & Martyribus, Confessoribus, & Prophetis, quia gaudent videre te, vt ores Dominum, qui te fecit ad imaginem suam. Etiam locutus sum tibi, ne tardes adscendere. Simeon completa oratione, dixit: Domine vis rapere me peccatorem in Cælum? Et eleuans dexterum pedem vt adscend ret in currum, leuauit dexteram manum, & fecit signaculum Christi. Cum signum crucis fecisset, continuo diabolus nusquam comparuit; cum argumento suo euanuit, sicut puluis ante faciem venti. Tunc intellexit Simeon artem esse diaboli. Reuersus ergo in se, dixit pedi suo: Non reuerteris retrorsum hinc, sed stabis hic vsque ad obitum meum, donec accersat Dominus me peccatorem. Interea diabolus in frigore apposuit vulnus super fœmur eius, & putrefactum est, ita vt multitudo vermium scatescens de eo, descenderet de corpore eius, decurrebatque de pedibus eius in columnam, & de columna in terram. Anno autem integro stetit in columna super vnum pedem. Quidam autem iuuenis adstitit ei, Antonius nomine, qui vidit, & scripsit hæc. Iuxta præceptum illius colligebat vermes, qui cadebant ad terram, porrigebatque illi sursum. At ille ponebat eos sibi in ipso vulnere ad similitudinem iusti Iob dicens: Manducate quod vobis Dominus dedit.* Refert postea idem Antonius, a quo Bostius similia mutuatur, qualiter Basilius Saracenorum Rex ad eum inuisendum venerit, & vermem, qui de corpore eius exiuerat, apprehenderit, ac in margaritam cōuersum viderit. Quod matris aspectum renuerit, vt propterea ipsa præ dolore

expi-

expirauerit. Ascendisse postea in columnam habentem quadraginta cubitos,& ibi vsque ad obitum suum per annos 16. stetisse: Ac eo tempore plurima patrasse miracula. Alia refert Theodoretus loco relato, & quod ad ipsum super columnam stantem ex toto ferme orbe homines confluerent, non solum Antiochenses, in quorum Regione erat, sed & Ismaelitæ, Persæ, Armenij, & ex occidente Hispani, Britanni, Galli, Itali, qui præsertim Romæ in officinarum omnium vestibulis, & porticibus ei paruas ponebant imagines, hinc sibi præsidium, & tutelam parantes. Credi par est, vt notauit Bellarminus *supra* hunc prodigiosum sanctum eo datum fuisse a Deo Ecclesiæ,vt vel ipsius aspectu innumeræ infidelium animæ baptisma reciperenr, prout contigisse narrat Theodoretus, qui etiam addit nonnumquam turmatim ducentos, quandoque trecentos, & quandoque etiam mille Ismaelitas eo viso fidem recepisse. Pro vita huius Simeonis consulendus Bollandus *die 5. Ianuarij*, & alij apud ipsum.

Timotheus Abbas.

6 Hic Timotheus Abbas, qui in vita S. Simeonis notatur, incertum quis fuerit. Nec enim videtur esse ille Anachoreta eiusdem nominis, qui *in 3. lib. Vit. Patr. n. 140. & lib. 5. c. 16.* reprehenditur quod consilium dederit,vt eijceretur quidam frater negligens è cœnobio, eum in tentatione despiciens (notatu sane dignum pro Religiosis) nec alij, de quibus Heraclides [a], & Palladius [b]. Nec potuit esse alius Timotheus, quem è Carmelo Antiochiam ad Monasterij Montanę Nigræ gubernium a Caprasio eiusdem Carmeli Archimandrita missum fuisse scribunt Bostius [c], Palæonydorus [d], & posteriores alij; hi namque dicunt id contigisse tempore Eutychianæ hæresis, quæ non nisi post septuaginta ferme annos vigere cœpit. Præterquam quod hoc tempore,quo Ioannes Nepos Carmelum colebat Caprasius Ordinem regere non poterat, vt ex dicendis liquidum erit. Sit ergo Timotheus, de quo in præsenti, insignis aliquis eius temporis monachorum pater, vetustorum monachorum æmulator.

a in Parad. c. 2. & 37.
b lib. 8. vit. Pat. c. 12.
c lib. 5. hist. c. 73.
d lib. 2. c. 6.

Palladius.

7 Circa quod etiam tempus quo Ioannes sæpius nominatus Carmeli & aliorum Syriæ desertorum locorum incola erat,magisterium gerere potuit Palladij Gręci postea Scotorum Apostoli, eum literis, & monastica disciplina imbuens. Prout domestici testes quamplurimi testantur,& inter eos vnus,etsi ab ipsorum instituto, & Catholica fide postea apostata Ioannes Balæus, qui [e] hæc scribebat: *Palladius Graecus, primus Scotorum Apostolus, Ioannis quadragesimi quarti Hirosolymorum Episcopi discipulus olim fuit (vt auctor est Nicolaus Harlemius) dum adhuc eremi cultor solitaria Syriæ loca, potissime Carmelum, incoleret; eius, inquam, Ioannis qui ob Origenis allegoricum dogma, Hieronymi atque Epiphanij in se concitauit scripta; quibus tamen ipse sui studij rationem reddens, respondit se non Origenis fidem, sed ingenium esse imitatum; ediditque librum contra sui studij obtrectatores; & de institutione primorum monachorum librum allegorijs plenum, quem è Graeco translatum vidi.* Hæc Balæus, quibus non solum Palladium hunc Ioannis

e in Catalogo Script. Brittaniæ Centur. 14.

nis discipulum fuisse tradit, sed etiam alia quæ de eodem Ioanne diximus, & in sequentibus dicemus, manifestè comprobat. Alia in sequentibus de hoc Palladio, maximè eo. sequenti *sub anno* 429. circa quod tempus a Cælestino Papa missum fuisse in Brittanniam, & Scotiam dicemus.

Annus Christi 380. Damasi Papæ 14. Gratiani Imp. 14. Valentiniani 2. Imper. 5. Theodosij Imper. 2.

1 BAPTIZATVS hoc anno ab Acholio Thessalonicensi Episcopo Theodosius legem piam contra Arrianos promulgat de fide Mysterij Trinitatis: illud negantes *dementes*, *vesanosque* appellans. Socrates [a], Codex Theodosian. [b], Insuper Nazianzeno, fauente etiam Damaso Papa, Ecclesiam Constantinopolitanam contulit, licet ipse eam non admiserit. Idem Nazianzenus [c]. In singulare sanè monachorum exemplum, vt ambitionem fugiant, & altercationibus propter dignitates assequendas non intendant.

Theodosij gesta.

a lib. 5. c. 6.
b de fid. Catholic.
c in carmin. de

2 Ad id tempus, vt coniectamur, referri potest Ioannis illius, qui postea Ierosolymitani nomen propter eius vrbis cathedram accepit, aduentus in eam S. Ciuitatem, ea de causa, quam Bostius noster [d] his verbis postea ferme a Paleonydoro [e] mutuatis, declarauit: *Tandem Patriarcha Ierosolymitanus sanctitatis famam percipiens litteras eidem misit & vt Hierusalem ascenderet, secumque maneret honorifice demandauit. Qui celeriter veniens in Conuentu sororum Sepulchri Dominici vir prudens permansit cum Patriarcha, cuius ex illo tempore factus est Archidiaconus, dictum Monasterium puellarũ Christi gubernans, hoc enim illo in tempore erat officiũ Archidiaconorum.*

Ioannis Ierosolymitani.

d lib. 5. histor. 26.
e lib. 2. c. 6.

Annus Christi 381. Damasi Pont. 15. Gratiani Imp. 15. Valentiniani 2. Imper. 6. Theodosij Imper. 3.

1 CELEBRATVR hoc anno secunda Synodus Oecumenica Constantinopoli 150. Episcoporum, Damasi Papæ authoritate, & fauente Theodosio Imperatore. In qua contra Macedonium Constantinopolitanum Episcopum Spiritus sancti diuinitas vindicata est, & firmata fides Nicęnæ Synodi. Data etiam Nazianzeno Constantinopolitana sedes, licet ab ipso postea repudiata. Celebratur etiam Concilium Aquileiense, in quo Arriani Episcopi iterum condemnati fuerunt. Cæsaraugustæ quoque in Hispania alia Synodus habetur contra hæreses Priscillianistarum, qui per Marium Ægyptium Memphyticum Hispaniæ, & Galliæ fœminas nobiles deceperant, miscentes fabulis voluptates carnis. Baronius, Gordonus, Coriolanus, Ciaconius, & alij post veteres Authores.

Synodus Constantinopolitana.

2 Obijt hoc anno celeberrimus ille Meletius Antiochenus Patriarcha, de quo, vt *sub anno* 354. insinuauimus, aliqui ex nostris dicunt ab

Meletius

Euti-

Euticio seu Eretitiano montis Carmeli Abbate ad rectam fidem perductum fuisse. Id certum clarissimum virum extitisse, vt aliqua, quæ de ipso retulimus, & multo plura, de quibus veteres, & neotherici Chronologi testantur. In eo etiam mirabilis, quòd multa pro fide Catholica passus; in quo a monachis, qui mundo mortui esse debent, & Christo viui, iure imitabilis proponitur.

Notanda. 3 Ex præfata porro Historia hæresis Priscillianistarum, & Concilij Cæsaraugustani duo pro nostra monastica eliciat lector. Alterum quidem, improbos multos, & sceleratos, veluti lupos sub ouina pelle, habitu monachali indui quandoque solitos, vt sua contegant scelera. Prout de Priscilliano refert ex Seuero Baronius [a]. Alterum, secularibus Clericis eam ob causam contegendi sua delicta, prohibitum esse monachalem habitum assumere. Propterea enim, eodem Baronio teste, huius Synodi Patres hæc statuere: *Siquis Clericus propter luxum, vanitatisque præsumptum de officio suo sponte discesserit, ac velut obseruatorem legis monachum videri se maluerit esse quàm clericum; ita de Ecclesia repellendum, vt nisi rogando & obsecrando plurimum temporis satisfecerit, non recipiatur:* Alia dabimus sub anno sequenti.

a hic S. Russum verò.

Theonas Abbas. 4 Iure etiam credi potest sub hoc anno, vel circiter, accidisse conuersionem Theonæ postea Abbatis industria nostri Ioannis Ierosolymitani in ea Vrbe in Conuentu Sororum S. Sepulchri manentis, iuxta dicta *sub anno præcedenti*, factam. Quam sic commemorat Arnoldus Bostius [b], a Palæonydoro postea [c], & Casanate [d] imitatus: *Qui cum ibidem degeret, Theonas postmodum Abbas, cum adhuc esset adolescens studio, & imperio parentum connexus est vinculo coniugali. Cum ergo ille vnius lustri tempus coniugio peregisset, venit ad S. Ioannem Archidiaconum deferens religiosa munera inter cæteros qui certatim decimas, vel primitias frugum suorum Deo offerebant. Qui cum deuotioni eorum vicissitudinem cuperet recompensare, cœpit eis sanctæ doctrinæ monitis spiritualia seminare, quorum metebat dona carnalia per conuersationis eis semitam ostendens. Quibus auditis B. Theonas inextinguibili desiderio, euangelicæ perfectionis accensus, humiliatus, atque compunctus est. Confestim ergo mundana facultate nudatus ad iam dictum monasterium ancillarum Christi peruolauit factus Ioannis discipulus.*

b lib. 5. histor. c. 76.
c lib. 2. c. 6.
d in paradis. Carmelit. decor. stat. 3. ætat. 6. c. 22.

5 Fuit hic Theonas, quantum ratione temporis spectata credi potest, ab alio, qui in partibus Ægypti illustris fuit, de quo *sub ann. 369.* dictum, prorsus diuersus. Eiusque memoria extat in epist. D. Hieronymi ad Pammachium, quæ est 61. Vocatur a Palæonydoro Elianæ Religionis a Ioanne sibi demonstratæ sectator, quod etiam de vxore ipsius in Monasterio S. Sepulchri refert Casanate [e], indicatque idem Palæonydorus.

e supra.

Annus

Annus Christi 382. Damasi Pont. 16. Gratiani Imp. 16. Valentiniani 2. Imp. 11. Theodos. Imp. 4.

1 HABITVM est Romæ hoc anno Concilium ex Episcopis diuersarum Prouinciarum. Inter quos plures nostræ Historiæ proprij. Vnus est D. Epiphanius Constantiæ Episcopus ex Monachis eius temporis celeberrimus. Ita enim habet D. Hieronymus [a], subiungens etiam à S Paula Eustochij matre hospitio receptum fuisse, & Paulinum Antiochenum Episcopum, etsi in aliena manentem domo humaniter tractatum. *Quorum* (inquit Hieronymus) *accensa virtutibus, per momenta patriam deserere cogitabat; non domus, non familiæ, non possessionum, non alicuius rei, quæ ad seculum pertinet, memor, sola (si dici potest) & incomitata ad eremum Antoniorum atque Paulorum pergere gestiebat: tandemque, exacta hieme, aperto mari, redeuntibus ad Ecclesias suas Episcopis, & ipsa voto cum eis ac desiderio nauigauit.* Alter, ipse Hieronymus cum eisdem Episcopis Romam veniens a Damaso vocatus, prout ex epistola 61. ipsius elicitur; imo vt responsionibus Synodalibus pro eo ministraret, vt credit Baronius *hic*. Ex aduerso autem Orientales Episcopi Romam venire nolentes Constantinopoli aliam Synodum celebrare statuunt; ad quam conuocant Gregorium Nazianzenum: etsi ipse venire renuerit, vt habetur ex *epist. 55. ad Procopium, & 70. ad Olympium*. Varijs sane de causis, e quibus non prætermittenda ea, quam affert ea *epist. 55.* his verbis: *Ego si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, vt omnia Episcoporum Concilia fugiam; quoniam nullius Concilij finem lætum, faustumque vidi, nec quod depulsionem malorum potius quam accessionem, & incrementum habuerit. Pertinaces enim contentiones, & dominandi cupiditates (ac ne me quæso molestum, & importunum existimes hæc scribentem) ne vllis quidem verbis explicari queant, citiusque aliquis in culpam vocabitur, dum de aliena iudicium fert, quam vt aliorum peruersitatem comprimat. Quocirca egomet me collegi, animæque securitatem in sola quiete, solitudineque mihi positam iudicaui.* Hæc autem eo referenda censuimus, vt incommoda, quæ nostris etiam temporibus, cernuntur, in Comitijs, seu Cœtibus Religiosorum, propter quæ prudenter plures ab eorum celebratione abstinendum autumant, etiam in Episcoporum, & Antistitum Conuentibus experta fuisse a Nazianzeno ipsorum vno, & clarissimo, innotescat.

Concilium Romanum.

[a] epist. 27. ad Eustoch.

S. Paula.

Nazianzenus.

2 Cum autem malignitate Priscilliani, & sectatorum multi præstigiatores, sortilegi, & superstitiosi in Ecclesia reperirentur, vt propterea a Damaso Papa cum Concilio Romano decretum esset excommunicandos esse omnes maleficijs, augurijs, sortilegijs, omnibusque alijs superstitionibus vacantes: qua sententia præsertim fœminas illas plectendas esse quę illusæ a dæmone se putant noctu super animalia ferri, atque vna cum Herodiade circumuagari (de quo etiam apud Augustinum [b] & apud Gratia-

[b] de Spiritu, & anima c. 28.

a 16. q. 5. can. 12. num [a]) ideo pestis ista aliquot etiam ex monachis inuasit. Prout cernere licet in in illis, qui sub sanctissimi Martini Turonensis disciplina vigebant. Inter quos, & si vnus esset nomine, & virtutibus ac nobilitate Clarus, alius tamen fuit Anatholius nomine vere pseudomonachus, qui humilitatem, atque innocentiam mentitus, prout Seuerus Sulpitius [c] scribit, talis erat: *Angelos apud se loqui solere dicebat. Cui cum fidem nullus adhiberet, signis quibusdam plerosque ad credendum coarctabat. Postremo eo vsque processit, vt inter se ac Deum Angelos discurrere prædicaret. Iamque se se vnum ex prophetis haberi volebat. Clarus tamen nequaquam ad credendum cogi poterat. Ille autem ei iram Domini, & præsentes plagas, cur sancto non crederet, comminatus, postremo in hanc vocem fertur erupisse. Ecce hac nocte vestem mihi candidam Dominus de cælo dabit, qua indutus in medio vestrum diuersabor, idque vobis signum erit, me in Dei esse virtute, qui Dei veste donatus sim. Tum vero grandis omnium ad hanc professionem expectatio fuit. Itaque ad mediam fere noctem fremitu insultantium commoueri omne monasterium loco visum est. Cellulam autem, qua idem adolescens continebatur, crebris cerneres micare luminibus, fremitusque in ea discurrentium, & murmur quoddam multarum vocum audiebatur. Deinde facto silentio egressus, vnum de fratribus Sabatium nomine, ad se vocat, tunicamque ei, qua erat indutus ostendit. Obstupefactus ille conuocat cæteros, ipse etiam Clarus accurrit, adhibitoque lumine, vestem omnes diligenter inspiciunt. Erat autem summa mollitie, candore eximio, micanti purpura; nec tamen cuius esset generis, aut velleris poterat agnosci. Curiosius tamen oculis, aut digitis attrectata, non aliud, quam vestis videbatur. Interea Clarus fratres admonet orationi insistere, vt manifestius eis Dominus, quidnam esset, ostenderet. Itaque reliquum noctis hymnis, psalmisque consumitur. At vbi illuxit dies, apprehensum dextera trahere ad Martinum volebant, bene conscij illudi illum diaboli arte non posse. Tunc vero renuti ac reclamare miser cœpit, interdictumque sibi esse dicebat, ne se Martino ostenderet. Cumque inuitum eum ire compellerent, inter trahentium manus vestis euanuit.* Hæc notanda monachis, vt fugiant superbiam, inanem gloriam, & superstitiosam curiositatem.

Clarus monachus.

Anatholius improbus monachus.

3 Ex eadem etiam radice proculdubio processerunt illi, de quibus idem Seuerus subiunxit, dicens: *Animaduersum est tamen eodem fere tempore fuisse in Hispanijs iuuenem, qui cum sibi multis signis autoritatem parauisset, eousque elatus est, vt se Eliam profiteretur. Quod cum plerique temere credidissent, addidit vt se Christum esse diceret. In quo etiam adeo illusit, vt eum quidam Episcopus Rufus nomine, & Deum adoraret. Propter quod eum postea ab Episcopatu deiectum vidimus. Plerique etiam nobis è fratribus retulerunt eodem tempore in Oriente quendam extitisse, qui se Ioannem esse iactitaret.*

Impostor dicens se esse Eliam.

4 Tentata etiam est circa hoc tempus monachorum, & sanctimonialium castimonia, oblatrantibus Heluidio homine imperito, sed blasphemijs pollente, & Iouiniano pseudomonacho ex Monasterio illo Mediolanensi, cuius meminit D. August. [b] Hi enim impurissimi nebulones virgi-

Castitatis impugnatores hæretici.

b lib. 8. Confess. c. 6.

virginitatem impugnabant, virgines, ac maritatas eiusdem esse gloriæ dicebant, ac omnes siue viros, siue fœminas a cœlibatu auertere conabantur. Sic enim D. Augustinus [a] scriptum reliquit: *Iouiniana heresis sacrarum virginum meritum æquando pudicitiæ coniugali, tantum valuit in Vrbe Roma, vt nonnullas etiam sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicio nulla præcesserat, deiecisse in nuptias diceretur, hoc maxime argumento, cum eas vrgeret, dicens: Tu ergo melior es quam Sara, melior quam Susanna, siue Anna? & cæteras commemorando testimonio sanctæ Scripturæ commendatissimas fœminas, quibus se illæ meliores, vel etiam pares cogitare non possent. Hoc modo etiam virorum sanctorum sanctum cælibatum commemoratione patrum coniugatorum, & prædicatione frangebat. Huic monstro sancta Ecclesia, quæ ibi est fidelissime, ac fortissime restitit.* Contra hos ergo improbos blasphemos summa Dei prouidentia factum est, vt egregij Ecclesiæ Doctores, Hieronymus videlicet [b], & *in epist. ad Eustoebium*, & Damasus ipse, Ambrosius, & paulo ante Basilius, necnon Gregorius Nazianzenus, & Chrysostomus pro virginitate, & cœlibatu libros, seu tractatus tum carmine, tum prosa descripserint.

a lib. 2 Retract. c. 22.

b contra Iouin.

5 Qualis porro fuerit impurus iste Iouinianus, sic describit idem Hieronymus contra ipsum: *Descripsit sermo Apostolicus Iouinianum loquentem buccis tumentibus, & inflata verba ebullientem, promittentem in cælis libertatem, cum ipse corruptionis seruus sit, atque luxuriæ, canis reuertens ad vomitum suum. Nam cum monachum esse se iactet, & post sordidam tunicam & nudos pedes, & cibarium panem, & aquæ potum, ad candidam vestem, & nitidam cutem, ad mulsum, & elaboratas carnes, ad iura Apicij, & Paxami, ad balneas quoque ac fritillas, & popinas se conferat; manifestum est, quod terram cælo, vitia virtutibus, ventrem præferat Christo, & purpuram coloris eius putet regna cælorum. Et tamen iste formosus monachus, crassus, nitidus dealbatus, & quasi sponsus semper incedens, aut vxorem ducat, vt æqualem virginitatem nuptijs probet; aut si non duxerit, frustra contra nos verbis agat.* Et infra: *Ante nudo eras pede, modo non solum calceato, sed & ornato; tunc pexa tunica, & nigra subucula vestiebaris sordidatus, & pallidus, & callosam opere gestitans manum; nunc lineis, & sericis vestibus, & Atrebatum, ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis: rubent buccæ, nitet cutis, comæ in occipitium, frontemque tornantur, protensus est aqualiculus, insurgunt humeri, turget guttur, & de obesis faucibus vix suffocata verba promuntur.* Hæc ipse de monstruosa metamorphosi monachi in Sardanapalum. Carpit etiam istum Iouinianum & sectatores S. Ambrosius *ep.* 82. plangens illos, quod perdidissent id quod in monasterio ieiunauerant, & se continuerant, vt vel hinc discamus monacho sine humilitate parum proficere ieiunium, aut continentiam. In eo tamen minus exprobrandus quod quamuis instituta, & mores monachorum abiecisset, nomen tamen, & habitum non dereliquit: in quo, vt Baronius hic notat, peiores sunt huius sæculi nouatores, habitum, & nomen monachi omnino auersantes. Elicere

Iouinianus qualis.

Monachus quondam.

cere hinc etiam possumus, maximo pretio monachismum eo tempore fuisse, vt propterea Iouinianus eum penitus abdicare renuerit.

Monachismus fœminarum. 6 Summa quoque Dei prouidentia sic ordinante his temporibus eueniebat, vt sicut Agape cum suo Marco Ægyptio, de quo sub anno præcedenti; Galla, Euchrocia, ac filia eius Procula cum Priscillianistis Rempublicam Christianam fœdabant; sic ex aduerso plures, & sanctissimæ aliæ fæminę, D. Hieronymo Duce, Romæ monachismum, & cœlibatum illustrarent. Inter quas vna erat Marcella nobilis Romana, Albinæ

Marcella. filia, prius patre, mox septimo a nuptijs mense viro orbata, Cerealique Consule eam in vxorem petente, reiecto, ab Athanasio, Petroque

a in epist. ad Principiam. Alexandrinis Episcopis primitus edocta. De qua idem Hieronymus [a] hæc: *Nulla eo tempore nobilium fæminarum nouerat Romæ propositum monachorum; nec audebat, propter rei nouitatem, ignominiosum, vt tunc putabatur, & vile in populis nomen assumere. Hæc ab Alexandrinis prius sacerdotibus, Papaque Athanasio postea, & Petro, qui persecutionem Arrianam hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, vitam beati Antonij, adhuc tunc viuentis, monasteriorumque in Thebaide, Pachumij, & virginum ac viduarum didicit disciplinam, nec erubuit profiteri quod Christo placere cognouerat.* Alia etiam *ibidem*, & in epist. 10. *ad Fu-*

Sophronia. *riam*, & alijs locis. Item Sophronia, & aliæ, de quibus idem Hieronymus ea *epist. ad Principiam* prosequitur: *Hanc multos post annos imitata est*

Principia. *Sophronia, & aliæ.* Maxime vero ipsa Principia Marcellæ filia, de qua idem Hieronymus: *Suburbanus ager vobis pro monasterio fuit, & rus electum pro solitudine, multoque ita vixistis tempore, vt ex imitatione vestri, & conuersione multarum, gauderemus Romam factam Hierosolymam. Crebra virginum monasteria, monachorum innumerabilis multitudo, vt pro frequentia seruientium Deo quod prius ignominiæ fuerat, esset postea gloriæ.* Præsertim etiam S. Lea Religiosissima fæmina vidua in Martyrologio Romano 22.

b epist. 24. ad Marcellam. Martij relata, & de qua idem Hieronymus [b] post alia: *Et quidem conuersationem Leæ nostræ quis possit digno alleuare præconio? Ita eam totam ad*

Lea. *Dominum fuisse conuersam, vt monasterij princeps, mater virginum fieret, post mollitiem vestium, sacco membra triuisse, insomnes orationibus duxisse noctes, & comites suas plus exemplo docuisse, quam verbis. Humilitatis fuit tantæ tamquam subiecta, vt quondam Domina plurimorum ancilla omnium putaretur, nisi quod eo Christi magis esset ancilla, dum domina hominum putatur. Inculta vestis, vilis cibus, neglectum caput, ita tamen vt cum omnia faceret, ostentationem fugeret singulorum, ne reciperet in præsenti seculo mercedem suam. Nunc igitur pro breui labore æterna beatitudine fruitur, excipitur Angelorum choris, Abrahæ finibus confouetur, & cum paupere quondam Lazaro diuitem purpuratum, & non palma tum consulem, sed atratum, stillam digiti minoris cernit inquirere.*

Paula. 7 Super omnes autem clarissima hoc tempore fuit Paula illa, de qua superius mentio facta, & de qua D. Hieronymus in ipsius vita. *Nobilis*

genere

genere, sed multo nobilior sanctitate; potens quondam diuitijs, sed nunc Christi paupertate insignior. Graccborum stirps, soboles Scipionum, Pauli hares, cuius vocabulum trahit, Marcia Papyria matris Africani vera, & germana progenies: Roma pratulit Bethleem, & auro tecta fulgentia informis luti vilitate mutauit. De qua alia in sequentibus, sicut de Eustochio eius filia Virgine, quam inter Moniales recensent Palladius [a] vbi eam Conuentum 120. Virginum habuisse describit, Heraclides [b] idem scribens, & alij.

[a] lib. 8. vit. Pat. c. 126.
[b] in Paradis. c.

8 Iure etiam inter eas numeranda Asella, ad quam D. Hieronymus vitam S. Hilarionis direxit, sic incipiens: *In sanctis orationibus tuis memento mei, decus ac dignitas virginum, nonna Asella.* Nam quod eam *Nonnam* appellet satis indicat Monacham, seu Monialem fuisse, prout late ostendimus *sub ann.* 227. imo Monialium Præfectam. Quod fatentur Palladius, & Heraclides relati, ille quidem *cap.* 133. sic: *Vidi autem Roma quoque Asellam honestam Dei virginem, qua honeste consenuit in monasterio, mulier longe mitissima, & qua retinebat conuentus, in quibus vidi & viros, & mulieres catechesi recentes institutos.* Iste vero: *Roma etiam Asellam nomine bonam valde Christi virginem noui in monasterio senuisse feminam, mitem atque mansuetam, multorumque curam illic gerentem. Vbi viros etiam eum coniugibus suis vidi, monachorum eo tempore vitas, & instituta discentes.* De hac etiam Asella D. Hieronymus [c] ad ipsam scribens: Maxime vero in dicta *epist.* 15. plura, quæ nullatenus prætermittenda, quia magnum perfectionis incentiuum pijs religiosis siue viris, siue fœminis suppeditant. Inter quæ ista: *Pratermitto quod in matris vtero benedicitur ei antequam nascatur, quod in phiala nitentis vitri, & omni speculo purioris patri virgo traditur per quietem, quod adhuc infantia inuoluta pannis, & vix annum decimum atatis excedens, honore futura beatitudinis consecratur.* Infra hæc: *Ad ea venio, qua post duodecimum annum sudore proprio elegit, arripuit, tenuit, cœpit, impleuit. Vnius cellula clausa angustijs, latitudine paradisi fruebatur. Idem terra solum, & orationis locus extitit, & quietis. Ieiunium pro ludo habuit, inediam pro refectione, & cum eam non vescendi desiderium sed humana confectio ad cibum traheret; pane, sale, & aqua frigida concitabat magis esuriem, quam restinguebat. Et quia pene oblitus sum quod in principio debui dicere, cum primum hoc propositum arripuit aurum colli sui, quod quidem murenulam vulgus vocat, quod scilicet metallo in virgulas lentescente, quadam ordinis flexuosi catena contexitur absque parentibus vendidit, & tunicam fusciorem, quam a matre impetrare non poterat induta, pio negotiationis auspicio, se repente Domino consecrauit; vt intelligeret vniuersa cognatio non posse aliud ei extorqueri, qua iam seculum damnasset in vestibus. Sed vt dicere cœperamus, ita se semper moderate habuit, & intra cubiculi sui secreta custodiuit, vt nunquam pedem proferret in publicum, numquam viri nosset alloquium; & quod magis sit admirandum, sororem virginem amaret potius, quam videret. Operabatur manibus suis, sciens scriptum esse: Qui non operatur, non manducet. Sponso aut orans loquebatur, aut psallens. Ad martyrum limina pene inuisa properabat. Et*

29. Asella.

[c] epist. 15. ad Marcellam, & ep. 140. ad Principiam, & epist. 99.

cum gauderet proposito suo, in eo vehementius exultabat, quod se nullus cognosceret. Cumque per omnem annum iugi ieiunio pasceretur biduo triduoque sic permanens: tum vero in quadragesima nauigij sui vela tendebat, omnes pene hebdomadas vultu latante coniungens, & quod impossibile forsan est hominibus ad credendum, Deo autem præstante possibile est, ita ad quinquagenariam peruenit ætatem, vt non doleret stomachum, non viscerum cruciaretur iniuria; non sicca humus iacentia membra confringeret, non sacco asperata cutis, fœtorem aliquem situmque contraheret; sed sana corpore, animo sanior, solitudinem putaret esse delicias, & in vrbe turbida inueniret eremum monachorum. Et hæc quidem tu melius nosti, a qua pauca didicimus, & cuius oculis durities de genibus camelorum in illo sancto corpusculo præ orandi frequentia obcalluisse perspecta est. Nos quod scire possumus, explicamus. Nihil illius seueritate iucūdius, nihil iucunditate seuerius, nihil suauitate tristius, nihil tristitia suauius: ita pallor in facie est, vt cum continentiam indicet, non redoleat ostentationem: sermo silens & silentium loquens, nec citus, nec tardus incessus. Idem semper habitus, neglecta mundities, & inculta veste, cultus ipse sine cultu. Sola vita sua æqualitate promeruit, vt in vrbe pompa, lasciuia, deliciarum; in qua humilem esse miseria est, & boni eam prædicent, & mali detrahere non audeant; viduæ eam imitentur, & virgines; maritatæ colant, noxiæ timeant, suspiciant Sacerdotes.

Ioannes Chrisostomus.

9 Quo etiam tempore Ioannes Chrysostomus, de quo in superioribus, aduersus Gentiles disertissimum Commentarium elaborauit. Insuper aduersus Anomœos hæreticos *de incomprehensibili Dei natura* quinque homilijs eruditè, copioseque tractauit. Contra Iudæos quoque quinque nobilissimas orationes elucubrauit, vt propterea in tria flumina fons Tyro erumpens omnes Ecclesiæ hostes appetere feliciter conatus fuerit. Erat autem diaconus à Meletio iampridem constitutus, & Antiochiæ degens, absente Flauiano Meletij successore, docendi munere fungens. De his & alijs ad ipsum spectantibus Baronius [a], quæ vel indicare sufficiat, vt seriem historiæ ipsius, vtpote monachi celeberrimi, in superioribus cœptam, prosequamur.

a sub hoc anno.

Annus Christi 383. Damasi Papæ 17. Gratiani Imp. 16. Valentiniani 2. Imper. 8. Theodosij Imper. 5.

Gratiani obitus.

1 OCCIDITVR hoc anno Gratianus Imperator, cuius mores pios tum alij, tum præcipue D. Ambrosius concelebrant. Maximus autem Hispanus Theodosij antea commilito, nunc in Britannia Dux exercitus tyrannice occupat Imperium in Britannia, & Gallia. Theodosius verò ipse in Oriente Arcadium filium octo annorum pronunciat Augustum. Hæc ex D. Hieronymo, Victorio, Sozimo, Socrate, & alijs noui Chronologi [b].

b sub hoc anno.

Arsenius Abbas.

2 Quoad nostra specialiora sub hoc tempore occurrere incipit magnus

gnus ille Arsenius, Abbas postea celeberrimus, & omnium sui æui monachorum clarissimum sanctitatis speculum. Theodosius enim Imperator pijssimus volens filio suo Arcadio, quem Augustum pronunciarat, prouidere, Præceptorem illi assignauit Arsenium, Romanum Diaconum, virum pium, & eruditum illi Roma a Damaso Papa missum. Sic enim ex Metaphraste, Lipomano, & Surio [a] habetur. Cui cum Constantinopolim peruenisset Theodosius, filios suos tradidit moribus, ac litteris imbuendos, atque dixit: *Posthac tu magis pater eorum quam ego.* Accidit & illud memoria dignum: cum enim ingressus scholas vidisset Theodosius Arsenium stantem, Arcadiumque auditorem sedentem, indignatus est quod magisterij gradum parum decore seruasset, cum stans ipse doceret, Arcadius vero sedens addisceret. Arsenius autem cum se excusaret, atque diceret, haud decere sedentem se docere Imperatorem: indignatione ille commotus abstulit filio Imperatoris insigne, sedereque in throno Arsenium compulit, filium verò detecto capite auditorem profiteri; illud inculcans pij sane Imperatoris dignum: *Tunc prolem suam vere fore dignam Imperio, si cum scientia æque imbuta fuerit pietate.* Hæc quidem pluribus in eiusdem Arsenij vita narrantur: & licet ibi de duobus Theodosij filijs mentio habeatur, tamen de Honorio constat hoc tempore nondum natum esse, quem Placilla Augusta peperit anno sequenti, Ricomere, & Clearcho Consulibus: aliquis enim quod sciret duos fuisse Theodosio filios, adiecit Honorium. Sic Baronius hic. Congerit postea qualiter occasione accepta quòd Arcadium flagellasset ob culpam commissam, & illi mortem idcirco meditatus fuisset, cogeretur Palatium Imperatorium relinquere, & ad monachos Ægyptios conuolare, & ibi cum ipsis monasticem profiteri. Sed quis hoc credat tunc contigisse, cum Arcadius puerulus omnino esset, nec tanti doli capax? In sequens ergo tempus hæc referenda.

a 19. Iul.

3 Occurrit etiam sub hoc anno insignis alius monachus S. Amphilochius, Iconij Episcopus celebris, & Sanctorum Basilij & Gregorij Nazianzeni in Eremo socius, prout de ipso Martyrologium Romanum *die* 23. *Nouembris.* Hic enim Pater, cum hoc anno Constantinopoli Synodus, Theodosio solicitante, congregata esset, eoque cum alijs Episcopis aduenisset, cum videret quod Imperator vt hæreticos ad se vocatos beneficentia prouocaret cum illis humaniter satis, & comiter se gereret, verereturque, ne ipsorum astutia in hæresim abduceretur, verbis, & factis sic prudenter eum redarguit, prout Theodoretus [b] describit: *Cum alio tempore Amphylochius forte intra Palatium esset, videretque astantem Imperatori filium suum Arcadium, qui nuper Imperator creatus fuerat; ipsum Imperatorem Theodosium (vt mos est) salutauit ille quidem, sed filium sine honore dimisit. Imperator autem ratus Amphilochium oblitum officij, iubet ad filium accedere, eumque osculari. At Amphilochius respondit, satis esse quòd ei honorem habuerat. Itaque Theodosius rem acerbe, & grauiter ferens, probrum filio*

Amphylochius

b lib. 5. c. 16.

filio obiectum iniuriæ loco sibi illatæ numerauit. Tum sapientissimus Amphilochius, declarans Imperatori quod animo instituebat, contenta voce: Vides, inquit, ô Imperator, quam ægre ignominiam filij tui patiare, immo vero illis qui in eum insultant, vehementer succenses. Credas igitur mihi velim, huius vniuersitatis rectorem Deum, eos qui contra filium suum vnigenitum loquuntur blasphemias itidem detestari, & tanquam ingratos erga Saluatorem, & patronum suum odio prosequi. Cuius institutum cum hoc pacto intellexisset Imperator, facta eius, dictaque simul admiratus, legem protinus conscripsit, quæ vetabat conuentus ab hæreticis agi.

S. Augustinus. 4 Occurrit quoque primum sub hoc anno magnum illud Ecclesiæ lumen Augustinus, ætatis 29. annorum, Romam e Carthagine veniens, post nouem ferme annos Manicheismi sectæ, a Deo sanè missus, vt inde Mediolanum migraret, vbi Ambrosij consuetudine veræ fidei lumen recepit, prout actum est, Symmacho Vrbis Præfecto ad eam Vrbem, vt ibi Rethoricam doceret, illum mittente. Baronius hic. Commemorandus specialiter a nobis hoc præclarissimum Christianitatis iubar, quia ipse singulari meditatione propheticis, & Elianis vestigijs instititisse ex Paulino [a] sic loquente subodorari possumus: *Vere Pontifex, & vere consul, Licenti crissi, Augustini vestigijs Propheticis, & Apostolicis disciplinis, vt sacro beatus Eliseus Eliæ, & illustri Apostolo Timotheus adhæseris.* Alia de tanto Patre in sequentibus.

[a] Epist. 36. ad Licentium.

Iosaphat. 5 Maxime vero huic ann. 382. ascribenda videtur mors pretiosa præclarissimi illius Indorum Regis Iosaphat a Barlaamo Eremita ad fidem, & Anachoresim conuersi, iuxta tradita in superioribus. Pro hoc namquam anno describitur a Florario SS. quod refert Heribertus Rosuuedius [b], & notatur ab scholiaste marginali Baroniani Martyrologij pro 27. Nouembris. Cum igitur hic annus sexagesimus esset suæ ætatis, & trigesimus quintus monasticæ vitæ, in qua mundum sibi, & se ipsum mundo crucifixerat, ad Deum in pace migrauit plenus bonorum operum, ob quæ Monachorum omnium exemplaris Idea virtutum, & sanctitatis vita ipsius fuit. Affuit ipsius funeri quidam sanctus monachus, qui non longe ab eo habitabat, quique iter ipsi ad Barlaamum, cum eum quærebat, indicauerat. Is ipse monachus per visionem in somnis admonitus Indiæ Regi Barachiæ ab eodem Iosaphat nominato eiusdem obitum, & gestas res denunciat, vt propterea Rex cum ingenti populi multitudine eum & Barlaamum inuentos in Ecclesia ab eodem Iosaphato erecta sepeliuerit. Deo cooperante pluribus miraculis, ob eorum sanctitatem, & merita patratis. Hæc & alia ex historia Barlaam, & Iosaphat [c].

[b] in Annotat. ad vit. Barlaam, & Iosaphat n. 2.

[c] c. 40.

Annus Christi 384. Damasi Pont. 18. Valentin. 2. Imper. 9. Theodosij Imper. 6.

1 AD hunc annum refertur, alijs tamen contrarium opinantibus, S. Damasi Papæ obitus, prout Baronius autumat, apud quem de miraculis, & scriptis ipsius. Item missio S Augustini ad vrbem Mediolanum, docendi Rhetoricam causa, vbi benigne ab Ambrosio susceptus, eius allectus doctrina a Manichæis discedere & ad Academicos se conferre decreuit. Inter quæ eius concubina in Africam redijt, relicto illi filio, quem ex eo susceperat Adeodato. His porro vinculis solutus, & consuetudine sanctæ suæ Parentis Monicæ iam tandem excitatus ad portum veritatis redire cœpit. Baronius, & Gordonus [a], Quæ referre placuit, quia in commodum totius S. Ecclesiæ, ac specialiter monastici status, cuius ipse Augustinus eximius propagator extitit, vt ex dicendis constabit.

S. Damasi mors

a hic.

2 Eodem etiam anno (licet alij ad annum 380. id referant) iuxta Flauium Dextrum in Chronic. & Biuarium eius Commentatorem *ibid.* coactum est. Concilium Cæsaraugustanum, cuius memoria quia vtilis est pro nostræ historiæ continuatione, omittenda non fuit. In eo namque [b] mentio fit de monachis, & Sanctimonialibus; quorum, & quarum institutum Elianum, & Essenum fuisse dicta sub annis 300. & 308. & dicenda ad annum 393. sufficienter suadent. Ne autem sine teste extero loqui videamur, FranciscusRuspuerta Biacensis [c], dissertis verbis relatis eo anno 300. rem confirmat.

Concilium Cęsaraugustanum.

b ca. 6 & 8.

c in Historia Ecclesiastica Giennensi sæculo 7. c. 5.

3 Vel sub compendio etiam referri possunt ad hoc tempus insignes quidam eius æui monachi, de quibus in *libris Vit. Patr.* honorifica mentio habetur; eorum magis egregia facta compilando, quorum memoria aliorum frigidiorum corda ad Dei amorem incalescere possunt. Vnus erat Ioannes quidam discipulus Abbatis Pauli, de quo [d] habetur, quod propter eius humilitatem, & obedientiam meruerit leænam comprehendere, & ligatam ad Monasterium ducere. Alius est Anastasius, de quo [e], sub nomine Gelasij, vbi eius patientiæ, & humilitati tribuitur cuiusdam fratris latronis compunctio, ac conuersio. Alius est Eulalius, qui commendatur [f] tantæ humilitatis, vt aliorum errata in se reciperet, pœnitentiam impositam toleraret, & vt humanas laudes fugeret in eremum secesserit, vbi nullus eum agnosceret, & in spelunca delituerit. O aureum monachorum sæculum! Ex Abbate Allois millies monachis ruminanda illa ipsius sententia ex *lib. 5. vit. Patr. libell. 11. n. 5.* desumpta *Nisi dixerit homo in corde suo, Ego solus & Deus sumus in hoc mundo, requiem non habebit.* Habet etiam lector eo *lib. 5.* nonnulla ex alio Abbate Ammoys dicto.

Ioanne, Anastasius, Eulalius, & Ammoys.

d lib. 3. n. 27. & lib 5 libello 14. n. 4.

e eo lib. 3. n. 30. & lib 5. libello 16. n. 1.

f eo lib. 3 n. 29. & lib. 5. libello 15. n. 86.

Annus

Annus Christi 385. Siricij Pont. 1. Valentis 2. Imper. 10. Theodo. Imper.

Siricius Papa.

1 SIRICIVS Romanus, patre Tiburtio natus, non sine tumultu Vrsini, seu Vrsicini Schismatici, Damaso successit pridie idus Ianuarij huius anni. Censuit Ordines per interualla dandos. Manichæos præterea, qui in Vrbe erant, vetuit communicare cum fidelibus, atque multa alia. Sic colligunt Baronius, & alij post ipsum ex Epistola quadam Imperatoria ad Pinianum, maritum Melaniæ iunioris neptis Melaniæ senioris, de quibus plura hoc opere.

Augustini gesta.

2 Augustinus tandem hoc anno opera Simpliciani, de quo in superioribus, ad fidem perfectè conuersus, exemplo S. Antonij Abbatis excitatus vitam spiritualem seligit, ac Manichæorum delicijs, & Mathematicorum vanitatibus relictis, maxime quia a Deo audijt: *Tolle lege, Tolle lege*, Paulum scilicet Apostolum, soliloquia, & alia quædam spiritualia opera scribit. Sic enim ex eiusdem Augustini operibus eliciunt recentiores. Bostius autem noster [a] sic rem narrat: *Igitur cum apud Mediolanum esset Augustinus, & Alipius in domo, & absens esset Nebridius, venit ad eos Pontianus quidam ciuis ipsorum ex Africa. Quo narrante ortus est sermo de S. Antonio Ægyptio monacho sectatore SS. Eliæ, Elisei, & Ioannis Baptistæ Prophetarum, cuius nomen excellenter clarebat apud monachos Carmelitas seruos Dei. Stupebant autem illi audientes tam recenti memoria, & prope suis temporibus tanta mirabilia. Demum volutus est sermo eius ad Monasteriorum greges, & mores tam Carmelitarum, quam Tabennensiotarum, quorum illi nihil sciebant. Cumque Pontianus talia loqueretur, ingemiscebat Augustinus & confundebatur pudore horribili.* Alia in sequentibus.

a lib. 1. hist. c. 8.

D. Hieronymi.

3 Hieronymus autem Romæ vsque adhunc annum perseuerans, Damasi Papæ demortui præsidio destitutus, acerbissimos pati cœpit persecutores: clericos Romanos videlicet, quorum mores improbos sugillabat, vocans lautos, delicatos, leues, & periculosæ consuetudinis fæminis; ac Pharisæorum Senatum. Quamobrem, vt se a turbine concitato eriperet, tutam Hierosolymæ mansionem nauigaturus cogitauit. Sic ex eiusdem Hieronymi epistolis ijdem neoterici.

Monachorum Susurrones.

4 Non sugillat Hieronymus monachos, nedum quia ipse vnus ex illis, sed quia ex causis, propter quas in ipsum iactarentur conuitia, illa specialis, quod monachismum profiteretur. Sic enim ex *Epistola 25.* colligitur vbi susurrones monachorum hæc de ipsis dicebant: *Quousque genus detestabile monachorum non Vrbe pellitur? non lapidibus obruitur? non præcipitatur in fluctus?* Et *epist. 23.* Vbi sic: *Nos quia serica veste non vtimur monachi iudicamur, quia ebrij non sumus, nec cachinno ora dissoluimus, continentes vocamur, & tristes: si tunica non canduerit, statim illud e triuio: Impostor*

postor, & Græcus est. Et epist. *ad Asellam* sic: *Licet me sceleratum quidam putent, & omnibus flagitijs obrutum, & pro peccatis meis etiam hæc parua sint, tamen tu bene facis, quod ex tua mente etiam malos bonos putes.* Et infra: *Veniet, veniet dies illa, in qua & mecum dolebis ardere non paucos. Ego probrosus, ego versipellis, & lubricus, ego mendax, & satanæ arte decipiens. Quid enim est tutius, hæc vel credidisse, vel finxisse de insontibus, an etiam de noxijs credere noluisse? Osculabantur mihi manus quidam, & ore vipireo detrahebant, & dolebant labijs, corde gaudebant. Videbat Dominus, & subsannabat illos, & miserum me seruum suum futuro cum eis iudicio reseruabat. Alius incessum meum calumniabatur, & risum, & ille vultui detrahebat, hic in simplicitate aliud suspicabatur. Pene certè triennium cum eis vixi, multa me virginum crebro turba circumdedit, diuinos libros, vt potui, nonnullis sæpe disserui. Lectio assiduitatem, assiduitas familiaritatem, familiaritas fiduciam fecerat. Dicant quid vnquàm in me aliter senserint, quam Christianum decebat? Pecuniam cuiusquam accepi? munera vel parua, vel magna non spreui? in manu mea æs alicuius insonuit? Obliquus sermo, oculus petulans fuit?* Subdit postea: *Antequam domum S. Paulæ nossem totius in me Vrbis studia consonabant: omnium pene iudicio dignus summo sacerdotio decernebar: beatæ memoriæ Damasus meus sermo erat: dicebar sanctus; dicebar humilis, & disertus. Nunquid domum alicuius lasciuioris ingressus sum? Nunquid me vestes sericæ, nitentes gemmæ, picta facies, auri rapuit ambitio? Nulla fuit alia Romæ matronarum, quæ meam posset edomare mentem, nisi lugens, atque ieiunans, squalens sordibus, fletibus pene cæcata, quam continuis noctibus misericordiam Domini deprecantem sol sæpe deprehendit? Cuius canticum psalmi, sermo Euangelium, deliciæ continentia, vita ieiunium? Nulla me potuit alia delectare, nisi illa, quam manducantem numquam vidi? Sed postquam eam pro sua merito castitatis venerari, colere, suspicere cœpi, omnes me illico deseruere virtutes. O inuidia primum mordax tui! O satanæ calliditas semper sancta persequens!* Hæc hic transcribere placuit, vt discat mundus non nouum, sed inueteratum diaboli inuentum esse in Ecclesia lacerari iustos a peccatoribus, & monachos probos ab improbis, & sceleratis.

5 Ergo Hieronymus iter suum Hierosolymam direxit, ijs socijs monachis, & eo comitatu ab ipso descriptis [a] his verbis: *Vis nosse profectionis meæ de Vrbe ordinem? Narrabo breuiter. Mense augusto, flantibus etesijs, cum sancto Vincentio presbytero, & adolescente fratre* (Paulinianus hic erat, quem vltimo loco natum, Romæ dum esset, ad se vt veniret, accersiuit) *& alijs monachis, qui nunc Ierosolymis commorantur, nauim in Romano portu securus ascendi, maxima me sanctorum frequentia prosequente. Veni Rhegium: in Scyllæo littore paululum steti, vbi veteres didici fabulas, & præcipitem fallacis Vlyssis cursum, & Sirenarum cantica, & insatiabilem Carybdis voraginem. Cumque mihi accolæ illius loci multa narrarent, darentque consilium, vt non ad Protei columnas, sed ad Ionæ portum nauigarem: illum enim fugientium, & turbatorum, hunc securi hominis esse cursum: malui per Ma-*

Hieronymus profectus Ierosolymam.

a in Apolog. aduersus.

leas,

laas, & Cycladas Cyprum pergere, vbi susceptus a venerabili Episcopo Epiphanio, cuius tu testimonio gloriaris, veni Antiochiam, vbi fruitus sum communione Pontificis, confessorisque Paulini, & deductus ab eo, media hyeme, & frigore grauissimo intraui Hierosolymam. Vidi multa miracula; & quæ prius ad me fama pertulerat, oculorum iudicio comprobaui.

Paula, & Eustochium. 6 Paula vero cum Eustochio virgine filia, dignis sane Christianæ fidei spectaculis, quod mundi, patriæ, parentumque splendore, diuitijs, ac caris cunctis spretis ad Christi cunabula visenda per tot maris, & vitæ discrimina properarent, paulo post Hieronymum iter aggressa est. Quanta porro animositate sic ipse Hieronymus [a] describit: *Descendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, & quod his maius est, liberis prosequentibus, & clementissimam matrem pietate vincere cupientibus. Iam carbasa tendebantur, & remorum ductu nauis in altum protrahebatur, paruus Toxotius supplices manus tendebat in littore. Ruffina iam nubilis, vt suas expectaret nuptias, tacens fletibus obsecrabat, & tamen illa siccos tendebat ad cælum oculos, pietatem in filios pietate in Deum superans. Nesciebat se matrem, vt Christi probaret ancillam. Torquebantur viscera, & quasi a suis membris distraheretur cum dolore pugnabat: in eo cunctis admirabilior quod magnam vinceret charitatem. Inter hostium manus, & captiuitatis duram necessitatem nihil crudelius est quàm parentes a liberis separari. Hoc contra iura naturæ plena fides patiebatur, immo gaudens animus appetebat, & amorem filiorum maiore in Deum amore contemnens in sola Eustochio, quæ & propositi, & nauigationis eius comes erat, acquiescebat. Sulcabat interim nauis mare, & cunctis qui cum ea vehebantur littora respicientibus, ipsa auersos tenebat oculos, ne videret, quos sine tormento videre non poterat. Fateor nulla sic amauit filios, quibus antequam proficisceretur, cuncta largita est exhæredans se in terra, vt hæreditatem inueniret in Cælo.*

a epist. 27.

Hieronymus non inimicus Romæ. 7 Nec credat lector, quod quamuis D. Hieronymus tam acriter conquestus sit de Romano clero, eum vocans, vt dictum est, *Pharisæorum Senatum*, & Romam *Babylonem* sæpius, aliquam proinde gradui, vel Ecclesiæ voluisse inferre iniuriam. Nam fidem Romanæ Ecclesiæ (esto ministri Pharisæi essent) sectandam esse, tum alibi, tum maxime *in epist. ad Demetriadem* conceptis verbis expressit. Hieronymus ergo id solum notare voluit, quod admonuit Christus [b], de illis, & alijs, qui ipsorum mores sequuntur, videlicet: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcumq; dixerint vobis, seruate, & facite: secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere.*

b Math. 23.

Pammachius, & alij Romani. 8 Nec etiam omnes Romæ Ecclesiasticos Hieronymo aduersatos fuisse vel ex vno Pammachio, vt omittamus Innocentium, & Anastasium postea summos Pontifices, & quos D. August. commemorat [c] elici potest. Fuit autem hic Pammachius, prout Baron. annotat [d] inter monachos potius quam inter clericos annumerandus. Postquam enim nobilis, doctusq; iuue-

c lib. 1. de morib. Eccl. 33
d S. at hic laudat.

iuuenis Paulinã S.Paulæ filiam,quam in vxorem habebat,amisit,se totum Dei cultui,ac Christianæ tradidit vitę,opes suas in pauperes,& in xenodochij extructionem erogauit. Idcirco ipsum D.Hieron. in epist. ad ipsum, quę est 26. & in epistola ad Iulianum, quæ est 34. docte, & eleganter commendat, exhortans maxime ea epist. 26. vt in sancto perseueraret proposito. In ea quoque eum appellat monachum (vt idcirco nostra historia dignum censeamus) illis verbis: *Post dormitionem, somnumque Paulinę Pammachium monachum Ecclesia peperit posthumum.* Et infra: *Nostris temporibus Roma possidet quod mundus ante nesciuit. Tunc rari sapientes, potentes, nobiles, Christiani: nunc multi monachi sapientes, potentes, nobiles, quibus cunctis Pammachius meus sapientior, potentior, nobilior, magnus in magnis, primus in primis, archistrategos monachorum.* Item: *Quod patricij generis, primus inter primos monachos esse cœpisti, non tibi sit tumoris, sed humilitatis.* Qui plura de eius pietate desiderat, legat has epistolas. Recordetur maxime has quas subijcimus sententias monachis ruminandas, ex ea epist. 26. desumptas: *Vestes sericę, & aurum in fila lentescens in mollia lanarum vestimenta mutata sunt, quibus repellatur frigus, non quibus nudetur ambitio.* Item: *Prima virtus est monachi contemnere hominum iudicia, & semper Apostoli recordari dicentis: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Eam, quam illi dat Hieronymus admonitionem, *siue legas, siue scribas, siue vigilas, siue dormias, amor tibi* (id est Iesu Christi) *semper buccina in auribus sonet.*

9 Nec prætermittendum pro ijs quæ nostram monasticam tangunt historiam ex D. Hieronymi verbis in hac epistola 26. *ad Pammachium* haberi, habitum monachorum illius æui fuisse fuscum, seu pullatum, id est, fusci seu pullati, aut grisei coloris. Sic enim de eo dicit: *Quis enim hoc crederet, vt consulum pronepos, & Furiani germinis decus inter purpuras Senatorum furua tunica* (id est *pulla* ac *nigra* prout Marianus Victorius eius scholiastes legit) *pullatus incederet.* Et infra: *Esto incedas nudis pedibus fusca tunica vestiaris.* Idem notauit *in epist. ad Marcellam* loquens de Asella. *Tunicam fusciorem, quam a matre impetrare non poterat, induta.* De hoc alibi diximus. — Monachorum habitus qualis.

10 Nec etiam prætermittendum, plura monachorum agmina in Cypro Insula hoc tempore extitisse, quæ Beata Paula in hac sua peregrinatione pie visitauit. Sic enim D. Hieronymus [a]: *Post Rhodum, & Lyciam, tandem vidit Cyprum, vbi sancti, & venerabilis Epiphanij pedibus prouoluta, decem ab eo diebus retenta est, non in refectionem, vt ille arbitrabatur, sed in opus Dei, vt re comprobatum est. Nam omnia illius regionis lustrans monasteria, prout potuit, refrigeria sumptuum fratribus dereliquit, quos amor sancti viri de toto illuc orbe conduxerat.* Subiungit præterea: *Beryto Romana colonia, & antiqua Vrbe Sidone derelicta, in Sarepthe littore Elię est ingressa turriculam.* Fuit autem huiusmodi, quam Hieronymus *Turriculam* vocat, frequens antiquorum Eliadum habitatio, iuxta dicta *to. 1. sub ann.* — Monachi in Cypro. — a ad epist. 27.

3154. n. 12. Ex relatis porro Hieronymi verbis facile eliciet lector, quomodo S. Epiphanius in Cypro egregius Antistes, monachismi, quem ipse profitebatur, ea in Insula propagator extiterit.

Monachi in Hispania. 11 Plurima quoque monachorum, monacharum, & Monasteriorum agmina hoc tempore in Hispania fuisse ex epistola Sirici Papæ ad Himerium Tarraconensem Episcopum hoc anno datam. vtpote, Consulibus Arcadio, & Bautone, qui tunc Consulatum gerebant, scripta, clare elicitur. In ea namque ipsorum mentio fit, & aliqua pro illis rectè formandis statuuntur. Cuius porro instituti fuerint, sub lite manet, cum Basiliani Patres eos asciscant. Sed pro nostra parte stant, quæ sub annis 300. 308. & 384. diximus, ac quæ sub anno 393. dicemus.

Annus Christi 386. Siricij Papæ 2. Valentiniani II. Imper. 11. Theodosii Imper. 8

S. Martini gesta. 1 De Monastica nostra iterum hoc tempore celebratur S. Martinus Turonensis monachorum Occidentis eximius propagator. Ex quo illud notabile, quod cum Ithacianis communicasset, ab Angelo ei repente occurrente correptus est, qui ei dixit: *Merito Martine compungeris, sed aliter exire nequisti. Repara virtutem, resume constantiam.* Correptionem recepit, sed tamen, vt ipse fassus est postea, detrimentum sensit virtutis in energumenis præsertim curandis. Seuerus Sulpitius [a]. O quot Angeli, quot correptiones his temporibus necessariæ essent pro illis qui cum detrimento etiam Catholicæ fidei cum hæreticis communicant! Accidit etiam illi casus omni memoria dignus, quod cum aliquando cum Maximo Imperatore pranderet, & poculum ipsi Imperator præberet, expectans vt postquam ebibisset, eidem pateram redderet, non id fecit, sed presbytero cuidam assidenti, Imperatori eum præponens tradidit. Nec propterea indignationem Maximi incurrit, qui tanti Martinum habebat, vt quæ ab ipso petebantur, non pro prece, sed pro præcepto æstimaret. Seuerus [b]. Eius quoque vxor Augusta de ore Martini pendebat, pedes sancti fletu rigabat, crine tergebat, & conuiuio excepto sellulam consternebat, aquam manibus ministrabat, cibum condiebat, & famulatum præstabat. Idem Seuerus [c]. Quid magis mirandum vel tanta viri sanctitas, vel tanta illius æui Principum in viros sanctos deuotio, expendat lector.

a dialog. 3.

b in vit. S. Martini c. 23.

c in Dialog. lib. 2. c. 7.

D. Hieronymi gesta. 2 Hieronymus interim postquam Ierosolymam aduenisset, Ægyptum petijt discendi cupiditate allectus a Didymo illo Alexandrino, de quo *sub ann.* 363. dictum. Tanta erat huius Didymi fama, tantaque Hieronymi studiositas, vt cum totius ferme Orbis magister extitisset, & cum Damaso Papa, cuius adiutor fuit in scribendis pastoralibus litteris, omnes ferme Ecclesias instruxisset, Didymo tamen se tradidit vt discipulum sacris litteris imbuendum. Sic ex *Epist. 65. ad Pammachium, proœmio*

æmie in Oseam, & Epist. ad Ephes. habebit lector, & monachus quisque quanti sacrarum litterarum studium haberi debeat. Quid vero in Ægypto egerit ipse, sic [a] exponit: *Contendi in Ægyptum, lustraui Monasteria Nitriæ, & inter Sanctorum choros aspides latere perspexi*. Per aspides, aliquos Origenis labe infectos, vt alibi ipse exposuit, intelligit. Ex Ægypto deinde Ierosolymam, & Bethleem rediit, ad incunabula Saluatoris veneranda. Idem Hieronymus [b]. — a in Apolog. ad Ruffin. — b Epist. 65.

3 Sed quæ istæ aspides inter *Sanctorum choros* latentes? Proculdubio Didimus ipse, de quo locuti sumus. Etsi enim scientia præstantissimus, nihilominus Origenista fuit, prout idem Hieronymus testatum reliquit [c], ac proinde, vt Ioannes Maria Brasichellensis S. Palatij Magister ait [d], damnatus est cum Origene, & Euagrio Pontico in 5. Synodo generali, testibus Tharasio Episcopo Constantinopolitano *in confessione fidei*; quæ habetur *in* 7. *Synodo act.* 3. Nicephoro [e], & Cedreno [f], & a Martino Papa, & Martyre [g]: item Ammonius, Eusebius, Euthymius, Euagrius (scilicet Ponticus) Or, & Isidorus, quos inter Origenistas recenset idem Hieronymus [h], vbi loquens de Ruffino authore [i], sic habet: *Qui librum quoque scripsit quasi de monachis, multosque in eo enumerat, qui nunquam fuerunt, & quos fuisse scribit, Origenistas ab episcopis damnatos esse non dubium est; Ammonium videlicet, & Eusebium, & Euthymium, & ipsum Euagrium. Or quoque, & Isidorum, & multos alios, quos dinumerare tædium est, & iuxta illud Lucretij.* — Origenista. — c in Apolog. ad Ruffinum. — d in Ind. librorum expurgandorum. — e lib. 17. histor. cap. 27. — f in Annalib. — g in Concil. Lateranens. secret. 5. can. 18. — h in Epist. ad Ctesiphontem. — i lib. 2. vit. Patr.

Ac veluti pueris, absinthia tedra medentes,
Cum dare conantur, prius ora pocula circum
Contingunt dulci mellis flauoque liquore;

Ita ille vnum Ioannem in ipsius libri posuit principio, quem & Catholicum, & sanctum fuisse non dubium est, vt per illius occasionem cæteros, quos posuerat hæreticos Ecclesiæ introduceret. Videnda tamen, quæ supra *sub anno* 367. diximus de Hor, seu Or, Ammone, seu Ammona.

4 Paulam quoque in Ægyptum peregrinationis piæ causa ex Palæstina profectam fuisse, etsi incertum an eodem Hieronymo comite, pro comperto est ex illius Epitaphio [k] his verbis: *Transibo ad Ægyptum, & inter Socchot atque fontem Samson, quem de molari maxilla dente produxit, subsistam parumper, & arentia ora colluam, vt refocillatus videam Morasthim, sepulchrum quondam Michææ Prophetæ, nunc Ecclesiam; & ex latere derelinquam Choræos, & Gethæos, Maresa, Idumæam, & Lachis; & per arenas mollissimas, pergentium vestigia subtrahentes, latamque eremi vastitatem; veniam ad Ægypti fluuium Sior, qui interpretatur turbidus, & quinque Ægypti transeam ciuitates, quæ loquuntur lingua Chananitide, & terram Gessen, & campos Taphneos, in quibus fecit Deus mirabilia, & vrbem No, quæ postea versa est in Alexandriam, & oppidum Domini Nitriam, in quo purissimo virtutum nitro sordes lauantur quotidie plurimorum. Quod cum vidisset, occurrente sibi sancto, ac venerabili Episcopo Isidoro confessore, & turbis innumerabili-* — Paulæ peregrinatio. — k in ep. 27. ad Eustochium.

bus monachorum, ex quibus multos Sacerdotalis, & Leuiticus sublimabat gradus. Lætabatur quidem ad gloriam Domini; sed se indignam tanto honore fatebatur. Quid ego narrem Macarios, Arsatas, Serapionas, & reliqua columnarum Christi nomina? Cuius non intrauit cellulam? Quorum pedibus non aduoluta est? Per singulos sanctos Christum se videre credebat, & quidquid in illos contulerat, in Dominum se contulisse lætabatur. Mirus ardor, & vix in fœmina credibilis fortitudo. Oblita sexus, et fragilitatis corporea; inter tot millia monachorum cum puellis suis habitare cupiebat; et forsitan cunctis eam suscipientibus, impetrasset; ni maius sanctorum locorum retraxisset desiderium. Atque propter feruentissimos æstus de Pelusio Maiomam nauigatione perueniens tanta velocitate reuersa est, vt auem putares.

5 Ex hac porro Hieronymi, Paulæ, & Sociorum peregrinatione id accipiat monachus lector, similem ad loca sacra, ac pia perfectionem ipsum nullatenus dedecere, si cum debitis circumstantijs, finis, temporis, &c. ac Superioris assensu fiat. Quod dictum maneat contra hagiomachos quosdam sanctorum locorum venerationem improbantes, Centuriatores videlicet Magdeburgenses [a], Nysseni eandem Epistolæ inhærentes. Nam vt prætermittamus eam non haberi inter legitima opera eiusdem, prout Bellarminus [b] notat, esto legitima ipsius proles sit, vt Baronius [d] autumat, cui suffragatur Posseuinus [e], solum de monachis, aut monialibus vagis, vel vagæ curiositatis potius ductu, quam deuotionis spiritu actis intelligi debet, sicut & alia, quam D. Basilius ad monacum lapsum scripsit, & quæ a D. Hieronymo [d] ad Paulinum ad hoc intentum scripta sunt. Legatur Bellarminus [f].

Notanda.

a Centur. 4. c. 10. col. 936.
b de Scrip. Eccl.
c sub hoc anno §. sed ibi et adte.
d in Appar. in Gregorio Nisseno.
e epist. 13.
f in Controuers. lib. 3. de sanctis c. 8.

6 Ordinatus hoc anno creditur Ioannes Chrysostomus in Presbyterum, prout ex Marcellino Comite, Leone Augusto, & Palladio autumat Baronius [g], A Flauiano Episcopo, prout ex Græcis historijs elicit. Quibus adhæret Erasmus [h]. Præ singulari animi modestia tanti muneris dignitatem detrectans; in nostrorum sanè monachorum exemplum, qui vtinam nec eam ambirent. Cum tanto fructu, tantoque totius Ecclesiæ prouentu, quanto ex eius homilijs, ad populum præsertim Antiochenum, cum quo conuersabatur, ipsiusque vitæ scriptoribus habere potest lector. Hinc illi inditum Chrysostomi cognomen, id est, *os aureum*. Addunt quidam apud Metaphrastem [i], quod cum sublime dicendi genus arripuisset, atque ob eam causam a simplicioribus minus intelligeretur, redargutus a pia muliercula fuerit, & propterea euestigio mutasse iuuenilis animi stylum, ac faciliori methodo se omnium auribus accommodasse. In exemplum quoque nostrorum Concionatorum, qui propterea sæpius verbi Dei fructum perdunt, quod Christianæ humilitatis immemores alta petunt, ima deserunt, ac propterea auditorum ingenia superuolant.

Chrysostomi gesta.

g hic §. hoc itē anno.
h in vit. Chrysostomi.
i in eius vit.

7 Quo etiam anno, vt Baronius computat, ob mortem Cyrilli Ierosolymitani Antistitis eam Cathedram ascendit Ioannes noster, cognomine

Ioannes Ierosolymitanus Antistes factus

mine *Nepos*, de quo in superioribus actum: quem sugillat quod tempore persecutionis sub Valente Catholicos auersatus fuerit, & cum Arrianis, ac Macedonianis communicauerit; insuper quod factus fuerit Catholicus spe dignitatis, ac ab hæresi redemptus pollicitatione Episcopatus; quæ omnia dicit innixus auctoritati S. Hieronymi *epist. 67.* plura se dicturum promittens in sequentibus. Hæc vero, sicut & alia quæ de ipso comminatur dicturus, tum eo loco, tum in præsenti, maturiori trutina in veritatis, & huius nostri Ioannis defensionem, pensanda; cribranda potius, vt granum a paleis segregetur. Et quidem quod hoc anno Ierosolymitanam sedem ascenderit concedi Baronio potest, etsi vir doctissimus Honuphrius Panuinus ad annum 389. id referat, idque sequatur Petrus Lucius Belga [a] Quoad alia vero quæ de ipso refert, quam parum credibilitatis præseferant, prudens nullus refragari poterit. Cum enim hoc tempore, quo Catholici Ierosolymitani ab Arrianis, & Macedonianis maxime abstinebant, ab ipsorumque consortio se se abdicabant, quis credet in suum Patriarcham elegisse eum, qui tali hæreseon carie vel leuiter notatus esset? Quomodo altisone resonantibus in cælum vocibus contra simile facinus non reclamarent? Cur ad supremum Ecclesiæ Præsulem Siricium Papam, aliosue Palæstinæ Episcopos, vt tam iniquæ se opponerent assumptioni, scribere recusarunt? Nihil tale auditum est a nullo scriptore notatum, quin potius de isto Ioanne cum laude cuncti ferme loquuntur, Baronij ergo assertum a veritate alienum.

a *in Comp. hist. c. 10.*

8 Id magis innotescet, si testimonia eorum, qui huius creationis Ioannis nostri in Ierosolymitanum Antistitem meminerunt, in medium proferamus; ex eis namque quæ dicunt (eo vel maxime, quod nullus crimina, quæ Baronius illi appingit, in eo notat) veritas patefiet. Ergo Theodoretus Episcopus Cyrensis eius temporis historicus grauis [b] sic de eo: *Ierosolymis vero preerat Ioannes vir admiratione dignus.* Et cap. 38. *Ierosolymis autem post admirabilem Ioannem Praylio Ecclesię cura commissa est.* Quid autem Theodoreto sit esse *virum admirabilem*, seu *admiratione dignum*, liquido patet ex *c. 8. & 23.* vbi simili epitheto exornat viros sanctissimos, Grægorium Nissenum, Amphylochium, Cyrillum Hierosolymitanum, Damasum, & alios. Deinde Cassiodorus [c] Theodoretum secutus eundem Ioannem *virum mirabilem* etiam compellat. Præterea Idacius Episcopus eius quoque temporis auctor [d], qui testatur se infantulum, & pupillum agnouisse hunc Ioannem simul cum Hieronymo & Eulogio, eum vocat *Olympiade 296. et 298.* pluries *sanctum*, & *virum insignem.* Item Ruffinus [e] hæc de ipso: *Ierosolymis autem post Cyrillum Ioannes Apostolicas reparat Sedes.* Extat etiam apud Bostium, & Palæonydorum referendos hoc Prosperi Aquitanici testimonium ad rem nostram *Ioannes Monachus ob vitæ puritatem, Prophetię gratiam, quam a Domino meruit, illustris habetur, qui Ierosolymis post Cyrillum Ecclesiam recipit gubernandam.* Ad hæc Nicephorus Callixtus [f] sic: *Ierosolymis Cyrillo* *diui-*

Testimonia in fauorem ipsius

b *hist. sua Eccl. lib. 5. c. 35.*

c *hist. Tripart. lib. 10. c. 25.*

d *in suo Chron.*

e *lib. 2. c. 21.*

f *lib. 14. hist. c. 30.*

diuinus Ioannes successerat. Ex Chrysostomo autem eiusdem Ioannis coæuo [a] ad ipsum expendat lector verba illa: *Teque hortamur, vt fortitudinem illam quam ab initio præstitisti, ab eorum nimirum Cætu, qui Ecclesias tot tumultibus compleuerunt, remoueas te; nunc quoque retinens, paremque prælu dijs, etiam longe splendidiorem finem imponas*. Si enim *ab initio*, & veluti *præludijs* Ioannes se ab ijs, qui *Ecclesias tumultibus* complebant, segregabat, qui subsistet Baronij placitum de commercio ipsius cum Arrianis, Macedonianis, & alijs hæreticis?

a in epist. 88.

Alia ex domesticis.

9 Sed audiantur domestici testes, Carmelitici scilicet nostri instituti Scriptores, qui sicut ipsum, vt Carmeli monachum a 1200. circiter annis habuerunt, sic quoque quibus primordijs præcedentibus ad sedem Ierosolymitanam euocatus fuerit aptius dicere possunt, quam ij qui historias nostras nec primis labijs delibarunt. Ex illis vnus est B. Cyrillus Constantinopolitanus Doctor Græcus, & Carmeli incola, ab speculo Ordinis [b] datus, qui in epistola ad Eusebium (alijs per errorem Ioachimum) sic habet. *Fuit tempore Arcadij, & Honorij Imperatorum in Monte Carmeli pater dictorum religiosorum quidam vir miræ virtutis, & perfectionis, Ioannes nomine, qui cæteros consortes suos eiusdem Montis monachos exemplo suo, & magisterio solicite inducebat ad perfectionem acquirendam secundum propheticam disciplinam vitæ monasticæ per Eliam Prophetam institutæ. Quam disciplinam Ioannes eis exponebat ex diuersis dictis tam veteris, quam nouæ legis, & ex nonnullis tractatibus editis a prædecessoribus suis. Qui tandem propter eius sanctitatem in Pontificem Hierosolymitanæ Ecclesiæ sublimatus, Apostolo Iacobo in Episcopatu eiusdem Ecclesiæ 44. successit*. Eadem ferme transcripsit Ioannes de Vineta vetustus Ordinis Chronologus in Tractatu, qui incipit *Cum quidam fratres*, & habetur in Speculo Ordinis [c]. Et post alios Arnoldus Bostius [d] hæc dicens: *Deinde mortuo Cyrillo Patriarcha Ierosolymitano, is Ioannes propter suam maximam sanctitatem factus est Ecclesiæ Ierosolymitanæ Patriarcha, & Pontifex*. Idemque supponunt Ioannes Palæonydorus, Petrus Lucius Belga, Didacus Coria, Thomas de Iesu, Munozius, Casanate, & innumeri alij posteriores historici. Quibus sane, vtpote de re domestica, & veluti per traditionem habita loquentibus magis fidendum, quam Baronio, qui etsi magnæ famæ, & opinionis Scriptor, omnino tamen ab historijs nostris alienus erat.

b lib. 8. c. 1.

c fol. 37.

d in tempore hist. lib. 5. c. 67.

Notanda pro Ioanne.

10 Hæc porro dumtaxat dicta sint, vt Ioannis nostri Præsulatus primordia a labe, qua eum Dom. Baronius notari cōtendit, vindicemus. Quæ enim ad alia gesta ipsius spectant, in sequentibus discutientur. Vbi etiam quid ad D. Hieronymum, qui acriter in ipsum sepitis vel *ardore fidei*, vt testatur ipse [e], vel ex falsis contra ipsum rumoribus sparsis prouocatus (nisi dicatur, de quo in sequentibus, eam epistolam suppositium esse) inuehi videtur, respondendum sit. Nunc tamen illud non omittendum elici posse in ipsius commendationem ex epistola illa Hieronymi, cuiuscunque ea sit, ex qua Baronius tam sinistra de ipso collegit, de eo nullam

e ep. 61 . . . Pa-

hæresis

hæresis suspicionem fuisse illis verbis: *Certe si hæreseos nulla suspicio est, vt cupio, & credo.* Et infra: *Etiam si bene credit.* Dumtaxat ergo eum carpit, quod admonitus etiam per epistolam Epiphanij, vt de sua fide rationem redderet, id facere renuerit, eo solum contentus quod ad Alexandrinum Antistitem scribens id fecerit; non ad Epiphanium, quem vt superiorem non agnoscebat, & multo minus ad Hieronymum, quem vt priuatum Presbyterum, & sibi subditum ratione incolatus putabat. Adde, quod communicasse cum hæreticis non tantum piaculum eo tempore, quo permixti cum Catholicis erant, videtur; maxime cum vix aliquis tunc etiam inter sanctissimos viros esset, qui vel necessitate coactus id non faceret. Cur ergo nota ista, veluti infamiæ næuo, Ioannes solus laceratur? Et quibus de causis? Sane non alijs, nisi ex ijs quæ vel suspicione solum, murmurantium forsan relatu, figurata dictione, aut tropis oratorijs contra ipsum præiudicata fuerunt. Quæ quidam scribit, exscribit, laudat, auget, & exaggerat, occasionem posteris præstans, vt causa incognita, alieno nutu directi, ipsum Ioannem hæreticis accenseant. Quod non fecerunt Augustinus, Epiphanius, Philiastrius, Prateolus, Guido, Castrus, & plures alij, qui diligentissime Catalogos hæreticorum scripserunt. Vtinam Dominus Baronius monumenta nostra, & alia, quæ dicturi sumus legere potuisset, quo non tam acriter in virum cunctis ferme cōmendatissimū inueheretur. Vel saltem faceret quod cum Fausto Regiensi egisse constat. Eum namque [a] vt hæreticum condemnans, alijs præbens similis censuræ ferendæ ansam, postmodum, re melius examinata, priorem censuram sane acrem, qua Faustum perstrinxerat, *in Appendice ad to. 6* palinodice retractat. Prout notat Bollandus [b]. (a to. 6. ad an. 490.) (b in Act. Sanct. 16. Iannuar. in ipso fausto.)

12 Assumpto Ioanne ad Ierosolymitanorum Patriarchium munus Archidiaconi, & gubernij Monasterij S. Sepulchri Euagrio suæ Religionis monacho reliquit. Sic enim testantur Bostius, & Palæonydorus *supra*. (Euagrius.) Quis autem is Euagrius fuerit discutiendum merito est, propter plures eiusdem nominis, nec sanæ doctrinæ viros, qui temporibus antiquis vixerunt. Et sane proculdubio non fuit ille hæreticus, de quo *lib. 10. vit. Patr. c. 177.* vbi dicitur dæmonem habitasse in cellula ipsius, & alium monachum, qui in ea habitare voluit, se ipsum suspendisse in exemplum sane eorum, qui hæreticorum consortia non vitant. Nec fuit ille Euagrius Constantinopolitanus Episcopus, de quo Socrates [c], Nicephorus [d], & Martyrologia pro die 6. Martij, claruitque tempore Valentis, & ab ipso in exilium missus migrauit ad Dominum. Nec Euagrius alter Scholasticus dictus qui Ecclesiasticam historiā Græce conscripsit tempore Mauritij Imperatoris circa annum 597. fuit ergo ille, quem D. Hieronymus [e] vocat Antiochiæ Episcopum, *& acris ac feruentis ingenij* eidem Hieronymo necessarius, prout colligitur ex epistola 5. *& 6. ad Florentium, epistola 57. ad Damasum, epist. 41. ad Ruffinum,* maxime *epist. 49. ad Innocentium,* vbi eum valde commendat, & *in vita Malchi*, vbi eum Papam appellat. (c lib. 4. c. 23.) (d in Chron.) (e in Catalogo Script. Eccles.)

Quod

Quod colligi potest ex eo quod Palæonydorus de hoc Euagrio loquens dicat eum fuisse Antiochenum Patriarcham. Quia tamen de illo vlterius addit primitus ordinatum fuisse lectorem per S. Basilium, & deinde Presbyterum (melius Diaconum) per Gregorium, quæ vt habetur ex Possevino [a], & Baronio [b] sunt notæ alterius Euagrij Pontici dicti hoc tempore monachi clari nominis, etsi obscuri propter Origenis labem, qua conspersum fuisse scribit S. Hieronymus [c] (eo vel maxime quod iste Ponticus monachus fuit, imo valde celebris inter Ægypti monachos, quo se contulit, & ille alius Antiochenus Episcopus vix constet monachatum egisse, nisi forsan eo tempore, quo cum D. Hieronymo in Syria moratus est, prout ex relata epistola ad Ruffinum elici videtur) ideo rem sub dubio modo relinquimus alibi examinandam. Id certius hunc Euagrium Ponticum, Hyperboritam etiam appellatum, Ierosolymis cum Melania conuixisse; & ab ea habitu monastico indutum fuisse, prout habet Palladius [d]. Ex quo credibilius fit id quod de Euagrio dicunt Bostius, & Palæonydorus relati, cum Monasterium illud Sancti Sepulcbri a Melania cultum fuerit. Corporis tamen postea mala valetudine affectus Ierosolymis relictis Ægyptum petijt, & in Nitriæ monte, ac cellijs monasticam vitamper sexdecim annos exercuit; vt habet idem ipsius discipulus Palladius *supra*. Commendatur propterea a Sozomeno [e], Gennadio [f] & alijs, tum propter vitæ splendorem, tum propter doctrinam asceticam, qua fulgebat. Velut ergo apes argumentosæ mella ex ipso libemus, non venenum Origenianum, si eo infectus fuit. Etenim vitæ austerrimæ, orationibus, & Scripturis vacasse, & ad sedendam carnis tentationem tota vna nocte hiemis in puteo stetisse, ac ad vincendum spiritum blasphemiæ per quadraginta dies tectum ingressum, non fuisse, idem Palladius prosequitur. Sicut & miraculis, ac spiritu prophetiæ claruisse. Quomodo autem hęc in Origenista reperiri potuissent dubitari potest. Propterea quidam de Palladio ea referente dicunt: *Dignum patella operculum*, hoc est Origenista similem laudat. Alij vero cernentes D. Hieronymum Origenis erroris insimulasse viros alias clarissimos, scilicet hunc Euagrium, & Palladium, Hor, Ammonium, Eusebium, Isidorum, Ruffinum, & alios, ac cum ipsis Melaniam seniorem, credere videntur ex falsis vulgi rumoribus, accedente præsertim ardentissimo zelo huius sancti Doctoris, id factum esse. De quo in sequentibus nonnulla.

[a] in Appar. lit. E.
[b] sub hoc ann. 388. § hoc eodem anno.
[c] in ep. ad Ctesiphontem.
[d] lib. 8. vit. Pat. c. 86.
[e] lib. 6. c. 30.
[f] de viris illustr. c. 11.

Annus

Annus Christi 387. Siricij Pont. 3. Valentin. II. Imper. 12. Theodosij. Imp. 9.

1 CIRCA hoc tempus prout prudenti coniectura ducti autumamus, accidit quod ex Metaphraste, & alijs affertur in vita Arsenij apud Surium 19. Iulij. Quod scilicet cum is Arsenius in Palatio Imperatoris Theodosij magisterium exerceret circa Arcadium Theodosij filium, cumque pro culpa aliqua commissa flagris cæderet, vt propterea velut alter Nero necem Magistro machinatus esset, ille a Deo instructus vtriusque salutis consequendæ formam accepit. Ex Ruffino [a] sic habetur: *Abbas Arsenius cum adhuc esset in Palatio, orauit ad Dominum dicens; Domine dirige me ad salutem. Et venit ei vox, dicens: Arseni fuge homines, & saluaberis. Idem ipse discedens ad monachilem vitam, rursum orauit, eundem sermonem dicens. Audiuitque vocem dicentem sibi: Arseni fuge, tace, quiesce: hæc enim sunt radices non peccandi.* Hæc monachorum salutaria documenta apprime ipsis necessaria latius ex Patrum auctoritate roborata habebit lector, si placet, ex nostro opere *de Reformatione Regularium*. Arsenij gesta.

a lib. 3. vit. Pat. n. 190 & 5 lib. etiam vit. Pat. libell. 2.

2 Paula etiam Romana Monachorum propagationi apud Bethleem existens sancta industria insistebat. Etenim D. Hieronymus in vita ipsius, quæ est *epist. 27.* ad filiam Eustochium sic scribit: *Nec multo post in sancta Bethleem mansura perpetuo, angusto per triennium mansit hospitiolo, donec extrueret cellulas, ac monasteria, & diuersorum peregrinorum iuxta viam conderet mansiones, in qua Maria, & Ioseph hospitium non inuenerant.* Inferius porro quale fuerit huiusmodi Monasterium, qualisque vitę canon ibi obseruaretur, sic exprimit: *Dicam & de ordine Monasterij quomodo sanctorum continentiam in suum verterit lucrum. Seminabat carnalia, vt meteret spiritualia: dabat terrena, vt cælestia tolleret: breuia concedebat, vt pro his æterna mutaret. Post virorum Monasterium, quod viris tradiderat gubernandum, plures virgines, quas è diuersis prouincijs congregarat tam nobiles, quam medij, & infimi generis, in tres turmas, Monasteriaque diuisit: ita dumtaxat, vt in opere, & in cibo separatæ, psalmodijs, & orationibus iungerentur. Post Alleluia cantatum (quo signo vocabantur ad collectam) nulli residere licitum erat: sed prima, seu inter primas veniens cæterarum opperiebatur aduentum, pudore, & exemplo ad laborem eas prouocans, non terrore. Mane, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio, per ordinem psalterium cantabant, nec licebat cuiquam sororum ignorare psalmos, & non de scripturis sanctis quotidie aliquid discere. Die tantum Dominico ad Ecclesiam procedebant, ex cuius habitabant latere, & vnumquodque agmen matrem propriam sequebatur; atque inde pariter reuertentes instabant operi distributo, & vel sibi, vel cæteris indumenta faciebant.* Alia pia huius sanctæ Viduæ opera circa suarum alumnarum instructionem ex eodem Hieronymo habeat lector. Paula.

Circa

S. Eufrasia.

3 Circa hoc tempus Antigonus, & Euphraxia pietate celebres coniuges & Imperatoris Theodosij consanguinei, parentes esse meruerunt Sanctæ, & celeberrimæ virginis Euphrasiæ. Cuius pijssima historia nostrum calamum vocat, quod sacra Monialis fuerit in Thebaidis Ægypti partibus, vbi, prout sæpius inculcatum, fœminarum (sicut, & virorum) cœnobia erant instituti Esseni, ac perinde Eliani. Vnde non solum Chronologi nostri, sed & exteri etiam hanc celeberrimam virginem inter Carmeli fragrantissimas odore rosas accensent. Hi sunt Laurentius Beyerlinck [a], dum de Carmelitis; Ioannes Carthagena [b]; Catalogus sanctorum præfixus Operi Nicolai Manerbij *de sanctis*; Alphonsus Villegas [c]: & quod pluris est, S. Congregatio Rituum, quæ Officium proprium ipsius cum tribus lectionibus secundi nocturni inter Officia alia SS. Ordinis nostri sub Vrbano VIII. Pontifice Maximo anno 1628. approbauit. Esto eiusdem Virginis Officium antea in vsu esset Religionis, vt constat ex vetustioribus kalendarijs eiusdem. Nata fuit Constantinopoli ex Antigono, & Euphraxia nobilissimis, vt præmissum est, parentibus, vtpote Theodosij Imperatoris consanguineis, pariterque pijssimis; qui vnica hac sobole genita contenti, continentiam postmodum promiserunt. Viro defuncto, Euphraxia in matrimonium postulata cum filia infantula clam Ægyptum petijt, & vsque Thebaidem penetrauit; vbi eleemosynis, & pijs operibus vacans, ac cum Monialiabus cuiusdam in ea Regione Monasterij conuersans, sancto fine quieuit. In eo, etsi austerissimæ disciplinæ, quippe ieiunijs, corporis mortificationi, & pietatis operibus solum locus erat, Euphrasia virgo septennis habitu Monialium induitur, prout dicemus *sub anno* 389. quo id contigisse ex ipsius historia colligitur.

a in Theat. vit. hum. to. 6. lib. 16 verbo Religiosus Religio.
b in Hom. pro Carmelit.
c in vit. S. Eufrasiæ inter Extrauagantes.

Annus Christi 388. *Siricij* Pont. 4. Imper. Valentiniani II. 13. Theodosij 10.

Theodosij gesta.

1 CVM Theodosius hoc tempore aduersus Maximum Imperatorem etiam nuncupatum expeditionem pararet, & eius causa tributum nouum indiceret, indignati Antiochenses ciues in statuam Placillæ Augustæ iam irruentes loco emotam cum ignominia protraxerunt per vrbem, & ipsius Theodosij statuam indigne tractarunt. Theodoretus [d], Sozomenus [e], Zosimus [f].

Monachorum gesta.

2 Hic casus materiam præstat nostræ monasticæ historiæ dignam. Cum enim Theodosius vehementer commotus perditurus ferme esset ciuitatem, & ciues, ac propterea iudices vindices sceleris Antiochiam misisset, ijque publicis eam priuassent dignitatibus, & priuatis hominibus grauissima intentarent supplicia; monachi, qui in montibus erant, res ciuitatis in summo versari discrimine cernentes, ad eam accesserunt, nemine aduocante, suadente nemine, pro reis supplicantes, vt ab expe-

d lib. 5. c. 19.
e lib. 7. c. 23.
f lib. 4.

ctatis tribulationibus eriperentur; dicentesque, se non prius recessuros quam iudices parcerent ciuitatis populo. Quibus omnibus, ac concionibus eo tempore habitis a Ioanne Chrysostomo, post alia tandem Flauianus Antiochenus Episcopus ad Theodosium legatus mittitur, cuius oratione placatus, & populo parcitum est, & de celerrima venia impertita proclamatum. Chrysostomus homilijs *ad populum*, Sozomenus [a], Themistius [b]. Hæc autem eo animo scripsimus, vt sciant monachi iuniores vetustiorum hunc morem fuisse populi seditionibus obuiare, pro ipso intercedere, non cooperari.

a supra.
b Orat. 5.

3 Vnus autem istorum monachorum, & veluti Princeps erat Macedonius quidam *Critophagus*, id est, hordeo viuens, nominatus, eo quod hoc cibo vteretur. Celebris valde non solum apud Theodoretum [c], Nicephorum [d], Damascenum [e], sed etiam in Menæis Græcorum 24 Ianuarij. De quo maxime *in vit. Patr. lib.* 9. *c.* 13. ex eodem Theodoreto habetur moratum fuisse in montium cacuminibus, nunc in vno, nunc in alio; ac per 45. annos non vsum fuisse tabernaculo, aut tugurio, sed stetisse in profunda fossa: postea vero tugurio, & domunculis alienis vsum esse per 25. annos. Cibus eius hordeum erat aqua madefactum. Magna in ipso animi simplicitas, vt propter eam in Presbyterum a Flauiano Antiocheno Episcopo cooptatus, tum ipsum, cum alios baculo impeteret. In hac porro occasione, qua Duces a Theodosio missi internecionem minabantur propter euersionem statuarum imperialium, eos in foro retinuit, quod cum sponte facerent, & ad ipsius genua prouoluerentur, illis persuasit vt scriberent ad Imperatorem ne propter suas imagines Dei imagines occideret. Plura præterea edidit Deus per ipsum miracula; mulierem videlicet signo crucis, & aqua benedicta a dæmone liberans; puellam a Magicis præstigijs, fœminam ab insania, matrem ipsius Theodoreti ab sterilitate, ita vt ipsum pareret, ac propterea suum nouum Eliseum appellaret. Contigit quandoque, vt veniret ad ipsum pastor quidam oues errantes quærens, ipsumque inuenirec, igne cælesti illustrato, & circa illum duos candida veste indutos igni præbentes materiam. Obiens tandem sepultus est honorificentissime cum Aphraate, & Theodosio in æde Martyrum. Hæc veluti in compendio ex Theodoreto relato.

Macedonius monachus.

c lib. 5. hist. c. 19.
d lib. 12. c. 43.
e aduersus vituper. Imag.

4 Numerat autem idem Theodoretus inter fœminas exercitationem monasticam amplectentes suam ipsius matrem, quam dicit exemplo Macedonij hordeo aqua madefacto pro cibo vsam fuisse, ita vt cum ægrotaret eiusdem consilio vix acquieuisset medicis. Possumus & nos inter eas (etsi vere Monialis non esset) referre Olympiadem clarissimam fœminam, quam Theodosius Imperator vt secundas nuptias iniret cogebat, sed inaniter. Virgo fuit in matrimonio etiam, eleemosynarum liberalissima, Ecclesijs quoque, Monasterijs, & cœnobijs, eas dispergens, prout habet Palladius [f], vbi hæc etiam non omittenda, quia ad ædificationem

Theodoreti mater.

Olympias fœmina.

f lib. 8. vit. Patr. c. 14.

animarum tendunt, quam nos perquirimus in his Annalibus: *Vita sine vlla inani gloria, species nequaquam ficta, sinceri mores, facies non fucata, corpus florens, mens non gloriosa, animus ab arrogantia alienus, cor minime turbulentum, somni expers vigilia, spiritus non curiosus, charitas immensa, quæ comprehendi non potest, communicatio vilis, & contempta vestis, infinita continentia, recta cogitatio, in Deum spes æterna, cum eleemosyna, quæ non potest narrari, ornamentum omnium humilium, cui multæ sunt accusæ tentationes ex operatione eius qui est sua sponte malus, & omnis boni expers, nempe dæmonis, quæ pro veritate non parua adijt certamina, quæ & diu affatim vixit in immensis lacrymis, omni humanæ naturæ subiecta propter Dominum cum omni pietate sanctis subdita Episcopis, venerans presbyteratum, honorans clerum, reuerens exercitationem, suscipiens virginitatem, opem ferens viduitati, curam gerens orbitatis, protegens senectutem, ægrotos inuisens, peccatorum miserens, errantes in viam deducens, in omnes vtens misericordia, profuse autem in pauperes, multisque infidelium in catechesi institutis vxoribus, etiam ad victum eis ferens auxilium, semper memorabile nomen benignitatis reliquit per totam vitam.* Hæc & alia in eodem Palladio, Sozomeno [a], Nicephoro [b], Georgio Alexandrino [c], Menologio Græcorum [d], Martyrologio Romano [e], & alijs.

[a] lib. 8. c. 24.
[b] lib. 13. c. 24.
[c] in vit. S. Chrysostomi.
[d] 28. Iulij.
[e] 17. Decemb.

Theodosius monachos interpellat.

5 Expeditionem aduersus Maximum prætensum Imperatorem dum Theodosius pararet, tanti ponderis prælium auspicaturus legatos misit ad Monachos seu Anachoretas Ægypti commorantes, vt pro se apud Deum precibus certarent, specialiter ad Ioannem sanctissimum monachum, de quo D. Hieronymus [f], D. Augustinus [g], Ruffinus [h] & nos supra *sub anno 366.* Ab eo igitur bonum nuncium accepit, & exitus victoriæ prophetiæ veritatem comprobauit.

[f] ad Ctesiphontem.
[g] de ciuit. Dei lib. 5. c. 26.
[h] lib. 2. c. 32.

Senuphius monachus.

6. Nec his contentus pius Theodosius monachum alium Senuphium nomine ex Ægypto aduocari fecit, media industria Theophili Alexandrini Episcopi; vt eum belli socium haberet. Qui cum humiliter resisteret, nec omnino posset, id fecit, quod in Actis Sanctorum Cyri, & Ioannis Martyrum pro die 31. Ianuarij ex Metaphraste habet Surius his verbis: *Statim stetit ad Orientem, & cum superhumerale, & baculum in cælo sustulisset, Domine Deus, inquit, Deus exercituum da huic meo superhumerali, & huic baculo, vt tantum possit, quantum ego ipse, si illic adessem. Hæc cum Deo dixisset, quæ habebat in manibus, dat statim Pontifici. Hæc accipe, dicens, & mitte statim ad Imperatorem. Ille autem superhumerale quidem imponat capiti, baculum vero manu ferat. Deinde quando opus fuerit manus conserere cum inimicis, præcedat omnes alios audacter procedat aduersus inimicos. Nam si ego quidem possim a Deo exaudiri, existimo fore, vt ipse sit illis terribilis, & sine sanguine gloriosam referat victoriam. Hæc cum ad Imperatorem libenter essent allata, ille quidem munit caput superhumerali quauis galea tutiori, baculo autem munit dexteram; lancea longe validius, & hac ratione confidens fore, vt videretur hostibus terribilior, quam olim, vt aiunt*

claua

claua Hercules. Iam accedentibus hostibus ipse primus præcedit, ducens totum exercitum. Propter Senuphij autem ad Deum orationem nulla erat dilatio, sed res statim finem accipiebat. Simul ac enim eum viderunt barbari, eum admirati tamquam vnum ex cælestibus, ad fugam statim spectabant, & pedum virtutem laudabant. Fugiebant vero non aliquo certo ordine, vt qui non essent omnino obliti virium; sed vt qui essent emota mentis, & perterriti, alius alio dispersi, terga voleutibus facilia, expedita venatio, secura persecutio, & libera ab omni periculo, ipsi potius propter fugam quæ erat sine vllo certo ordine, plagas & vulnera, atque adeo mortem sibi inuicem conciliantes; adeo vt Imperator non solum sine sanguine, sed etiam sine labore hanc victoriam retulerit. In quibus sicut valde notanda Imperatoris pietas erga habitum, & baculum monachalem, sic quoque animaduertendum, superhumerale, & baculum gestasse insignia monachatus Eliani,& Prophetici fuisse, prout non solum *to. 1. præcedenti*, sed & in *hoc 2. in Apparatu c. 7.* diximus.

7 Felicior etiam extitit hic annus baptismo S. Augustini, prout Baronius hic ex varijs fundamentis, etsi in re incerta, putat. Baptizati etiam cum eo Alipius ipsius comes, & Adeodatus filius. Post susceptum vero baptismum vna cum matre & Alipio Romam se contulit, vbi prout ipse narrat [a], plura Monachorum, & Sanctimonialium consortia reperit: *In quibus singuli grauitate, atque prudentia, & diuina scientia præpollentes cæteris secum habitantibus præsunt Christiana charitate, sanctitate, & libertate viuentibus; ne ipsi quidem cuiquam onerosi sunt, sed Orientis more, & Pauli Apostoli auctoritate manibus suis se transigunt. Ieiunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est vsquequaque vsitatissimum, sed continuum triduum, vel amplius sæpissime sine cibo, ac potu ducere. Neque hoc in viris tantum, sed etiam in fæminis; quibus item multis viduis, & virginibus simul habitantibus, & lana, & tela victum quæritantibus præsunt singulæ grauissima, probatissimaque non tantum in instituendis componendisque moribus, sed etiam instruendis mentibus perita, ac parata. Atque inter hæc nemo vrgetur in aspera, quæ ferre non potest: nulli quod recusat imponitur, nec ideo condemnatur a cæteris quod in eis se imitandis fatetur inualidum.* S. Augustini baptismus.

a in lib. de mo-

8 Accidit sub hoc tempore, vt cum in partibus Orientis monachi pro solemnitate SS. Machabæorum Martyrum processionem Catholico modo, & ritu facerent, impediti essent ab hæreticis Valentinianis: illi vero tam iniqua actione commoti, fanum eorum igne incenderunt, vt propterea conquesti Theodosio illud restaurare iusserit; resistente tamen D. Ambrosio. De quo ex Paulino in vita S. Ambrosij, & eodem Ambrosio epist. 29. Baronius *sub hoc anno*. Apud quem etiam de Synagoga Iudæorum combusta. In his attendat lector tum pium monachorum pro fide Catholica zelum, tum processionum in Ecclesia veterem vsum. Monachorum gesta.

9 Hic annus fuit, quo primum Palladius Galata, qui octauum li-

brum *vit. Patr.* Lausiacam historiam dictum, quia ad Lausum quendam Præpositum nuncupata, scripsit, Alexandriam petijt, prout habetur *c. 1.* eiusdem libri vbi; & in Ægypto per aliquot annos existens vitas Monachorum ibi commorantium, quorum aliquos in præcedentibus retulimus, de alijs vero suis locis dicetur, vidit, vel audiuit, vt idcirco eas postea scribere potuerit. Eius historia nostræ inserenda videtur, cum & Monachus fuerit, prout ex Cassiodoro [a], Socrate [b], & Monachorum celebris cultor, prout ex eo opere habetur. Omittenda tamen potius quia Origenista existimatur communiter propter auctoritatem S. Hieronymi [c]. Nihilominus propter dicta supra *sub anno* 386. dum de Euagrio eius Magistro locuti sumus, aliqua de ipso etiam dicemus. Episcopus fuit Helenopoleos, id est, Helenopolis in Bithynia. Aduersarius Diuo Hieronymo, prout constat ex eius operibus. Diuersus ab alio Palladio Carmeli incola, & Ioannis Ierosolymitani discipulo, de quo in superioribus. Ac amicus, & gratus Ioanni Chrysostomo, quod non parum pro ipsius recta fide argumentum facit. Hic Alexandriam perueniens hoc anno in Isidorum presbyterum, & Xenodochum incidit, tantæ probitatis virum, quantæ diximus *sub anno* 340. Ab eo ergo petens vt ad vitam cooptaretur monasticam, ductus est extra ciuitatem ad eremum dictam *Cellæ*, & traditus cuidam Dorotheo Thebano per triennium erudiendus. Cuius acta tam præclara sunt, vt Palladio relicto, ad hunc Dorotheum transire cogamur.

[a] lib. 8. hist. Tripart. c. 1.
[b] ibid.
[c] in prohemio aduersus Pelagianos, & epist. 80. ac 27.

Dorotheus.

10 Dorotheus ergo iste, de quo Sozomenus [d], & ex eo Cassiodorus [e], & Nicephorus [f], prout ipse Palladius in disciplinam ei traditus [g] scribit, per sexaginta annos in spelunca monasticam agebat. Erat eius vitæ ratio asperrima, & squalida: *Toto enim die* (inquit Palladius) *atque adeo in ipso æstu meridiei, in solitudine, quæ est prope mare, colligebat lapides, & ex eis semper ædificans, & cellas faciens, eas cedebat ijs, qui non poterant ædificare, singulis annis cellam faciens.* Requisitus cur in tanta senectute corpusculum occideret, respondebat: *Illud me occidit, ego quoque ipsum occidam.* Subiungit Palladius: *Comedebat autem singulis diebus sex vncias panis, & minutorum olerum fasciculum: aquæ autem bibebat modicum quid. Deum autem testor* (subiungit) *me nunquam eum cognouisse pedes extendisse, non dedita opera dormiisse in thoro, aut super lectum; sed per totam noctem sedens contexebat funem ex ramis palmarum, vt ex eo sibi victum pararet. Cum autem suspicarer eum, cum adessem solummodo, tam extrema vsum esse exercitatione, sciscitatus sum vt scirem a compluribus eius discipulis, an perpetuo vteretur tam accurata exactaque exercitatione. Hi mihi dixerunt quod a iuuentute vitam suam ita instituit, numquam dedita opera dormiens, nisi quod inter operandum, vel comedendum aliquando conniuebat oculis deiectis, adeo vt sæpe panis quoque ex eius ore excideret esus tempore propter nimiam dormitationem. Cum autem ego aliquãdo cogerem hunc sanctum paululum iacere super storeã, ægre ferens mihi dixit: Si quando persuaseris Angelis, vt dormiant*

[d] lib. 6. c. 29.
[e] in Tripartit. lib. 8. c. 1.
[f] lib. 11. c. 35.
[g] lib. 8. vit. Patr. c. 2.

tum

tum virtutis studioso quoque persuaseris. Subiungit tandem qualiter Crucis signo venena, & diaboli insidias effugerit, dicens: *Vbi Crux adest, illic viribus caret diaboli improbitas*. Sententia sane tanto viro digna.

11 Commemorat hoc anno Flauius Dexter [a] Concilium quoddam Tarraconense, a nobis iure etiam commemorandum, quod in eo mentio habeatur Monachorum, Abbatis, & Monasterij. Id namque denotat copiam ipsorum non exiguam hoc tempore in Hispania fuisse. Cuius autem instituti, consulat lector dicta a nobis sub annis 300. 308. & 384. ac dicenda *sub anno* 393. ac iudicet, recte ne Eliani Ordinis dici possint. Etsi videam quosdam Basilianis ipsos accensere cum Padilla [b]. Idem censendum de antiquo Monasterio *Puig*, vel *Puche* prope Valentiam, eorumque Monachis, quos etsi S. Basilij instituti credat Beuter [c] cui fauet Escolanus [d], dicens fundationem fuisse Monachorum Græcorum. Cum enim ex dictis illis locis constet in Hispania ab antiquiori tempore fuisse monachos Elianos, non est cur ad exteras nationes aut ad aliud institutum pro huius, & similium Monasteriorum erectione recurramus. Prout in simili de alijs Monachis, & Monasterijs Hispaniæ discurrit Franciscus Transpuerta [e].

Concilium Tarraconense.
a in Chron. n. 10.
b in histor. Hispan. Centur. 6. c. 3.
c lib. 1. c. 27.
Monachi in Hispania.
d in hist. Valent. lib. 7. c. 6.
e in hist. Ecclesiast. Giennens. secul. 7. c. 3.

Annus Christi 389. Siricij Pont. 5. Valentin. II. Impera. 14. Theodosij. Imp. 11.

1 HOC anno post obitum S. Monicæ matris S. Augustini, ipse in Africam rediit, comite Alipio, & Carthaginem appellens, vbi ab Innocentio quodam receptus, orationibus eum a languore liberauit. Rediens postea in patriam cum Alipio, & Euodio vitam instar monasticæ ieiunijs, orationibus, pijsque operibus, hæc enim sunt monasticæ œconomiæ præcipuæ partes, vacans, libros scribebat. Sic ex varijs ipsius operibus elicit Baronius cum alijs [f], & ante eum noster Bostius [g].

S. Augustini gesta.
f hoc anno.
g lib. 1. hist. c. 8.

2 Obijt & eo tempore Gregorius Nazianzenus, de quo nonnulla in præcedentibus, varijs agitatus morbis, tentationibus impetitus; ac persecutionibus improborum Monachorum, quæ adeo excreuerunt, vt eum ad altare sacrificantem lapidibus appetierint, varie exercitatus. Similia namque monstra semper fuerunt in Monasterijs pro veris Monachis pietatis athletis exercendis. Ipse tamen vicem rependit mansuetudine, ac lenitate. Sic moderni ex ipsius scriptis. Eius corpus, & effigiem Vaticanus iure veneratur. De eo Beda, Vsuardus, Ado, & Martyrologium Romanum 9. Maij. Græci autem 14. kalend. Februarij, & 8. kalend. eiusdem mensis.

Gregorij Nazianzeni obitus.

3 Prodijt in lucem tunc Bonosus quidam in Macedonia Episcopus impudentissimus hæreticus, qui illibatam Dei genitricis Virginitatem post partum blaspheme abnegauit. Vt propterea a Synodo Capuensi iu-

Bonosus hereticus.

dicatus medijs quibusdam Episcopis fuerit, damnatus etiam ab Anysio Episcopo Thessalonicensi, Audentio Hispano, & Gelasio Papa in Concil. Rom. *Can. sancta Romana*. Cuius occasione in alios eiusdem nominis, qui hoc tempore viuebant, incidit Baronius *hic*.

Bonosus eremita.

a in epist. 41. ad Rufinum.

4 Nos autem, alijs relictis, vnum solum Bonosum D. Hieronymi dignum amicum, & familiarem, insulam quandam eremi colentem, verbis ipsius [a] celebrabimus, quod in eo scopulo vitam anachoreticam, & monasticam egerit, sui exemplum Monachis cunctis relinquens: *Bonosus tuus* (inquit Hieronymus) *immo meus, & vt verius dicam noster, scalam præsagatam Iacob somniante iam scandit, portat crucem suam, nec de crastino cogitat, nec post tergum respicit. Seminat in lacrymis, vt in gaudio metat. Et sacramēto Moysi serpentem in eremo suspendit. Cedant huic veritati tam Græco, quam Romano stylo mendacijs ficta miracula; Ecce puer honestis seculi nobiscum artibus institutus, cui opes affatim, dignitas apprime inter æquales erat, contempta matre, sororibus, & carissimo sibi germano, insulam pelago circumsonante naufragam, cui asperæ cautes, & nuda saxa, & solitudo terrori est, quasi quidam nouus paradisi colonus insedit; nullus ibi agricularum; nullus monachorum ne paruulus quidem, quem nosti, Onesimus, quo velut fratre in osculo fruebatur, in tanta vastitate adhæret lateri comes. Solus ibi, immo iam Christo comitante, non solus, videt gloriam Dei, quam etiam Apostoli nisi in deserto, non viderant. Non quidem conspicit turritas vrbes, sed in nouæ Ciuitatis censu dedit nomen suum. Horrent sacco membra deformia, sed sic melius obuiam Christo rapietur in nubibus. Nulla Euriporum amœnitate perfruitur; sed de latere Domini aquam vitæ bibit. Propone tibi ante oculos, amice dulcissime, & in præsentiam rei totus animo, ac mente conuertere; tunc poteris laudare victoriā cum laborem prœliantis agnoueris. Totam circa Insulam fremit insanum mare, & sinuosis montium illisum scopulis æquor reclamat; nullo terra gramine viret, nullis vernans campus densatur vmbraculis; obruptæ rupes quasi quendam horrore carcerem claudunt. Ille securus, intrepidus, & totus de Apostolo armatus, nunc Deum audit dum diuina relegit; nunc cum Deo loquitur; cum Dominum rogat, & fortasse ad exemplum Ioannis aliquid videt dum in insula commoratur. Quas nunc diabolum nectere credis tricas; quas parare arbitraris insidias? Forsitan, antiquæ fraudis memor famem suadere tentabit, sed iam illi responsum est: Non in solo pane viuit homo. Opes forsitan, gloriamque proponet; sed dicitur illi: Qui cupiunt diuites fieri incidunt in muscipulam & tentationes. Et: Mihi gloriatio omnis in Christo est. Fessa membra ieiunijs, morbo grauante, concutiet, sed Apostoli repercutietur eloquio. Quando enim infirmior, tunc fortior sum. Et: Virtus in infirmitate perficitur. Minabitur mortem: sed audiet: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Ignita iacula vibrabit, sed excipientur scuto fidei; & ne multa replicem impugnabit Satanas; sed tutabitur Christus.* Hæc & alia tam pie, quam eleganter Hieronymus de suo Bonoso, ea *epist.* 41. & altera ad Chromatium, Iouinum, & Eusebium, quæ est 43. nobis meditanda pro instructione nostra.

Hoc

5 Hoc insuper anno, teste Marcellino [a], dato a Theodosio Imperatore pio Rescripto, ambitiosissimum illud templum Serapidis Alexandriæ funditus euersum est, prout iam pridem a Bessarione Abbate prædictum, & ab Antonino Philosopho Ethnico, diabolo suggerente, præcognitum erat. Demolitis autem templis, atque sublatus sacrificijs, & idolis, monachi loca acceperunt pro Idolorum sacerdotibus substituti. Vt propterea Eunapius Dei hostis, ethnicus homo, ac dæmone afflatus, in eosdem Monachos indignatus, illos appellauerit: *Homines quidem specie, sed vitam turpem porcorum more exigentes, qui in propatulo infinita, atque infanda scelera committebant, quibus tamen pietatis pars videbatur sacri loci reuerentiam proculcare. Nam ea tempestate quiuis atram vestem indutus, quique in publico sordido habitu spectari non abnuebat, is tyrannicam obtinebat authoritatem, in eam virtutis opinionem venerat id genus hominum.* Hæc in Monachos dicta ab impurissimo Idololatra maximo applausu recipiunt Nouatores nostri sæculi, non multum ipsi absimiles. Sed a nobis expendenda, quatenus colorem habitus Monachorum illis verbis *atram vestem*, & magnam in populos authoritatem Monacorum, illis *tyrannicam obtinebat authoritatem*, denunciant. Monachi in templo Serapidis.

6 Iure etiam optimo locus hic Serapidis olim Fanum, Christianorum Ecclesia redditus, consecratus fuit S. Ioanni Baptistæ a Theophylo Alexandrino Antistite, teste Baronio ex alijs. Qui enim pridem Deorum veluti Principi nuncupatus erat, postea Monachis traditus Monachorum Principi Ioanni dicari debuit. Maximè, cum Monachis, quos adeo auersatus est Eunapius Sardianus, opitulatores, & cooperatores eidem Theophilo extiterint in destruendis Idolorum fanis, quæ in Alexandriæ partibus erant. Prout ex 5. *lib. vit. Patr. libello 4. de continentia n. 63.* eliciet lector. Sicut etiam in simili pio opere adiuuabant Martinum in Occiduis partibus, prout ex Seuero Sulpicio in vita S. Martini etiam hauriet studiosus. Dicatur Ioanni Baptistæ.

7 Hic annus videtur septimus ætatis Virginis Euphrasiæ, habita ratione, quod prout ex eius vita [a], apud Surium [b] & alios habetur, ipsa agebat duodecimum annum quo tempore Theodosius senior Imperator è vita decessit, anno videlicet 395. Ex hoc enim rectè elicitur pro isto anno septennem fuisse. Hoc igitur tempore cum in Thebaide moraretur cum matre, & in quodam Virginum Deo sacrarum Monasterio, quo vtraque adire solita erat deuotionis erga illas Moniales gratia, cum Abbatissa colloqueretur, eius sermonibus, ac maximè ex Dominica quadam Christi Imagine excitata, dixit Abbatissæ: *Ego me voueo Christo meo, & vlterius non vado cum domina mea matre.* Adeo firmiter hoc propositum eius menti adhæsit, vt nec matris, nec Abbatissæ precibus ab eo dimoueri potuerit. Annuit tandem pia mater, & Christo eam offerens dixit: *Domine Iesu Christe, habe curam huius infantulæ, quia te concupiuit, & tibi se commendauit.* Pro arrhis ergo tanti sponsi habitum Religionis susce-

S Eufrasia monialis habitum suscipit.

a in lib. 1. vit. Patr.
b to. 2. pro die

suscepit. Mater verò post hæc ex Abbatissæ reuelatione cognouit ipsius maritum Antigonum iam defunctum æterna gloria potiri, & pro ipsa a Domino postulasse, vt de hoc mortali corpore quamprimum egredi concederet. In Domino ergo mortua est, filia Euphrasia tum Christo sponso, tum Abbatissæ curæ relicta. Post eius tamen obitum, cum id resciisset adolescens quidam cui infantula Euphrasia desponsata a parentibus fuerat, eam postulauit ab Imperatore, qui Virginem ipsam per litteras monuit. Sed ea sic rescripsit, Christi sponsa digne: *Domine Imperator, suadesne ancillæ tuæ, vt respuam Christum, & homini corruptibili, & vermibus consumendo coniungar, qui hodie est, & cras non est? Absit ab ancilla tua, vt hanc iniquitatem faciam, &c.* Imperator ergo epistolam relegens Augustæ, senatui, & patri sponsi lacrymas, & deuotionem cunctorum excitauit, & Virginem in suo Monachatu concepto manere permisit. Historia S. Euphrasiæ relata *c.* 13.

Annus Christi 390. Siricij Pont. 6. Valentin. II. Imp. 15. Theodosij Imper. 12.

Thessalonicen. cædes. 1. ACCIDIT hoc anno clades Thessalonicensium, quando ob interfectum ab illis Præfectum militum iussit Theodosius trucidari aliquot millia Ciuium; ita vt septem millia occisa ferantur in Circo. Propter quod a S. Ambrosio, & quibusdam Episcopis cum ipso ad Synodum congregatis ab ingressu Ecclesiæ prohibitus, ad palatium reuersus octo menses in gemitu, & luctu vixit. Donec peracta pœnitentia, in festis Paschæ petijt absolui, prout obtinuit. De hac historia, & singularissimo exemplo cum pietatis Imperatoriæ, tum fortitudinis vnius Ecclesiæ Prælati Ambrosij, Sozomenus, Theodoretus, Ambrosius ipse, Augustinus, & alij post ipsos.

Iouinianus. 2 Damnatus sub hoc tempore improbus ille pseudo monachus Iouinianus ex Monasterio Mediolanensi eiectus, vbi sub monastico habitu Sardanapalus vixerat, a Siricio Papa, & Synodo Mediolanensi, & specialibus scriptis a D. Hieronymo in libris contra ipsum editis. Quia tamen in eis Virginitatem contra Iouinianum extollens nuptias deprimere videretur, prout etiam faciebant Manichæi eo tempore vigentes, ideo pro dictis libris Apologiam ad Pammachium, de quo veluti monacho *sub anno* 385. diximus, scripsit, quæ est Epistola 50. & ad Domnionem Epistolam 51. in qua monachum iuuenem quendam innominatum acriter carpit, quod libros dictos cauillatus esset, quasi in eis matrimonio detraxisset. In hac porro Epistola documenta aliqua pro veris Monachis statuit Hieronymus, quæ ab hoc loco non releganda. Primum: *Moneas eum ne castitatem habitu pollicens verbis destruat.* Et illud: *Monachum se esse non loquendo, & discursando, sed tacendo, & sedendo nouerit.* Interim etiam D. Augustinus librum *de bono coniugij* scripsit, quo etsi virginitatem

præ-

præferendam teneat, castitatem tamen coniugalem spernendam non esse docet.

3 Hoc anno, vel sequenti complebatur triennium peregrinationis Palladij Galatæ, de quo *sub anno* 388. dictum. Quo congressus cum ijs qui circa Alexandriam morabantur, illinc recedens ad montem Nitriæ, Arsisium, Putuphastum, Hagionem, Cronium, & Serapionem discipulos Amon Nitriotæ, de quibus *sub anno* 315. actum, inuisit [a]. Meminit etiam [b] Abbatis Or, de quo *sub anno* 367. dictum, licet eum dicat non offendisse viuum. Item [c] Abbatis Pambonis, quem *sub an.* 364 commemorauimus. Pioris etiam [d], cuius aliqua gesta eo loco retulimus, & *sub anno* 337. Ac [e] Ammonij illius celebris (vtinam non Originistæ) qui, vt Episcopatum recusaret, sinistram aurem sibi abscidit, & comminatus est, si ad id munus obeundum cogeretur, linguam quoque abscissurum. Et [f] Abbatis Beniamin Hydropici, velut alter Iob, patientissimi. Sicut & [g] Apollonij cuiusdam, qui medici & pharmacopolæ ministeria exhibebat Nitriotis monachis. Ac [h] Paesij, & Isaiæ, qui ex patre Mercatore Hispanico nati adeò sanctè vixerunt, vt etiam si diuerso instituto vitam gesserint a Pambone Abbate visi fuerint in Paradiso stantes. Ac in sequentibus plurium aliorum, quorum aliquot in præcedentibus commemorati sumus, de alijs vero in sequentibus, prout occasio tulerit, dicemus.

Monachia Palladio visi.

a lib. 8. vit. Patr. c. 7. & 8.
b c. 9.
c c. 10.
d c. 11.
e cap. 12.
f cap. 13.
g cap. 14.
h cap. 15.

4 Circa hoc tempus, vt contendit Baleus [i], Sanctus Antonius Eremita quibusdam monachis piæ vitę regulam petentibus Euangeliorum codicem obtulit dicens: *Illum omnia ad salutem necessaria continere.* Sed in his, prout & in alijs, malæ fidei Baleus ostenditur. Neque enim id contingere hoc tempore potuit, cum a multis annis Antonius e vita migrauerit; nec in sensu ab eo intento, vt scilicet traditiones, cæremoniæ, ieiunia, cœlibatus, & similia (prout cum Nouatoribus ille censet) excludantur, Antonius hæc diceret.

Balei error.
i in Catalogo Script. Britan. Centur. 1. in Vrsula in Appendic.

5 Agit etiam eo loco Baleus de S. Vrsula Britannica Virgine, ipsamque comitantibus Virginibus. Omissis autem quibusdam, quæ ab ipso solita procacitate dicuntur, hoc vnum non prætermittendum, quod ex Boëthio Scoto referat (etsi non probet) hanc Vrsulam sanctimonialem fuisse. Id enim, si verum fuit, nostram monasticam historiam valde illustrat. Sub dubio tamen, vtpote in re incerta, sic loquimur, quia harum Sanctarum gesta, & Martyrium aliquibus figmentis conspersa cernuntur, vt patet in Rogerio Cisterciensi, Ricardo Præmonstratensi, Mombritio, Claudio Rota, Episcopo Aquilino, Surio, & alijs, quibus relictis Baronius [k] solum adhæret Codici vetusto Vaticani, authore Gasrido Episcopo Asaphensi sub nota numeri 944.

Vrsula.
k in Martirolog. Rom. 21. Octobris.

6 Loquens etiam idem hæreticus [l] de Siricio Papa hoc tempore Ecclesiæ clauum tenente, inquit: *Hic primus monachos ad Ecclesiastica munera vsque ad Episcopatus fastigium in Romana diœcesi prouexit.* Quo tamen

Siricij gesta circa monachos.
l ibid. in Appendic. ad fastidium Priscum.

tamen nixus fundamento huic primum, relictis alijs prædecessoribus, Pontifici rem tribuat, nec affert, nec afferre potest.

Agapetini monachi. a ibid.

7 Subiungit idem Apostata [a] hæc: *Agapetini etiam monachi quidam illis temporibus erant in vtroque sexu cœlibatum simulantes, qui (vt nunc in Papismo) magis caute, quam castè viuebant.* Prætermissa tamen huic Aristarcho familiarissima maledicentia in Ecclesiam (quam impudenter *Papismum* vocat) monachatum, cœlibatum, ac Deo sacratos legis nouæ Nazaræos, hoc vnum pro nobis accipiendum de huiusmodi Agapetinis monachis hoc tempore vigentibus, sub vera, non ficta, vt impostor vult, castitate. Nisi forte velimus, prout de improbi hominis malignitate iure præsumi potest, ipsum hæreticos quosdam *Agapetas* nuncupatos, de quibus Gualterius [b] sermonem habet, habitu monachorum circumamictos credidisse in monachatus odium.

b in Tabula Cronographica secul. 4. 46.

Votum monachorum

8 Simili effrænati spiritus vertigine ductus prosequitur contra monachos (inter quos Antonium, & Hieronymum censet) *libere cælibes* vixisse affirmando, hoc est, nullo voti ligamine astrictos. Execratur enim hic pseudofrater Fratrum, Monachorum, & Religiosorum vota. Quin addit de nostro Ierosolymitano Ioanne. *Ioannes Ierosolymorum Archiepiscopus 44. cui tanquam Metropolitano Hieronymus parebat, in libro suo ad Caprasium de institutione monachorum testatur nuptias etiam monachis ipsis fuisse liberas, ann. 412. in quo eundem librum Grece scripsit.* Cæterum, paleas igne inferno comburendas a veritatis tritico discernentes. Etsi admittamus Antonium, & Hieronymum veros monachos fuisse, prout ea, que in superioribus diximus, manifestè demonstrant; insuper Ioannem Ierosolymitanum authorem illius libri esse, quod (pudet dicere) Baronius insignis Doctor, & alij ipsi adhærentes admittere renuunt; nihilominus quod Antonius, & Hieronymus nullo voto cœlibatum obseruauerint quis credet? Cum voti emissionem non solum a Christi tempore, sed & ab Eliæ æuo plures admittant, eo sanè modo, quo imperfecta illa lex id patiebatur. Insuper quod iste a Religione (vtinam non nostra) transfuga dicit de nuptijs monachis permissis ex Ioannis Ierosolymitani libro, ad lectorem libri remittimus, vt pro comperto habeat huius impostoris falsitatem. Consulat pius studiosus tum dicta in præcedentibus, tum ea quæ primo tomo de Essenorum castitate circa ann. 3545. scripsimus.

Annus Christi 391. Siricij Pont. 7. Valentin. II. Imper. 16. Theodosij Imper. 13.

Caput Ioannis Baptistæ.

1 THEODOSII Imperatoris pietate hoc tempore actum est, vt caput S. Ioannis Baptistæ inuentum ad templum a se ædificatum Constantinopoli transferretur. De quo Sozomenus [c], vlterius subiungens quod cum illud a monachis quibusdam Macedonianis, qui primùm Ierosolymis habitabant inuentum

c lib. 9. c. 43.

esset,

esset; sique in Ciliciam migrauerit, Imperator Valens iusserit Constantinopolim deportari, sed quod cum primum circa Chalcedonem peruenisset, inde moueri non potuisse, nisi hoc tempore sub Theodosio, reclamante tamen, & contradicente Matrona virgine sacra, quæ eius capitis custodiam gerebat; de qua etiam ait fuisse Macedoniana hæresi corruptam. Quæ quidem omnia materiam nostræ historiæ subministrant.

Primo quidem ob id quod dicitur de inuentione capitis S. Ioannis Baptistæ ex Ierosolymis circa Chalcedonem, & ex eo loco Constantinopolim, magna discussione eget, propter varietatem historiarum, ambages, & nodos in hac materia. De qua Acta Matronæ Pergensis tempore Leonis Imperatoris apud Metaphrasten die 8. Nouembris, auctor apud Cyprianum [a], & Baronius [b]. Quæ quidem vel indicasse nobis necessarium fuit, cum ipse Ioannes Baptista præcipuus Ordinis Prophetici, imo & monastici assecla, & in lege noua cum Christo Seruatore veluti auctor, & propagator extiterit. Deinde quinam fuerint hi monachi Macedoniani huius capitis Præcursoris Christi inuentores, nec Sozomenus declarat, neq; fides in hoc ipsi adhibenda, quia vt notat Baronius [c] hæc historia ab hæretico Macedoniano mutuata videtur suis adscribentis hanc inuentionem. Propter quam etiam causam idem Baronius [d] commentitiam etiam putat quatenus hanc Matronam virginem sacram custodem facit talis capitis, & Macedoniana hæresi infectam. Illud certius videtur, quod quamuis ea, quæ [e] ex eodem Sozomeno refert, scilicet: *Matrona verò vsque ad obitum in Coclæ pago versata est, vixitque generosè admodum, & vaste, & sacris virginibus præfuit, quarum etiam nunc multas superesse intellexi, quæ mores disciplinæ per Matronam accepta dignos repræsentant*, ex parte applicari possint ijs, quæ ex Bostio, & Palæonydoro diximus *sub ann.* 337. de Matrona quadam Præfecta Monasterij Monialium S. Sepulchri Ierosolymitani, quæ successit in eo regimine S. Syncleticæ; in pluribus tamen ab ea diuersa esse cernitur, ac maxime in Macedonianæ hæresis sequela.

Notanda.

a In Tract. de Inuent. Capitis Io. Baptistæ.
b hoc anno, & in not. ad Martyrol. Rom. die 29. Augusti.
c his. Sed quoniam.
d §. Rursum vero.
e §. Cum autem.

3. Initiatur Presbyter hoc tempore S. Augustinus, reluctans tamen, & inuitus: Factusque Presbyter Monasterium mox instituit, & cum Dei seruis viuere cœpit secundum modum, & Regulam sub sanctis Apostolis constitutam; maxime, vt nemo quidquam proprium in ea societate haberet, sed eis essent omnia communia. Quod viuendi institutum ex Italia, Mediolano videlicet, vbi fuerat Simplicianus, & vnde exierat monstrum illud Iouinianus, & Roma vbi plura repererat tum virorum tum fœminarum Cœnobia, iuxta dicta *sub ann.* 388. Africam inuexit. Quomodo id gestum fuerit, Bostius noster [f] late declarat, ex quo nos aliqua excipimus. Primo, Augustinum hunc viuendi modum instituisse ex monachis sibi a Simpliciano concessis, adiunctis Euodio, Alippio, & Pontiano eius Socijs. Secundo ex illis erexisse vnum Monasterium in Eremo. Et ad illos scripsisse sermonem illum 12. qui est ad Eremitas. Tertio, & præter

S. Augustinus Monasteriorū fundator.

f lib. 1. Operib. hu. c. 8.

præter istud Monasterium Eremi construxisse aliud in horto quodam Ciuitati propinquo, quem Valerius Episcopus ad id concesserat, in eoque posuisse sectatores Eliæ, & Ioannis Baptistæ, quos per Africæ eremos dispersos reperit, simulque cum ipsis conuixisse; plebis etiam cura non prætermissa, quæ illi ratione presbyterij competebat. Quarto dum postea Episcopus factus est nouum aliud Monasterium in Episcopio condidisse, quod videtur Canonicorum fuisse. Hæc omnia late Bostius relatus, a nobis, etsi summarie non prætermittenda, quia nec a nostra historia omnino dissident, & pro communi de Religionibus ab Augustino institutis deseruiunt.

Verbi diuini prædicationem assumere renuit.

4 Etsi Augustinus in sacris litteris hoc tempore versatissimus esset, vtpote qui iam scripserat plures libros pro defensione, & illustratione Christianæ Religionis, nihilominus in confusionem eorum, qui inter Monachos etiam verbi Dei prædicationem sibi assumunt, arrogant potius, cum vix Sacræ doctrinæ atrium penetrauerint, quæ etiam ad Prælaturas ambitiose desiderantes applicari possunt, hæc [a] ad Valerium suum Episcopum, qui hoc munus illi committere tentabat, scripsit: *Cogitet religiosa prudentia tua nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius, Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie, atque adulatorie res agatur: sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio: sed apud Deum nihil beatius si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet. Quis autem iste sit modus, nec a pueritia, nec ab adolescentia mea didici: & eo tempore quo discere cœperam, vis mihi facta est merito peccatorum meorum, nam quid aliud existimem nescio, vt secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noueram.*

a in epist. 148.

S. Epiphanij epistola ad Ioannem.

b lib. 3. vindic. oper. Io. Ierosol. sect. 3. ar. 1. §. 18.

5 Sub hoc anno, iuxta prudens computum nostri Vvastelij [b] scripsit S. Epiphanius ad Ioannem nostrum Ierosolymitanum Episcopum Epistolam illam, quæ habetur inter opera ipsius, a D. Hieronymo sequenti anno è Græco idiomate in Latinum versam, in qua plura notat notatione quoque nobis digna, vt veritas concertationis inter eos, & sanctitas Epiphanij, & Hieronymi simul cum recta fide Ioannis comprobetur. In ea porro primo se excusat, quod Paulinianum S. Hieronymi fratrem in Diaconum, & Presbyterum ordinauerit ob Ecclesiæ necessitatem, etiamsi sibi subditus non esset. Secundo, monet ipsum, vt ab erroribus Origenis, & ab ipso laudando abstineret. Præterea plures eiusdem Origenis errores refert. Item quarto, excusat se quod sciderit quoddam velum, seu imaginem cuiusdam, quæ in foribus cuiusdam Ecclesiæ pendebat. Ac demum Palladium Galatam cauendum monet, quia Origenis hæresi deprauatum dicit.

Notanda.

6 Ne vero hæc, & alia quæ ex D. Hieronymo contra eundem Ioannem audiet, lector, ipsum plus æquo offendant, ac ex eis Ioannem, vt

Orige-

Origenistam comprobatum respuat, aliqua animaduersione digna ipsi ob oculos proponimus. Primo quidem, non rarum. seu inusitatum fuisse etiam inter sanctos viros dissidia, & contentiones circa Religionem Catholicam fuisse. Vt constat in Apostolorum Coryphæis Petro, & Paulo ex epistola eiusdem Pauli *ad Galat.* in Hieronymo, & Augustino primarijs Ecclesiæ Doctoribus; Epiphanio, & Chrysostomo; Cyrillo Alexandrino, & eodem Chrysostomo Orientalis Ecclesiæ egregijs Patribus, vt ex dicendis constabit, & alijs pluribus ex posterioribus. Sic ergo in præsenti de hoc inter Patres istos dissidio exorto æqua lance censeat. Animaduertens forsan, ne hoc bellum illud esse quod vocant *Sanctorum*, quia salua pietate committitur. Nam primum quidem Iudæorum fuit. Secundum Gentilium. Tertium hæreticorum. Quartum in hoc quarto seculi Domini Sacerdotum, & Monachorum. Quidam enim alios Origenistas vocabant, & ij vicissim Anthropomorphitas illos dicebant, vt notat illorum temporum scriptor Sozomenus [a]. Et colligitur ex Socrate [b], Nicephoro [c], & ex recẽtioribus Baronio [d] & Christophoro Castro apud Heribertum Rosvvedium [e]. Vnde sicut sanctum Epiphanium Theophilus Alexandriæ Episcopus Antropomorphitarum hæresis insimulauit, vt habent ijdem auctores, quod etiam videtur fecisse Ioannes Hierosolymitanus, vt colligitur ex epistola 61. Hieronymi ad Pamachium, & Ruffinus eandem hæresim obiecit Hieronymo [f], ita è contra Epiphanius, & D. Hieronymus, Ioannem Ierosolymitanum, Theophilum Alexandrinum, & deinceps Epiphanius Chrysostomum, & monachos, qui cum illis communicabant, de Origenis erroribus arguebant, vt ex dicendis innotescet. Vnde cognoscimus illorum temporum infamationibus nihil esse tribuendum fidei; nisi tantum vbi vel idoneis testibus, vel proprijs scriptis conuincitur quid quis hæreticum docuerit, aut tenuerit.

a lib.8. c. 12. & 14.
b lib.6 c. 9.
c lib. 13. c. 12.
d to.5 ann. 300
e in Prolog. ad vit. PP. prolegomen. 15.
f Inuectiuar. lib. 1.

7 Secundo, hanc communiter vocatam Epiphanij epistolam ad Ioannem Ierosolymitanum non esse vndequaque certum ad ipsum scriptam fuisse; cum sæpius constet reperiri ad Ioannem Constantinopolitanum attitulatam, vt videre est in Operibus eiusdem Epiphanij Parisijs 1566. editis, vbi in indice eorum in prima pagella notatur hæc epistola *ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum*, & Posseuino [g], qui etiam bis hanc epistolam Ioanni Constantinopolitano inscriptam notat. Item in Codicibus manuscriptis Rubeæ vallis in Sylua Zoniæ, ac vallis S. Martini in Louanio, quos affert Vvastelius [h], & quod magis est in Vvaldensi nostro [i] vbi epistola hæc epiphanij ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum inscribitur. De quo Casanate noster [k]. Tertio non esse illius legitimam prolem dubitandi locus est, quod Sixtus Senensis referens opera Epiphanij huius epistolæ non meminit. Quod maxime robur sumit, quia in ipsa auctor se Iconoclastam ostendit, dum fatetur se imaginem cuiusdam, proculdubio sancti hominis, in foribus cuiusdam Ecclesiæ

g in Appar. Sacro verbo Epiphanius.
h in vind. oper. Io. Ierosolymit. lib. 3 sect. 3 ar. 6.
i in to. de Sacram. tit. 1. c. 1. n. 6.
k in Apolog. pro Io. Ierosol. in Tract. 1. disc. 1. c. 2

Chri-

Christianorum abstulisse. S.porro Epiphanium Iconoclastam non fuisse Concilium Nicænum 2. *act. 6. edit. vet.* testatur contra Gregorium quendam, qui in ea Synodo Epiphanium contra imaginum cultores asserebat. Adminus eam epistolam ab Iconoclastis vitiatam fuisse illi aliquid addendo fatetur Baronius [a], quem ipsius Cōpendiatores sequuntur, & Bellarminus [b]. Si autem vel in vno ea vitiata fuit, cur non in alijs? Corruet ergo machina hæc adinuenta contra Ioannem Ierosolymitanum. His ergo, & alijs prætermissis, vtut res fuerint, certum & compertum apud omnes ex Gennadio, Ioannem scripsisse aduersus obtrectatores sui studij librum, in quo ostendit Origenis se ingenium, non fidem secutum. Gennadij porro verba [c] mutuata postea ab Honorio Augustodunensi, Helinando monacho *in suis tractatibus*, & ferme a Trithemio in eo, quem *de Scriptoribus Ecclesiasticis* scripsit, sunt hæc: *Ioannes Ierosolymorum Episcopus scripsit in obtrectatores studij sui librum, in quo ostendit se Origenis ingenium, non fidem secutum.* De hoc porro libro, seu Apologia dicemus sub *sub anno sequenti*. Certum etiam, eundem D.Hieronymum cum Ioanne communionem habuisse, prout ipse testatur *in epist. 72. ad Theophilum* illis verbis: *Hic in Palæstina eodem modo ei iungimur; & ne hoc quod procul sit, in viculo Bethleem presbyteris eius, quantum in nobis est, communione sociamur.* Absit autem dicere tantum Doctorem cum hæretico Episcopo communicasse. Inferri ergo ex his liceat non nisi ex alieno relatu, nec satis comperto, pro feruentissimo erga Dei Ecclesiam quo feruebat zelo, eum acri calamo pupugisse; ac proinde sua mole cadere, quæ Eminentissimus Baronius Hieronymo adnitens contra eum scripsit.

a *sub anno 392.*
b *de Scrip. Eccl. in Epiphanio, & lib. 2. de Imaginib. SS. c. 9. in solut ad 5.*
c *in lib. de viris illustribus. 3*

Gregorius quidam.

8 Notatur autem in hac Epiphanij dicta epistola, qualiscumque, & cuiuscumque ea sit, quidam Gregorius, qui vocatur sanctus presbyter, & Abbas Monachorum; per quem mandasse Ioannem Epiphanio ne aliquem ordinaret, dicebatur, licet hoc ab ipso interrogatus negauerit. De quo quis, & qualis fuerit nobis incompertum, cum alij eiusdem nominis in vitis Patrum recitati cum ipso conuenire non appareant.

Annus Christi 392. Siricij Papæ 8. Valentiniani II. Imper. 17. Theodosij Imp. 14.

Huius anni gesta.

1 OBIIT eo anno Valentinianus Imperator ab Arbogeste Comite, vt dicitur, strangulatus; qui etiam Eugenium ignobilem hominem ad Imperium euexit. Quo tempore dum Thodosius parat exercitum in Tyrannum, S.Augustinus habet celebrem disputationem Hippone cum Fortunato Manichæo, in qua hæreticus victus, Augustinus autem victor euasit. Possidius [d], Acta huius disputationis. Ex quibus habetur in fine protulisse Augustinum illa verba Religiosis vulgatissima: *Deo gratias*.

d *in vit. S. Augustini c. 6.*

Edictum Theodosij pro monachis.

2 Theodosius etiam (quod ad monasticæ historiæ seriem spectat)

cum

cum annis retroactis generali lege sanciisset; occasione scilicet Iouiniani, & sociorum eius malæ frugis Monachorum, & vagantium, ne in ciuitatibus monachi apparerent, sed deserta loca inhabitarent; quoniam hoc in iniuriam, & damnum conuertebatur non solum piæ plebis, sed & ipsorum monachorum probæ, & sanctæ vitæ cultorum, emendans quæ promulgauerat, ita rescripsit, prout [a] habetur: *Monachos, quibus interdictæ fuerunt ciuitates, dum iudiciarijs aguntur iniurijs, in pristinum statum submota hac lege esse præcipimus. Antiquata siquidem nostræ clementiæ iussione, liberos in oppidis largimur esse ingressus.*

[a] in lib. 2. de monach. C. Theodos.

Hoc anno Dominus Baronius, relatis varijs lucubrationibus, quibus D. Hieronymus Ecclesiæ iubar in ipsius exultationem distendebatur, venit ad eam, quam ipse vocat *magni momenti, & perplexam difficultatibus* multis historiam, de Ioanne Ierosolymitano, ipsiusque controuersia cum sanctis Hieronymo, & Epiphanio. Multa propterea de ipso Ioanne, ipsaque historia scribit. Nempe Ioannem monachum fuisse; sectæ Macedonianum, spe illectum Episcopatus Ierosolymitani hæresim abdicasse; illo tamen potitum Origenis errorum se patronum exhibuisse, ac Origenistarum fautorem; ac propterea infensum sibi aduersantibus Epiphanio, Hieronymo, atque Theophilo Alexandrino, vt nullam prætermiserit occasionem ijsdem molestiam, negotiumque facessendi. Addit insuper; quod cum idem Epiphanius, etsi non sub eiusdem Ioannis Parochia in Palæstina tamen, in Monasterio vbi tum agebat in Eleutheropolitano territorio sanctum virum Paulinianum S.Hieronymi fratrem primo diaconum, deinde Presbyterum ordinasset, hanc diu quæsitam arripiens Ioannes occasionem contra Epiphanium agendi maximas contra eum turbas concitauerit, quod huiusmodi ordinationem in aliena diœcesi præsumpsisset. Item quod addebat & aliam irarum causam, nimirum quod quando Epiphanius sacrificium offerret, solitus esset pro Ioanne dicere: *Domine præsta Ioanni, vt recte credat*, & quod his prouocatus Epiphanius epistolam ad Ioannem scripserit, excusans se de priori accusatione propter penuriam sacerdotum, & consuetudinem Ecclesiarum Cypri, & de posteriori se explicans. Postremo dicit; prætextus inanes eos esse, veramque Ioannis indignationis causam hanc præcessisse, quod cum ipse Epiphanius coram redarguisset hæreseon Origenis, monuissetque ab eis recederet. Hæc vero ad libram trahenda, nedum pro ipso Ioanne, sed pro pluribus etiam Ecclesiæ summis Pōtificibus, Sacris Doctoribus, grauissimis Historicis, Martyrologijs, & Kalendarijs receptis, vindicandis, quæ eundem Ioannem inter sanctos enumerant, prout ex dictis in superioribus, & dicendis inferius liquidum erit. Nec est animus rem decidere, aut Ioannis patrocinium per fas, aut nefas sumere; sed id Ecclesiæ Sanctæ supremo Iudici Romano Antistiti remittendo, dumtaxat ostendere, non debuisse D.Baronium in re dubia, vtrimq; probabili, & quæ adhuc sub lite est, vna tantū parte audita, tam intrepide scri-

Baronius existimatio.

tentiam ferre, vt hæreticum notorium damnando; quem tota ferme Ecclesia post huiusmodi controuersiam exortam veluti Sanctum venerata est. Expendamus ergo singula, protestatione præmissa.

Ioannes Ierosolymitanus vindicatus.

4 Et primo, monachum fuisse pro comperto omnibus est, prout constat ex dictis *sub anno 381.* vbi etiam quod Carmeli quoque incola fuerit, conformiter ad dicta *to. 1. in Appar. cap. 9.* ac propterea eius historia ac defensio nobis proprior. Macedonianum autem ante assumptionem ad Ierosolymitanam sedem, vnde hauriri potest? Sane in epistola illa 61. Hieronymi communiter existimata ad Pammachium hæc dumtaxat leguntur: *Non expostulabo si inuenustus est, qui talia* (spectantia scilicet ad Trinitatis mysterium) *prædicauerunt, cum quibus fuerit quando ista dicentes exilia sustinebant; quis sit ille, qui Theonem Presbyterum Spiritum sanctum Deum in Ecclesia prædicantem, clauseris aures, & furiosus cum suis comitibus fugeris, ne tantum audires piaculum.* Sed hæc obscura, ambigua, tropis rhetoricis plena, ab absente prolata, & calore disputationis, cur tam intrepide Ierosolymitanæ Ecclesiæ Antistiti vsque ad tempora Baronij inter Sanctos existimato veluti inexcusabili Macedonij sectatori appinguntur? Iudicet Deus. Simili trutina dignum censendum illud de hæresi abiurata ob spem Episcopatus adipiscendi. Hoc enim glossema vix admittunt illa eiusdem Epistolæ non nisi tropice, figurate, & ænigmatice dicta, ac ad alium magis pium sensum congruentius trahenda; *Miserabilis Prætextatus, qui designatus Consul est mortuus, homo sacrilegus, & idolorum cultor solebat ludens B. Damaso dicere: Facite me Romanæ Vrbis Episcopum, & ero protinus Christianus.* Accedit quod idem Hieronymus *in epist. 62.* quam ad Theophilum Alexandrinum Episcopum scribit, annuit Ioanni dicenti quod nunquam ab eo læsus sit, *nec dictus hæreticus.* Non igitur in relatis verbis Epistolæ 61. quæ anterior est, eum de hæresi sugillauit. Quod vero aliqua, currenti calamo, contra eum dictauerit, quod non nisi ex relatu aliorum, nec credens dixerit, ea dictæ epistolæ verba testantur: *Scit & ipse quid taceam, quid loquar, quid & ego audierim, quid pro Christi metu fortasse non credam.* Deseruiunt ad intentum ea, quæ adduximus *sub anno 386.* Ioannem ab hæresi vindicantes pro tempore antecedenti eius ordinationem in Episcopum.

Alia pro ipso.

5 In alio, quod Baronius prosequitur de Ioanne nostro Origenis erroribus imbuto, Origenistarum fautore; & propterea infenso Sanctis Epiphanio, Hieronymo, & Theophilo, audiat pius lector sequentia. Cum primum Ioannes cognouit se de Origenis heresi infamatum, & propterea plures sibi subditos, monachos maxime, ex quibus vnus ipse erat, veluti ab hæretico schismatice recessisse, yt confidenter, ita simpliciter non solo verbo sed scripto, non ad idiotam, sed ad doctissimum Theophilum Patriarcham Alexandrinum, primam tenentem Cathedram post Romam, atque adeo etiam veluti S. Romanæ Sedis Vicarium, non epistola quadam priuata, sed encyclica, id est, communi, & quæ ab omni-

bus

bus legi posset, recursum habuit. Quid enim prudentius ageret Ierosolymorum Antistes, cum Romanus Pontifex procul a sancta ciuitate abesset, & Epiphanius, Hieronymus, ac monachi alij in Palæstina commorantes vel sibi subditi, vel saltem Superiores non essent, quinimmo partes schismatis contra eum excitati viderentur? Ad Theophilum ergo dictam Epistolam, quæ est Apologia, seu liber contra obtrectatores suos a Gennadio, Honorio Augustodunensi, Heliniando, Trithemio, & alijs vocatus, scripsit, vbi se non errores Origenis, sed eius ingenium æmulatum fuisse ostentat. At dolendum est, non extare integram ipsam Episcopi Ioannis Apologiam, sed eius tantummodo quædam fragmenta, quæ etsi ad præsens institutum nobis inutilia haud erunt; multo plus nobis contulisset propria ipsa Apologia, aut certe si fragmentis contentos esse oportet, multo ea nobis commodiora fuissent, quæ amicus aliquis ex epistola Ioannis selegisset. Nunc autem sola ea extant, quæ antigonista, plurimis alijs omissis, suo ipse instituto accomodari posse existimauit. Extant habentur in epist. D. Hieronymo adscripta *n.* 61. quæ habet hunc titulum *ad Pammachium aduersus errores Ioannis Ierosolymitani.* Adscripta dicimus, quia plura, & magni momenti argumenta suppetunt ad probandum eam Hieronymi legitimam prolem non esse; quæ affert Petrus noster Vvastelius [a], licet, ne a communi sententia discedamus, ipsam Hieronymo ascribi, gratis forsan, concedimus. Aliqua etiam ex epistola alia *n.*62. quę eiusdem Hieronymi absq; dubio est, habentur. Ergo Ioannes in prefata Apologetica ad Origenismum sibi obiectum plura respondet. Et primo, vt ostendat se rite ad Alexandrinum Antistitem Theophilum, veluti ad Iudicem legitimum in hac causa prouocasse, in principio epistolæ dicit: *Tu quidem, vt homo Dei, & Apostolica ornatus gratia, curam omnium Ecclesiarum, maxime eius, quæ in Hierosolymis est, sustines.* Quasi protestans eum recognoscere vt Papæ, seu Pontificis Romani Vicarium. Secundo dicit: *Hieronymus, & ij qui cum eo sunt, & secreto, & coram omnibus frequentissime, & sub iurisiurandi testificatione satis ei fecerunt, quod numquam de nobis ambiguitatem aliquam habuerint fidei, dicentes: Quo modo eo tempore, quando communicabamus ei, nunc similiter eumdem affectum habemus de ratione fidei.* Subiungit tertio eadem epistola aliam Ioannis veluti epilogans: *Mensæ suæ, & domus contubernium imputat Epiphanio, scribitq; eum numquam esse secum de Origenis dogmatibus locutum, & sub iurisiurandi testificatione confirmat dicens: ne suspicionem quidem, sicut Deus testis est, peruersæ in nos fidei se habere monstrauit.* Quo iuramento veluti territus Hieronymus, seu auctor eius epistolæ 61. subdit: *Nolo respondere, & arguere acriter, ne periurij Episcopum conuincere videatur.* Addit quarto Ioannes se coram Epiphanio de fide, & omnibus Ecclesiasticis dogmatibus ita in quadam catechesi locutum fuisse, vt exinde inferre posset sanam eius, & Catholicam mentem. Sed ille: *Cum & nos, quadam die ante eum locuti essemus, & præsens lectio prouocasset, audiente illo,*

[a] *vindic. oper Ioann. lib. 3. sect. 3. ar. 2.*

& vni-

& vniuersa Ecclesia de fide, & vniuersis Ecclesiasticis dogmatibus hac locuti sumus, qua & semper gratia Dei indesinenter in Ecclesia Dei docemus, & Catechesibus. Quæ porro hæc fidei dogmata fuerint,& qualiter Episcopus ex illis omnino se ab Origenismo alienũ ostendat ipsa eorum lectio manifestat. Videt iam lector Ioannem criminatum de Origenis hæresibus pro se respondentem, & negantem crimen obiectum, etiam sub iusiurando. Alia pro ipsius defensione desumpta ex defectu testium, varietate oppositionum, & alijs, affert Vvastelius *supra sect. 2. ar. 1*. quæ & nos vel leuiter in sequentibus libabimus.

6 Aliud quod in eo notatur, scilicet occasionem huius controuersiæ sumptam esse ex ordinatione Pauliniani S. Hieronymi fratris facta a D. Epiphanio in Diœcesi Ierosolymitani Antistitis, licet ex parte pro comperto sit; cæterum non ita, vt propterea contra eos Ioannes acriter insurrexisset, sed quia ipsi, qui legitimus eius Ecclesiæ Prælatus erat, obedire renuebant, vt putabat, sic astruit ex ea epistola 61. desumptum: *Quando autem cœptum de ordinatione Pauliniani, & aliorum, qui cum eo sunt, ventilari, videntes reprehendi; cum propter charitatem atque concordiam concederentur eis omnia; hoc autem solum expeteretur, vt licet ab alijs contra regulas ordinati essent, tamen subijcerentur Ecclesia Dei, & non scinderent eam, neque proprium sibi facerent principatum: in hoc non acquiescentes, cœperunt proponere de fide, & omnibus notum facere, quod si arguerentur ij qui cum Hieronymo presbytero erant, nil culparent in nobis; sin autem arguerentur erroris, & culpa, cum penitus non queant de istiusmodi quæstionibus disputare, satisfactionem errati proprij non inuenientes ad ista confugerent, non quo sperarent nos posse conuinci, sed famam nostram lædere niterentur*. Quod vero id dissidium ortum non fuerit ex epistola, quã ad eum Epiphanius scripsit (de qua sub anno præcedenti ventilatum) sed ex relata Pauliniani ordinatione sic prosequitur ipse reus vocatus Ioannes, ipsum Epiphanium ad Dei tribunal veluti prouocans: *Occasionem quoque fingunt aliarum litterarum, quas dicunt sibi scripsisse Epiphanium. Quamquam dabit ille rationem pro omnibus, quę gesta sunt, ante Tribunal Christi, vbi maior, & minor absque vlla personarum acceptione iudicabitur. Attamen quomodo possunt illius nisi Epistola, quam de ordinatione Pauliniani illicita, & illorum qui cum eo sunt, a nobis coargutus scripsit, sicut & ipsa epistola eius in exordio suo significat.* Hæc pro veritatis defensione, quam Deo sapientissimo iudici relinquimus, solum sint dicta, cum reuerentia sanctis viris debita.

Item alia. 6 Alterum a Baronio dictum, scilicet irarum causam inter hos Patres litigantes eam etiam fuisse, quod S. Epiphanius in Missarum solemnijs dicere soleret pro Ioanne: *Domine, præsta Ioanni, vt recte credat*, negare videtur reus ita esse, cum non aliam huius dissidij causam fateatur, nisi quod ipse Epiphanius Paulinianum ordinasset, & quod contra ipsum in sua Diœcesi cum D. Hieronymo, & monachis schisma excitasse appareret.

Alia quoque. 7 Postremum Baronij obiectum contra Episcopum Ioannem illud

erat,

erat, quod præcipua causa iurgiorum inter ipsum, & SS. Doctores Epiphanium, & Hieronymum ea esset, quod Epiphanius eum coram redarguisset errorum Origenis, ac monuisset vt ab eis recederet. Sed ad hæc Ioannes, veluti coarctatam vt dicitur probans, respondit Epiphanium *numquam esse secum de Origenis dogmatibus ante ordinationem Pauliniani locutum*. Quin addit sub iurisiurandi testificatione: *Ne suspicionem quidam peruersæ in nos fidei se habere monstrauit*. Quæ profecto vix potuerunt ab ipso, nisi magna cum innocentiæ fiducia proferri; adeo vt magnus Doctor Hieronymus ipsius oppugnator, & Epiphanij defensor contra ipsa nihil obijceret, vt in præcedentibus diximus. Addere & posset pro se, & ipsum Hieronymum, vel auctorem Epistolæ 61. ad Pammachium, vbi cum sermo esset de Isidoro legato Theophili Alexandrini pro pace conciliandа, & de Monachis a Ioanne deficientibus, dicitur: *Cum obijceret nobis Isidorus, quare ei* (scilicet Ioanni) *communicassis si hæreticus erat, audiuit ab omnibus, communicauimus, nihil de hæresi suspicantes. Postquam vero a beato Papa Epiphanio conuentus, tam sermone, quam litteris respondere contempsit; cuncti monachis ab eodem Epiphanio scriptæ venerunt vt absque satisfactione fidei nullus ei temere communicaret. Præsto sunt litteræ, nec super hac re dubitari potest. Hæc sunt quæ fratrum turba respondit*. Ex his autem clare elici valet, non fuisse Ioannem ab Epiphanio Origenistam coram redargutum, sed hanc Monachos de ipso concepisse opinionem, postquam ab eodem Epiphanio conuentus respondere contempserit. Vtique, iuxta dicta in superioribus, quia de illo non curabat, cum eius superior non esset, & quia sufficienter satisfactum credebat ipsi, si ad Alexandrinum Antistitem, quem vt Papæ vicarium, pro satisfactione scriberet, proin gessit. Et sane si Ecclesiæ Ierosolymitanæ matris Ecclesiarum Palæstinæ, magni tituli atque auctoritatis Episcopus, coram, & palam de hæresi reprehensus esset; nec vulgares fideles ipsum reuererentur, nec alij conuicini Antistites tolerarent. Neutrum tamen ex his accidit.

8 His prætermissis, cum tota occasio huius belli inter tam præclaros viros esset, quod S. Epiphanius ordinasset in Diaconum, & Presbyterum Paulinianum, res ipsa postulat, vt quis fuerit iste Paulinianus, inuestigemus. Eo vel maxime, quod nostræ historæ id interest, cum sine dubio monachus eius Eleutheropolitani Monasterij, vbi Epiphanius erat, vel alterius Bethleemitici, vbi Hieronymus residebat, videatur fuisse. Propterea enim Hieronymus [a] inquit: *Præterea meum causam esse dicit discordiæ; hominem qui quiescit in Monasterij cellula, & clericatum non honorem interpretatur, sed onus*. Et infra: *Monasterium enim sancti Papæ Epiphanij nomine vetus dictum, in quo frater meus ordinatus est Presbyter, in Eleutheropolitano territorio situm est*. Is frater eiusdem Hieronymi, prout sæpius ex eius operibus habetur. Imo natu minor, vtpote post eius in Syriam decessum natus, vt habet Marianus Victor [b]. Id pro comperto, cum ipso in Be-

Paulinianus quis.

[a] in epistola ad Theophilum.

[b] in vit. S. Hieronymi.

in Bethleem moratum fuisse, & inde ad patriam destinatum pro pecunia quærenda ad Monasterij Bethleemitici perfectionem. Sic enim *in epist. 26. ad Pammachium* super obitu Paulinæ vxoris ait idem Hieronymus: *Nos in ista Prouincia ædificato monasterio, & diuersorio propter extructo ne forte, & modo Ioseph cum Maria in Bethleem veniens non inueniat hospitium, tantis de toto orbe confluentibus turbis obruimur monachorum, vt nec cœptum opus deserere, nec supra vires ferre valeamus, vnde quia pene nobis illud de Euangelio contigit, vt futuræ turris non ante computaremus expensas, compulsi sumus fratrem Paulinianum ad Patriam mittere, vt semirutas villulas, quæ barbarorum effugerunt manus, & parentum communium census venderet, ne cœptum sanctorum ministerium deserentes, risum maledicis, & æmulis præbeamus.* Erat porro hoc Monasterium illud, quod a Paula ædificabatur. Crescebat enim *hoc eodem tempore* (inquit Marianus) *in Bethleem Monasterium, quod a Paula exædificabatur; verum licet pro viris, & virginibus ibi degentibus satis capax extructum habitaculum esset, & pro peregrinis mansiones aliquæ circa viam erectæ; tantus tamen vndique ad ea loca pietatis causa hominum concursus erat, præsertim Monachorum, vt diuersorium magis amplum Hieronymus ædificare cogitauerit: mittit propterea Paulinum sibi germanum in patriam iam a Gothis vastatam; vt semirutas villulas, quæ barbarorum effugerant manus, & parentum communium venderet census; obierant enim tunc Hieronymi, Pauliniique parentes.* Perrexit ad patriam Paulinianus, & Aquileiæ aliquantulum moratus est, testante eodem Hieronymo [a] sic: *Fratermeus Paulinianus necdum de patria reuersus est, & puto quod eum Aquileiæ apud sanctum Papam Chromatium videris.* Eius virtus maxime enituit in hoc quod in Presbyterum ordinari totis nisibus renuerit, indignum se esse contestans. Prout eius ordinator Epiphanius in epistola, quæ nomine eius ad Ioannem Ierosolymitanum scripta est, testatur his verbis: *Cum enim vidissem quia multitudo sanctorum fratrum in Monasterio consisteret, & sancti Presbyteri Hieronymus, & Vincentius propter verecundiam, & humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia, & laborare in hac parte, ministerij, quæ Christianorum præcipua salus est, inuenire autem, & comprehendere seruum Dei non posses, qui te eo quod graue onus sacerdotij nollet suscipere, sæpe fugiebat, sed nec alius quis episcoporum facile eum reperiret; vnde & satis miratus sum quo modo dispensatione Dei ad nos venerit cum diaconis Monasterij, & cæteris fratribus, vt mihi satisfaceret, quia nescio quid aduersum eos habebam tristitiæ. Cum igitur Celebraretur collecta in Ecclesia villæ, quæ est iuxta Monasterium nostrum, ignorantem eum, & nullam penitus habentem suspicionem, per multos diaconos apprehendi iussimus & teneri os eius, ne forte liberari se cupiens, adiuraret nos per nomen Christi, & primum diaconum ordinauimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes, vt ministraret, Valde quippe obnitebatur, indignum se esse contestans.* De ipso quoque alia in sequentibus.

Vincentius qui. 9. Quis porro sit is Vincentius in epistola Epiphanij relatus non diffi-

cile

cile cognoscitur. Fuit etenim S. Hieronymi intimus amicus, & indiuiduus comes, ac Presbyter sicut ipse, prout ibi refertur. Videtur etiam inter Monachos censendus, propterea quod idem Hieronymus [a] de ipso dicat reliquisse Costantinopolim vrbem celeberrimam, *vt in agris, & in solitudine adolescentiæ peccata* cum ipso defleret. Sic etiam [b] de ipso dicit: *Cum sancto Vincentio Presbytero, & adolescente fratre* (scilicet Pauliniano relato) *& alijs Monachis, qui nunc Ierosolymæ commorantur, nauim in Romano portu securus ascendi*. En iam Vincentium cum Monachis annumeratum, & idcirco nostræ historiæ memoriæ commendandum.

a in ea ep. 61.

b in Apologia aduersus Ruffinum.

10 Quis etiam ille Isidorus fuerit Theophili Alexandrini in hac horum Patrum controuersia componenda legatus, erudite noster Vuastelius [c]. Eum nominatissimum tum vitæ sanctitate, tum eruditione, tum in rebus gerendis prudentia appellans ex Heraclide, Palladio, Sozomeno, Socrate, Cassiodoro, Nicephoro, & alijs. Respondens etiam ad Origenianæ labis notam, qua eum inurere videtur D. Hieronymus [d], processisse forsan eam infamationem a viris non valde bonis, Anthropomorphitis videlicet. Vt enim diximus *sub anno præcedenti* eius temporis status sic erat, vt inter Patres, & Monachos quidam alios de errore Origenis, eo quod (vt debebant facere,) Deum spiritum esse dicebant, damnarent; alij vicissim istos de hæresi Anthropomorphitarum, quasi Deum (quod nefas est) corporeum dicerent. Præterea inter quatuor huius nominis celebres hunc credit esse Isidorum Xenodochum Alexandrinum Presbyterum, ex philosophis, seu monachis montis Nitriæ. Vnde videtur esse ille, de quo *sub anno* 340. diximus. Ne autem temporis distantia rem dubiam faciat, ait Vuastelius hoc tempore obitæ legationis in Palæstina fuisse ætatis septuaginta quinque annorum. Consequenter dicendum eo anno fuisse viginti trium, vel circiter. Dom. Baronius autem [e] totus, & ad litteram intentus ijs, quæ D. Hieronymus absens & non recte, nec a probis informatus de illo scripsit, nec attendens ad alia, quæ Doctores relati in ipsius commendationem dixere, acriter in ipsum inuehitur, eum appellans: *Potentissimum Origenistarum Antesignanum*, ac dicens vice pacis, pro qua tractanda venerat, Origenistarum causam indefesso studio procurasse, litteras Theophili D. Hieronymo missas non dedisse, & cum Ioanne adlaborasse in dictanda Apologia eiusdem. At nos, quia credimus nullum obsequium Deo, aut ipsius Ecclesiæ præstari, hæreseon fuligine laudabilis alias vitæ homines deturpando, quos potius, quantum fas est, a simili nota vindicare boni, & pij Scriptoris partes esse credimus; ab huiusmodi, inaudita parte, prolatis sententijs, abstinendum duximus.

Isidorus.

c sup. sect. 4. ar. 1.

d in ea ep. 61.

e sub anno seq.

Annus

Annus Christi 393. Siricij Pont. 9. Theodosij Imperator 15.

Ioannis Ierosolymitano narratio.

1 PLVRA etiam sub hoc anno egregius Annalista Baronius contra Ioannem Ierosolymitanum ex Diui Hieronymi, & Epiphanij scrinijs eruit; quæ tamen discutienda, vt vera a falsis discriminentur, & ea, in quibus excusari potest, salua reuerentia Antigonistarum ipsius, in propatulo fiant. Primo ergo ait D. Hieronymum scripsisse eam epistolam numero 61. repetitam sæpius, Romam ad Pammachium virum clarissimum ab eo precatum, vt de mutuis altercationibus cum Ioanne apologeticam epistolam scriberet. Deinde eum arguit quod ab Epiphanio expostulatus ad Theophilum Alexandrinum Antistitem litteras scripserit. Subiungit tertio, Hieronymum damnasse ipsum Ioannem quod Macedonianorum, & Arianorum communionem habuerit olim, ac quod declinauerit consortium Catholicorum confessorum. Addit præterea quod cum multa illi essent ab Epiphanio obiecta de fide Christiana, tria tantum, imo frigide, respondendo tetigerit. Insuper reprehendit, quod in causa hæresis non deberet tam segniter procedere, sed satisfacere cunctis.

An vindicandus.

2 His vero, salua vt diximus, reuerentia debita notissimæ sanctitatis viris Epiphanio, & Hieronymo, ex quibus illa aliqualiter desumpsit Baronius, non conuincitur Ioannes Ierosolymitanus erroris, aut hæresis. Etsi enim admittamus contra plura quæ oppositum suadere nituntur, vt diximus *sub anno præcedenti*, eam epistolam 61. Hieronymi prolem legitimam esse, non supposititiam; eamque Romam misisse ad Pammachium rogitantem vt de altercatione ista ipsum moneret; ex eadem tamen epistola notum est valde imminui criminationem Ioanni obiectam de eo quod cum ab Epiphanio de heresi Origenistarũ expostularetur ad Theophilum Alexandrinum de ea re scripserit. Etenim in epistolæ eius initio Hieronymus expresse fatetur Apologiam, quam Ioannes pro se scripserat, Romam peruenisse; si quidem asserit Pammachium ibi agentem dixisse multorum animos ea perturbatos esse, vtique quamplurimis iudicantibus pro Episcopi Ioannis innocentia, alijs vero pro Epiphanio, cuius curam susceperat Hieronymus. Dicit enim: *Nisi ad apologiam* (scilicet Ioannis) *de qua nunc scribere institui, multorum animos diceres perturbatos, & in vtramque partem fluctuare sententiam*. Non ergo solum ad Theophylum suam defensionem misit, sed Romam quoque, vbi summum Ecclesiæ caput versabatur. Ruit igitur hæc criminatio, adiunctis præsertim dictis *sub anno precedenti*. Ruet ac illa de consortio Macedonianorum, & Arrianorum olim a Ioanne habito, ac vitato cum Catholicis confessoribus; non solum quia verba, quibus Hieronymus id denotat rethoricis symbolis, & tropis referta, non tam assertiue, quam arguitiue prolata, non facti veritatem,

sed

sed ambiguitatem indigitant; sed & etiam quia ex falsis rumoribus eorum monachorum, cum quibus sanctus Hieronymus agebat, & quos Ioannes Anthropomorphitas appellabat, veluti ex viciatis fontibus turbidi hi gurgites oriri possent. Præsertim, quia dicta sub anno præcedenti, & *sub* 386. sufficienter indicant Orthodoxum Ioannem ante assumptionem ad Episcopatus fastigium fuisse. Corruent & duæ illæ posteriores obiectiones ex eo quod, cum, iuxta dicta in præcedentibus, S. Epiphanius etsi Cypri Episcopus, non tamen erat Ioanne Ierosolymitano Antistite Superior, quin quodammodo inferior, ratione domicilij, vtpote in Palæstina agens; Hieronymus autem, etsi alias ob egregiam doctrinam maxime venerādus, eidem tamen ob incolatū subditus; monachi etiam vndequaq; ipsi inferiores; omnesque isti apud ipsum pro Anthropomorphitis, & ipsi infensis habiti, ipsos forsan (quod humanum est) spernendo, noluit de sua fide illis satisfacere, sed Theophilo Alexandrino Patriarchæ, & Papæ vti Vicario: nec illi quoa omnia ipsi obiecta, sed quoad præcipua capita respondendo. Nec tam frigide, vt Baronius putat: siquidem Romæ, ad quam hanc Apologeticam responsionem misit, plures pro se haberet defensores, & ipse Hieronymus in epistola relata paulo post initium non audeat ipsum vt hæreticum damnare, sed dixerit: *Certe si hæresios nulla est suspicio, vt cupio, & credo, cur non verbis meis meum sensum loquitur?* Summa ergo delicti, seu criminis Ioannis Episcopi, propter quod Baronius, & eius Compilatores, vt hæreticum sugillant, ea fuit, prout lector ex tota illa Epistola Hieronymi eliciet, quod de sua fide noluerit ipsi Hieronymo, Epiphanio, & alijs monachis satisfacere; aut cum illis, ipsos veluti spernendo, in modo loquendi conuenire.

3 Sugillatur etiam Ioannes Episcopus, quod noluerit comparere loco, ad quem vocatus fuerat pro pace concilianda coram Archelao Comite, & multis Monachis, qui eum expectabant. Sed sane ad hoc forsan ipse responderet, recusasse eum fœderis modum, qui eum subijcere videbatur subditis suis, & causam Ecclesiasticam coram sæculari, veluti iudice tractare. Vindicatio.

4 Specialiter Dom. Baronius eum insimulat quod D. Hieronymum excommunicasset, & ingredi in S. Sepulchrum Christi vetuisset; vt propterea in Bethleemitico Oppido, & Monasterio detentus fuerit, fauore S. Paulæ Matronæ illic agentis, quam ob insignem generis nobilitatem cuncti maximo prosequebantur honore. Sed hoc (vt inquit Vvastelius Erasmum, & Marianum Victorium simul reprehendens) ignominiam sonat alienam ab Episcopi Ioannis modestia, & factam nomini S. Hieronymi. Deinde si Hieronymus excommunicatus fuisset, quomodo in Bethleem cum monachis, clericis, & alijs fidelibus libere communicabat? Siquidem in vna Ecclesia excommunicatus alibi non communicat, etiam si prætendat nullitatem facti, vel ob scandalum vitandum. Communicasse autem libere Hieronymum in Bethleemitana Ecclesia, vbi erat, Alia.

cunctis

cunctis fidelibus, ipsa epistola 61. ex qua contra Ioannem arma sumunt aduersarij, liquido demonstrat. Sane id non omittendum, quod si vel per breuissimum temporis spatiũ Hieronymus a suo Antistite Ioanne excommunicatus fuisset; vtique id non tacuissent Ruffinus, Palladius, & alij ipsius aduersarij, qui multo minora ipsi exprobrabant. Absit ergo huiusmodi assertum de excommunicato Hieronymo a Ioanne; præsertim quia verba ipsius Hieronymi, quibus adnititur Baronius, in magis pium sensum quilibet trahere potent.

Alia vindicatio. 5 Resumit præterea Baronius contra Ioannem inuectiuam, ex eo quòd finxerit Paulinianum a D. Epiphanio ordinatum adolescentulum fuisse, cum tamen esset triginta ferme annorum; & quod ordinatus esset in sua Parochia Bethleemetica, cùm non nisi in Monasterio Eleutheropolitano extra Diœcesim Ioannis; & quod ipse Ioannes alios minoris ætatis, & alterius Ecclesiæ ordinauerit; ac præterea quod exilij pœnam minatus fuerit monachis, & alijs sibi aduersantibus. His tamen obuius occurrit relatus Vvastelius rem ab ouo, vt dicitur, diligentissime meditatus, primo ostendens [a] non licuisse Episcopis ordinare clericum alienum: Tum ex *Can. Apostolorum* 36. Tum ex decretis magni Concilij Nicæni *Can.* 17. Sardicensis *c.* 19. Carthaginensis *c.* 5. Antiocheni *Can.* 13. & Constantinopolitani 1. *Can.* 2. & 3. *Quod igitur* (inquit) *Epiphanius actorum vniuersalium, præsertim Synodorum Nicenæ, Sardicensis, & Constantinopolitanæ, haud ignarus (quod liquet) præsumpsisset aduersus tantæ auctoritatis leges, & totius Eclesiæ vsum extra suam diœcesim, & peregre, alienum clericum, & Subdiaconum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Paulinianum, inconsulto ipsius Episcopo, ordinare Diaconum, & Sacerdotem, eundemque ipsum designare, & constituere in Bethleem monachis pastorem, datis ea de re litteris ad Presbyteros monasterij; nullis autem ad ipsum Episcopum, indigne tulit Episcopus Ioannes videre se, immo magis Ecclesiasticos canones sic fere nihilipendi, & domi existentem Episcopum in sua diœcesi non agnosci: Quare minitabatur, vt dicitur, preuaricationis illud Ecclesiasticorum Canonum exemplum toti Orbi palam facere.* Deinde [b] sic: *Licuit Hieronymo præfanti in Michæam olim se factum annorum triginta adolescentulum depingere; quod eam ætatem non satis sapere iudicaret ad scripturæ commentationem: liceat & nunc Ioanni Episcopo eadem mente Paulinianum, qui ad eam ætatem nondum peruenerat, item adolescentulum compellare, ac pene puerum, si tamen hoc verbo vsus est Episcopus; non eo solum nomine, quod canonicam nondum habuisset ætatem, sed quod ei ætati parum congrueret præfici toti monasterio pastorem, & venerandis viris Hieronymo, Vincentio, Ruffino, alijsque eiusdem monasterij presbyteris Domini conficere sacramenta. Neque enim tantummodo vrget Episcopus irregularem illam ordinationem, sed maxime quod ipsum Epiphanius presbyterum insuper constituisset in parochia Hierosolymitana Bethleem. Neque premit Episcopum quod ipse eius, aut minoris ætatis aliquem ordinauerit presbyterum; neque enim quidquid non licet peregrino, statim non licet proprio Episcopo.*

[a] dicto lib. 3. sect. 2. ar. 2. §. 5.

[b] sect. 2. ar. 2.

sceptra. Ordinauisse quoque dicitur quemdam alienæ Ecclesiæ ministrum, sed credimus consensum ipsum habuisse Episcopi. Hæc tamen omnia, vt in præcedentibus diximus, reuerentissime dicta sint, & solum pro defensione dubiæ causæ Ioannis Ierosolymitani.

6 An etiam vindicandus ex eo quod, teste Georgio Cedreno [a] ipsi reuelatus est aduentus Theodosij magni Imperatoris Ierosolymã occulto habitu Sacra loca visitaturi. Neque enim talis diuinitus concessa reuelatio hæretico homini, sed pio, & catholico concedi videtur solita a Deo sapientissimo Ecclesiæ suæ vindice. Rem prosequitur Vvastelius [b] conformiter (inquit) ad homiliam in *Sanctum Apostolum Thomam* ab eodem Ioanne editam, in qua se indicat legatum missum ab ipso Imperatore ad Edessam contra Regni inuasorem Eugenium. Cedrenus sic casum refert: *Magnus Theodosius Hierosolymam intrare cupiens, eo habitu priuati hominis se contulit, venitque ad portam S. Anastasiæ: eam cum pulsasset, famulus quidam aperuit. Cum vero omnes lucernæ essent extinctæ, Imperatoris introitu vniuersæ accensæ subito sunt, vt in solemnitate. Ianitor autem attonitus miraculo, eum ad Ioannem Pontificem Maximum adduxit; qui cum vt agnosceret, Deum rogando est consecutus, beatumque prædicauit, qui cum esset Imperator tali habitu venisset adoratum Sacra loca.*

Alia vindicatio.
a in Annal. fol.
b to. 1. lib. 3. ar. 4. in Coronide libri.

7 Passus interea est D. Hieronymus calumniam ab aliquibus ex eo desumptam, quod dicerent epistolam Epiphanij nomine ad Ioannem scriptam non veraciter, sed falsarie ab eodem Hieronymo ex Græco idiomate in latinum versam fuisse; cuius falsitatis auctor quidam Pseudomonachus existimatus fuit. Harum porro nugarum occasione egregiam illam tractationem de optimo genere interpretandi scripsit ad Pammachium, quæ est *epist.* 101. qua cum in primis se purget a calumnia illi illata, indicat denique quinam fuerint ipsius architecti. Putat Baronius hanc epistolam scriptam esse anno 1394. sequenti, sed noster Vvastelius diligentior in hac causa inuestigator anno 1392. eam tribuit [c].

D. Hieronymus quid passus.
c sup. sect. 3. ar. 3. 5. 18. & sect. 4. ar. 2. 9. 1.

8 Dolendum valde, quod in ea epist. 101. idem Hieronymus Ruffinum, & Melaniam, de quibus in superioribus cœptum est agere, suos aduersarios fateatur, & sectatores, potius patronos, Origenistarum. Dicit enim de ipsis: *Hæc non est illius culpa, cuius sub persona alius agit tragœdiam, sed Ruffini, & Melaniæ magistrorum eius, qui illum magna mercede nihil scire docuerunt.* An tamen postea resipuerint ad meliorem frugem redacti, vel quadantenus excusari queant, dicenda indicabant cum relato Vvastelio, qui pietate Christiana plus cæteris laborauit in hac causa. Eo præsertim quod cum Hieronymus, dum id opus scriberet, se fateatur *in cellula latitantem*, vtique in Bethleemitico Cœnobio, & a Ierosolymis ob dissidium cum Ioanne Antistite segregatus, potuit a pseudotestibus male informatus ea scribere.

Ruffinus, & Melania.

9 Illud etiam addit idem Vvastelius [d], horum Ruffini, & Melaniæ industria factum esse, vt schisma monachorum contra Ioannem Antistitem

Schisma Monachorum.
d sect. 4 ar. 1.

stitem Ierosolymitanum ob Ordinationem Pauliniani D. Hieronymi fratris ortum componeretur. Sic enim de illis habet in suo *Paradiso c. 33.* Heraclides: *Illos etiam 400. numero monachos, qui propter Paulinum se ab Ecclesia separabant, sanctæ rursus Ecclesiæ reddiderunt.* Hoc enim schisma nullum aliud esse potest, nisi hoc Bethleemiticum exortum inter Monachos ex vna parte, & Ioannem Antistitem ex alia *propter Paulinum*, id est Paulinianum S. Hieronymi fratrem ordinatum a S. Epiphanio contra Ioannis beneplacitum. Et de quo loquitur idem Hieronymus dum [a] dicebat: *Tantam fratrum multitudinem, & monachorum choros, qui tibi in Palæstina non communicant.* Nec refert quod vocetur ab Heraclide *Paulinus*, non *Paulinianus*, quia exigua differentia inter vtrumque nomen versatur, & ignorari ea potuerit ab Heraclide auctore Græco, sicut & a Vincentio Beluacensi, qui eum vocat *Paulum*. Nec quoque refert quod Palladius [b] de illis dicat: *Iuuerunt quoque schisma quod Paulinum sectabatur circiter quadringentorum virorum vitam monasticam agentium.* Tum quia forte legendum esset *Tulerunt*, non *Iuuerunt*, tum quia forsan in principio *iuuerunt*, sed postea componere potuerunt. Adde hunc Palladij locum mire deformatum fuisse, vt notat Heribertus *in Annotationibus ad illum n. 176.* Interpres enim illius vertit: *Iuuerunt quoque habitum, qui est secundum Paulinum*, quod etsi bonum sensum habere possit, nempe Melaniam, & Ruffinum iuuasse Monachos, qui erant eiusdem habitus Monachalis cum Paulino, seu Pauliniano, nihilominus diuersus is est ab eo, *iuuerunt schisma.* Qualiter porro hoc schisma, de quo Heraclides, & Palladius, non fuerit illud Antiochenum, de quo sub anno 375 diximus: ibidem probatum contra Baronium.

a in epist. ad Pammachium.

b lib. 8. vit. Pat. c. 118.

10 Iuuit quoque pro huiusmodi Bethleemitici Schismatis compositione tum opera Theophili Alexandrini, etsi lenior, quam D. Hieronymus vellet, prout ex *epistola 68.* ad ipsum elicitur, tum concordia inter Hieronymum, & Ruffinum, prout idem Baronius autumat. Qui etsi dicat, alios quoque Hieronymi aduersarios pari fœdere eidem copulatos, Origenis erroribus silentio condemnatis, quasi Ioannes, & alij Hieronymo aduersantes ab Origeniana hæresi cessauerint, nihilominus Vvastelius ipsius emendator rem diligenter scrutatus [c] hæc dixit: *Veritas est, compositum fuisse schisma, remittente B. Hieronymo opinionem, quam de Ruffino habebat, Melania, ac Ioanne Ierosolymitano Episcopo, siue vel tandem recedente Hieronymo a fide verborum, ac scripti senis Epiphanij: iuxta illa quæ nos velut ob oculos monstrauimus art. 3. ex ipso B. Hieronymo. Tametsi ipsi Hieronymo deserere profecto difficile fuit tanti viri, & amici, testimonium. Pacificatio videlicet ipsa iustificatio est Episcopi Ioannis, Ruffini quoque, atque Melaniæ, a defensione Origenis errorum.* Hæc Vvastelius. Pro quibus etsi dubijs elucidandis in sequentibus dicemus, quo tempore dissensio hæc sedata fuerit.

Theophilus Alexandrinus.

c in fest. 4. ar. 4.

Augustini gesta.

11 Quo etiam anno S. Augustinus in Concilio Hypponensi, quod tunc

tunc celebrabatur de fide & ſymbolo, Presbyter adhuc diſputabat; Cum tamen propterea præclarum ſpecimen de ſe dediſſet, ob idque eum concupiſcerent omnes, qui ibi aderant, Epiſcopi, Valerius Hipponenſis timens ne tam inſignis vir ab ipſo ſurriperetur, cogitare cœpit de ſubrogando eo in ſui Epiſcopatus coadiutorem, & ſucceſſorem, prout poſtea perfecit. Poſſidius [a]. — *a vit. S. Augustini c. 7. & 8.*

12 Occurrit etiam hoc anno Alipius Tagaſtenſis S. Auguſtini in vitæ inſtituto collega, & poſtea Epiſcopus, qui Hieroſolymam profectus non ſolum S. Hieronymum inuiſit, & cauſa extitit, vt inter vtrumque amicitiæ vinculum ſtrictius necteretur, vt eiuſdem Auguſtini epiſtolæ docent; ſed etiam (quod ad Ioannis noſtri hiſtoriam ſpectat) quod ipſius relatione idem Auguſtinus [b] ipſius Ioannis innocentiam, & ab hæreſi puritatem commendarit illis verbis: *Cathedra quid tibi fecit Romanæ Eccleſiæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet, vel Eccleſiæ Ieroſolymitanæ, in qua Iacobus ſedit, & in qua hodie Ioannes ſedet, quibus nos in Catholica vnitate connectimur.* Legatur Vvaſtelius [c] & quæ circa hoc Auguſtini teſtimonium ex lib. ſermon. ad *fratres in Eremo* ſub ann. 351. n. 2. ſcripſimus, pro eiuſdem Ioannis puritate. Sed ex hoc officio Alipij cum Auguſtino infert Dom. Baronius eundem Auguſtinum ſuſpectum fuiſſe D. Hieronymo de fauore erga Origeniſtas, aut propenſione in errores Origenis. Hoc tamen toto cælo a veritate alienum probat Vvaſtelius idem [d]. Primo, quia male audit Alipium virum ſanctum, & Auguſtinum ſanctiſſimum Origeniſtarum ſuſurratione deceptos fuiſſe. Secundo, quia etiam indigniſſimum eſt credere magnum Doctorem Hieronymum hanc de illis ſuſpicionem, vel leuem habuiſſe. Tertio, quia ea quibus innititur Baronius, vix leuiter tangunt intentum, prout late, & diligenter idem Vvaſtelius. Illud tamen quod addit de maiori propenſione Cardinalis in Hieronymum quam in Auguſtinum, & alios, quia de illo potius, quam de iſtis pro ſuis Annalibus locupletandis hauſerat plura, non magno pretio habendum; cum boni Scriptoris (qualis Baronius) partes ſint, non quid impenſior affectus, ſed quid veritas affert, litteris conſignare.

Alippius.

b lib. 2. contra lit. Petiliani c. 51.

c d lib. 3. sect. 1. ar. 6.

d ibid. ar. 5.

13 Sub hoc anno 393. vt habet Flauius Dexter [e] *Canali in Luſitania monachi nigri*, ideſt erant, vel apparuerunt. Non quidem quia tunc primitus monachi in Hiſpania viſi fuerint, cum conſtet frequentiſſima circa hoc tempus Monachorum examina ibi fuiſſe ex Actis Conciliorum, & epiſtolis Summorum Pontificum. Etenim in Concilio Cæſarauguſtano anni 384. vel, quod alij volunt 380. Canon ſextus, & octauus agunt de Monachis, & in Toletano 1. Canon ſextus de ſanctimonialibus. Siricius item Rom. Pontifex in quadam Epiſt. [f] quæ quidem articulis, ſeu reſponſionibus diſtincta eſt, nonnulla ſtatui monachorum concernentia in ſeptima, & quartadecima reſponſione decernit. Vt omittamus ſanctos Monachos; & Abbates Fabricianum, & Philibertum, qui Titulciæ in confluentibus

Monachi in Hiſpania.

e in ſuo Chron. ad ann. 419. n. 3.

f in ep. ad Himerium Tarraconenſem, & cunctos Hiſpaniæ Epiſcopos.

Fenarij, & Tagonij fluminum Monasterium construxerunt; & inibi martyrio sublati in cælum euolarunt anno Domini 308. vt cum Dextro, & eius scholiaste Francisco Biuario eo loco notauimus. Sed quinam hi monachi nigri fuerint, cuiusue Ordinis alumni, disquirendum. Basiliani

Cuius instituti

namque quidam S. Basilij Ordini adscribunt, eo nixi fundamento, quod ea tempestate solum Basilianus monachatus in Orbe Christiano vigeret. Quod quam leue sit, ea quæ adduximus toto hoc secundo tomo, & afferemus in tertio luce clarius demonstrant. Propterea Biuarius relatus [a] & si putet nullatenus fuisse ex S. Benedicti disciplina, vtpote qui post annos aliquot ortus fuerit, credit tamen ex discipulis S. Martini Turonensis hos monachos fuisse, cum non longe ab Hispania Galliæ distent, quas S. Martinus incolebat. Mirandum tamen in hoc a veritate declinasse virum alioquin doctum. Cur enim hos monachos ex Martini disciplina, & Gallijs in Hispaniam inuectos credat, cum Hispania ipsa, ipsomet teste, plura monachorum examina ante hoc tempus habuerit? Immerito sane ab exteris nationibus eos aduehit, quos ex Carpentania ipsa, quæ in corde Hispaniæ est, vbi ab anno 308. Fabricianus, & Philibertus monachatum colebant, Lusitaniam ingredi possent? Proculdubio veritati conformius est, monachos istos Canali notatos a Dextro dictorum Fabriciani, & Philiberti semina fuisse. Ex quo proinde clare etiam elicitur, quemadmodum isti duo Carpentani monachi, ipsomet Biuario teste [b], quod & nos notauimus eodem anno, ex Essenis S. Marci Euangelistæ discipulis ortum habuerunt, sic & isti Monachi nigri hoc tempore in Lusitaniam inuecti eiusdem Essenatus proles essent, ac per consequens ad Elianum institutum spectantes, iuxta ea quæ sæpius inculcauimus. Etenim, vt Aubertus Miræus huius seculi auctor egregius [c] habet: *Quidque enim Orientis, Austrique primores, quorum genere monachorum cætus gloriantur, tradiderit; quidquid etiam ab Oriente in Occidentem extat inuectum non minima ex parte institutionis Eliæ quædam expositio, & ad nationes diuersas coaptatio est.* Ad quod specialiter iuuat quod Franciscus Rufpuerta diligens auctor historiæ Ecclesiasticæ Regni Giennensis, quam Typis edidit ea ciuitate anno 1634. [d] conceptis verbis monachos istos, de quibus in præsenti Dexter agit, nostro Carmelitico, & Eliano Ordini adscribat; sicut & relatos Fabricium, & Philibertum monachos; Sanctimoniales, de quibus agit Concilium Illiberitanum, atque Monachos, & Moniales; de quibus Concilium primum Cæsaraugustanum [e]. De ijs enim omnibus dicit: *Tengo por sin duda que fueron del Orden Prophetico Carmelitas.*

a in Comment. ad Dextr. ad an. 419.

b in Annot. ad Dextr. sub ann. 308.

c in Tract. de orig. Carmel.

d saeculo 7. c. 5. fol. 212.

e cap. 6. & 8.

A quo tempore.

13 Quia etiam Dexter in verbis relatis dicit: *Canali in Lusitania monachi nigri, ab annis 393.* non vero *ab anno 393.* Ideo relatus Rufpuerta ea in rigore sermonis vsurpans sic intelligit, quasi Dexter dicere voluisset, quod anno 419. de quo ibi agit, numerarentur 393. anni, a quo tempore isti monachi nigri in Canali Lusitaniæ fuissent, ita videlicet vt anno 26. Christi illuc aduenerint, quod ipse credit, quia vt ex Eutrando, seu

Luit-

Luitprando admittit, a tempore Nabuchodonosor Carmelitæ in Hispania fuerunt; prout & nos diximus *to.* 1. *ad ann.* 3448. *n.* 6. Cæterum, etsi hoc sua probabilitate non careat propter Monachos Essenos Eliæ successores, quos tempore Christi, & ante Christum fuisse eo *to.* 1. latius ostendimus, ex quibus ij monachi esse possent, nihilominus ea quæ vulgo credibiliora erunt amplectentes, existimamus illud *ab annis* positum esse pro *ab anno*, Typographiæ forsan errore: ita vt sensus sit eo anno 393. primum *Canali in Lusitania* eos Monachos visos fuisse; quo etiam sensu Biuarius relatus ea verba intellexisse videtur.

Annus Christi 394. Siricij Pont. 10. Theodosij Imperatoris 16.

1 THEODOSIVS Imperator hoc tempore superatis Iuliarum Alpium angustijs pugnat prope Aquileiam ad ripam Amnis Frigidi nomine cum Eugenio, & eum sub vexillo S. Crucis superat, ac occidit. Sic ex Socrate, Claudiano, & alijs Neoterici Chronologi. Huius porro victoriæ præscius annunciator fuit celebris ille Ioannes Thebaidis anachoreta de quo sub annis 366. & 388. diximus. Prout patet ex Ruffino [a], vbi etiam quod similiter prænunciauerit Theodosij obitum non procul futurum, & quod ipse Ioannes post paucos dies positis genibus in oratione spiritum reddiderit. Ipsum quoque commemorat Prosper in Chronico [b].

Theodosij gesta.

[illegible]

a lib. 2. vit. Pat c. 1.

2 Celebratur nunc Constantinopoli Concilium, non tam ad doctrinam, aut mores, quam ad Ecclesiæ SS. Petri, & Pauli, quam Ruffinus, non ille Aquileiensis, de quo sæpius, sed alius eiusdem nominis Præfectus Prætorius, penes quem summa erat in toto Orientali Imperio auctoritas, erexerat, dedicationem, & ad eiusdem Ruffini per sacrum baptismum initiationem; ad vtrumque enim munus explendum Ruffinus iste, qui omnia pro arbitrio in Oriente moderabatur, Theophilum Alexandrinum Antistitem, & plures alios Episcopos conuocauit. Baronius, Gordonus, Coriolanus, & alij. Præstat autem huius Concilij historia pro nostra monastica plurium Monachorum, qui ei adfuere, memoriam. Vnus est Amphilochius Iconij Episcopus, de quo *sub ann.* 383. dictum. Item Dioscorus Hermopolis in Ægypto Episcopus ex Presbytero, & Monacho Nitriæ assumptus, de quo *sub ann.* 365. aliquid actum. Maxime vero Ammonius, qui ipsum Ruffinum proprijs manibus sacro fonte mundatum suscepit, & qui cum alijs quamplurimis Eremitis ad hanc Synodum, & Ecclesiæ dedicationem venit, & in qua paulo post sepultus requieuit in Domino, miraculis clarescens. Prout ex Heraclide (quem Baronius minus apte Palladium vocat) *in Paradiso cap.* 2. eliciet lector.

b ann. Ch. 395.

Concilium Constantinopoli.

3 Creditur sub hoc tempore cœpisse controuersiam illam ore om-

Dissidium inter Hieronymũ & Augustinuũ. nium agitatam inter Augustinum, & Hieronymum Ecclesiæ lumina, quæ fuit causa, vt plures inter ipsos acriores litteræ intercederent, salua tamen pace, & caritate tam eximiæ sanctitatis viris congruente. Quamuis autem communiter omnes sciant huius dissidij causam fuisse locum illum Pauli ad *Galat.* 2. occasione legalium: *In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat*: Hieronymus enim hanc reprehensionem solum simulatam fuisse credidit; e contrario vero Augustinus, quia hoc illi videbatur genus quoddam mendacij, Petrum vere fuisse reprehensibilem, & vere reprehensum a Paulo existimauit; nihilominus Baronius hic putat aliam huius concertationis occasionem fuisse, scilicet Alipium, ex Palæstina in Africam reuertentem male insufflatum a Ioanne Ierosolymitano, Ruffino & Melania de Origenismo suspectis. Hoc tamen leui suspicione dumtaxat dictum tum ea qui sub anno præcedenti attulimus, tum quod solus in ea sit ipse Baronius, liquido conuincitur. Legatur Vvastelius ibi relatus, qui rem diligenter discutit.

Paulinus, & Therasia. 4 Credunt etiam aliqui sub hoc anno contigisse Paulini Romani nobilissimi cum Therasia vxore Monasticæ vitæ institutionis primordia. Sed quidquid de huiusmodi Chronologiæ incerta ratione fuerit, illud pro comperto, mirabile pietatis spectaculum Orbi, & Vrbi præstitisse in sæculi abdicatione, facultatũ venditione, & Nolanum cum coniuge secessu, ac Fundanæ Basilicæ extructione. Scripsit porro ad Hieronymum in Palæstina agentem librum, quem in laudem, & defensionem Imperatoris Theodosij ediderat, ei mittens, ac petens, vt modum aliquem peragendæ sibi vitæ præfigeret. Hieronymus autem ad illum epistolam dedit, vbi primum illi suadet (quia forsan ipse Ierosolymam adire pro monachatu sibi necessarium crederet) qualiter id abs re esset: *Non enim,* inquit *Ierosolymis fuisse, sed Ierosolymis bene vixisse laudandum est.* Et infra: *Cuncta Ægypti, & Mesopotamiæ, Ponti, Cappadociæ, & Armeniæ examina Monachorum non videre Ierosolymam, & patet illis absque hac Vrbe Paradisi ianua. Beatus Hilarion cum Palæstinus esset, & in Palæstina viueret, vno tantum die vidit Ierosolymam, vt nec contemnere loca sancta propter viciniam, nec Deum loco claudere videretur.* Quia vero ab ipso Paulinus expetierat vt modum viuendi sibi præfigeret, ideo Hieronymus luculentum hoc testimonium, quo etiam egregie Principatus Eliæ, Elisei, & filiorum Prophetarum in Monachos (qui est præcipuus horum Annalium scopus) corroboratur, dedit: *Quia igitur fraterne interrogas, per quam viam incedere debeas, reuelata tecum facie loquar. Si officium vis exercere presbyteri, si Episcopatus te vel opus vel honor forte delectat; viue in vrbibus, & castellis, & aliorum salutem fac lucrum animæ tuæ; sin autem cupis esse, quod diceris, Monachus, id est, solus; quid facis in vrbibus; quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum? Habet vnumquodque propositum principes suos: Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones: Philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem: Poetæ æmulentur Homerum,*

Virgi-

Virgilium, Menandrum, Terentium. Historici Thucydidem, Sallustium, Herodotum, Liuium. Oratores Lysiam, Gracchos, Demosthenem, Tullium; & vt ad nostra veniamus, Episcopi, & Presbyteri habeant in exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes habere nitantur, & meritum. Nos autem habeamus propositi nostri principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios, & vt ad Scripturarum auctoritatem redeam, noster princeps Elias, noster Eliseus, nostri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis. En quomodo, iuxta Hieronymi mentem, & Paulini interrogationem ipsi propositam, Monachi cuncti Eliam, Eliseum, & filios Prophetarum vt Principes, & Duces venerari debent. Elias, & Eliseus Duces monachorum.

5 De Therasia porro tum secundum carnem, tum secundum monasticem eiusdem Paulini consorte, quam propterea D. Hieronymus [a] appellat ipsius sororem, *conseruam*, & cum ipso *militantem*, conijci datur fuisse eximiæ sanctitatis fæminam, & quod ab ipsa Paulinus ad sanctiorem vitam excolendam perductus sit. Ea enim de causa vocata videtur *Tanaquil* ab Ausonio *ep.* 23. Notat Baronius hic §. *reperitur*. Quin & §. *sic quidem* animaduertit eundem Ausonium Paulinum sugillasse, quod Bellerophontis laborasset morbo, cum abdicato sæculo vitæ monasticæ institutum arripuit. Hoc enim est sæculi sectatorum, & carnaliter sapientium dicterium commune in Dei seruos mundi oblectamenta spernentes. Vnde eadem plane in omnes Christianos monachos solita fuisse obiectari a Gentilibus, Rutilius, & ipse Ethnicus fidem facit; vbi hæc de insulæ Caprariæ monachis: Tharasia. [a] in ea epistola.

Sic nimiæ bilis morbum assignauit Homerus
Bellerophonteis sollicitudinibus.

De vtroque autem coniuge Paulino, & Therasia quomodo scilicet ille Barcinone Presbyter vixerit, & ipsa Hispana fuerit, late & docte Franciscus Biuarius [b]. [b] in Annot. ad Flauium Dextr. sub anno 396.

6 Eodem quoque ferme tempore simile sicut Paulinus conuersionis exemplum dedit Seuerus Sulpitius Romanus ciuis, in Gallijs agens, & monasticum vitæ genus arripiens, ac propterea nostræ annumerandus historiæ. Adhæsit autem S. Martino Turonensi, tunc sanctitate clarissimo, & eius disciplina instructus filios in sanctitate educauit, ac eiusdem Martini historicus esse meruit. Paulinus [c], Baronius [d], & alij, qui eius vestigia sectantur. An inter Sanctos viros computandus, vel non, eo quod a Gennadio Massiliensi [e] dicatur in senectute a Pelagianis deceptus, licet postea silentium vsque ad mortem pro pœna sumpsisset, habeat lector ex Bollando [f]. Seuerus Sulpitius. [c] epist. 1. ad Seuer. & ep. 1. [d] sub hoc ann. [e] c. 19. de Script. [f] in Act. Sanct. in vit. ipsius pro 29. Ianuar.

7 Accedit etiam inter alios Monachos eiusdem S. Martini discipulos S. Maurilius (non Mauritius vt Baroniani Annales corrupte dicunt) Andegauēsis Episcopus, de quo, quoad nostram monasticā seriem spectat, hæc habentur apud Surium [g]. Fuisse videlicet monachum, & discipulum eius- S. Maurilius. [g] die 13. Sept.

dem Martini eo tempore quo ipse Mediolani sibi Monasterium collocauerat; Sacerdotem ordinatum, arctiorem, quam inter Monachos vitam didicerat, obseruasse; Andegauum perrexisse, ac Monasterium fundasse; inuitum fuisse ad eius vrbis Episcoparum assumptum, & a D. Martino consecratum, columba diuinitus e cælo elapsa super caput eius; ac demum miraculis tum dum viueret, tum post mortem coruscasse.

Annus Christi 395. Siricij Papæ 11. Arcadij, & Honorij Imper. 1.

Imperatorum successio.

1 MORITVR feliciter hoc anno Theodosius Imperator, diuiso filijs Arcadio, & Honorio Imperio. Arcadius ergo in Oriente parentis pietatem sequens, ipso initio Imperij leges contra hæreticos, & Paganos sanxit. Honorius item in Occidente sui Imperij primordia consecrat, confirmatis priuilegijs a prædecessoribus Impp. Ecclesiæ collatis. Sic recentiores ex Socrate, Prospero, Marcellino, & alijs. Fuisse iam antea a B. Arsenio eorum magistro de baptismi lauacro susceptos ex *lib. 3. Vit. Patr. n. 37.* habebit lector.

S. Augustini ordinatio.

2 Hoc anno Diuus Augustinus Hippone Africæ ordinatur Episcopus annum agens 41. viuente adhuc Valerio Episcopo, multum cum toto populo formidante, ne sibi vir tantus eriperetur, & vt eligeretur Episcopus Hipponensis satagente. Prosper *in Chron.* Possidius *c.* 8. Quo tempore Monasterium in Episcopio constituit, vbi cum Canonicis vitam agebat cœnobiticam, prout late noster Bostius [a].

[a] lib. 1. Operib. hist. c. 8.

Siluia, seu Siluana.

3 Occurrit hoc tempore sancta quædam Deo sacra virgo, seu Monialis Siluia, seu Siluania nomine; Ruffini Præfecti Imperialis a Theodósio magnis honoribus affecti, sed postea quod Imperium affectasset ab Stilicone trucidati, soror. De qua [b] Pallad. & Heracl. [c] ista: *Euenit autem vt postea simul ad Ægyptum ex Ælia proficisceremur, sanctam Siluiam deducentes, virginem Dei, Ruffini autem e xpræfecti sororem. Erat etiam nobiscum Iouinius tunc diaconus, nunc vero ciuitatis Ascalonensium Episcopus, vir admodum sanctus, & amator, & lector studiosissimus litterarum. Cum ergo in itinere nos æstus vehementissimus occupasset, & Pelusium oppidum fuissemus ingressi, sanctus Iouinius æstu nimio fatigatus, cœperat manus, ac pedes proprios frigidissimæ aquæ refouere infusione. Quo ita vt desiderauerat facto super pellitam se, atque in solo stratam proiecerat plumam. Ad quem sancta illa Siluia veluti filium verum sapiens mater accessit, & mollitiem ipsius, deliciasque reprehendens, ista dicebat: Quemadmodum ausus es hanc ætatem agens, in qua adhuc sanguis tuus viuit sic curare & fouere corpus tuum? non intelligis, quę ex hoc nasci soleant animæ lęsiones? Crede igitur mihi confidenter loquenti, quod sexagesimum ipsa aui annum agens, excepta summitate digitorum meorum, non ora, non pedes, non partem aliquam membrorum aqua laui, & hoc cum varijs semper*

[b] in 8. lib. vit. Patr. c. 142. & 143.

[c] in Paradiso c. 42.

agri-

ægritudinibus laborarem, & ab ipsis quoque cogerer medicis vti lauacro, nunquam tamen volui antiquum corporis mei morem palpare, non in lecto quieui, non in lectica recumbens iter feci. Hæc ipsa eloquentissima fuit, magnumque amorem habuit litterarum, vt ita legendo noctes in dies verteret, omnes antiquorum interpretum libros notissimos habens. Inter quos tricies centena millia versuum legendo transierat: Gregorij, Pierij quoque, & Stephani, Basilij que, & aliorum studiosissimorum virorum vicies centena millia. Quæ tamen non quasi perfunctorie transcurrebat, sed vnumquemque sæpius auctorem reuoluens. Vnde mendacij scientia nominum atque sectarum penitus liberata cælestibus pennis per gratiam litterarum ad æternam spem Saluatoris, gallina spiritualis effecta, potuit euolare, immortales ab eo vicissitudines receptura. Discant ex hac delicata, nobilissimaque fæmina Monachi cuncti, delitias, ac mollitiem corporis fugere, ac litterarum studijs sine segnitie, aut temporis intercapedine diligentius vacare; ne viri a fæminis superati dicantur.

4 Celebres etiam erant in agro Nolano Monasticam vitam excolentes Paulinus & Therasia, de quibus sub anno præcedenti dictum. Idcirco D. Augustinus de sua ordinatione in Episcopum litteris datis monuit Paulinum, qui vicissim gratulabundas alias ad Romanianum pro eodem Augustino dedit. Continuata proinde amicitia inter vtrumque pluribus, & reiteratis litteris postea fuit. Cum autem ipsius nomen generis claritate, amplissimorum magistratuum functione, abdicatione præsertim totius terrenæ substantiæ, & vitæ sanctioris sequela cum pia vxore vbique notum, ac conspicuum esset, non solum Augustinus, & eius sodalis Alipius, sed & plures alij Africani Episcopi litteris, & legationibus eum salutabant, veluti sanctitatis exemplum. Hæc ex epistolis ipsius apud Augustinum hauriet lector. Sicut ex epistola 9. intima affectione coniunctum fuisse cum Melania, & Ruffino Ierosolymis agentibus agentibus. Quod non parum pro ipsorum ab Origenismo defensione iuuat. Paulinus, & Therasia.

5 Sic & in fauorem Ioannis nostri Ierosolymitani Antistitis tam acriter a quibusdam de ea labe insimulati, non parum facit, quod circa hoc tempus (sub hoc anno id refert Coriolanus *hic* & Baronius *sub* 397.) Paulino Nolano miserit segmentum ligni Sanctæ Crucis, cuius ille particulam misit ad Basulam Seueri socrum. Sic enim idem Paulinus *ep.* 11. ad Seuerum: *Partem particulę de ligno diuinæ Crucis, quod nobis donum benedicta Melania ab Ierusalem munere sancti inde Episcopi Ioannis attulit, &c.* Quæ eo libentius referimus, vt cūctis innotescat, qualiter Melaniā, & Ioannem, quos inexcusabiles Origenistas autumat Baronius, benedictione, & sanctitate decoratos, Paulinus, qui ipsos intus, & exterius agnoscere potuit, compellet. De quo ligno Crucis id præclarum miraculum refertur, vt oblatum ingenti incendio accedenti ad Paulini hospitium, incendium resiliret, & penitus extinctum fuerit. Sic Paulinus [a]. Ioannis gesta.

Ipse domum remeans, modicum, sed grande saluti [a] Natal. 10. in S. Felice.

De

De Crucis æternæ sumptum mihi fragmine lignum
Promo, tenensque manu aduersis procul ingero flammis,
Vt Clypeum retinens pro pectore quo tegerem me.
Arceremque hostem collato vmbone relisum.

Et inferius.

Vnde fides nobis, & in hac Cruce nixa periclo
Profuit, & nostram cognouit flamma salutem.

Cæterum, cum Melania non redierit Romam vsque ad annum 402. prout Vvastelius noster diligenter ostendit [a], historia hæc tempori posteriori adaptari debet.

[a] lib. 2. vindic. Oper. Io. Ierosolymit. ar. 1. §. 10.

Monachi ab Augustino instituti.

6 Monachismus interea ante aliquot annos cum Augustino ex Italia in eius patrium solum inuectus, iam longe, lateq; fœcunda propagatione diffundebatur, adeo vt plures ex Professoribus illius ad Episcopatus dignitatem postulati ascenderent; qui in suis Ecclesijs Monasteria quoque instituerunt. Sic noui Chronologi ex epistola Paulini apud S. Augustinum 35. maxime ex Possidio [b]. Qui porro fuerint eæ nouæ plantæ monachismi Augustiniani in Africa erecti, & ex quibus Episcopales sedes implebantur, ex ipsomet Augustino [c] sic habemus: *Et assumptis mecum Anastasio, Fabiano, Seuero, Nicolao, Dorotheo, Isaac, Nicostrato, Cyrillo, Stephano, Iacobo, & Vitali pauperculo, qui pecuniæ saccum apud Mediolanum inuenit, & non rapuit, nec post aurum abire voluit. Igitur meeum istis assumptis imitari cupiebam cum caris meis Euodio, Alippio, & Pontiano, qui diu mecum fuerant; & cum cæteris duodecim, quos nuper assumpseram, illos, quorum famam etiam S. Pater Hieronymus mihi descripserat, & sic perueni ad Africam, pia matre defuncta, & ædificaui, vt videtis, Monasterium, in quo nunc sumus in solitudine, & a gentibus segregatum.. Et placuit Deo centenarium numerum fratrum mihi donare, illuminans corda nostra non solum sanctissimos Patres solitarios imitari, sed etiam in hac solitudine more Apostolorum omnia communiter possidere.* Hæc porro ex Augustino deprompta nobis apta sunt non solum pro commemorando celebri illo facto Vitalis pecuniæ saccum reperientis, nec rapientis (in confusionem sane Monachorum pro pecunia inhiantium) sed etiam, vt constet, quomodo Augustinus imitatorem se & suos agnoscat monachorum Ægypti, quos D. Hieronymus illi *descripserat*; ac perinde, quod cum hi Eliani, & Esseni instituti propagines fuerint, prout dicta in superioribus euincunt, sic & Augustiniana progenies eiusdem instituti æmulatrix comperiatur; conformiter ad dicta *sub anno* 391. Ad quod intentum ea affert Bostius noster [d] & eo sensu dixit [e]; Augustiniensium Ordinem vnum esse ex riuis ab Eliano fonte deriuatis. Scimus quidē sermones istos *ad fratres in Eremo* a pluribus supposititios credi, & falso affinctos Augustino. Cæterum esto id de ipsorū aliquibus dici possit, & quod ab impostore aliquo veris eiusdem sermonibus assuti fuerint, plures tamen, inter quos iste 21. pietatem, & humilitatem Augustinianam redolent, & sic legitima ipsius proles erunt.

[b] in vit. S. Augustini.

[c] in serm. 21. ad fratres Eremitas.

[d] lib. 1. hist. c. 8.

[e] eo lib. c. 1.

Annus

Annus Christi 396. Siricij Pont. 12. Arcadij, & Honorij Imper. 2.

1 HOC tempore, quo Ecclesia mire propagabatur, conuersione videlicet Fritigilis Marcomannorum Reginæ, S. Ambrosij catechesi operata: Bassarum, Dacorum, Getarum, Scytharumq; S. Nicetæ prædicatione, prout D. Hieronymus [a] in epistola, quæ est Epitaphium Nepotiani, hoc anno edita, mire decantat. Comes etiam indiuiduus, & inseparabilis Ecclesiæ Monachismus incrementis inenarrabilibus augebatur, prout ex eodem Hieron. [b] alia circa idem tempus scripta sic exprimitur: *De India, Perside, Æthiopia, monachorum quotidie turmas suscipimus.* Item *ea epist.* 3. ad Heliodorum: *Indus, Persa, Gothus, Ægyptius philosophantur*. Hoc enim philosophandi verbo monasticem denotari omnes norunt. Hanc porro Indiæ monachorum propagationem arguunt, quæ in superioribus diximus de Monachismo Barlaam, Iosaphat, & aliorum, qui in ea regione floruere. Ad idem refert Baronius, quæ de D. Paulino *sub anno* 328. retulimus. Sed illa valde anteriora videntur, ac proinde nec hic repetenda.

Ecclesiæ propagatio, & monachismi.

a in ep. 3. ad Heliodorum.

b ep. 17. ad Lætam.

2 Rediit hoc anno Ruffinus ille Melaniæ comes Romam, vbi longissimam illam Pamphili super Origenis nomine Apologiam in Latinum transtulit, propriumque librum ibi composuit, Romanisque legendum edidit de adulteratione operum Origenis; quatuor deinde librorum Origenis *Periarchon* interpretationem fecit; quare & tandem iudicio Ecclesiastico se sistere coactus est. De his Vvastelius [c] ex D. Hieronymo, & alijs. Quibus addenda, quæ in sequentibus, maxime sub anno proxime sequenti dicturi sumus.

Ruffinus.

c lib. 3. vindic. Oper. Io. Ierosolymit. ar. 3. §. 3.

3 Erat circa hoc tempus apud Rhodum insulam Procopius monachus sanctitate præclarus. De quo *in vita S. Porphyrij* apud Metaphrastem, & Surium 26. *Februarij*, scribit Marcus eiusdem Porphyrij discipulus, vixisse vitam nulli culpæ affinem, in ieiunijs & vigilijs, ac summa paupertate, habuisse quoque prophetiæ donum, & virtutem expellendi dæmones, prædixisse etiam ea, quæ quidam Episcopi Constantinopoli gerere deberent. His namque, & similibus charismatum donis decorare solet Deus monachos ieiunijs, vigilijs, & paupertati intentos, sicut erat iste Procopius, de quo alia in ea historia.

Procopius monachus.

4 Quo etiam tempore vel circiter, iuuante amicitia, quam Ioannes noster Ierosolymitanus cum Theophilo Alexandrino Antistite gerebat, maxime quia dissidia inter D. Epiphanium, & Hieronymum contra illum exorta veluti consopita videbantur; Cyrillus ille Alexandrinus postea Patriarcha, eiusdem Theophili ex patre nepos, de quo *sub anno* 371. dictum, postquam a patruo Athenas studiorum causa missus ibidem plurimum profecisset *ad Ioannem Episcopum Ierosolymitanum, vt Christiana*

Cyrillus Ioannem Ierosolymitanum conuenit.

ſtitem Ieroſolymitanum ob Ordinationem Pauliniani D. Hieronymi fratris ortum componeretur. Sic enim de illis habet in ſuo *Paradiſo c. 33.* Heraclides: *Illos etiam 400. numero monachos, qui propter Paulinum ſe ab Eccleſia ſeparabant, ſanctæ rurſus Eccleſiæ reddiderunt.* Hoc enim ſchiſma nullum aliud eſſe poteſt, niſi hoc Bethleemiticum exortum inter Monachos ex vna parte, & Ioannem Antiſtitem ex alia *propter Paulinum*, id eſt Paulinianum S. Hieronymi fratrem ordinatum a S. Epiphanio contra Ioannis beneplacitum. Et de quo loquitur idem Hieronymus dum [a] dicebat: *Tantam fratrum multitudinem, & monachorum choros, qui tibi in Palæſtina non communicant.* Nec refert quod vocetur ab Heraclide *Paulinus*, non *Paulinianus*, quia exigua differentia inter vtrumque nomen verſatur, & ignorari ea potuerit ab Heraclide auctore Græco, ſicut & a Vincentio Beluacenſi, qui eum vocat *Paulum*. Nec quoque refert quod Palladius [b] de illis dicat: *Iuuerunt quoque ſchiſma quod Paulinum ſectabatur circiter quadringentorum virorum vitam monaſticam agentium.* Tum quia forte legendum eſſet *Tulerunt*, non *Iuuerunt*, tum quia forſan in principio *iuuerunt*, ſed poſtea componere potuerunt. Adde hunc Palladij locum mire deformatum fuiſſe, vt notat Heribertus *in Annotationibus ad illum n. 176.* Interpres enim illius vertit: *Iuuerunt quoque habitum, qui eſt ſecundum Paulinum*, quod etſi bonum ſenſum habere poſſit, nempe Melaniam, & Ruffinum iuuaſſe Monachos, qui erant eiuſdem habitus Monachalis cum Paulino, ſeu Pauliniano, nihilominus diuerſus is eſt ab eo, *iuuerunt ſchiſma.* Qualiter porro hoc ſchiſma, de quo Heraclides, & Palladius, non fuerit illud Antiochenum, de quo ſub anno 373 diximus: ibidem probatum contra Baronium.

[a] in epiſt. ad Pammachium.

[b] lib. 8. vit. Pat. c. 118.

Theophilus [Ale]xandrinus.

10 Iuuit quoque pro huiuſmodi Bethleemitici Schiſmatis compoſitione tum opera Theophili Alexandrini, etſi lenior, quam D. Hieronymus vellet, prout ex *epiſtola* 68. ad ipſum elicitur, tum concordia inter Hieronymum, & Ruffinum, prout idem Baronius autumat. Qui etſi dicat, alios quoque Hieronymi aduerſarios pari fœdere eidem copulatos, Origenis erroribus ſilentio condemnatis, quaſi Ioannes, & alij Hieronymo aduerſantes ab Origeniana hæreſi ceſſauerint; nihilominus Vvaſtelius ipſius emendator rem diligenter ſcrutatus [c] hæc dixit: *Veritas eſt, compoſitum fuiſſe ſchiſma, remittente B. Hieronymo opinionem, quam de Ruffino habebat, Melania, ac Ioanne Ieroſolymitano Epiſcopo, ſiue vel tandem recedente Hieronymo a fide verborum, ac ſcripti ſenis Epiphanij: iuxta illa quæ nos velut ob oculos monſtrauimus art. 3. ex ipſo B. Hieronymo. Tametſi ipſi Hieronymo deſerere profecto difficile fuit tanti viri, & amici teſtimonium. Pacificatio videlicet ipſa iuſtificatio eſt Epiſcopi Ioannis, Ruffini quoque, atque Melaniæ, a defenſione Origenis errorum.* Hæc Vvaſtelius. Pro quibus etſi dubjis elucidandis in ſequentibus dicemus, quo tempore diſſenſio hæc ſedata fuerit.

[c] in ſect. 4. ar. 4.

Auguſtini geſta.

11 Quo etiam anno S. Auguſtinus in Concilio Hypponenſi, quod

tunc

tunc celebrabatur de fide & symbolo, Presbyter adhuc disputabat; Cum tamen propterea præclarum specimen de se dedisset, ob idque eum concupiscerent omnes, qui ibi aderant, Episcopi, Valerius Hipponensis timens ne tam insignis vir ab ipso surriperetur, cogitare cœpit de subrogando eo in sui Episcopatus coadiutorem, & successorem, prout postea perfecit. Possidius [a].

12 Occurrit etiam hoc anno Alipius Tagastensis S. Augustini in vitæ instituto collega, & postea Episcopus, qui Hierosolymam profectus non solum S. Hieronymum inuisit, & causa extitit, vt inter vtrumque amicitiæ vinculum strictius necteretur, vt eiusdem Augustini epistolæ docent; sed etiam (quod ad Ioannis nostri historiam spectat) quod ipsius relatione idem Augustinus [b] ipsius Ioannis innocentiam, & ab hæresi puritatem commendarit illis verbis: *Cathedra quid tibi fecit Romanæ Ecclesiæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet, vel Ecclesiæ Ierosolymitanę, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet, quibus nos in Catholica vnitate connectimur.* Legatur Vvastelius [c] & quæ circa hoc Augustini testimonium ex lib. sermon. ad *fratres in Eremo* sub ann. 351. n. 2. scripsimus, pro eiusdem Ioannis puritate. Sed ex hoc officio Alipij cum Augustino infert Dom. Baronius eundem Augustinum suspectum fuisse D. Hieronymo de fauore erga Origenistas, aut propensione in errores Origenis. Hoc tamen toto cælo a veritate alienum probat Vvastelius idem [d]. Primo, quia male audit Alipium virum sanctum, & Augustinum sanctissimum Origenistarum susurratione deceptos fuisse. Secundo, quia etiam indignissimum est credere magnum Doctorem Hieronymum hanc de illis suspicionem, vel leuem habuisse. Tertio, quia ea quibus innititur Baronius, vix leuiter tangunt intentum, prout late, & diligenter idem Vvastelius. Illud tamen quod addit de maiori propensione Cardinalis in Hieronymum quam in Augustinum, & alios, quia de illo potius, quam de istis pro suis Annalibus locupletandis hauserat plura, non magno pretio habendum; cum boni Scriptoris (qualis Baronius) partes sint, non quid impensior affectus, sed quid veritas affert, litteris consignare.

13 Sub hoc anno 393. vt habet Flauius Dexter [e] *Canali in Lusitania monachi nigri*, idest erant, vel apparuerunt. Non quidem quia tunc primitus monachi in Hispania visi fuerint, cum constet frequentissima circa hoc tempus Monachorum examina ibi fuisse ex Actis Conciliorum, & epistolis Summorum Pontificum. Etenim in Concilio Cæsaraugustano anni 384. vel, quod alij volunt 380. Canon sextus, & octauus agunt de Monachis, & in Toletano 1. Canon sextus de sanctimonialibus. Siricius item Rom. Pontifex in quadam Epist. [f] quæ quidem articulis, seu responsionibus distincta est, nonnulla statui monachorum concernentia in septima, & quartadecima responsione decernit. Vt omittamus sanctos Monachos, & Abbates Fabricianum, & Philibertum, qui Titulciæ in confluentibus

Fena-

a vit. S. Augustini c. 7. & 8.

Alippius.

b lib. 2. contra lit. Petiliani c. 51.

c d. lib. 3. sect. 1. ar. 6.

d ibid. ar. 5.

Monachi in Hispania.

e in suo Chron ad ann. 419. n. 3.

f in ep. ad Himerium Tarraconensem, & cunctos Hispaniæ Episcopos.

Fenarij, & Tagonij fluminum Monasterium construxerunt; & inibi martyrio sublati in cælum euolarunt anno Domini 308. vt cum Dextro, & eius scholiaste Francisco Biuario eo loco notauimus. Sed quinam hi monachi nigri fuerint, cuiusue Ordinis alumni, disquirendum. Basiliani

Cuius instituti

namque quidam S. Basilij Ordini adscribunt, eo nixi fundamento, quod ea tempestate solum Basilianus monachatus in Orbe Christiano vigeret. Quod quam leue sit, ea quæ adduximus toto hoc secundo tomo, & afferemus in tertio luce clarius demonstrant. Propterea Biuarius relatus [a] & si putet nullatenus fuisse ex S. Benedicti disciplina, vtpote qui post annos aliquot ortus fuerit, credit tamen ex discipulis S. Martini Turonensis hos monachos fuisse, cum non longe ab Hispania Galliæ distent, quas S. Martinus incolebat. Mirandum tamen in hoc a veritate declinasse virum alioquin doctum. Cur enim hos monachos ex Martini disciplina, & Gallijs in Hispaniam inuectos credat, cum Hispania ipsa, ipsomet teste, plura monachorum examina ante hoc tempus habuerit? Immerito sane ab exteris nationibus eos aduehit, quos ex Carpentania ipsa, quæ in corde Hispaniæ est, vbi ab anno 308. Fabricianus, & Philibertus monachatum colebant, Lusitaniam ingredi possent? Proculdubio veritati conformius est, monachos istos Canali notatos a Dextro dictorum Fabriciani, & Philiberti semina fuisse. Ex quo proinde clare etiam elicitur, quemadmodum isti duo Carpentani monachi, ipsomet Biuario teste [b]., quod & nos notauimus eodem anno, ex Essenis S. Marci Euangelistæ discipulis ortum habuerunt, sic & isti Monachi nigri hoc tempore in Lusitaniam inuecti eiusdem Essenatus proles essent, ac per consequens ad Elianum institutum spectantes, iuxta ea quæ sæpius inculcauimus. Etenim, vt Aubertus Miræus huius seculi auctor egregius [c] habet: *Quidque enim Orientis, Austrique primores, quorum genere monachorum cætus gloriantur, tradiderit; quidquid etiam ab Oriente in Occidentem extat inuectum non minima ex parte institutionis Eliæ quędam expositio, & ad nationes diuersas coaptatio est.* Ad quod specialiter iuuat quod Franciscus Ruspuerta diligens auctor historiæ Ecclesiasticæ Regni Giennensis, quam Typis edidit ea ciuitate anno 1634. [d] conceptis verbis monachos istos, de quibus in præsenti Dexter agit, nostro Carmelitico, & Eliano Ordini adscribat; sicut & relatos Fabricium, & Philibertum monachos; Sanctimoniales, de quibus agit Concilium Illiberitanum, atque Monachos, & Moniales, de quibus Concilium primum Cæsaraugustanum [e]. De ijs enim omnibus dicit: *Tengo por sin duda que fueron del Orden Prophetico Carmelitas.*

[a] in Comment. ad Dextr. ad ann. 419.

[b] in Annot. ad Dextr. sub ann. 308.

[c] in Tract. de orig. Carmel.

[d] speculo 7. c. 5. fol. 212.

[e] cap. 6. & 8.

A quo tempore.

13 Quia etiam Dexter in verbis relatis dicit: *Canali in Lusitania monachi nigri, ab annis* 393. non vero *ab anno* 393. Ideo relatus Ruspuerta ea in rigore sermonis vsurpans sic intelligit, quasi Dexter dicere voluisset, quod anno 419. de quo ibi agit, numerarentur 393. anni, a quo tempore isti monachi nigri in Canali Lusitaniæ fuissent, ita videlicet vt anno 26. Christi illuc aduenerint, quod ipse credit, quia vt ex Eutrando, seu

Luit-

Luitprando admittit, a tempore Nabuchodonosor Carmelitæ in Hispania fuerint; prout & nos diximus *to.* 1. *ad ann.* 3448. *n.* 6. Cæterum, etsi hoc sua probabilitate non careat propter Monachos Essenos Eliæ successores, quos tempore Christi, & ante Christum fuisse eo *to.* 1. latius ostendimus, ex quibus ij monachi esse possent, nihilominus ea quæ vulgo credibiliora erunt amplectentes, existimamus illud *ab annis* positum esse pro *ab anno*, Typographiæ forsan errore: ita vt sensus sit eo anno 393. primum *Canali in Lusitania* eos Monachos visos fuisse; quo etiam sensu Biuarius relatus ea verba intellexisse videtur.

Annus Christi 394. Siricij Pont. 10. Theodosij Imperatoris 16.

1 THEODOSIVS Imperator hoc tempore superatis Iuliarum Alpium angustijs pugnat prope Aquileiam ad ripam Amnis Frigidi nomine cum Eugenio, & eum sub vexillo S. Crucis superat, ac occidit. Sic ex Socrate, Claudiano, & alijs Neoterici Chronologi. Huius porro victoriæ præscius annunciator fuit celebris ille Ioannes Thebaidis anachoreta de quo sub annis 366. & 388. diximus. Prout patet ex Ruffino [a], vbi etiam quod similiter prænunciauerit Theodosij obitum non procul futurum, & quod ipse Ioannes post paucos dies positis genibus in oratione spiritum reddiderit. Ipsum quoque commemorat Prosper in Chronico [b]. Theodosij gesta. [a] lib. 2. vit. Pat. c. 1.

2 Celebratur nunc Constantinopoli Concilium, non tam ad doctrinam, aut mores, quam ad Ecclesiæ SS. Petri, & Pauli, quam Ruffinus, non ille Aquileiensis, de quo sæpius, sed alius eiusdem nominis Præfectus Prætorius, penes quem summa erat in toto Orientali Imperio auctoritas, erexerat, dedicationem, & ad eiusdem Ruffini per sacrum baptismum initiationem; ad vtrumque enim munus explendum Ruffinus iste, qui omnia pro arbitrio in Oriente moderabatur, Theophilum Alexandrinum Antistitem, & plures alios Episcopos conuocauit. Baronius, Gordonus, Coriolanus, & alij. Præstat autem huius Concilij historia pro nostra monastica plurium Monachorum, qui ei adfuere, memoriam. Vnus est Amphilochius Iconij Episcopus, de quo *sub ann.* 383. dictum. Item Dioscorus Hermopolis in Ægypto Episcopus ex Presbytero, & Monacho Nitriæ assumptus, de quo *sub ann.* 365. aliquid actum. Maxime vero Ammonius, qui ipsum Ruffinum proprijs manibus sacro fonte mundatum suscepit, & qui cum alijs quamplurimis Eremitis ad hanc Synodum, & Ecclesiæ dedicationem venit, & in qua paulo post sepultus requieuit in Domino, miraculis clarescens. Prout ex Heraclide (quem Baronius minus apte Palladium vocat) *in Paradiso cap.* 2. eliciet lector. [b] ann. Ch. 395. Concilium Constantinopoli.

3 Creditur sub hoc tempore cœpisse controuersiam illam ore om-

Dissidium inter Hieronymũ & Augustinuũ.

nium agitatam inter Augustinum, & Hieronymum Ecclesiæ lumina, quæ fuit causa, vt plures inter ipsos acriores litteræ intercederent, salua tamen pace, & caritate tàm eximiæ sanctitatis viris congruente. Quamuis autem communiter omnes sciant huius dissidij causam fuisse locum illum Pauli ad *Galat.* 2. occasione legalium: *In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat*: Hieronymus enim hanc reprehensionem solum simulatam fuisse credidit; e contrario vero Augustinus, quia hoc illi videbatur genus quoddam mendacij, Petrum vere fuisse reprehensibilem, & vere reprehensum a Paulo existimauit; nihilominus Baronius hic putat aliam huius concertationis occasionem fuisse, scilicet Alipium, ex Palæstina in Africam reuertentem male insufflatum a Ioanne Ierosolymitano, Ruffino & Melania de Origenismo suspectis. Hoc tamen leui suspicione dumtaxat dictum tum ea qui sub anno præcedenti attulimus, tum quod solus in ea sit ipse Baronius, liquido conuincitur. Legatur Vvastelius ibi relatus, qui rem diligenter discutit.

Paulinus, & Therasia.

4 Credunt etiam aliqui sub hoc anno contigisse Paulini Romani nobilissimi cum Therasia vxore Monasticæ vitæ institutionis primordia. Sed quidquid de huiusmodi Chronologiæ incerta ratione fuerit, illud pro comperto, mirabile pietatis spectaculum Orbi, & Vrbi præstitisse in sæculi abdicatione, facultatũ venditione, & Nolanum cum coniuge secessu, ac Fundanæ Basilicæ extructione. Scripsit porro ad Hieronymum in Palæstina agentem librum, quem in laudem, & defensionem Imperatoris Theodosij ediderat, ei mittens, ac petens, vt modum aliquem peragendæ sibi vitæ præfigeret. Hieronymus autem ad illum epistolam dedit, vbi primum illi suadet (quia forsan ipse Ierosolymam adire pro monachatu sibi necessarium crederet) qualiter id abs re esset: *Non enim*, inquit *Ierosolymis fuisse, sed Ierosolymis bene vixisse laudandum est*. Et infra: *Cuncta Ægypti, & Mesopotamiæ, Ponti, Cappadociæ, & Armeniæ examina Monachorum non videre Ierosolymam, & patet illis absque hac Vrbe Paradisi ianua. Beatus Hilarion cum Palæstinus esset, & in Palæstina viueret, vno tantum die vidit Ierosolymam, vt nec contemnere loca sancta propter vicinitatem, nec Deum loco claudere videretur*. Quia vero ab ipso Paulinus expetierat vt modum viuendi sibi præfigeret, ideo Hieronymus luculentum hoc testimonium, quo etiam egregie Principatus Eliæ, Elisei, & filiorum Prophetarum in Monachos (qui est præcipuus horum Annalium scopus) corroboratur, dedit: *Quia igitur fraterne interrogas, per quam viam incedere debeas, reuelata tecum facie loquar. Si officium vis exercere presbyteri, si Episcopatus te vel opus vel honor forte delectat; viue in vrbibus, & castellis, & aliorum salutem fac lucrum animæ tuæ; sin autem cupis esse, quod diceris, Monachus, id est, solus; quid facis in vrbibus; quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum? Habet vnumquodque propositum principes suos: Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones: Philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem: Poetæ æmulentur Homerum,*

Virgi-

Virgilium, Menandrum, Terentium. Historici Thucydidem, Sallustium, Herodotum, Liuium. Oratores Lysiam, Gracchos, Demosthenem, Tullium, & vt ad nostra veniamus, Episcopi, & Presbyteri habeant in exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes habere nitantur, & meritum. Nos autem habeamus propositi nostri principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios, & vt ad Scripturarum auctoritatem redeam, noster princeps Elias, noster Eliseus, nostri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis. En quomodo, iuxta Hieronymi mentem, & Paulini interrogationem ipsi propositam, Monachi cuncti Eliam, Eliseum, & filios Prophetarum vt Principes, & Duces venerari debent. Elias, & Eliseus Duces monachorum.

5 De Therasia porro tum secundum carnem, tum secundum monasticem eiusdem Paulini consorte, quam propterea D. Hieronymus [a] appellat ipsius sororem, *conseruam*, & cum ipso *militantem*, conijci datur fuisse eximiæ sanctitatis fœminam, & quod ab ipsa Paulinus ad sanctiorem vitam excolendam perductus sit. Ea enim de causa vocata videtur *Tanaquil* ab Ausonio *ep. 23.* Notat Baronius hic §. *reperitur*. Quia & §. *sic quidem* animaduertit eundem Ausonium Paulinum sugillasse, quod Bellerophontis laborasset morbo, cum abdicato sæculo vitæ monasticæ institutum arripuit. Hoc enim est sæculi sectatorum, & carnaliter sapientium dicterium commune in Dei seruos mundi oblectamenta spernentes. Vnde eadem plane in omnes Christianos monachos solita fuisse obiectari a Gentilibus, Rutilius, & ipse Ethnicus fidem facit; vbi hæc de insulæ Caprariæ monachis: Tharasia. [a] in ea epistola.

Sic nimiæ bilis morbum assignauit Homerus
Bellerophonteis sollicitudinibus.

De vtroque autem coniuge Paulino, & Therasia quomodo scilicet ille Barcinone Presbyter vixerit, & ipsa Hispana fuerit, late & docte Franciscus Biuarius [b]. [b] in Annot. ad Flauium Dext. sub anno 396.

6 Eodem quoque ferme tempore simile sicut Paulinus conuersionis exemplum dedit Seuerus Sulpitius Romanus ciuis, in Gallijs agens, & monasticum vitæ genus arripiens, ac propterea nostræ annumerandus historiæ. Adhæsit autem S. Martino Turonensi, tunc sanctitate clarissimo, & eius disciplina instructus filios in sanctitate educauit, ac eiusdem Martini historicus esse meruit. Paulinus [c], Baronius [d], & alij, qui eius vestigia sectantur. An inter Sanctos viros computandus, vel non, eo quod a Gennadio Massiliensi [e] dicatur in senectute a Pelagianis deceptus, licet postea silentium vsque ad mortem pro pœna sumpsisset, habeat lector ex Bollando [f]. Seuerus Sulpitius. [c] epist. 1. ad Seuer. & ep. 5. [d] sub hoc ann. [e] c. 19. de Scrip. [f] in Act. sanct. tom. vit. ipsius pro 29. Ianuar.

7 Accedit etiam inter alios Monachos eiusdem S. Martini discipulos S. Maurilius (non Mauritius vt Baroniani Annales corrupte dicunt) Andegauēsis Episcopus, de quo, quoad nostram monasticā seriem spectat, hæc habentur apud Surium [g]. Fuisse videlicet monachum, & discipulum eius- S. Maurilius. [g] die 13. Sept.

dem Martini eo tempore quo ipſe Mediolani ſibi Monaſterium collocauerat; Sacerdotem ordinatum, arctiorem, quam inter Monachos vitam didicerat, obſeruaſſe; Andegauum perrexiſſe, ac Monaſterium fundaſſe; inuitum fuiſſe ad eius vrbis Epiſcopatum aſſumptum, & a D. Martino conſecratum, columba diuinitus e cælo elapſa ſuper caput eius; ac demum miraculis tum dum viueret, tum poſt mortem coruſcaſſe.

Annus Chriſti 395. *Siricij* Papæ 11. Arcadij, & Honorij Imper. 1.

Imperatorum ſucceſſio.

1 MORITVR feliciter hoc anno Theodoſius Imperator, diuiſo filijs Arcadio, & Honorio Imperio. Arcadius ergo in Oriente parentis pietatem ſequens, ipſo initio Imperij leges contra hæreticos, & Paganos ſanxit. Honorius item in Occidente ſui Imperij primordia conſecrat, confirmatis priuilegijs a prædeceſſoribus Impp. Eccleſiæ collatis. Sic recentiores ex Socrate, Proſpero, Marcellino, & alijs. Fuiſſe iam antea a B. Arſenio eorum magiſtro de baptiſmi lauacro ſuſceptos ex *lib. 3. Vit. Patr. n. 37.* habebit lector.

S. Auguſtini ordinatio.

2 Hoc anno Diuus Auguſtinus Hippone Africæ ordinatur Epiſcopus annum agens 41. viuente adhuc Valerio Epiſcopo, multum cum toto populo formidante, ne ſibi vir tantus eriperetur, & vt eligeretur Epiſcopus Hipponenſis ſatagente. Proſper *in Chron.* Poſſidius *c. 8.* Quo tempore Monaſterium in Epiſcopio conſtituit, vbi cum Canonicis vitam agebat cœnobiticam, prout late noſter Boſtius [a].

[a] lib. 1. Operib. hiſt. c. 8.

Siluia, ſeu Siluana.

3 Occurrit hoc tempore ſancta quædam Deo ſacra virgo, ſeu Monialis Siluia, ſeu Siluania nomine; Ruffini Præfecti Imperialis a Theodoſio magnis honoribus affecti, ſed poſtea quod Imperium affectaſſet ab Stilicone trucidati, ſoror. De qua [b] Pallad. & Heracl. [c] iſta: *Euenit autem vt poſtea ſimul ad Ægyptum ex Ælia proficiſceremur, ſanctam Siluiam deducentes, virginem Dei, Ruffini autem expræfecti ſororem. Erat etiam nobiſcum Iouinius tunc diaconus, nunc vero ciuitatis Aſcalonenſium Epiſcopus, vir admodum ſanctus, & amator, & lector ſtudioſiſſimus litterarum. Cum ergo in itinere nos æſtus vehemētiſſimus occupaſſet, & Peluſium oppidum fuiſſemus ingreſſi, ſanctus Iouinius æſtu nimio fatigatus, cœperat manus, ac pedes proprios frigidiſſimæ aquæ refouere infuſione. Quo ita vt deſiderauerat facto ſuper pellicam ſe, atque in ſolo ſtratam proiecerat plumam. Ad quem ſancta illa Siluia veluti filium verum ſapiens mater acceſſit, & mollitiem ipſius, deliciaſque reprehendens, iſta dicebat: Quemadmodum auſus es hanc ætatem agens, in qua adhuc ſanguis tuus viuit ſic curare & fouere corpus tuum? non intelligis, quę ex hoc naſci ſoleant animæ læſiones? Crede igitur mihi confidenter loquenti, quod ſexageſimum ipſa æui annum agens, excepta ſummitate digitorum meorum, non ora, non pedes, non partem aliquam membrorum aqua laui, & hoc cum varijs ſemper*

[b] in 8. lib. vit. Patr. c. 142. & 143.

[c] in Paradiſo c. 42.

agri-

ægritudinibus laborarem, & ab ipsis quoque cogerer medicis vti lauacro, nunquam tamen volui antiquum corporis mei morem palpare, non in lecto quieui, non in lectica recumbens iter feci. Hæc ipsa eloquentissima fuit, magnumque amorem habuit litterarum, vt ita legendo noctes in dies verteret, omnes antiquorum interpretum libros notissimos habens. Inter quos tricies centena millia versuum legendo transierat: Gregorij, Pierij quoque, & Stephani, Basilij que, & aliorum studiosissimorum virorum vicies centena millia. Quæ tamen non quasi perfunctorie transcurrebat, sed vnumquemque sæpius auctorem reuoluens. Vnde mendacij scientia nominum atque sectarum penitus liberata cœlestibus pennis per gratiam litterarum ad æternam spem Saluatoris, gallina spiritualis effecta, potuit euolare, immortales ab eo vicissitudines receptura. Discant ex hac delicata, nobilissimaque fæmina Monachi cuncti, delitias, ac mollitiem corporis fugere, ac litterarum studijs sine segnitie, aut temporis intercapedine diligentius vacare; ne viri a fæminis superati dicantur.

4 Celebres etiam erant in agro Nolano Monasticam vitam excolentes Paulinus & Therasia, de quibus sub anno præcedenti dictum. Idcirco D.Augustinus de sua ordinatione in Episcopum litteris datis monuit Paulinum, qui vicissim gratulabundas alias ad Romanianum pro eodem Augustino dedit. Continuata proinde amicitia inter vtrumque pluribus, & reiteratis litteris postea fuit. Cum autem ipsius nomen generis claritate, amplissimorum magistratuum functione, abdicatione præsertim totius terrenæ substantiæ, & vitæ sanctioris sequela cum pia vxore vbique notum, ac conspicuum esset, non solum Augustinus, & eius sodalis Alipius, sed & plures alij Africani Episcopi litteris, & legationibus eum salutabant, veluti sanctitatis exemplum. Hæc ex epistolis ipsius apud Augustinum hauriet lector. Sicut ex epistola 9. intima affectione coniunctum fuisse cum Melania, & Ruffino Ierosolymis agentibus agentibus. Quod non parum pro ipsorum ab Origenismo defensione iuuat. Paulinus, & Therasia.

5 Sic & in fauorem Ioannis nostri Ierosolymitani Antistitis tam acriter a quibusdam de ea labe insimulati, non parum facit, quod circa hoc tempus (sub hoc anno id refert Coriolanus *hic* & Baronius *sub* 397.) Paulino Nolano miserit segmentum ligni Sanctæ Crucis, cuius ille particulam misit ad Basulam Seueri socrum. Sic enim idem Paulinus *ep.* 11. ad Seuerum: *Partem particulæ de ligno diuinæ Crucis, quod nobis donum benedicta Melania ab Ierusalem munere sancti inde Episcopi Ioannis attulit, &c.* Quæ eo libentius referimus, vt cũctis innotescat, qualiter Melaniã, & Ioannem, quos in excusabiles Origenistas autumat Baronius, benedictione, & sanctitate decoratos, Paulinus, qui ipsos intus, & exterius agnoscere potuit, compellet. De quo ligno Crucis id præclarum miraculum refertur, vt oblatum ingenti incendio accedenti ad Paulini hospitium, incendium resiliret, & penitus extinctum fuerit. Sic Paulinus [a]. Ioannis gesta.

Ipse domum remeans, medicum, sed grande saluti

[a] *Natal. 10. in S. Felice.*

De

De Crucis æternæ sumptum mihi fragmine lignum
Promo, tenensque manu aduersis procul ingero flammis,
Vt Clypeum retinens pro pectore quo tegerem me.
Arceremque hostem collato vmbone relisum.

Et inferius.

Vnde fides nobis, & in hac Cruce mixa periclo
Profuit, & nostram cognouit flamma salutem.

Cæterum, cum Melania non redierit Romam vsque ad annum 402. prout Vvastelius noster diligenter ostendit [a], historia hæc tempori posteriori adaptari debet.

[a] lib. 2. vindic. Oper. Io. Ierosolymit. ar. 1. §. 10.

Monachi ab Augustino instituti.

6 Monachismus interea ante aliquot annos cum Augustino ex Italia in eius patrium solum inuectus, iam longe, lateq; fœcunda propagatione diffundebatur, adeo vt plures ex Professoribus illius ad Episcopatus dignitatem postulati ascenderent; qui in suis Ecclesijs Monasteria quoque instituerunt. Sic noui Chronologi ex epistola Paulini apud S. Augustinum 35. maxime ex Possidio [b]. Qui porro fuerint eæ nouæ plantæ monachismi Augustiniani in Africa erecti, & ex quibus Episcopales sedes implebantur, ex ipsomet Augustino [c] sic habemus: *Et assumptis mecum Anastasio, Fabiano, Seuero, Nicolao, Dorotheo, Isaac, Nicostrato, Cyrillo, Stephano, Iacobo, & Vitali pauperculo, qui pecuniæ saccum apud Mediolanum inuenit, & non rapuit, nec post aurum abire voluit. Igitur mecum istis assumptis imitari cupiebam cum caris meis Euodio, Alippio, & Pontiano, qui diu mecum fuerant; & cum cæteris duodecim, quos nuper assumpseram, illos, quorum famam etiam S. Pater Hieronymus mihi descripserat, & sic perueni ad Africam, pia matre defuncta, & ædificaui, vt videtis, Monasterium, in quo nunc sumus in solitudine, & a gentibus segregatum. Et placuit Deo centenarium numerum fratrum mihi donare, illuminans corda nostra non solum sanctissimos Patres solitarios imitari, sed etiam in hac solitudine more Apostolorum omnia communiter possidere.* Hæc porro ex Augustino deprompta nobis apta sunt non solum pro commemorando celebri illo facto Vitalis pecuniæ saccum reperientis, nec rapientis (in confusionem sane Monachorum pro pecunia inhiantium) sed etiam, vt constet, quomodo Augustinus imitatorem se & suos agnoscat monachorum Ægypti, quos D. Hieronymus illi *descripserat*; ac perinde, quod cum hi Eliani, & Esseni instituti propagines fuerint, prout dicta in superioribus euincunt, sic & Augustiniana progenies eiusdem instituti æmulatrix comperiatur; conformiter ad dicta *sub anno* 391. Ad quod intentum ea affert Bostius noster [d] & eo sensu dixit [e], Augustiniensium Ordinem vnum esse ex riuis ab Eliano fonte deriuatis. Scimus quidẽ sermones istos *ad fratres in Eremo* a pluribus supposititios credi, & falso affinctos Augustino. Cæterum esto id de ipsorũ aliquibus dici possit, & quod ab impostore aliquo veris eiusdem sermonibus assuti fuerint, plures tamen, inter quos iste 21. pietatem, & humilitatem Augustinianam redolent, & sic legitima ipsius proles erunt.

[b] in vit. S. Augustini.

[c] in serm. 21. ad fratres Eremitas.

[d] lib. 1. hist. c. 8.

[e] eo lib. c. 1.

Annus

Annus Christi 396. Siricij Pont. 12. Arcadij, & Honorij Imper. 2.

Ecclesiæ propagatio, & monachismi.

1 HOC tempore, quo Ecclesia mire propagabatur, conuersione videlicet Fritigilis Marcomannorum Reginæ, S. Ambrosij catechesi operata: Bassarum, Dacorum, Getarum, Scytharumq; S. Nicetæ prædicatione, prout D. Hieronymus [a] in epistola, quæ est Epitaphium Nepotiani, hoc anno edita, mire decantat. Comes etiam indiuiduus, & inseparabilis Ecclesiæ Monachismus incrementis inenarrabilibus augebatur, prout ex eodem Hieron. [b] alia circa idem tempus scripta sic exprimitur: *De India, Perside, Æthiopia, monachorum quotidie turmas suscipimus*. Item *ea epist.* 3. ad Heliodorum: *Indus, Persa, Gothus, Ægyptius philosophantur*. Hoc enim philosophandi verbo monasticem denotari omnes norunt. Hanc porro Indiæ monachorum propagationem arguunt, quæ in superioribus diximus de Monachismo Barlaam, Iosaphat, & aliorum, qui in ea regione floruere. Ad idem refert Baronius, quæ de D. Paulino *sub anno* 328. retulimus. Sed illa valde anteriora videntur, ac proinde nec hic repetenda.

a in ep. 3. ad Heliodorum,

b ep. 17. ad Lætam.

Ruffinus.

2 Redijt hoc anno Ruffinus ille Melaniæ comes Romam, vbi longissimam illam Pamphili super Origenis nomine Apologiam in Latinum transtulit, propriumque librum ibi composuit, Romanisque legendum edidit de adulteratione operum Origenis; quatuor deinde librorum Origenis *Periarchon* interpretationem fecit; quare & tandem iudicio Ecclesiastico se sistere coactus est. De his Vvastelius [c] ex D. Hieronymo, & alijs. Quibus addenda, quæ in sequentibus, maxime sub anno proxime sequenti dicturi sumus.

c lib. 3. vindic. Oper. Io. Ierosolymit. ar. 3. §. 3.

Procopius monachus.

3 Erat circa hoc tempus apud Rhodum insulam Procopius monachus sanctitate præclarus. De quo *in vita S. Porphyrij* apud Metaphrastem, & Surium *26. Februarij*, scribit Marcus eiusdem Porphyrij discipulus, vixisse vitam nulli culpæ affinem, in ieiunijs & vigilijs, ac summa paupertate, habuisse quoque prophetiæ donum, & virtutem expellendi dæmones, prædixisse etiam ea, quæ quidam Episcopi Constantinopoli gerere deberent. His namque, & similibus charismatum donis decorare solet Deus monachos ieiunijs, vigilijs, & paupertati intentos, sicut erat iste Procopius, de quo alia in ea historia.

Cyrillus Ioannem Ierosolymitanum conuenit.

4 Quo etiam tempore vel circiter, iuuante amicitia, quam Ioannes noster Ierosolymitanus cum Theophilo Alexandrino Antistite gerebat, maxime quia dissidia inter D. Epiphanium, & Hieronymum contra illum exorta veluti consopita videbantur; Cyrillus ille Alexandrinus postea Patriarcha, eiusdem Theophili ex patre nepos, de quo *sub anno* 371. dictum, postquam a patruo Athenas studiorum causa missus ibidem plurimum profecisset *ad Ioannem Episcopum Ierosolymitanum, ut Christiana*

vitæ

vitæ perfectione imbueretur, se contulit. Ita enim ex Legenda eiusdem Cyrilli in Breuiario Carmelitano, & alijs quinternis, vbi eiusdem Cyrilli officium ab Apostolica Sede sæpius approbatum est, ad litteram cernitur. Ex eo autem conijci datur cessasse, si quæ fuerant, Origenismi in Ioanne professionis indicia, & in eo veræ, & Catholicæ perfectionis vestigia reluxisse, vtpote, quia eius famæ odore allectus Cyrillus (forsan patruo suadente) ipsum conuenit. Quid inde emolumenti nactus fuerit sequenti anno dicetur; & tactum est *sub ann. 371*. Id porro quod dicimus de aduentu Cyrilli Ierosolymam, ibique Ioannem Antistitem conuenisse, sic habet nobilis antiquitatis nostræ inuestigator Ioannes Palæonydorus [a] post alia de ipso: *Hic apud Alexandriam nedum claris, sed & Christianis ortus parentibus ab auunculo suo Theophilo Athenas missus ibi adeo profecit, vt in breui adipisceretur doctoris insignia. Audiens autem sancti Ioannis in Ierusalem bonam famam, dum ipsius præsentiam aliquando fruitus fuisset, iunctus fratribus Carmeli, &c.* Accipiunt ea posteriores Ordinis Chronologi, & ipse Palæonydorus ex vetustiori Arnoldo Bostio [b] licet in eo a Chronologia, quam sequimur, Bostius discedat, dum hanc Cyrilli cum Ioanne communicationem contigisse putat, antequam Ioannes Ierosolymorum Patriarchatum ascendisset, & Carmeli eremitam ageret. Dicit enim: *Exinde* (Athenis videlicet) *eremum petijt montis Carmeli fama attractus S. Ioannis, qui paulo post Ierusalem Patriarcha vocatus*. Cæterum Palæonydori sensus, vtpote conformis legendæ ipsius Cyrilli ab Ecclesia receptæ pro vero existimandus.

a lib. 3. c. 7.

b lib. 5. Oper. bell. c. 64.

Annus Christi 397. Siricij Pont. 13. Arcadij, & Honorij Imper. 3.

Opinio quorundam.

1 ORIGENIS errores in Vrbem hoc tempore per Melaniam, & Ruffinum illatos esse Dom. Baronij sectatores contendunt, ipsius dumtaxat auctoritati innixi. Sed in hac historia, quod Ruffinus anno præcedenti Romam peruenerit eo anno dictum, sicut quod Melania non nisi ad annum 402. iuxta dicta *sub ann. 395.* ex Vvastelij penu. Qui legendus pro moderamine eorum, quæ de ipsa habent.

Verior sententia.

2 Etenim quod de Origenismo per Melaniam hoc tempore in Vrbem inuecto loquitur sine auctore, aut fundamento, nullatenus subsistere posse conuincitur primo, ex eo quod Romam reuersa non fuit vsque ad annum 402. Cum enim Palladius in [c] *Lausiaca*, & Heraclides [d] expressis verbis habeant per triginta septem annos peregrinatam fuisse, decennio videlicet in Ægypto, & per 27. annos Ierosolymis, vt infra dicetur; idque colligatur ex eo quod eam peregrinationem susceperit annum agens 22. vt ijdem Palladius *c. 117.* & Heraclides *c. 33.* ac perfecerit sexagenaria, testibus eisdem Palladio *c. 118.* & Heraclide *c. 42.* cum ex-

c in lib. 8. vit. Patr. c. 118.

d in Paradiso c. 42.

alia

alia parte ostensum sit *sub anno* 364. eo anno Romam reliquisse, manifestum erit, si triginta hos septem annos integros accipiamus, annum illum 402. suæ reuersionis primum fuisse. Per euidentem ergo illationem habetur, hoc anno Romæ non fuisse; ac perinde in ea Vrbe Origenis errores non disseminasse. Præterea, neque Palladius, neque Paulinus, quibus se inniti profitetur Baronius, inquiunt quod Ruffinus, & Melania simul Ierosolymis Romam sint profecti, vt recte annotat Heribertus Rosvvedius [a]; non igitur cum Ruffino Melania potuit Origenismum in Vrbem inducere. Adhæc, cum certo certius sit eam a D. Hieronymo [b] virtutum, & humilitatis miraculum, vt alteram Thoclam; *ep.* 25. & sanctam, & veram Christianorum nobilitatem; & a D. Paulino in suis epistolis, benedictam, sanctam, fœminam viriliter Christianam, perfectamque Christi columbam; ac a D. Augustino *ep.* 125. quæ est ad Albinam, sanctam, compellatam fuisse, quo iure ipsam Hæresiarcham, & Origenis errorum in Romana Vrbe propagatricem compellabimus? Legatur Vvastelius [c] vbi plura docte, & pie, prout decet Catholicum Scriptorem, qui procliuior in defensionem illustrium Ecclesiæ personarum, quam in condemnationem esse debet. Vbi etiam, quod eius Officium in Breuiario Græco Romæ a Pontifice approbato habeatur. Alia *sub anno* 408. de ipsa dicemus.

a in Annot. ad prælud. ad 2. lib. vit. Patr.
b in Chronicon.
c lib. 3. vindic. Oper. Io. Ierosol. sect. 4. ar. 4.

3 Sed remouendus scrupulus, quo Baronius putare potuit Melaniam hoc tempore Romam remeasse, ac proinde disseminati Origenismi cum Ruffino consortem existere potuisse, quia nempe S. Paulinus eam excepisse [d] dicat *ex Ierusalem post quinque lustra remeantem*. At non aduertit grauissimus auctor, Paulinum non de integra Melaniæ absentia ab Vrbe, quæ vt diximus 37. annorum fuit, computatis decem, quibus mansit in Ægypto, iuxta dicta *sub anno* 374. sed dumtaxat loqui de Ierosolymitana habitatione, quæ cum fuerit per 27. annos, vt expresse Palladius eo cap. & Heraclides *c.* 33. dixerunt; potuit *quinque lustra* plena notare, omissis illis annis duobus, qui ad sexti lustri dimidium non pertingebant. Vt notat Vvastelius [e]. Corruit etiam ille alius scrupulus, quod scilicet idem Paulinus [f] Ruffinum vocet *sanctæ Melaniæ spiritali via comitem*. Talem namque iure appellare potuit, qui in peregrinatione de Roma vsque in Ægyptum, & de Ægypto vsque Ierosolymam ipsam comitatus fuit, non vero de Ierosolymis vsque Romam. Nec enim hæc verba petunt, vt semper, & vbique Ruffinus Melaniam comitatus fuerit, sicut nec illa quæ D. Hieronymus [g] de S. Luca dixit: *Sectator Apostoli Pauli, & omnis peregrinationis eius comes*. Subsistat ergo nostra de Melania ab Origenismo in Vrbe disseminato vindicatio.

Dubia sublata
d ep. 10. ad Seuerum.
e lib. 2. vindic. Oper. Io. Ierosol. sect. 4. ar. 1. 9. 10.
f ep. 9. ad Seuerum.
g in lib. de Script. Ecclesi.

4 Quo etiam anno D. Ambrosij obitus contigit, prout ex Marcellino [h] & Paulino [i] eliciunt Annalistæ. Eo autem ad Superos relato, communi totius Mediolanensis Ecclesiæ calculo S. Simplicianus, de quo in superioribus actum, quod inter monachos recenseatur, successor eligitur.

Simplicianus succedit Ambrosio.
h in Chronic.
i in eius vita.

Pauli-

Paulinus *supra*. Merito etiam vitæ ad hanc dignitatem euectus, quia, prout de illo loquitur Augustinus *serm. 21.* inter illos, qui *ad fratres in Eremo* adtitulantur: *A iuuentute sua deuotissime Deo vixerat in omni charitate*. Talibus namque monachis tales debentur honores.

Cyrillus Alexandrinus Carmeli accola.

5 Potissime vero huic tempori ascribimus, quod de Cyrillo Alexandrino Theophili Antistitis nepote sub anno præcedenti dicere cœpimus, insistentes Legendæ ipsius in Breuiario, & quinternis pro Carmelitis a sancta sede Apostolica vicibus repetitis approbatæ, videlicet quod cum Ierosolymam venisset *ad Io. Ierosolymitanum Episcopum, vt Christiana vita perfectione imbueretur*, vt ibi dicitur, *eius consuetudine in Carmelum montem secedens, ibi cum aliquot pijs hominibus illic degentibus cælestem vitam in terris aliquandiu egit*. Quibus tam Ioannem, quam Cyrillum ipsum Carmelicolas ad tempus fuisse, conformiter ad ea quæ in superioribus de ipsis diximus, diserte comprobatur. Idemque testantur Bostius, & Palæonydorus sub anno præcedenti relati, alijque posteriores Ordinis Chronologi, etsi, vt eo loco diximus, Bostius a communi Chronologia discedat, dum hanc Cyrilli cum Ioanne communicationem contigisse putet antequam Ioannes è Carmelo discessisset Ierosolymitanam sedem subiturus. Quanto autem tempore Cyrillus Carmelum coluerit, vsque modo incertum; præsertim cum solum *aliquandiu* id egisse ex testimonio relato habeatur. Legat pius lector, quæ *sub anno 371.* scripta ad intentum reliquimus. Nec illum vel leuiter moueat, quod Ioannes Bollandus vir alioquin doctissimus in vita huius nostri Cyrilli [a] dicat: *Sed mirari quis possit, cur in Palæstina potissimum monasticam vitam complecti voluerit, cum in Ægypto primum ea viuendi ratio inuenta, cultaque fuerit, atque eo tempore præcipue floruerit*. Nam, vt omittamus decipi, dum putat monasticam vitam in Ægypto primum inuentam, cultamque fuisse, cum pro comperto sit, vt alibi ostendimus, post veteris testamenti Patres, Ioannem Baptistam & Essenos Palæstinos primitus eam viuendi rationem secutos, & ab eis Ægyptum, & Ægypti Essenos, qui monachatus Principes fuerunt ipsam suxisse. Præter hoc, inquam, leuissima est illa difficultatis nebula luci veritatis obiecta. Etenim Cyrillus primum, vt diximus, Athenis egit litteris vacans. Inde Palæstinam, loca sacra inuisurus, Ioannem etiam Ierosolymorum Antistitem ingenio præclarum conuenit. Et ipsius exemplo monachatum in Carmelo aliquandiu induit. Postmodum in patriam reuersus, eundem monachatum inter Ægyptios perfecit, prout ipsemet auctor ex Isidoro Pelusiota [b] colligit *n. 16. sequenti*. Vnde ergo docti Bollandi admiratio? Pelusiotæ verba, & aliqua circa ipsa habet lector *supra sub anno 371.*

[a] *a pro die 28. Ianuarij §. 2. n. 14.*

[b] *b in 25. ep. lib. 1. ep. 25. ad eundem Cyrillus.*

Annus

Annus Christi 398. Anastasij Pont. 1. Arcadij, Honorij Imper. 4.

1 MIGRAVIT ex hac vita Siricius Papa præsenti anno, successorem habens Anastasium Romanum Maximi filium; cuius ope actum est, vt hæresis Origeniana, quæ Romæ pullulare cœperat, eo quod Ruffinus Origenis opus *Periarchon* dictum Latine reddidisset, compesceretur. Pium autem hoc opus maxime promouit Marcella illa Romanis sanctimonialibus adiuncta, iuxta dicta *sub anno* 382. prout de ipsa testatur D. Hieronymus *ep.* 16. *ad Principiam* dicens: *Damnationis hæreticorum hæc fuit principium*: Et infra: *Huius tam gloriosæ victoriæ origo Marcella est*. O egregium fœminæ fascinus! Paulinianus etiam inter monachos a nobis connumeratus *sub anno* 392. & D.Hieronymi frater, hoc tempore ab eo in Occidentem missus creditur ad ea quæ idem Hieronymus *ep.* 26. refert. Cum autē Paulina S.Paulæ filia, & Pammachij nobilis adolescentis vxor diem vltimū clausisset, Pammachius ipse monachismo nomen dedit, prout ea, quæ ex D. Hieron. *sub an.* 385. attulimus, ostendunt. De his Baron. & eius Sectatores hic. *Huius temporis gesta.*

2 Miram Monachorum propagationem, quę hoc tempore Orbem implebat ex eo habeat lector, quod Insulas quoque eorum examina decorauerint. Etenim de illis, qui insulam Caprariam incolebant, Rutilius Numatianus [a] sic cecinit, malo afflatus dæmone, vtpote Ethnicus homo, & Christianæ Religionis detractor. *Monachorum propagatio in Insulis.* *a In Itiner. lib.* 1.

Processu pelagi iam se Capraria tollit,
Squallet lucifugis insula plena viris:
Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt,
Quod soli, nullo viuere teste volunt.
Munera Fortunæ metuunt, dum damna verentur:
Quisquam sponte miser, ne miser esse queat.
Quænam peruersi rabies tam stulta cerebri
Dum mala formides, nec bona posse pati?
Siue suas repetunt ex fato ergastula pœnas
Tristia seu nigro viscera felle tument.
Sic nimiæ bilis morbum assignauit Homerus
Bellerophonteis sollicitudinibus.

Et de Gorgoniæ etiam Insulæ iisdem refertæ Therapeutis hæc idem deorum cultor.

Assurgit ponti medio circumflua Gorgon
Inter Pisanum, Cyrnaicumque latus.
Aduersus scopulos damni monumenta recentis
Perditus hic viuo funere ciuis erat.
Noster enim nuper iuuenis maioribus amplis

Nec censu inferior, coniugione minor.
Impulsus furiis, homines, diuosque reliquit,
Et turpem latebram credulus exul agit.
Infelix putat illuuie cœlestia pasci
Seque premit læsis sæuior ipse deis.
Num rogo, deterior Circæis secta venenis?
Tunc mutabantur corpora, nunc animi.

Eudoxius Abbas.

3 Quis porrò iste iuuenis exul mundi, cæli ciuis, ac incola Gorgoniæ Insulæ fuerit haud compertum est; licet Baronius Bonoso, de quo *sub anno* 389. dictum, attribuere videatur. Id certius cum eodem, Caprariæ Insulæ monachis Eudoxium Abbatem, ad quem extat epistola 81. Augustini, præfuisse, & inter eos viguisse Eustachium, & Andream monachos, prout ex eadem epistola elicitur.

Fabiola. a epist. 30. ad Oceanum.

4 Ad idem quoq; intentum deseruit quod D.Hieron. [a], in epist. quæ est Epitaphium Fabiolæ huius temporis nobilis fæminę illam commendat quod misericors in Monachos, & Virgines fuerit, sic: *Illa simili liberalitate erga clericos, & Monachos, ac virgines fuerit. Quod Monasterium non illius opibus sustentatum est?* Et infra: *Augusta misericordia eius Roma fuit; peragrabat ergo Insulas, & totum Etruscum mare, Volscorumque prouinciam, & reconditos curuorum littorum sinus, in quibus Monachorum consistunt chori.* Adhuc inferius: *Quodam præsagio futurorum ad multos scripserat Monachos, & vt venirent.* En terraque, marique propagatum Elianum monachorum Institutum hoc tempore.

Monachi laxioris vitæ.

5 Sed lugendum, quod non omnes probi, & recte formati essent; cum eorum aliqui, quos D. Augustinus *Crinitos*, id est, *comatos* (o vitium ad hoc vsque æuum apud quosdam insolescens) otiositatem defenderent ex illo Christi Math. 6. *Respicite volatilia cæli, & lilia agri.* Eos tamen redarguit idem sanctus Pater [b]; & ea quæ adduximus ex pluribus Patribus, & Doctoribus in Opere *de Reformatione Regularium c.* 10. Facto quoq; ipso eos exagitabat Chrysostomus Monachorum egregius, sub hoc tempore Constantinopolitanus Antistes constitutus, tum Episcopos dissidentes conciliando, tum clericos corripiendo, tum hæreticos compescendo, cum etiam velata contubernia virginum cum viris cohibendo.

b in tract. de Oper. Monach.

S. Porphirius Episcopus.

6 Occurrit circa hoc tempus historia S.Porphyrij Episcopi Gazensis, nostris Annalibus digna, quod is fuerit ex Monachis Ægypti, & Palæstinæ, prout Marcus eius Ecclesiæ Diaconus in ipsius vita apud Surium [c] scripsit. Quamuis autem existimare quis posset hunc esse illum Porphyrium Carmelicolam, de quo *sub anno* 318. dictum, temporis tamen ratio expostulare videtur, vt ab eo diuersum autumemus. Eius autem vita ex eo Marco compendiosè collecta talis fuit. Patria erat Thessalonicus, ex qua in Ægyptum veniens apud Scetem amplexus est monachismum, in eo per quinquennium versatus. Inde Ierosolymæ sancta loca adoraturus pergit, quo peracto, Iordanem adiens, in spelunca per aliud quinquennium

c to. 1. pro die 26. Februarij.

nium habitauit. Hinc ob grauem morbum recedens iterum Ierosolymam petijt, vbi quotidie eadem loca cum Marco relato inuisebat. A Deo ergo sanitati restitutus bona paterna egentibus distribuit, labore manuum victitans. Fit postea Presbyter, & Episcopus Gazæ, vbi multa passus ab Ethnicis, mirabilia licet multa operaretur. Ad Imperatores Byzantium misit suum Marcum legatum, vt eorum ope Idolorum fana diruerentur. Plura alia de hoc Porphyrio in historia illa reperiet Lector, digna quod monachis præ oculis habeantur. Ibi etiam Procopij monachi encomium, de quo *sub anno* 396. dictum.

Annus Christi 399. Anastasij Papæ 2. Arcadij, & Honorij Imper. 5.

1 SVB hoc tempore, dum Ioannes Chrysostomus Constantinopoli clarus erat egregijs factis pro Ecclesia, & Hieronymus pro ipsa contra Origenistas laborabat; adeo, vt qui eum inuisit Posthumianus apud Seuerum [a] hæc de ipso scripserit: *Totus semper in lectione, totus in libris est, non die, non nocte requiescit, aut legit semper, aut scribit.* O veri monachatus speculum! Ioannes etiam ille noster Ierosolymitanus Antistes, quod rectæ fidei fuerit excusatur ab eodem Hieronymo *epist.* 70. *ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham* illis verbis: *Super susceptione cuiusdam non debes contra Vrbis huius* (Ierosolymæ scilicet) *dolere Pontificem, quia nihil tuis litteris præcepisti, & temerarium fuit de eo quod nesciebat ferre sententiam, tamen reor illum, nec audere, nec velle te aliquando lædere.* Affert ea Baronius hic §. *nuper*, præfatum Ioannem ad meliorem frugem restitutum affirmans, & credens. Sed quæ Ioannis culpa anterior, ob quam Origenista prius a Baronio existimatus fuerit? Sane, vt ex allata Epistola constat: *Super susceptione cuiusdam.* Nunquid propterea Origenista? Vnde locus talis consequentiæ? An non potuit vnus etiam de hæresi notatus a Sancto viro titulo honesto receptari? Melius de ipso sentire visus est pijssimus Augustinus, qui contra litteras Petiliani [b] hæc hoc tempore dicebat: *Cathedra tibi quid fecit Romanæ Ecclesiæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet; vel Ecclesia Hierosolymitana, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet; quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & a quibus vos nefario furore separatis?* En egregium Augustini testimonium pro sincera Ioannis Ierosolymitani fide.

Refragari autem haud possumus, quin in Ægypti partibus, præsertim Nitriæ Monasterijs, monachi aliqui Origenis erroribus notati fuerint, vt propterea a Theophilo Alexandrino Antistite damnati pellerentur. Sic enim ex Seuero [c], & eodem Theoph. [d] Quin etiam Theodorū monachū ea pro causa ad Anastasium Papam Romam legauit, & ad Constantinopolim, aliasq; Prouincias, & Episcopos, maxime ad Epiphanium Constantiæ in Cy-

Gesta huius temporis.

a in Dial. lib. 1.

Ioannis vindicatio.

b lib. 2. c. 51.

Nitria.

c Dialog. lib. 1.
d in epist. 72. ad Hieronymum.

in Cypro Antiſtitem, plures, ſanctiſſimoſque etiam Nitrienſes Monachos, vt pro paucis improbis multi probiſſimi reſponderent. Baronius *hic* ex Epiſtolis Theophili.

Paulus monachus. a in Apolog. 2. ad Ruffin. 3. Commemoratur ſub hoc tempore a Diuo Hieronymo [a] quidam Paulus, qui in mentem nobis offert alium eiuſdem nominis, qui etiam in Ægypto in monte *Pherme* Sanctiſſime monachum agebat. De quo Palladius [b] hæc inter alia: *Tota ſuo tempore hanc egit vitam. Nunquam opus attigit, nec vllum ſuſcepit negotium, nil vnquam accepit ab aliquo, præterquã quod poſſet illo die comedere. Fuit autem eius opus, & exercitatio orare perpetuo. Hic habebat trecentas preces expreſſas, & præſtitutas, totidem habens in ſinu calculos, & in vnaquaque Oratione iaciens vnum calculum.* De hoc Sozomenus [c], & ex eo Caſſiodorus [d], Nicephorus [e], Caſſianus [f] Heribertus Roſvvedius [g] notans hinc probari veterem vſum calculorum Roſarij contra hæreticos, qui vel recentem inuentionem, vel ſupeſtitioſam calumniantur. Vide ipſum *in Oonomaſticon littera R verbo Roſarium*, & quæ ea de re dicimus in noſtra *Maria Patrona c. 11. n. 21.*

b in 8. lib. vit. Patr. ſeu hiſt. Lauſiaca c. 23. c lib. 6. c. 29. d lib. 8. c. 1. e lib 11. c. 36. f collat. 7. c. 26. g in Annot. ad 8. lib. vit. Patr. n. 57. & 58.

Annus Chriſti 400. Anaſtaſij Pont. 3. Arcadij, & Honorij Imper. 5.

D. Martinus, Chryſoſtomus, & Hieronymus.

1 MONACHIS exemplum ſub hoc tempore Monachorum ſanctiſſimus Martinus Turonenſis præbebat, dum Vincentium clariſſimum Præfectum in Gallijs, & omni virtutum genere præſtantiſſimum ab ipſo poſcentem, vt ei conuiuium in ſuo Monaſterio daret audire recuſauit. Rem narrat Seuerus [h], Chryſoſtomus item inter Monachos celeberrimus Gainæ cuidam Conſtantinopoli Eccleſiam Arrianis dari poſtulanti fortiter reſtitit, iniquam poſtulationem eidem exprobando, Theodoretus [i], Sozomenus [k]. Hieronymus autem ob ardentiſſimum fidei Catholicæ zelum, quo fulgebat, Origenis Periarchon Latinitate donatum Romam miſit, addita ad opus præfatione, qua ipſius errores palam fecit. Ruffinum Aquileienſem ſibi de eiſdem ſuſpectum inſinuans; quod ipſe non recte accipiens, libros aliquos contra eundem Hieronymum edidit, & is contra ipſum Apologias: adeo vt populus Chriſtianus in duas ſciſſus partes eſſet, quorundam fauentium Ruffino; aliorum autem Hieronymo inhærentium. Anaſtaſius autem Papa Apoſtolica auctoritate Origenis errores damnauit. Baronius *hic* Ciaconius [l], & alij.

h dialog. lib. 1. i lib. 5. c. 32. k lib. 8. c. 4. l in Anaſtaſio Papa.

Chriſogon. 2. Inter eos autem, qui Ruffini partes tuebantur, vnus videtur eſſe (prout Baronius autumat) Chryſogonus Aquileienſis monachus, ad quem D. Hieronymus epiſtolam 44. ſcribit, in qua quod nihil ad ſe ſcripſerit expoſtulat; eum commendans de virtute, humilitate, & Charitate, quæ quia ſunt Monachorum pretioſiores gazæ, omitti a nobis non debuit qui illis fulgebat, etſi poſtea eidem Hieronymo aduerſarius conſpicia-

tur in

tur in fine primæ Apologiæ contra Ruffinum.

3 Contigit hoc tempore luctuosa valde, & dira conflictatio, qua (quod dolendum) sancti plures Monachi aduersus sanctos alios monachos in Ægypto contendentes, non pro dignitatibus, aut Præfecturis (prout quidam non raro) sed pro rebus ad fidei dogmata attinentibus, acerrime dimicabant. Plures enim, iuxta sub anno præcedenti scripta de Origenis erroribus notati a Theophilo Alexandriæ Antistite ex Nitriæ Monasterijs pulsi sunt; ij autem alios Catholicos etiam sanctissimos viros Anthropomorphitas dicebant, vt notatum *sub anno* 391. Illi porro, qui Origeniana labe infecti credebantur, Constantinopolim aduenientes, coram Ioanne Chrysostomo eius vrbis Antistite aduersus Theophilum Alexandrinum magnos turbines excitarunt, quibus vehementer Ecclesia commota est. Chrysostomus autem eorum canitiem venerandam, sacris sudoribus infectā prospiciens, ipsorum etiam miseratus, ratus facile Theophili aduersus illos iram in gratiam transferri posse, quiescere monet, & mansiones in Ecclesia, quæ *Anastasia* dicitur, ad requiem tribuit: vbi a fœminis religiosis, Olympiade præsertim insigni vidua, alebantur, ipsis quoque ex opere manuum suas ex parte necessitates supplentibus. Scripsit etiam Theophilo supplicans, vt viros illos pacifice ad se reuocaret. Cui Theophilus acriter rem ferens respondit, non ab illo se iudicari debere; sed ipsi abstinendum a libellis eorum suscipiendis. Palladius [a].

Monachorum contentio in Ægypto.

4 Qui porro, & quot fuerint monachi isti queruli Constantinopoli hæc agentes, vel in Ægypto cum Theophilo conflictantes diligentius inuestigandum. Et primo, quinquaginta numero fuisse, ipse Palladius testatur. Appellatos vero eorum præcipuos, Ammonium, Dioscorum, Eusebium, & Euthymium; cognominatos Longos fratres, & ex ijs, qui apud Scetim philosophabantur, habet Sozomenus [b]. Quibus etiam annumerat Dioscorum Hermopoleos Episcopum, & Isidorum, quem Theophilus, defuncto Nectario Episcopo Constantinopolitano, in Episcopatum sufficere studuerat. Is porro Ammonius videtur fuisse, de quo celebre illud refertur de amputatione auriculæ, ne Antistes crearetur. Dioscorus etiam iste videtur esse ille frater Ammonij, de quo *sub anno* 365. dictum, cum isti, de quo in præsenti *fratres* dicantur fuisse. Eusebius vero nequaquam est ille Syriæ monachus, de quo *sub anno* 360. diximus, sed ille, de quo Ruffinus [c], Palladius [d], & Heraclides [e]. Qui etiam Euthymium, & alios, Ammonium, & Dioscorum vti fratres commemorant.

Qui tales monachi.

5 Quamuis autem recentiores aliqui quadamtenus procliues ad damnandum de hæresi viros alioquin catholicos, hos, & alios similes veluti inexcusabiles Origenistas existimandos esse censeant, hoc fere vnico fundamento, quod D. Hieronymus non semel ipsos vt hæreticos vellicet; nihilominus, salua tanti Doctoris auctoritate rigidam valde esse hanc censuram Petrus Vvastelius noster [f] pie existimat. Primo quidem, quia

An certi Origenistæ.

[a] *in Dialog. de vit. Chrysost.*
[b] *lib. 8. c. 12.*
[c] *lib. 2. vit. Pat. c. 23.*
[d] *lib. 8. vit. Pat. c. 10.*
[e] *in Parad. c. 2.*
[f] *in vind. oper. Io. Ierosol. lib. 3. sect. 3. ar. 1. §. 1. & seq.*

eatenus eos Theophilus Alexandrinus damnasse videtur, quatenus ipsi damnare nollent Origenem propter praua in ipsius scriptis reperta, quod dicerent ab alijs fraudulenter inserta fuisse. Hoc autem nec errorem, nec hæresim esse ex eo euincitur, quod plures, ipsique graues Doctores idem postea senserunt, sine vlla erroris, aut hæresis suspicione; quales sunt non solum Seuerus Sulpitius, Vincentius Lirinensis, Haimo, Ioannes Picus, Iacobus Merlinus, Sixtus Senensis, Genebrardus, & alij, quos idem Vvastelius §.9. affert. Hac porro de causa damnatos hos Monachos fuisse liquido inspicitur ex eodem Seuero [a] referente hæc verba Posthumiani, qui testis ocularis huius controuersiæ fuit: *Episcopi quædam in libris ipsius* (Origenis) *insanius scripta memorabant, quæ adsertores eius defendere non ausi, ab hæreticis potius fraudulenter inserta dicebant; & ideo non propter illa, quæ in reprehensionem merito vocarentur, etiam reliqua esse damnanda; cum legentium fides facile possit habere discrimen, ne falsata sequeretur; & tamen catholice disputata retineret.* Præsertim secundo, cum Synodus Alexandrina, in qua hi monachi damnati dicebantur, particularis fuisset, & inconsulto Romano Pontifice coacta. Accedit tertio, quod hi sanctitate celebres in Vitis Patrum commendantur, &, si hæretici creduntur, corruet fides horum librorum, qui in Ecclesia plausibiliter recitantur. Item quarto, quod D. Chrysostomus eos susceperit, fouerit, aluerit, & contra Theophilum defendendos crediderit. Nec contemnendum, quod is Theophilus non satis commendatus in gestis suis apud historicos legatur; cum potius illorum plura male audiant, vt videre est in Palladio, Leone Imperatore, Metaphraste, Erasmo, & alijs vitæ S. Ioannis Chrysostomi scriptoribus, cui valde infestus fuit. Imo in dicto Leone sic de Theophilo reperimus scriptum: *Cuius vniuersus studij scopus non alio spectabat, quam aduersus Sanctum* (id est Chrysostomum) *& eos, qui dicti sunt, Monachos;* istos scilicet, de quibus in præsenti. Non ergo hæretici inexcusabiles haberi possunt. Alia apud ipsum Vvastelium legenda prætermittimus, nec ista vllo modo, vt D. Hieronymi auctoritati vel minimum derogetur, scripta volumus, sed pio lectori pensandum relinquimus, an tantus Doctor ex incerta relatione ob Regionum distantiam, accedente præsertim ingenti fidei catholicæ zelo, quo feruebat, istos *Longos fratres* nuncupatos hæreticis accensuerit. Illud minimi habendum, quod quidam putant ipsos ab Anastasio Papa damnatos fuisse Romæ. Dicunt enim quod non probant, & sine teste loquuntur. Vvastelius [b]. Rectius loqui videtur Christophorus Castrius ab Herib. Rosvvedio citatus [c] dicens de Theophilo: *Hoc prætextu Origenistarum, eadem, qua Chrysostomum simulatione quatuor Monachos Longos montis Nitriæ, quod ab eo recessissent, quod eius mores non probarent, insectatus est, etiam coacto exercitu Anthropomorphitarum, in quibus erat Monachorum phalanx non parua zelo percita: quos tamen fugientes excepit Ioannes Chrysostomus, & defendit, monito etiam Innocentio I. Pontifice, qui increpauit Theophilum, & ille tandem pœnitentia ductus, Monachos illos*

a Dialog. 1.

b sup. §. 15.

c in Prolegom. in vit. Patrum. Prolog. 15.

Longos

Longos sibi reconciliauit, tamquam fideles, & probos. Scribunt hanc historiam fusissime omnes historici Græci, Georgius Alexandrinus Archiepiscopus in vita S. Chrysostomi, Palladius in Dialogo, Socrate, Sozomenus, Simeon Metaphrastes, Leo Imperator in Oratione, Cassiodorus, Sulpitius, Isidorus Pelusiota, Nicephorus, quorum testimonia referre non vacat. Hi omnes commendabant monachos illos, quos hæreticos putauit Hieronymus a Theophilo deceptus. Hactenus Castrius ab Heriberto allatus; ex cuius vltimis verbis habetur D. Hieronymum a Theophilo deceptum fuisse, vt existimaret hos monachos *Longos fratres* dictos Origenistas fuisse.

Annus Christi 401. Anastasij Pont. 4. Arcadij & Honorij Imper. 7.

1 HVIC anno accensent Annalistæ, Ruffini Aquileiensis, de quo in superioribus sæpius dictum, damnationem ab Anastasio Papa latam, eo quod Romam vocatus non venerit, suspectusque esset de Origenis erroribus. Colligi id potuit ex epistola eiusdem Anastasij ad nostrum Ioannem Ierosolymitanum, de qua *sub anno* 402. aliquid dicemus. Maxime ex alijs scripus D. Hieronymi quibus eum acerrime carpit. Vnde propterea Gelasius Papa *in Concilio Romano* hæc de ipso: *Ruffinus vir religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros; nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam beatus Hieronymus eum in aliquibus de arbitrij libertate notauit; illa sentimus, quæ prædictum beatum Hieronymum sentire cognouimus, & non solum de Ruffino, sed etiam de diuersis, quos vir sæpius memoratus zelo Dei, & fidei religione reprehendit*. Quorum verborum expositionem hauriat lector ex VVastelio nostro [a] ex qua an excusabilis sit Ruffinus eliciet. — Ruffinus. — [a] lib. 3. Vindic. Ioann. sect. 3. ar. 1. §. 12.

2 Accidit eo tempore, vt cum Episcopi quidam in mari naufragantes, & præ magno, quæ orta erat tempestas in magno vitæ periculo constituti Deum, & sanctum Monachum Procopium, de quo *sub ann.* 396. dictum, implorarent, S. Porphyrius, qui cum ipsis erat, ipsum Procopium in somnis videt dicentem, quod propter nauclerum, qui Arrianus erat, prohibiti essent feliciter nauigare, ac proinde si salui esse vellent, oportere illum ad fidem Catholicam reuocare. Egerunt ita, & cessantibus fluctibus, fauste iter peregerunt. *Hæc ex Marci Gazensis historia*, quam eo loco attulimus, recensere placuit, vt vel inde agnoscant Catholici quam sibi perniciosa sit cum hæreticis conuersatio. — Communicatio cum hæreticis nociua.

3 In viuis erat per id tempus celebris quidam Acacius Berœensis Episcopus fama notissimus, tum ab Monasticam ante actam vitam in Syriæ solitudine, tum etiam sacrarum peritia litterarum; vt propterea nostræ historiæ monasticæ iure accensendus fuerit. Etsi non laudandus, quod Theophilo Alexandrino Episcopo, & alijs Ioannis Chrysostomi calumniatoribus adhæserit. De ipso Baronius *sub ann.* 403. ex Palladio [b], Vbi etiam — Acacius Episcopus & monachus. — [b] in Dialog. gest. Io. Chrysostomi.

alte-

alterius Isaac Syruli mentio habetur, qui falsorum Monachorum Dux, maledicus in Episcopos appellatur, &, qui etiam postea inter eiusdem Chrysostomi æmulos vnus aderat. Porro Acacius ille idem esse videtur cum alio eiusdem nominis monacho, de quo *sub anno 375.* prædictum.

Sybolica Scriptura.

4 Ad hoc etiam tempus, vel circiter, inspectis ijs, quæ de controuersijs D. Hieronymi cum Ioanne Ierosolymitano nostro diximus, & dicturi sumus, autumare possumus eos inter se adeo animo concordes fuisse, vt Hieronymus Ioannis Antigonista non solum ipsum iam non amplius de Origenismo insimulauerit, sed etiam ipsius patronus, & aduocatus effectus fuerit. Nimirum id insinuare videtur symbolica quædam pictura, quam titulo Cyrilli Episcopi Hierosolymitani ad S. Augustinum Episcopum Hipponensem liber apocryphus de Miraculis B. Hieronymi in hunc modum exhibet: *Verum qui de Syluano aliquid dictum nosti* (ò Augustine) *aliud quoddam non minus, vt puto, mirabile erga eum factum narro, cuius tot fuere testes, quod Nazareth vrbs, & Bethlehem tenent, qui proprijs oculis hoc viderunt. Serpens ille antiquus diabolus, ob suam deiectus superbiam in inferni profundum venerandi Antistitis Syluani nimiæ inuidens sanctitati, in eum dolis, vt callidior cunctis animantibus, grauiter est commotus. Qui vt virum Dei infamem redderet, quatenus qui suæ sanctitatis exemplo releuabantur ad rectæ conuersationis semitas, suo casu deciderent ad peiora; nocte quadam formam sancti viri sumens, cuidam mulieri nobilissimæ iam in statu quiescenti apparuit, & se ad eam illicite accedere fingens, consensum sui corporis inquirebat*: Subiungit post alia: *Creuit intantum eius* (Syluani) *infamia, quod eius opinio vsque ad Alexandriam, Cyprum, & per Ciuitates affines, pene ore omnium est delata.* Item post alia prolixius relata: *Cui Hieronymus gloriosus: Nefande, inquit, spiritus ab hac exi famula Dei, & tuas detege, quas erga Syluanum egisti fallacias, in Syluani forma omnibus te demonstrans. Tunc diabolus, vt gloriosus Hieronymus iusserat, in Siluani forma, ita vt ab omnibus Syluanus Archiepiscopus putaretur, apparuit: & rem quam fecerat, vt infamem redderet Dei famulum, enarrauit.* Equidem *Syluanus* iste videtur esse Ioannes noster, qui hoc etiam cognomine sicut & *Nepos* appellabatur. *Stupro* autem, ipsa, vsu etiam Sanctæ Scripturæ, hæresis delineatur; *nobilissima mulier*, ipsa est Ecclesia, siue Catholica fides; *Alexandria* Theophilum refert, & *Cyprus* Epiphanium. Ex quibus signis apparet auctorem illum adiutum fuisse quibusdam picturis repræsentantibus res gestas viuentis Hieronymi, atque Episcopi Hierosolymitani Ioannis, sed hisce symbolicis tantum, ac typicis locutionibus. Sic meditatur noster Vvastelius [a]. An solide, alij videant, præsertim cum auctor iste apocryphus de dicto Syluano plura dicat, quæ vix Ioanni nostro congruant. Illud tamen pro comperto, quod S. Hieronymi hoc tempore silentium de illo; communicatio cum ipso, etiam in Sacris, puta funere Paulæ, permanentia in Bethleemitico Cœnobio, quod sub eiusdem Ioannis diœcesi erat, & similia, inspecto vehementissimo ardoris zelo quo

[a] lib. 3. In Ierosol. sect. 3. art. 3. §. 9. in fin.

Hie-

Hieronymus hæreticos insectabatur, clarissime arguunt nullam de ipso nec minimam suspicionem prauam iam habuisse, quin antiquam, vtpote leuem, omnino deposuisse.

Annus Christi 402. Anastasij Pont. 5. & Innocentij 1. Arcadij, & Honorij Imper. 8.

1 DEDERVNT hoc tempore monachi illi ex Ægypto a Theophilo pulsi, & pro Origenianis habiti libellum supplicem contra ipsum Arcadio Imperatori, conscio, vt creditum est, Ioanne Chrysostomo; contradicentibus tamen alijs monachis ab eodem in sui defensionem missis. Vocatur Theophilus ad iudicium, & interim aliqui eorum in carcerem mittuntur, vbi custodia macerati vitam finierunt; alij vero in exilium missi. Palladius [a]. En quid pariant Monachorum dissidia. Eadem quoque exorta inter S. Epiphanium Constantinopolim aduenientem, & Chrysostomum eius vrbis Antistitem, pro defensione videlicet, aut impugnatione eorum, qui Origenistæ, seu Antiorigenistæ a diuersis credebantur, in varias sententias his Patribus diuisis. Sozomenus [b].

Dissidia Monachorum, & Patrum.

[a] in Dialogo.

[b] lib. 8. c. 14.

2 Contendit idem Sozomenus [c] Longos fratres, id est, Monachos illos Origenistas putatos, qui Constantinopolim aduenerant, Eudoxia Imperatrice assentiente conuenisse Epiphanium, & cum ipso modeste locutos, moderate etiam ab ipso tractatos esse, ac dimissos. Quo etiam iuuatur id, quod sub anno 400. tactum, scilicet non certo constasse eos tali nota dignos extitisse.

[c] eodem lib. c. 15.

Longi fratres.

3 Fertur etiam eundem Epiphanium ob concertationes cum Ioanne Chrysostomo habitas, eiusdem relegationi, quæ paulo post factiosorum odijs, & Eudoxiæ assensu contigit, consensisse. Vt propterea Ioannes illi protestatus fuerit non reuersurum in suam ciuitatẽ, & Epiphanius vicissim ipsi, quod non esset moriturus Episcopus, Sozom. [d], Socr. [e], Metaph. [f]. Eo a nobis hæc adducta, ne mirabile videatur inter viros religione præstantissimos quandoque dissidia reperiri; cum hæc salua charitate, & recta intentione, solum ob iudicij, & dictaminis varietatem, accidere possint.

S. Epiphanij cum Chrysostomo concertatio.

[d] lib. 8. c. 14. & 16.

[e] lib. 6. c. 13.

[f] in vit. S. Io. Chrysostomi.

4 Siue autem S. Epiphanius hoc anno, iuxta præfatam prophetiam, cum in Cyprum nauigaret, siue paulo post, diem clauserit extremum, iuxta aliorum placitum, id pro comperto, cum virtutibus clarum, scientia spectatum, zeloque potissimum fidei Catholicæ commendatum, ad prouectam valde ætatem peruenisse; sanctitatis exemplum Monachorum, inter quos vnus ipse, speculum; ac normam viuendi; vtpote qui semper legendo, docendo, scribendo, & orando, quæ sunt propria Religiosi status munia, vitam ducebat. De ipso maxime Metaphrastes in vita ipsius; etsi aliquibus erroribus scateat, sicut generaliter fere cunctæ aliæ huius temporis historiæ.

S. Epiphanij obitus.

Extat

Anastasij Papæ epistola ad Ioannem.

5 Extat etiam siue hoc anno, siue circiter epistola Anastasij Papæ scripta ad Ioannem nostrum Ierosolymitanum Antistitem, quæ habetur *to. 1. epistolar. Rom. Pontific.* & apud Hieronymum *to. 9.* In ea autem rationem reddit Pontifex Ioanni damnationis ab eo latæ contra Ruffinum, eo quod *Periarchon* Origenis in Latinum verteret sermonem cum sanæ doctrinæ, & Catholicorum detrimento. Quia vero ipsius epistolæ principium eiusdem Ioannis sanctitatis celebre encomium est, & ex ipso possunt pij lectores sinistrum, si quem de eo conceptum habuerint, deponere, hic illud apponimus, quod tale est: *Probatæ quidem affectionis hoc est, vt laudabiliter de Sacerdote sacerdos loquaris. Pro tanto igitur præconio, quod in merita mea effusissime contulisti, vt amori tuo gratias ago, ita splendorem tuæ sanctitatis, & eas quas in Domino habes virtutes, subinde quodammodo paruitatis nostræ fauorabilis sermo prosequitur; tam eminenter, vir omnium præstantissime, laudum tuarum fulges nitore conspicuus, vt par esse meritis sermo non possit. Porro autem tanto titulorum tuorum rapior incitamento, vt etiam, quod impetrare nequeo, audere non desinam. Iam hoc de laudibus est tuis, quod me tantum de cælestis animi illius serenitate laudasti. Tui enim Episcopatus ordo perspicuus per diuersum Orbem velut radians, etiam ad nos splendoris sui detulit claritatem. In me quippe totum amicitiæ tribuis, examini nihil relinquis. Aut si iure me laudas, tu quoque similiter relaudandus non es? Obsecro igitur ob vtrumque vt memetipsum laudare iam desinas. Duplex enim causa me hoc poscere constringit, ne consacerdotis tui sensibus aut dolorem falsa laus ingerat, aut pudorem vera succendat.* Vidit encomiastica hæc pro Ioanne nostro Baronius *sub hoc anno*, sed quisemel de ipso conceperat Origenis erroribus labefactum, ne propriam sententiam Papæ contrariam esse fateri cogeretur, hæc subiungit: *Ista quidem præfatus est Anastasius, quæ haud otiose putes nos referre voluisse, sed vt declaretur ex his etiam, sicut ex alijs superius enarratis, Ioannem Ierosolymitanum Episcopum abeuntem post Origenis errores iam meliori frugi redditum; fide vbique Catholica his temporibus saltem exterius nituisse.* Cæterum, bone Deus, si Papa Anastasius cognouisset (prout vtique cognoscere debuisset, si ita esset) Ioannem rite, & legitime de Origenismo insimulatum esse, aut eum solum exterius fidem Catholicam profiteri, quomodo *Splendorem sanctitatis* in eo veneraretur? *Quas in Domino habebat virtutes* coleret? Qualiter virum *omnium præstantissimum*, ac *laudum nitore tam conspicuum, tamque eminenter fulgentem, vt par esse meritis serma non possit*, compellaret? Et quasi hæc parua, aut pauca sint, ea adiungeret; *Tanto titulorum tuorum rapior incitamento, vt etiam quod impetrare nequeo, audere non desinam?* Sane speciosissimum illud Ioannis præconium: *Tui episcopatus ordo perspicuus per vniuersum Orbem velut radians etiam ad nos splendores sui detulit claritaem*, subindicare videtur tantam ipsius claritatem fuisse, vt eam offuscare non potuerint intentatæ illi olim calumniæ, vt expendit Vvastelius noster [a]. Credendum igitur Diuos Epiphanium, & Hieronymum, qui in ea sententia videbantur esse

Ioannis Ierosolymitani commendatio.

[a] vindic. Io. Ierosolym. lib. 3. sect. 4. ar. 3. §. 3.

de Ori-

de Origenismo Ioanni appingendo, eam postea retractasse, quia vel ex falso rumore, vel ex simulatione aliquorum ortam fuisse autumarent. Ac exoptandum quod pius, & eximius auctor Baronius visa hac epistola Anastasij fecisset quod in simili causa, Innocentio Pontifice viso, egit [a] se ipsum retractans dicendo: *Paulo liberius de Eliberino Concilio me alias locutum esse memini; at cum quę ab illis de ea re sunt statuta ex usentur ab eo qui supra Innocentio Romano Pontifice, nemo sit qui accusare præsumat.*

[a] *to. 2. ad ann. 305. 9. inter alios.*

6 Desiderati sunt hoc anno non solum Anastasius Papa succedente illi Innocentio Primo, sed etiam quod propius ad nostram monasticam Oeconomiam spectat, Sanctus ille Martinus Turonensis Episcopus, gloria Monachorum, prout Baronius, & alij ex vetustioribus colligunt. Ipsius gesta Sulpitius Seuerus, S. Paulinus Nolanus, Gregorius Turonensis, Venantius Fortunatus, & alij, iuxta tanti viri merita scripserunt.

Obitus Anastasij, & Martini.

7 Ad idem tempus, iuxta rectum nostri Vvastelij [b] computum, contigit reuersio Melaniæ illius celebris fœminæ ad Vrbem Romam, iam sexagenariæ post triginta septem annos absentiæ, prout ex Palladio c. 118. & Heraclide c. 42. elicit. Quæ porro Romæ egerit, & quomodo Christo, & Monachismo plurium animas lucrata fuerit, verbis eiusdem Palladij, quibus similia Heraclides, id damus. *Illic quidem cum esset, beatissimum virum maxime existimationis clarissimum Apronianum, qui erat gentilis, catechesi instituit, & Christianum fecit, persuasitque, ut contineret etiam cum sua uxore, eius autem Sororis filia, Auita nomine. Cum autem suam quoque neptem confirmasset Melaniam una cum eius marito Piniano, & catechesi instituisset Albinam nurum suam, uxorem autem sui filij, & persuasisset his omnibus vendere quæ habebant, Roma eas eduxit, & ad honestum, ac tranquillum vitæ portum deduxit. Et sic depugnauit aduersus bestias, nempe eos, qui erant ordinis senatorij, & eorum uxores prohibentes eam renuntiare reliquis sui ædibus. Christi autem ancilla eis dicebat: Filij, plusquam quadringentis abhinc annis scriptum est, ultima hora est. Quid ergo lubentes, ac volentes immoramini in vanitate vitę? ne forte veniant dies Antichristi, & non possitis frui vestris opibus, & rebus maiorum vestrorum? Cumque omnes his verbis liberasset, ad monasticam vitam traduxit, & filium iuniorem Publicolam cum instruxisset, duxit in Siciliam, cumque reliqua omnia sua vendidisset, & pretium accepisset, duxit Ierosolymas, & cum facultates diuisisset, intra quadraginta dies dormiuit in bona senectute, & summa mansuetudine, & veneranda memoria eleemosynis redundans, relicto etiam monasterio Ierosolymis & sumptibus monasterij.* Hæc porro sub anno 408. & 409. quo tempore contigisse videntur, iterum inculcabimus.

Melania.

[b] *in lib. 2. vind. Ioan. sect. 4. ar. 2. 9. 10.*

Apronianus conuersus ad fidem.

8 In his autem aliqua meditanda. Primum quidem, quod cum Melania Romam reuersa in tam eximijs pietatis, & religionis operibus se exercuerit, inaniter sane à quibusdam insimulabitur de Origenismo in Vrbe propagato, prout diximus *sub anno 397.* Quomodo enim tam diuersa, sibique penitus contraria de vna, & eadem fœmina affirmari queunt?

Notanda pro Melania.

unt? Maxime verò quia si Melaniam Patronam (vt ipsi vocant) Origenismi dixerimus, vtique eadem facilitate hos omnes, quos è Roma secum Ierosolymam duxit, monachatumque induisse monuit, eadem fuligine tinctos dicemus; ac proinde nobilissimam Orbis Christiani portionem tali nævo fœdatam haud diffiteri cogemur. Quod viderint pij an valde honorificum Ecclesiæ Sanctæ sit. Secundum, quod cum in præfato Palladij testimonio dicatur Melaniam *in bona senectute, & summa mansuetudine, & veneranda memoria* dormijsse, vtique mirum non erit, quod, vt eo loco diximus, & affert Vvastelius relatus ex Petro Haloio magno antiquitatum illustratore, Romæ editum sit Breuiarium Græcum, a Summo Pontifice approbatum, in quo Melaniæ dies festus celebratur, & virtutes recoluntur. Audiet hoc libenter Roma de sua clarissima Ciue; & Religio nostra, cum Monasterium illud Ierosolymitanum (de quo Palladius, & Heraclides) ab ipsa decoratum Eliani, & Carmelitici instituti fuerit, prout nostri tradunt historici, quorum aliquos sub anno 364. retulimus. Nec refragabitur Baronius, qui tandem *sub anno* 409. fatetur Melaniam maculas errorum Origenis diluisse, & ex hac vita migrasse D. Hieronymo reconciliatam.

S. Paulinus. 9 Romam porro Melaniam reuertentem S. Paulinus Nolanus in itinere hospitem habuit, prout ipse [a] scribit. In qua ipsius incredibilem commendationem ex virtutibus, meritis, habitu religioso, tunica, & palliolo (vt vel ex hoc etiam Elianam Monialem agnoscamus) elegantissime affert. Quæ, etsi non audiat Dominus Baronius, cæteris alijs, qui Paulini pietatem, sanctitatem, & doctrinā norunt, absdubie maximi ponderis erunt pro ipsa vindicanda. Subiungit idem Paulinus [b] hæc nobis pensitanda: *Partem particulę de ligno diuinæ Crucis, quod nobis donum benedictæ Melaniæ ab Ierusalem munere Sancti inde Episcopi Ioannis attulit, &c.* Vno enim veluti ictu Ioannis nostri Ierosolymitani Antistitis, & Melaniæ pietas contra aduersarios vindicatur a Paulino. Quod recte expendit Vvastelius noster [c]. Alia de hoc ligno Crucis mirabilia in ea epistola; sicut etiam quod illud Ioannes Ierosolymis ostendere populo consueuisset Paschali tempore: *Cuius plane exemplo* (inquit Baronius [d]) *illa in reliquas Occidentalis orbis Ecclesias consuetudo, & ritus manasse putantur, vt eodem Paschali tempore lignum Crucis cum imagine Crucifixi populo adorandum aperiatur, quod ante erat velo obductum; illud Episcopo tertium pręcinente praeconium*, Ecce lignum Crucis, &c. *respondente & inuitante choro*, Venite adoremus. Plaudat ergo Religio, quæ per vnum sui instituti alumnum tam piam cæremoniam propagatam videt in Ecclesia.

a in epist. 10. ad Seuerum.

b epist. 11. ad Seuerum.

c lib. 3. vindic. oper. Ioan. sect. 4. ar. 2. §. 6.

d sub ann. 397. §. Placa autem.

Monachorum vestis. 10 Donatus præterea est idem Paulinus ab ipsa Melania tunica agnorum contexta vellere, quam ipse dono misit Seuero, ad quem eam scribebat epistolam, vice pallij ex pilis Camelorum hirsutis, quod ab eo acceperat. Quæ ex eo hic notanda duximus, vt agnoscat lector, qualiter hi omnes, qui monachismi professores erant, eo indumentorum

genere

genere vtebantur, quo antiquiores Eliani, de quibus *ad Hebræos* 11. *Paulus: Circuierunt in melotis, in pellibus Caprinis.*

Annus Christi 403. Innocentij Papæ 2. Arcadij, & Honorij Imper. 9.

1 ADVENIT hoc tempore Constantinopolim Theophilus Alexandrinus ab Imperatore vocatus pro causa monachorum exulum. Qui secum plures Episcopos ducens, fauentibus monachis alijs Theophili fautoribus, ac maxime Eudoxia Augusta in Ioannem Chrysostomum ante perinfensa, eo præsertim quod ipse Ioannes eam Iezabeli similem dicebatur proclamasse; dum in quadam concione dixerat: *Congregate ad me Sacerdotes, qui comedunt mensam Iezabel, vt dicam eis; sicut dixit Elias: Quousque claudicatis vtrisque poplitibus?* Alijs quoque æmulis, qui ab ipso Ioanne pro sceleribus ab Ecclesia separati erant, cum illis omnibus, accusationibus prolatis, eum exilij sententia damnauit. Quia tamen eo pulso ciuitas terræmotu agitari cœpit, redire cogitur, & in eam introducitur populi incomparabili lætitia. De his Sozomenus, Socrates, Palladius, & alij. *Chrisostomi damnatio ad exilium.*

2 Recepit etiam Theopilus in gratiam sui, & communionem Monachos illos Scetenses, quos vt Origenistas damnauerat. Licet Dioscorus, & Ammonius, qui ex ipsis erant, iam vitam finierint, sancteque sepulti. Sozomenus [a]. Ex vtroque autem infert Heribertus Rolvvedius [b] res horum Monachorum *plane perplexas* fuisse. Maxime vero, si cum Georgio Alexandrino in vita Chrysostomi dicatur Ammonium, & Dioscorum vita functos splendide sepultos, & miraculis claruisse, absdubie denotatur pœnitentia expiasse Origenismum, si eo fuerunt infecti. *Monachi recõciliati cum Theophilo.* *a lib. 8. c. 18.* *b in Prolog. ad vit. Patr. prolegom. 15.*

3 Quid porro acciderit eidem Theophilo per id tempus Alexandriam redeunti, quod sane nostræ historiæ apte congruit, cum ex ipso habeatur Nilammonem Monachum potius delegisse mori, quam fieri Episcopum, in exemplum, & confusionem nostri æui Monachorum, sic narrat [c] idem Sozomenus: *Theophilus etiam statim nihil cunctatus (quamquam iam hiems ingrueret) fugiens vna cum Isacio Monacho, Alexandriam abnauigauit. Sed cum tempestas maris vrgeret, appulit Geras, quæ est ciuitas pusilla, plus minus quinquaginta stadijs a Pelusio distans. Huius vrbis Episcopo tum vita defuncto, ciues (vt accepi) elegerunt Ecclesiæ suæ Antistitem Nilammonem virum bonum, & qui ad Monasticæ vitæ fastigium conscendisset. Is habitabat ante ciuitatem in domuncula, in quam se ipse concluserat, ianua lapidibus obturata, eo proposito, vt sacerdotium auersaretur. Theophilus itaque veniens, hortabatur, vt ordinationem a se oblatam acciperet. Apud quem ille quamuis frequenter se excusans, nihil obtinuit. Tandem instanti: Cras, inquit, ita facias, si placet, ò Pater, vt ego hodie res meas ante disponam. At cum Theophilus postridie ex condicto venisset, atque eum fores aperire* *Nilammon monachus.* *c lib. 8. c. 19.*

rire iussisset: Age vero (inquit Nilammon) oremus primum. Quo laudato Theophilus quidem orauit, Nilammon inter orandum hanc vitam reliquit. Hoc autem, & Theophilo primum, & etiam qui cum illo foris stabant, ignotum erat. Verum cum paulatim tereretur dies, quia sæpenumero intentius euocantes non audiret, deiectis qui ad ianuam erant lapidibus, repererunt hominem mortuum. Inuolutum igitur quibus oportebat, publica sepultura dignati sunt, ac templum etiam supra illius sepulchrum indigenæ cõstruxerunt, & summa cum solemnitate adhuc diem mortis eius celebrant. At Nilammon quidem ad hunc modum mortuus est; si tamen mortem dicere oportet, quam ille subire maluit, quam Episcopatum suscipere, quo se indignum esse ob ingenij modestiam censuit. Tangit hanc historiam idem Sozomenus [a], & Nicephorus [b]. Hic autem Nilammon ob hoc egregium factum celeberrimus in Martyrologio Romano pro die 6. Ianuarij inter diuos refertur.

a in Tripart. b lib. 13. c. 17.

4 Ad hunc annum, vel circiter, proculdubio referendus obitus percelebrrimi illius Eliani, & Monastici instituti cultoris, & propagatoris Pachomij, de quo in superioribus plura diximus, innitentes D. Hieronymo auctore ipsius vitæ [c]. Cum enim Sanctus iste Archimandrita centesimum decimum annum vitæ egerit, iuxta Sigebertum [d], & Petrum de Natalibus [e], a quibus non discedit Heribertus [f]. Et iuxta dicta *sub ann.* 312. tunc adimpleuerit vigesimum suæ ætatis annum, sane secundum rectum computum, præsenti anno, quo centum, & decimum iam compleuerat, ipsius pro cælesti patria natalitius fuit. Eius porro felicissima mors sic describitur a D. Hieronymo [g]: *Post beatissimum vero Paschalis festi diem, multis fratribus ad Dominum præmissis, ad postremum ipse quoque S. Pachomius infirmatus est, & ministrabat ei Theodorus, cuius sæpe meminimus. Et quamuis esset toto corpore nimis attenuatus, ac debilis, faciem tamen habebat hilarem, atque fulgentem; ita vt ex hoc quoque videntibus piæ mentis, ac sincerissimæ conscientiæ suæ monstraret indicium. Ante duos ergo dies sanctæ dormitionis suæ conuocans vniuersos fratres, ait ad eos: Ego quidem, charissimi, viam patrum securus ingredior, nam video me a Domino protinus euocari. Vos ergo mementote verborum, quæ a me frequenter audistis, & vigilantes in precibus, sobrij estote in operibus vestris. Nulla sit vobis coniunctio cum sectatoribus Meletij, vel Arrij, vel Origenis, seu cæteris Christi præceptis aduersantibus. Cum illis autem conuersamini, qui Dominum metuunt, & possunt prodesse vobis conuersatione sancta, & animabus vestris spiritualia præstare solatia. Ego namque iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Eligite igitur ex vobis fratrem, me præsente, qui post Deum præsit omnibus, curamque vestrarum gerat animarum. Quantum vero mea discretione perpendo, Petronium ego ad hoc opus idoneum iudico; vestrum autem est quod expedit vobis eligere. Receperunt ergo & in hoc obedientissimi filij consilium patris. Erat enim Petronius potens in fide, humilis in conuersatione, intellectu prudentissimus, bonis moribus, discretione perfectus. Pro quo precem Domino sanctus Pachomius fudit, quia & ipsum in monasterio cognomento Chino-*

Pachomij obitus.

c in lib. 1. vit. Patr. d in Chron. sub ann. 406. e lib. 4. c. 171. f in Annot. ad ipsius Vit. n. 6. g c. 53. ipsius vitæ:

Chinobosciorum ægrotare compererat. Cui, licet absenti cunctam fraternitatem commendauit in Domino, mittens ad eum protinus vt veniret. Et signaculo Christi se muniens atque Angelum lucis, qui fuerat ad se directus adspectu intuens hilari, sanctam reddidit animam quarto decimo die mensis Pachon, secundum Ægyptios, quod est iuxta Romanos ad septimam diem Iduum Maiarum. Hæc ibi. Quibus etiam additur eos, qui missi fuerant ad sanctum Petronium quærendum eum deduxisse infirmitate ipsa laborantem, vt propterea paucis diebus fraternitatem vita fungens gubernare potuerit, succedente illi Orsesio, de quo *sub anno sequenti* dicetur. De Pachomio porro multa reperiet lector apud Cassiodorum, Sozomenum, Palladium, Nicephorum, & Martyrologia pro die 14. Maij, vbi Baronius.

Annus Christi 404. Innocentij Pont. 3. Arcadij & Honorij Imper. 10.

1 HOC etiam anno Ioannes Chrysostomus seditiosorum Episcoporum factione, & vrgente Eudoxia Imperatrice, a Sede pulsus exul relegatur in Cucusum. Instabat ad hoc Acacius ille ex monacho Episcopus Berœensis cum similibus. Appellauit Ioannes ad Innocentium Papam, edicto cedens, ac dicens celsi animi illa: *Siquidem vult me Regina exulem, agat in exilium: Domini est terra, & plenitudo.* Multa propter ipsum ingens monachorum, & virginum chorus passus. De his auctores vitæ Chrysostomi. *Chrysostomi relegatio.*

2 Pro ipsius tamen defensione Romam venere ex monachismi professoribus Palladius ille Galata Helenopoleos Episcopus, de quo *sub anno* 388. dictum, vt ipse testatur [a], addens refectum fuisse a Piniano marito Melaniæ iunioris. Alter fuit Ioannes ille Cassianus eiusdem Chrysostomi discipulus, auctor videlicet libri Collationum Patrum; de quo tomo sequenti: fuit enim postea in Ægypto monachus, indeque scribendi dictas Collationes hausit argumentum. Propterea nostræ historiæ inserendus, quamuis cum nota, quia Pelagiani erroribus valde detulit. De ipso Gennadius, Prosper, Trithemius, Posseuinus, & alij Scriptorum Ecclesiæ compilatores. Illud non prætermittendum, abs re sane, & fere sine fundamento aliquos Basiliani instituti historicos Cassianum sibi adiudicare voluisse. Si enim quæ scripsit [b] inspiciantur, clare habebitur ipsum Æliani, & Essenriansticum, quod in Ægypto & Palæstina florere conspexerat, sectatorem esse. *A Monachis defenditur.* *a in vi. Patr. lib. 8. c. 121.* *b in præfat. ad Castorem, & lib. 1. de Instit. c. 2. & Collat. 18. c. 6.*

3 Plures etiam monachi magno agmine cum virginibus eidem obuiam occurrentes in Cappadociæ partibus in fletus prorumpebant, ipsius casui commiserantes, sicut e contra scelesti alij monachi Cesareæ ipsum a Ciuitate pellere minitantes curarunt. Chrysostomus ipse [c]. Credit etiam Vvastelius noster [d] sermonem in decollatione S. Ioannis Baptistæ Chrysostomo vulgariter attributum Ioannis nostri Ierosolymitani esse, & in *Plures illi occurrunt.* *c epist. 14. & 125.* *d lib. 2. vindic. oper. Ioann. fe.. 8. ar. 1.*

 eo con-

in Cypro Antistitem, plures, sanctissimosque etiam Nitrienses Monachos, vt pro paucis improbis multi probissimi responderent. Baronius *hic* ex Epistolis Theophili.

Paulus monachus.
a in Apolog. 2. ad Ruffin.
d in 8. lib. vit. Patr. seu hist. Lausiaca c. 33.

3. Commemoratur sub hoc tempore a Diuo Hieronymo [a] quidam Paulus, qui in mentem nobis offert alium eiusdem nominis, qui etiam in Ægypto in monte *Pherme* Sanctissime monachum agebat. De quo Palladius [b] hæc, inter alia: *Toto suo tempore hanc egit vitam. Nunquam opus attigit, nec vllum suscepit negotium, nil vnquam accepit ab aliquo, præterquã quod posset illo die comedere. Fuit autem eius opus, & exercitatio orare perpetuo. Hic habebat trecentas preces expressas, & præstitutas, totidem habens in sinu calculos, & in vnaquaque Oratione iaciens vnum calculum.* De hoc Sozomenus [c], & ex eo Cassiodorus [d], Nicephorus [e], Cassianus [f] Heribertus Rosvvedius [g] notans hinc probari veterem vsum calculorum Rosarij contra hæreticos, qui vel recentem inuentionem, vel superstitiosam calumniantur. Vide ipsum *in Oonomasticon littera R verbo Rosarium*, & quæ ea de re dicimus in nostra *Maria Patrona c. 11. n. 21.*

c lib. 6. c. 29.
d lib. 8. c. 1.
e lib 11. c. 36.
f collat. 7. c. 26.
g in Annot. ad 8. lib. vit. Patr. n. 57. & 58.

Annus Christi 400. Anastasij Pont. 3. Arcadij, & Honorij Imper. 5.

D. Martinus, Chrysostomus, & Hieronymus.

1 MONACHIS exemplum sub hoc tempore Monachorum sanctissimus Martinus Turonensis præbebat, dum Vincentium clarissimum Præfectum in Gallijs, & omni virtutum genere præstantissimum ab ipso poscentem, vt ei conuiuium in suo Monasterio daret audire recusauit. Rem narrat Seuerus [h], Chrysostomus item inter Monachos celeberrimus Gainæ cuidam Constantinopoli Ecclesiam Arrianis dari postulanti fortiter restitit, iniquam postulationem eidem exprobando, Theodoretus [i], Sozomenus [k]. Hieronymus autem ob ardentissimum fidei Catholicæ zelum, quo fulgebat, Origenis Periarchon Latinitate donatum Romam misit, addita ad opus præfatione, qua ipsius errores palam fecit. Ruffinum Aquileiensem sibi de eisdem suspectum insinuans; quod ipse non recte accipiens, libros aliquos contra eundem Hieronymum edidit, & is contra ipsum Apologias: adeo vt populus Christianus in duas scissus partes esset, quorundam fauentium Ruffino; aliorum autem Hieronymo inhærentium. Anastasius autem Papa Apostolica auctoritate Origenis errores damnauit. Baronius *hic* Ciaconius [l], & alij.

h dialog. lib. 1.
i lib. 5. c. 32.
k lib. 8. c. 4.
l in Anastasio Papa.

Chrisogonus.

2. Inter eos autem, qui Ruffini partes tuebantur, vnus videtur esse (prout Baronius autumat) Chrysogonus Aquileiensis monachus, ad quem D. Hieronymus epistolam 44. scribit, in qua quod nihil ad se scripserit expostulat, eum commendans de virtute, humilitate, & Charitate, quæ quia sunt Monachorum pretiosiores gazæ, omitti a nobis non debuit qui illis fulgebat, etsi postea eidem Hieronymo aduersarius conspicia-

tur in fine primæ Apologiæ contra Ruffinum.

3 Contigit hoc tempore luctuosa valde, & dira conflictatio, qua (quod dolendum) sancti plures Monachi aduersus sanctos alios monachos in Ægypto contendentes, non pro dignitatibus, aut Præfecturis (prout quidam non raro) sed pro rebus ad fidei dogmata attinentibus, acerrime dimicabant. Plures enim, iuxta sub anno præcedenti scripta de Origenis erroribus notati a Theophilo Alexandriæ Antistite ex Nitriæ Monasterijs pulsi sunt; ij autem alios Catholicos etiam sanctissimos viros Anthropomorphitas dicebant, vt notatum *sub anno* 391. Illi porro, qui Origeniana labe infecti credebantur, Constantinopolim aduenientes, coram Ioanne Chrysostomo eius vrbis Antistite aduersus Theophilum Alexandrinum magnos turbines excitarunt, quibus vehementer Ecclesia commota est. Chrysostomus autem eorum canitiem venerandam, sacris sudoribus infectã prospiciens, ipsorum etiam miseratus, ratus facile Theophili aduersus illos iram in gratiam transferri posse, quiescere monet, & mansiones in Ecclesia, quæ *Anastasia* dicitur, ad requiem tribuit: vbi a fœminis religiosis, Olympiade præsertim insigni vidua, alebantur, ipsis quoque ex opere manuum suas ex parte necessitates supplentibus. Scripsit etiam Theophilo supplicans, vt viros illos pacifice ad se reuocaret. Cui Theophilus acriter rem ferens respondit, non ab illo se iudicari debere; sed ipsi abstinendum a libellis eorum suscipiendis. Palladius [a].

Monachorum contentio in Ægypto.

[a] *in Dialog. de vit. Chrysost.*

4 Qui porro, & quot fuerint monachi isti queruli Constantinopoli hæc agentes, vel in Ægypto cum Theophilo conflictantes diligentius inuestigandum. Et primo, quinquaginta numero fuisse, ipse Palladius testatur. Appellatos vero eorum præcipuos, Ammonium, Dioscorum, Eusebium, & Euthymium; cognominatos Longos fratres, & ex ijs, qui apud Scetim philosophabantur, habet Sozomenus [b]. Quibus etiam annumerat Dioscorum Hermopoleos Episcopum, & Isidorum, quem Theophilus, defuncto Nectario Episcopo Constantinopolitano, in Episcopatum sufficere studuerat. Is porro Ammonius videtur fuisse, de quo celebre illud refertur de amputatione auriculæ, ne Antistes crearetur. Dioscorus etiam iste videtur esse ille frater Ammonij, de quo *sub anno* 365. dictum, cum isti, de quo in præsenti *fratres* dicantur fuisse. Eusebius vero nequaquam est ille Syriæ monachus, de quo *sub anno* 360. diximus, sed ille, de quo Ruffinus [c], Palladius [d], & Heraclides [e]. Qui etiam Euthymium, & alios, Ammonium, & Dioscorum vti fratres commemorant.

Qui tales monachi.

[b] *lib. 8. c. 12.*

[c] *lib. 2. vit. Pat. c. 23.*

[d] *lib. 8. vit. Pat. c. 10.*

[e] *in Parad. c. 2.*

5 Quamuis autem recentiores aliqui quadamtenus procliues ad damnandum de hæresi viros alioquin catholicos, hos, & alios similes veluti inexcusabiles Origenistas existimandos esse censeant; hoc fere vnico fundamento, quod D. Hieronymus non semel ipsos vt hæreticos vellicet; nihilominus, salua tanti Doctoris auctoritate rigidam valde esse hanc censuram Petrus Vvastelius noster [f] pie existimat. Primo quidem, quia

An certi Origenistæ.

[f] *in vind. oper. Io. Ierosol. lib. 3. sect. 3. ar. 1. §. 11. & seq.*

 cate-

eatenus eos Theophilus Alexandrinus damnasse videtur, quatenus ipsi damnare nollent Origenem propter praua in ipsius scriptis reperta, quod dicerent ab alijs fraudulenter inserta fuisse. Hoc autem nec errorem, nec hæresim esse ex eo euincitur, quod plures, ipsique graues Doctores idem postea senserunt, sine vlla erroris, aut hæresis suspicione; quales sunt non solum Seuerus Sulpitius, Vincentius Lirinensis, Haimo, Ioannes Picus, Iacobus Merlinus, Sixtus Senensis, Genebrardus, & alij, quos idem Vvastelius §.9. affert. Hac porro de causa damnatos hos Monachos fuisse liquido inspicitur ex eodem Seuero [a] referente hæc verba Posthumiani, qui testis ocularis huius controuersiæ fuit: *Episcopi quædam in libris ipsius* (Origenis) *insanius scripta memorabant, quæ adsertores eius defendere non ausi, ab hæreticis potius fraudulenter inserta dicebant; & ideo non propter illa, quæ in reprehensionem merito vocarentur, etiam reliqua esse damnanda; cum legentium fides facile possit habere discrimen, ne falsata sequeretur, & tamen catholice disputata retineret.* Præsertim secundo, cum Synodus Alexandrina, in qua hi monachi damnati dicebantur, particularis fuisset, & inconsulto Romano Pontifice coacta. Accedit tertio, quod hi sanctitate celebres in Vitis Patrum commendantur, &, si hæretici creduntur, corruet fides horum librorum, qui in Ecclesia plausibiliter recitantur. Item quarto, quod D. Chrysostomus eos susceperit, fouerit, aluerit, & contra Theophilum defendendos crediderit. Nec contemnendum, quod is Theophilus non satis commendatus in gestis suis apud historicos legatur; cum potius illorum plura male audiant, vt videre est in Palladio, Leone Imperatore, Mtaphraste, Erasmo, & alijs vitæ S. Ioannis Chrysostomi scriptoribus, cui valde infestus fuit. Imo in dicto Leone sic de Theophilo reperimus scriptum: *Cuius vniuersus studij scopus non alio spectabat, quam aduersus sanctum* (id est Chrysostomum) *& eos, qui dicti sunt, Monachos;* istos scilicet, de quibus in præsenti. Non ergo hæretici inexcusabiles haberi possunt. Alia apud ipsum Vvastelium legenda prætermittimus, nec ista vllo modo, vt D. Hieronymi auctoritati vel minimum derogetur, scripta volumus, sed pio lectori pensandum relinquimus, an tantus Doctor ex incerta relatione ob Regionum distantiam, accedente præsertim ingenti fidei catholicæ zelo, quo feruebat, istos *Longos fratres* nuncupatos hæreticis accensuerit. Illud minimi habendum, quod quidam putant ipsos ab Anastasio Papa damnatos fuisse Romæ. Dicunt enim quod non probant, & sine teste loquuntur. Vvastelius [b]. Rectius loqui videtur Christophorus Castrius ab Herib. Rosvvedio citatus [c] dicens de Theophilo: *Hoc prætextu Origenistarum, eadem, qua Chrysostomum simulatione quatuor Monachos Longos montis Nitriæ, quod ab eo recessissent, quod eius mores non probarent, insectatus est, etiam coacto exercitu Anthropomorphitarum, in quibus erat Monachorum phalanx non parua zelo percita: quos tamen fugientes excepit Ioannes Chrysostomus, & defendit, monito etiam Innocentio I. Pontifice, qui increpauit Theophilum; & ille tandem pœnitentia ductus, Monachos illos*

a Dialog. 1.

b sup. §. 15.

c in Prolegom. in vit. Patr. prolog. 15.

Longos

Longos sibi reconciliauit, tamquam fideles, & probos. Scribunt hanc historiam fusissime omnes historici Græci, Georgius Alexandrinus Archiepiscopus in vita S. Chrysostomi, Palladius in Dialogo, Socrate, Sozomenus, Simeon Metaphrastes, Leo Imperator in Oratione, Cassiodorus, Sulpitius, Isidorus Pelusiota, Nicephorus, quorum testimonia referre non vacat. Hi omnes commendabant monachos illos, quos hæreticos putauit Hieronymus a Theophilo deceptus. Hactenus Castrius ab Heriberto allatus; ex cuius vltimis verbis habetur D. Hieronymum a Theophilo deceptum fuisse, vt existimaret hos monachos *Longos fratres* dictos Origenistas fuisse.

Annus Christi 401. Anastasij Pont. 4. Arcadij & Honorij Imper. 7.

1 HVIC anno accensent Annalistæ, Ruffini Aquileiensis, de quo in superioribus sæpius dictum, damnationem ab Anastasio Papa latam, eo quod Romam vocatus non venerit, suspectusque esset de Origenis erroribus. Colligi id potuit ex epistola eiusdem Anastasij ad nostrum Ioannem Ierosolymitanum, de qua *sub anno* 402. aliquid dicemus. Maxime ex alijs scriptis D. Hieronymi quibus eum acerrime carpit. Vnde propterea Gelasius Papa *in Concilio Romano* hæc de ipso: *Ruffinus vir religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros; nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam beatus Hieronymus eum in aliquibus de arbitrij libertate notauit; illa sentimus, quæ prædictum beatum Hieronymum sentire cognouimus, & non solum de Ruffino, sed etiam de diuersis, quos vir sapius memoratus zelo Dei, & fidei religione reprehendit.* Quorum verborum expositionem hauriat lector ex Vvastelio nostro [a] ex qua an excusabilis sit Ruffinus eliciet. Ruffinus. [a] lib. 3. Vindic. Ioann. sect. 3. ar. 1. §. 12.

2 Accidit eo tempore, vt cum Episcopi quidam in mari naufragantes, & præ magno, quæ orta erat tempestas in magno vitæ periculo constituti Deum, & sanctum Monachum Procopium, de quo *sub anno* 396. dictum, implorarent, S. Porphyrius, qui cum ipsis erat, ipsum Procopium in somnis videt dicentem, quod propter nauclerum, qui Arrianus erat, prohibiti essent feliciter nauigare, ac proinde si salui esse vellent, oporteret illum ad fidem Catholicam reuocare. Egeruntita, & cessantibus fluctibus, fauste iter peregerunt. Hæc ex Marci Gazensis historia, quam eo loco attulimus, recensere placuit, vt vel inde agnoscant Catholici quam sibi perniciosa sit cum hæreticis conuersatio. Communicatio cum hæreticis nociua.

3 In viuis erat per id tempus celebris quidam Acacius Berœensis Episcopus fama notissimus, tum ab Monasticam ante actam vitam in Syriæ solitudine, tum etiam sacrarum peritia litterarum; vt propterea nostræ historiæ monasticæ iure accensendus fuerit. Etsi non laudandus, quod Theophilo Alexandrino Episcopo, & alijs Ioannis Chrysostomi calumniatoribus adhæserit. De ipso Baronius *sub ann.* 403. ex Palladio [b]. Vbi etiam Acacius Episcopus & monachus. [b] in Dialog. histor. Io. Chrysost.

alte-

alterius Isaac Syruli mentio habetur, qui falsorum Monachorum Dux, maledicus in Episcopos appellatur, &, qui etiam postea inter eiusdem Chrysostomi æmulos vnus aderat. Porro Acacius ille idem esse videtur cum alio eiusdem nominis monacho, de quo *sub anno 375.* prædictum.

Sybolica Scriptura.

4 Ad hoc etiam tempus, vel circiter, inspectis ijs, quæ de controuersijs D. Hieronymi cum Ioanne Ierosolymitano nostro diximus, & dicturi sumus, autumare possumus eos inter se adeo animo concordes fuisse, vt Hieronymus Ioannis Antigonista non solum ipsum iam non amplius de Origenismo insimulauerit, sed etiam ipsius patronus, & aduocatus effectus fuerit. Nimirum id insinuare videtur symbolica quædam pictura, quam titulo Cyrilli Episcopi Hierosolymitani ad S. Augustinum Episcopum Hipponensem liber apocryphus de Miraculis B. Hieronymi in hunc modum exhibet: *Verum qui de Syluano aliquid dictum nosti* (ò Augustine) *aliud quoddam non minus, vt puto, mirabile erga eum factum narro, cuius tot fuere testes, quod Nazareth vrbs, & Bethlehem tenent, qui proprijs oculis hoc viderunt. Serpens ille antiquus diabolus, ob suam deiectus superbiam in inferni profundum venerandi Antistitis Syluani nimiæ inuidens sanctitati, in eum dolis, vt callidior cunctis animantibus, grauiter est commotus. Qui vt virum Dei infamem redderet, quatenus qui suæ sanctitatis exemplo releuabantur ad recta conuersationis semitas, suo casu deciderent ad peiora; nocte quadam formam sancti viri sumens, cuidam mulieri nobilissimæ iam in statu quiescenti apparuit, & se ad eam illicite accedere fingens, consensum sui corporis inquirebat*. Subiungit post alia: *Creuit intantum eius* (Syluani) *infamia, quod eius opinio vsque ad Alexandriam, Cyprum, & per Ciuitates affines, pene ore omnium est delata*. Item post alia prolixius relata: *Cui Hieronymus gloriosus: Nefande, inquit, spiritus ab hac exi famula Dei, & tuas detege, quas erga Syluanum egisti fallacias, in Syluani forma omnibus te demonstrans. Tunc diabolus, vt gloriosus Hieronymus iusserat, in Siluani forma, ita vt ab omnibus Syluanus Archiepiscopus putaretur, apparuit: & rem quam fecerat, vt infamem redderet Dei famulum, enarrauit*. Equidem *Syluanus* iste videtur esse Ioannes noster, qui hoc etiam cognomine sicut & *Nepos* appellabatur. *Stupro* autem, ipsa, vsu etiam Sanctæ Scripturæ, hæresis delineatur; *nobilissima mulier*, ipsa est Ecclesia, siue Catholica fides; *Alexandria* Theophilum refert, & *Cyprus* Epiphanium. Ex quibus signis apparet auctorem illum adiutum fuisse quibusdam picturis repræsentantibus res gestas viuentis Hieronymi, atque Episcopi Hierosolymitani Ioannis, sed hisce symbolicis tantum, ac typicis locutionibus. Sic meditatur noster Vvastelius [a]. An solide, alij videant, præsertim cum auctor iste apocryphus de dicto Syluano plura dicat, quæ vix Ioanni nostro congruant. Illud tamen pro comperto, quod S. Hieronymi hoc tempore silentium de illo; communicatio cum ipso, etiam in Sacris, puta funere Paulæ, permanentia in Bethleemitico Cœnobio, quod sub eiusdem Ioannis diœcesi erat, & similia, inspecto vehementissimo ardoris zelo quo

[a] lib. 3. Io. Ierosol. sect. 3. art. 3. §. 9. in fin.

Hie-

Hieronymus hæreticos insectabatur, clarissime arguunt, nullam de ipso nec minimam suspicionem prauam iam habuisse, quin antiquam, vtpote leuem, omnino deposuisse.

Annus Christi 403. Anastasij Pont. 5. & Innocentij 1. Arcadij, & Honorij Imper. 8.

1 DEDERVNT hoc tempore monachi illi, ex Ægypto a Theophilo pulsi, & pro Origenianis habiti libellum supplicem contra ipsum Arcadio Imperatori, conscio, vt creditum est, Ioanne Chrysostomo; contradicentibus tamen alijs monachis ab eodem in sui defensionem missis. Vocatur Theophilus ad iudicium, & interim aliqui eorum in carcerem mittuntur, vbi custodia macerati vitam finierunt; alij vero in exilium missi. Palladius [a]. En quid pariant Monachorum dissidia. Eadem quoque exorta inter S. Epiphanium Constantinopolim aduenientem, & Chrysostomum eius vrbis Antistitem, pro defensione videlicet, aut impugnatione eorum, qui Origenistæ, seu Antiorigenistæ a diuersis credebantur, in varias sententias his Patribus diuisis. Sozomenus [b].

a Dissidia Monachorum, & Patrum.

a in Dialogo.

b lib. 8. c. 14.

2 Contendit idem Sozomenus [c] Longos fratres, id est, Monachos illos Origenistas putatos, qui Constantinopolim aduenerant, Eudoxia Imperatrice assentiente conuenisse Epiphanium, & cum ipso modeste locutos, moderate etiam ab ipso tractatos esse, ac dimissos. Quo etiam iuuatur id, quod sub anno 400. tactum, scilicet non certo constasse eos tali nota dignos extitisse.

c eodem lib. c. 15.

Longi fratres.

3 Fertur etiam eundem Epiphanium ob concertationes cum Ioanne Chrysostomo habitas, eiusdem relegationi, quæ paulo post factiosorum odijs, & Eudoxiæ assensu contigit, consensisse. Vt propterea Ioannes illi protestatus fuerit non reuersurum in suam ciuitatē, & Epiphanius vicissim ipsi, quod non esset moriturus Episcopus. Sozom. [d], Socr. [e], Metaph. [f] Ea a nobis hæc adducta, ne mirabile videatur inter viros religione præstantissimos quandoque dissidia reperiri, cum hæc, salua charitate, & recta intentione, solum ob iudicij, & dictaminis varietatem, accidere possint.

S. Epiphanij cum Chrysostomo concertatio.

d lib. 8. c. 14. & 16.

e lib. 6. c. 13.

f in vit. S. Io. Chrysostomi.

4 Siue autem S. Epiphanius hoc anno, iuxta præfatam prophetiam, cum in Cyprum nauigaret, siue paulo post, diem clauserit extremum, iuxta aliorum placitum; id pro comperto, eum virtutibus clarum, scientia spectatum, zeloque potissimum fidei Catholicæ commendatum, ad prouectam valde ætatem peruenisse, sanctitatis exemplum, Monachorum, inter quos vnus ipse, speculum, ac normam viuendi; vtpote qui semper legendo, docendo, scribendo, & orando, quæ sunt propria Religiosi status munia, vitam ducebat. De ipso maxime Metaphrastes in vita ipsius; etsi aliquibus erroribus scateat, sicut generaliter fere cunctæ aliæ huius temporis historiæ.

S. Epiphanij obitus.

Extat

Anastasij Papæ epistola ad Ioannem.

5 Extat etiam siue hoc anno, siue circiter epistola Anastasij Papæ scripta ad Ioannem nostrum Ierosolymitanum Antistitem, quæ habetur *to. 1. epistolar. Rom. Pontific.* & apud Hieronymum *to.* 9. In ea autem rationem reddit Pontifex Ioanni damnationis ab eo latæ contra Ruffinum, eo quod *Periarchon* Origenis in Latinum verteret sermonem cum sanæ doctrinæ, & Catholicorum detrimento. Quia vero ipsius epistolæ principium eiusdem Ioannis sanctitatis celebre encomium est, & ex ipso possunt pij lectores sinistrum, si quem de eo conceptum habuerint, deponere, hic illud apponimus, quod tale est: *Probatæ quidem affectionis hoc est, vt laudabiliter de Sacerdote sacerdos loquaris. Pro tanto igitur præconio, quod in merita mea effusissime contulisti, vt amori tuo gratias ago, ita splendorem tuæ sanctitatis, & eas quas in Domino habes virtutes, subinde quodammodo paruitatis nostræ fauorabilis sermo prosequitur; tam eminenter, vir omnium præstantissime, laudum tuarum fulges nitore conspicuus, vt par esse meritis sermo non possit. Porro autem tanto titulorum tuorum rapior incitamento, vt etiam, quod impetrare nequeo, audere non desinam. Iam hoc de laudibus est tuis, quod me tantum de cælestis animi illius serenitate laudasti. Tui enim Episcopatus ordo perspicuus per diuersum Orbem velut radians, etiam ad nos splendoris sui detulit claritatem. In me quippe totum amicitiæ tribuis, examini nihil relinquis. Aut si iure me laudas, tu quoque similiter relaudandus non es? Obsecro igitur ob vtrumque vt memetipsum laudare iam desinas. Duplex enim causa me hoc poscere constringit, ne consacerdotis tui sensibus aut dolorem falsa laus ingerat, aut pudorem vera succendat.* Vidit encomiastica hæc pro Ioanne nostro Baronius *sub hoc anno*, sed qui semel de ipso conceperat Origenis erroribus labefactum, ne propriam sententiam Papæ contrariam esse fateri cogeretur, hæc subiungit: *Ista quidem præfatus est Anastasius, quæ haud otiose putes nos referre voluisse, sed vt declaretur ex his etiam, sicut ex alijs superius enarratis, Ioannem Ierosolymitanum Episcopum abeuntem post Origenis errores iam meliori frugi redditum; fide vbique Catholica his temporibus saltem exterius nituisse.* Cæterum, bone Deus, si Papa Anastasius cognouisset (prout vtique cognoscere debuisset, si ita esset) Ioannem rite, & legitime de Origenismo insimulatum esse, aut eum solum exterius fidem Catholicam profiteri, quomodo *Splendorem sanctitatis* in eo veneraretur? *Quas in Domino habebat virtutes* coleret? Qualiter virum *omnium præstantissimum*, ac *laudum nitore tam conspicuum, tamque eminenter fulgentem, vt par esse meritis sermo non possit,* compellaret? Et quasi hæc parua, aut pauca sint, ea adiungeret; *Tanto titulorum tuorum rapior incitamento, vt etiam quod impetrare nequeo, audere non desinam?* Sane speciosissimum illud Ioannis præconium; *Tui episcopatus ordo perspicuus per vniuersum Orbem velut radians etiam ad nos splendorem sui detulit claritatem,* subindicare videtur tantam ipsius claritatem fuisse, vt eam offuscare non potuerint intentatæ illi olim calumniæ, vt expendit Vvastelius noster [a]. Credendum igitur Diuos Epiphanium, & Hieronymum, qui in ea sententia videbantur esse de Ori-

Ioannis Ierosolymitani commendatio.

[a] vindic. Io. Ierosolym. lib. 3. sect. 4. ar. 3. §. 4.

de Origenismo Ioanni appingendo, eam postea retractasse, quia vel ex falso rumore, vel ex simulatione aliquorum ortam fuisse autumarent. Ac exoptandum quod pius, & eximius auctor Baronius visa hac epistola Anastasij fecisset quod in simili causa, Innocentio Pontifice viso, egit [a] se ipsum retractans dicendo: *Paulo liberius de Eliberino Concilio me alias locutum esse memini; at cum quę ab illis de ea re sunt statuta ex vsentur ab eo qui supra Innocentio Romano Pontifice, nemo sit qui accusare præsumat.* a to.2. ad ann. 305.4. inter alios.

6 Desiderati sunt hoc anno non solum Anastasius Papa succedente illi Innocentio Primo, sed etiam quod propius ad nostram monasticam Oeconomiam spectat, Sanctus ille Martinus Turonensis Episcopus, gloria Monachorum, prout Baronius, & alij ex vetustioribus colligunt. Ipsius gesta Sulpitius Seuerus, S. Paulinus Nolanus, Gregorius Turonensis, Venantius Fortunatus, & alij, iuxta tanti viri merita scripserunt. Obitus Anastasij, & Martini.

7 Ad idem tempus, iuxta rectum nostri Vvastelij [b] computum, contigit reuersio Melaniæ illius celebris fœminæ ad Vrbem Romam, iam sexagenariæ post triginta septem annos absentiæ, prout ex Palladio c. 118. & Heraclide c. 42. elicit. Quæ porro Romæ egerit, & quomodo Christo, & Monachismo plurium animas lucrata fuerit, verbis eiusdem Palladij, quibus similia Heraclides, id damus. *Illic quidem cum esset, beatissimum virum maxime existimationis clarissimum Apronianum, qui erat gentilis, catechesi instituit, & Christianum fecit, persuasitque, vt contineret etiam cum sua vxore, eius autem Sororis filia, Auita nomine. Cum autem suam quoque neptem confirmasset Melaniam vna cum eius marito Piniano, & catechesi instituisset Albinam nurum suam, vxorem autem sui filij, & persuasisset his omnibus vendere quæ habebant, Roma eas eduxit, & ad honestum, ac tranquillum vitæ portum deduxit. Et sic depugnauit aduersus bestias, nempe eos, qui erant ordinis senatorij, & eorum vxores prohibentes eam renuntiare reliquis sui ædibus. Christi autem ancilla eis dicebat: Filij, plus quam quadringentis abhinc annis scriptum est, vltima hora est. Quid ergo lubentes, ac volentes immoramini in vanitate vitę? ne forte veniant dies Antichristi, & non possitis frui vestris opibus, & rebus maiorum vestrorum? Cumque omnes his verbis liberasset, ad monasticam vitam traduxit, & filium iuniorem Publicolam cum instruxisset, duxit in Siciliam, cumque reliqua omnia sua vendidisset, & pretium accepisset, duxit Ierosolymas & cum facultates diuisisset, intra quadraginta dies dormiuit in bona senectute, & summa mansuetudine, & veneranda memoria eleemosynis redundans, relicto etiam monasterio Ierosolymis & sumptibus monasterij.* Hæc porro sub anno 408. & 409. quo tempore contigisse videntur, iterum inculcabimus. Melania. b in lib. vind. Ioan. fol. 4. ar. 1. 9. 10. Apronianus conuersus ad fidem.

8 In his autem aliqua meditanda. Primum quidem, quod cum Melania Romam reuersa in tam eximijs pietatis, & religionis operibus se exercuerit, inaniter sane à quibusdam insimulabitur de Origenismo in Vrbe propagato, prout diximus *sub anno 397.* Quomodo enim tam diuersa, sibique penitus contraria de vna, & eadem fœmina affirmari queunt? Notanda pro Melania.

unt? Maxime verò, quia si Melaniam Patronam (vt ipsi vocant) Origenismi dixerimus, vtique eadem facilitate hos omnes, quos è Roma secum Ierosolymam duxit, monachatumque induisse monuit, eadem fuligine tinctos dicemus; ac proinde nobilissimam Orbis Christiani portionem tali næuo fœdatam haud diffiteri cogemur. Quod viderint pij an valde honorificum Ecclesiæ Sanctæ sit. Secundum, quod cum in præfato Palladij testimonio dicatur Melaniam *in bona senectute, & summa mansuetudine, & veneranda memoria* dormijsse, vtique mirum non erit, quod, vt eo loco diximus, & affert Vvastelius relatus ex Petro Haloio magno antiquitatum illustratore, Romæ editum sit Breuiarium Græcum; a Summo Pontifice approbatum, in quo Melaniæ dies festus celebratur, & virtutes recoluntur. Audiet hoc libenter Roma de sua clarissima Ciue; & Religio nostra, cum Monasterium illud Ierosolymitanum (de quo Palladius, & Heraclides) ab ipsa decoratum Eliani, & Carmelitici instituti fuerit, prout nostri tradunt historici, quorum aliquos sub anno 364. retulimus. Nec refragabitur Baronius, qui tandem *sub anno* 409. fatetur Melaniam maculas errorum Origenis diluisse, & ex hac vita migrasse D. Hieronymo reconciliatam.

S. Paulinus. 9 Romam porro Melaniam reuertentem S. Paulinus Nolanus in itinere hospitem habuit, prout ipse [a] scribit. In qua ipsius incredibilem commendationem ex virtutibus, meritis, habitu religioso, tunica, & palliolo (vt vel ex hoc etiam Elianam Monialem agnoscamus) elegantissime affert. Quæ, etsi non audiat Dominus Baronius, cæteris alijs, qui Paulini pietatem, sanctitatem, & doctrinā norunt, absdubie maximi ponderis erunt pro ipsa vindicanda. Subiungit idem Paulinus [b] hæc nobis pensitanda: *Partem particulę de ligno diuinæ Crucis, quod nobis donum benedicta Melania ab Ierusalem munere Sancti inde Episcopi Ioannis attulit, &c.* Vno enim veluti ictu Ioannis nostri Ierosolymitani Antistitis, & Melaniæ pietas contra aduersarios vindicatur a Paulino. Quod recte expendit Vvastelius noster [c]. Alia de hoc ligno Crucis mirabilia in ea epistola; sicut etiam quod illud Ioannes Ierosolymis ostendere populo consueuisset Paschali tempore: *Cuius plane exemplo* (inquit Baronius [d]) *illa in reliquas Occidentalis orbis Ecclesias consuetudo, & ritus manasse putantur, vt eodem Paschali tempore lignum Crucis cum imagine Crucifixi populo adorandum aperiatur, quod ante erat velo obductum; illud Episcopo tertium præcinente præconium*, Ecce lignum Crucis, &c. *respondente & inuitante choro*, Venite adoremus. Plaudat ergo Religio, quæ per vnum sui instituti alumnum tam piam cæremoniam propagatam videt in Ecclesia.

[a] in epist. 10. ad Seuerum.

[b] epist. 11. ad Seuerum.

[c] lib. 3. vindic. oper. Ioan. sect. 4. ar. 2. §. 6.

[d] sub ann. 397. §. Plura autem.

Monachorum vestis. 10 Donatus præterea est idem Paulinus ab ipsa Melania tunica agnorum contexta vellere, quam ipse dono misit Seuero, ad quem eam scribebat epistolam, vice pallij ex pilis Camelorum hirsutis, quod ab eo acceperat. Quæ ex eo hic notanda duximus, vt agnoscat lector, qualiter hi omnes, qui monachismi professores erant, eo indumentorum

genere

genere vtebantur, quo antiquiores Eliani, de quibus *ad Hebraeos* 11. *Paulus: Circuierunt in melotis, in pellibus Caprinis.*

Annus Christi 403. Innocentij Papae 2. Arcadij, & Honorij Imper. 9.

1 ADVENIT hoc tempore Constantinopolim Theophilus Alexandrinus ab Imperatore vocatus pro causa monachorum exulum. Qui secum plures Episcopos ducens, fauentibus monachis alijs Theophili fautoribus, ac maxime Eudoxia Augusta in Ioannem Chrysostomum ante perinfensa, eo praesertim quod ipse Ioannes eam Iezabeli similem dicebatur proclamasse; dum in quadam concione dixerat: *Congregate ad me Sacerdotes, qui comedunt mensam Iezabel, vt dicam eis; sicut dixit Elias: Quousque claudicatis vtrisque poplitibus*? Alijs quoque aemulis, qui ab ipso Ioanne pro sceleribus ab Ecclesia separati erant, cum illis omnibus, accusationibus prolatis, eum exilij sententia damnauit. Quia tamen eo pulso ciuitas terraemotu agitari coepit, redire cogitur, & in eam introducitur populi incomparabili laetitia. De his Sozomenus, Socrates, Palladius, & alij.

Chrisostomi damnatio ad exilium.

2 Recepit etiam Theopilus in gratiam sui, & communionem Monachos illos Scetenses, quos vt Origenistas damnauerat. Licet Dioscorus, & Ammonius, qui ex ipsis erant, iam vitam finierint, sancteque sepulti. Sozomenus [a]. Ex vtroque autem infert Heribertus Rosvvedius [b] res horum Monachorum *plane perplexas* fuisse. Maxime vero, si cum Georgio Alexandrino in vita Chrysostomi dicatur Ammonium, & Dioscorum vita functos splendide sepultos, & miraculis claruisse, absdubie denotatur poenitentia expiasse Origenismum, si eo fuerunt infecti.

Monachi recōciliati cum Theophilo.

a lib. 8. c. 18.

b in Proleg. ad vit. Patr. prolegom. 15.

3 Quid porro acciderit eidem Theophilo per id tempus Alexandriam redeunti, quod sane nostrae historiae apte congruit, cum ex ipso habeatur Nilammonem Monachum potius delegisse mori, quam fieri Episcopum, in exemplum, & confusionem nostri aeui Monachorum, sic narrat [c] idem Sozomenus: *Theophilus etiam statim nihil cunctatus (quamquam iam hiems ingrueret) fugiens vna cum Isacio Monacho, Alexandriam enauigauit. Sed cum tempestas maris vrgeret, appulit Geras, quae est ciuitas pusilla, plus minus quinquaginta stadijs a Pelusio distans. Huius vrbis Episcopo sum vita defuncto, ciues (vt accepi) elegerunt Ecclesiae suae Antistitem Nilammonem virum bonum, & qui ad Monasticae vitae fastigium conscendisset. Is habitabat ante ciuitatem in domuncula, in quam se ipse concluserat, ianua lapidibus obturata, eo proposito, vt sacerdotium auersaretur. Theophilus itaque veniens, hortabatur, vt ordinationem a se oblatam acciperet. Apud quem ille quamuis frequenter se excusans, nihil obtinuit. Tandem instanti: Cras, inquit, ita facias, si placet, ò Pater, vt ego hodie res meas ante disponam. At cum Theophilus postridie ex condicto venisset, atque eum fores aperire*

Nilammon monachus.

c lib. 8. c. 19.

rire iussisset: Age vero (inquit Nilammon) oremus primum. Quo laudato Theophilus quidem orauit, Nilammon inter orandum hanc vitam reliquit. Hoc autem, & Theophilo primum, & etiam qui cum illo foris stabant, ignotum erat. Verum cum paulatim tereretur dies, quia sæpenumero intentius euocantes non audiret, deiectis qui ad ianuam erant lapidibus, repererunt hominem mortuum. Inuolutum igitur quibus oportebat, publica sepultura dignati sunt, ac templum etiam supra illius sepulchrum indigenæ cōstruxerunt, & summa cum solemnitate adhuc diem mortis eius celebrant. At Nilammon quidem ad hunc modum mortuus est; si tamen mortem dicere oportet, quam ille subire maluit, quam Episcopatum suscipere, quo se indignum esse ob ingenij modestiam censuit. Tangit hanc historiam idem Sozomenus [a], & Nicephorus [b]. Hic autem Nilammon ob hoc egregium factum celeberrimus in Martyrologio Romano pro die 6. Ianuarij inter diuos refertur.

[a] in Tripart. [b] lib. 13. c. 17.

Pachomij obitus.

4 Ad hunc annum, vel circiter, proculdubio referendus obitus per-celeberrimi illius Eliani, & Monastici instituti cultoris, & propagatoris Pachomij, de quo in superioribus plura diximus, innitentes D. Hieronymo auctore ipsius vitæ [c]. Cum enim Sanctus iste Archimandrita centesimum decimum annum vitæ egerit, iuxta Sigebertum [d], & Petrum de Natalibus [e], a quibus non discedit Heribertus [f]. Et iuxta dicta *sub ann.* 312. tunc adimpleuerit vigesimum suæ ætatis annum, sane secundum rectum computum, præsenti anno, quo centum, & decimum iam compleuerat, ipsius pro cælesti patria natalitius fuit. Eius porro felicissima mors sic describitur a D. Hieronymo [g]: *Post beatissimum vero Paschalis festi diem, multis fratribus ad Dominum præmissis, ad postremum ipse quoque S. Pachomius infirmatus est, & ministrabat ei Theodorus, cuius sæpe meminimus. Et quamuis esset toto corpore nimis attenuatus, ac debilis, faciem tamen habebat hilarem, atque fulgentem; ita vt ex hoc quoque videntibus piæ mentis, ac sincerissimæ conscientiæ suæ monstraret indicium. Ante duos ergo dies sanctæ dormitionis suæ conuocans vniuersos fratres, ait ad eos: Ego quidem, charissimi, viam patrum securus ingredior, nam video me a Domino protinus euocari. Vos ergo mementote verborum, quæ a me frequenter audiuistis, & vigilantes in precibus, sobrij estote in operibus vestris. Nulla sit vobis coniunctio cum sectatoribus Meletij, vel Arrij, vel Origenis, seu cæteris Christi præceptis aduersantibus. Cum illis autem conuersamini, qui Dominum metuunt, & possunt prodesse vobis conuersatione sancta, & animabus vestris spiritualia præstare solatia. Ego namque iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Eligite igitur ex vobis fratrem, me præsente, qui post Deum præsit omnibus, curamque vestrarum gerat animarum. Quantum vero mea discretione perpendo, Petronium ego ad hoc opus idoneum iudico; vestrum autem est quod expedit vobis eligere. Receperunt ergo & in hoc obedientissimi filij consilium patris. Erat enim Petronius potens in fide, humilis in conuersatione, intellectu prudentissimus, bonis moribus, discretione perfectus. Pro quo precem Domino sanctus Pachomius fudit, quia & ipsum in monasterio cognomento* Chino-

[c] in lib. 1. vit. Patr. [d] in Chron. sub ann. 406. [e] lib. 4. c. 171. [f] in Annot. ad ipsius vit. n. 6. [g] c. 53. ipsius vitæ.

Chinobosciorum ægrotare comperérat. Cui, licet absenti cunctam fraternitatem commendauit in Domino, mittens ad eum protinus vt veniret. Et signaculo Christi se muniens atque Angelum lucis, qui fuerat ad se directus adspectu intuens hilari, sanctam reddidit animam quarto decimo die mensis Pachon, secundum Ægyptios, quod est iuxta Romanos ad septimam diem Iduum Maiarum. Hęc ibi. Quibus etiam additur eos, qui missi fuerant ad sanctum Petronium quærendum eum deduxisse infirmitate ipsa laborantem, vt propterea paucis diebus fraternitatem vita fungens gubernare potuerit, succedente illi Orsesio, de quo *sub anno sequenti* dicetur. De Pachomio porro multa reperiet lector apud Cassiodorum, Sozomenum, Palladium, Nicephorum, & Martyrologia pro die 14. Maij, vbi Baronius.

Annus Christi 404. Innocentij Pont. 3. Arcadij & Honorij Imper. 10.

1 HOC etiam anno Ioannes Chrysostomus seditiosorum Episcoporum factione, & vrgente Eudoxia Imperatrice, a Sede pulsus exul relegatur in Cucusum. Instabat ad hoc Acacius ille ex monacho Episcopus Berœensis cum similibus. Appellauit Ioannes ad Innocentium Papam, edicto cedens, ac dicens celsi animi illa: *Siquidem vult me Regina exulem, agat in exilium: Domini est terra, & plenitudo.* Multa propter ipsum ingens monachorum, & virginum chorus passus. De his auctores vitæ Chrysostomi. Chrysostomi relegatio.

2 Pro ipsius tamen defensione Romam venere ex monachismi professoribus Palladius ille Galata Helenopoleos Episcopus, de quo *sub anno* 388. dictum, vt ipse testatur [a], addens refectum fuisse a Piniano marito Melaniæ iunioris. Alter fuit Ioannes ille Cassianus eiusdem Chrysostomi discipulus, auctor videlicet libri Collationum Patrum; de quo tomo sequenti: fuit enim postea in Ægypto monachus, indeque scribendi dictas Collationes hausit argumentum. Propterea nostræ historiæ inserendus, quamuis cum nota, quia Pelagiani erroribus valde detulit. De ipso Gennadius, Prosper, Trithemius, Posseuinus, & alij Scriptorum Ecclesiæ compilatores. Illud non prætermittendum, abs re sane, & fere sine fundamento aliquos Basiliani instituti historicos Cassianum sibi adiudicare voluisse. Si enim quæ scripsit [b] inspiciantur, clare habebitur ipsum Eliani, & Essenri instituti, quod in Ægypto & Palæstina florere conspexerat, sectatorem esse. A Monachis defenditur.

3 Plures etiam monachi magno agmine cum virginibus eidem obuiam occurrentes in Cappadociæ partibus in fletus prorumpebant, ipsius casui commiserantes, sicut e contra scelesti alij monachi Cesareæ ipsum a Ciuitate pellere minitantes curarunt. Chrysostomus ipse [c]. Credit etiam Vvastelius noster [d] sermonem in decollatione S. Ioannis Baptistæ Chrysostomo vulgariter attributum Ioannis nostri Ierosolymitani esse, & in Plures illi occurrunt.

a in vi. Patr. lib. 8. c. 121.

b in præfat. ad Castorem, & lib. 1. de instit. c. 2. & Collat. 18. c. 6.

c epist. 14. & 125.

d lib. 2. vindic. oper. Ioann. sect. 8. ar. 1.

eò contra Eudoxiam Imperatricem, quod eius causa Chrysostomus in exilium pulsus sit, acrius inuexisse. Ad minus tamen eum idem Chrysostomus de sua relegatione è Cucuso monuit [a], eum vocans Dominum *Charissimum, & religiosissimum*, simulque exhortans *vt fortitudinem eam, quam ab initio præstitit* se submouendo a perturbatoribus Ecclesiarum conseruaret. Quæ, & alia, quæ in ea epistola cernuntur, qui eum hæretica fuligine tinctum autumant, non rectis oculis aspicient.

[a] *epist. 88.*

S. Paulæ obitus.

4 Obitus S. Paulæ Romanæ huic anno adscribitur: quem laudibus celebrat D. Hier. in epist. ad Eustoch. [b] eiusdem Paulæ filiam. In quo pensitanda illa *Aderant Ierosolymarum, & aliarum vrbium Episcopi*; quo denotatur Ioannem nostrum Ierosolym. Antistitem huic funeri cum ipso Hieronymo, & alijs Episcopis astitisse; ac perinde omnino de medio tolli suspiciunculam de Origenismo illi appincto. Neque enim si talis næuus in ipso cerneretur, feruentissimus Hieronymi zelus publicam hanc sui & Episcoporum cum eo communionem toleraret. De quo ex nostris Vvastelius [c] & Casanate [d]. Expendat in hoc etiam funere lector illud Hieronymi: *Omne Monasterium virginum, & Monachorum chori repleuerant*; & illud: *Tota ad funus eius Palæstinarum vrbium turba conuenit: Quem Monachorum latentium in Eremo cella sua tenuit? Quam virginum cubiculorum secreta texerunt?* Quibus Monachorum, & sanctimonialium cohortes huic in Monachismo consorti Paulæ vltimum obsequium præstitisse demonstratur. De ea Martyrologium Romanum 26. Ianuarij, & plurimi alij, tum prisci, tum Neoterici auctores.

[b] *epist. 27. ad Eustoch. virgin.*

[c] *sup. lib. 3 sect. 4. ar. 3. §. 6.*

[d] *in Apolog. pro Io. tract. 1. c. 1. discurs. 3. §. præbet se.*

Orsisius.

5 Hoc etiam tempore Orsesius, alias Orsisius, seu Oriesis monachus, & Monachorum Præfectus post Petronium, qui per paucos tantum dies Pachomio Abbati in regimine eorum successerat, iuxta dicta *sub anno præcedenti*, clarus fuit in Monachismo. Librum edidit pro Monasticæ disciplinæ instructione valde vtilem, quem vice testamenti prope diem obitus sui fratribus obtulit, prout ait Gennadius [e]. Extat etiam Regula de institutis Monasticis ab ipso edita [f]. Extant quoque varia ipsius documenta pro monastica institutione [g], legant ipsa huius æui monachi vt melius in perfectionis via incedere queant, vt decet.

[e] *in Catal. illustr. Scriptor.*

[f] *to. 5. bibliotheca PP.*

[g] *lib. 5. vit. Patr. libell. 11. n. 37. & libell. 15. n. 51.*

Dirimachus.

6 Notatur hoc tempore Honorius Imperator quod male persuasus restituerit in Vrbe ludos gladiatorios iustissime ab Imperatoribus Christianis iam olim proscriptos. Cæterum pro eiusdem Honorij excusatione, & nostrę historię augmento hęc habet Gotfridus Viterbiensis [h] loquens de temporibus Arcadij, & Honorij: *His diebus quidam Monachus nomine Dirimachus, ab Oriente Romam veniens, dum ludum gladiatorum tamquam insaniam sedare voluisset, a circumstantibus est lapidibus obrutus; & necatus. Quo comperto, Honorius Imperator eum inter beatos Martyres censuit computari, & pro eadem causa, ludum gladiorum, ne amplius sic fieret, interdixit.* Quis hic Dirimachus fuerit, nobis incompertum; id tamen quod gessit laudabile satis, & imitabile Mona-

[h] *in Chronic. par. 16.*

chis

chis cunctis, vt similes barbaricos abusus Christiana plebe procul abijciat.

Annus Christi 405. Innocentij Pont. 4. Arcadij, & Honorij Imper. 11.

1 COGIMVR hoc anno præter morem nobis solitum commemorari eius temporis Consulem, Anthemium nomine, & pietate insignem, vt propterea a Patribus dignis elogijs prædicetur. Fuit etenim erga pios, sanctosque Monachos cultor deuotissimus, vel ex eo quod *sub anno* 370. de Aphraate monacho celeberrimo ex Theodoreto retulimus. Obtulit namque ipsi tunicam quandam, quam etsi vrbane accepit, religiose tamen reiecit. Legatur epistola 147. Chrysostomi, in qua ipsum miris laudibus commendat. Anthemius Consul. deuotus monachorum.

2 Sed pro isto celebri monacho, & alijs Marsis, & Gothis, quos idem Chrysostomus *ep.* 14. commendat, vnus pessimus Pelagius monachus hæresiarcha hoc tempore innotescere cœpit alijs Ægypti Monachis, penes quos diu versatus est. Illum Isidorus Pelusiota [a] instabilitatis, voluptuosæ & delitiosæ vitæ arguit, vt vel inde eliciamus eos Monachos, qui similibus vitijs deturpantur, in hæresis barathrum demergendos iure timeri posse. Vocatur propterea [b] a D.Hieronymo: *Stolidissimus scotorum pultibus prægrauatus*, quod explicans [c] ait: *Habet enim progeniem Scotiæ gentis de Britannorum vicinia*. Vitio etiam hypocrisis laborasse, & versipellem egisse, ita vt latens sub Monastico habitu lupus rapax, & nouus Protheus, pro loco, & tempore cum Sanctis sanctus appareret, ex D. Augustino, & Paulino recte infert Baronius [d]. Absint ergo a tam pestifera labe Monachi cuncti, ne similiter prolabi a Deo sinantur in simile perditionis pelagus. Pelagius hæresiarcha.

a lib.1. ep.314.
b præf. in lib.1. Ieremiæ.
c præf. in lib.3.
d sub ann.413. §. Sed vnde.

3 Inter plures autem Ægypti Monachos hoc æuo, hac vel causa felicissimo, florentes, vnus erat Arsenius, de quo in superioribus dici cœptum, *virtutibus omnibus consummatus*, prout de ipso Martyrologium Romanum *die 9. Iulij* prædicat; quibus Monasticæ disciplinæ speculum cunctis sæculis se ipsum præbuit. In Scithi enim eremo secretam, & quietam ab omni mundi strepitu soli Deo adhærens vitam agebat; adeo etiam a corporis illecebris omnino alienus, vt *sicut* (verba sunt Ruffini [e]) *cum in sæculi conuersatione esset, nimis pretiosis vestibus præ omnibus vtebatur, ita postmodum in eremo Scithiæ degens studebat vt præ omnibus Monachis viliora, & despectiora vestimenta haberet*. Sæculi odoramenta, thymiamata & muscata, quibus olim fruitus fuerat, pessimo fœtore brumosæ aquæ, qua sportas, & palmarum folia abluebat, diuini iudicij terrore perculsus castigabat. A consortio hominum sic abhorrebat, alta mente recondens illud sibi diuinitus reuelatum: *Fuge homines, & saluaberis*, vt nec Theo- Arsenii gesta.

e lib.3. vit. Pat. n. 37.

phili Alexandrini aspectum admittere vellet, & cum esset in Ecclesia cum alijs Monachis sederet post columnam, ne aut ipse alterius, aut alter ipsius faciem inspicere posset. Causam porro cur sic homines fugeret, dixit Abbati Marco eam sciscitanti: *Quia non possum esse cum Deo, & cum hominibus.* Etiam strepitum arundinum fugiebat, vt Deo quietius vacaret. Quid ni auersaretur fæminarum ad ipsum è Roma etiam venientium conspectum? lacrymabatur iugiter vt idcirco sedens, & operans pannum in sinu habebat, quo lacrymas effluentes elueret, & pili oculorum eius in continuo fletu exciderint. Tota nocte vigilabat, & quando circa mane dormire aliquantulum cogebatur, dicebat somno: *Veni serue nequam.* Summus contemptor diuitiarum, & pecuniæ erat, ita vt cum quidam Magistrianus ei testamentum detulisset, in quo magna illi hæreditas deferebatur, illud scindere vellet, sed coactus saltem remitteret, nihil accipiens. Dixit enim: *Ego prius mortuus sum quam ille, quomodo me fecit hæredem?* Illud ipsius humilitatis magnum indicium fuit, quod post sanctissimæ vitæ spatia auditus fuerit dicere Deo: *Domine, nihil boni feci coram te; sed præsta mihi secundum benignitatem tuam saltem modo habere bene viuendi principia.* Plura alia de illo in libris *vit. Patr.* pro sui ædificatione reperiet deuotus Religiosus.

Marcus Abbas & alij eiusdem nominis.

a lib. 5. vit. Pat. libell. 10. n. 7 & libell 17. n. 5.
b lib. 3 vit. Pat. n. 143. & lib. 5. libell. 1. n. 5.

4. Arsenij porro familiaris fuit Abbas Marcus, de quo agitur in vitis Patrum [a]. Qui etiam in memoriam reuocat alios eiusdem nominis (an diuersos incertum) celebres. Vnus erat Marcus Siluani discipulus, qui tantæ obedientiæ describitur [b] vt cum esset scriptor antiquarius (notent Religiosi scribendi munus ipsis extraneum non esse) & vocaretur a magistro, litteram O. quam actu scribebat inchoatam reliquerit, vt obedientiam impleret. Et quod, prout *eo libell. 14. n 6.* dicitur, cum idem magister dixisset illi: *Egredere, vt videat te mater tua*, adeo ad litteram præceptum impleuerit vt egressus oculis clausis matrem salutauerit. Meruit proinde præscius esse suæ mortis, eamque nunciare magistro suo. Prout *lib. 6. libell. 18. n. 15.* habetur. Alius etiam Marcus iunior dictus commemoratur a Sozomeno [c], Cassiodoro [d], Nicephoro [e], & Palladio [f], vbi *insigniter mitis, & summe temperans* vocatur. Alia egregia de ipso apud Heraclidem *in Paradiso c. 6.* vbi etiam, quod sputo illuminauerit cæcum catulum belluæ, quæ ipsum eidem obtulerat illuminandum. Quæ etiam in Palladij Lausiaca *c. 10.* reperiet lector, & quod Angelus ei Eucharistiam ministrauerit. Siccine Deus piorum monachorum virtutes remunerat.

c lib. 6. c. 29.
d lib. 8. c. 1.
e lib. 11. c. 35.
f lib 8. vit. Pat. c. 21.

Annus

Annus Christi 406. Innocentij Pont. 5. Arcadij, & Honorij Imper. 12.

1 ILLVSTRABANT hoc tempore Monachatum nedum Chrysostomus a propria Sede expulsus, & in aliena regione agens, & Hieronymus in Ecclesia laboriosus apud Palæstinam operator, in plures S. Paginæ libros commentaria elucubrans; sed & alij, minoris licet notæ, non reticendi. Vnus erat Atticus vir pietate eximius, ex Sebastia Armeniæ oriundus, qui monasticum vitæ genus ab ineunte adolescentia excoluerat, doctrina, & prudentia valens; qui idcirco ad Constatinopolitanam sedem post Arsacium qui D Ioanni Chrysostomo substitutus fuerat, euectus fuit. De ipso Socrates [a], & Sozomenus [b] minus laudabilia de eo referens, nempe quod in priori ætate cum quibusdam Macedonianis hæreticis, Monachis communionem habuerit, & Ioannis insidiatoribus adhæserit. Item Stephanus, & Philippus eiusdem Chrysostomi consortes, & qui propter ipsius causam multa passi sunt, quos commemorat Palladius, [c] In occiduis autem partibus Galliæ Minerius, & Alexander Monachi, quibus nuncupauit D. Hieronymus Commentarium in Malachiam Prophetam, & quos vocat in Prooemio *Religione concordes*; ad quos etiam scribit epistolam 152. respondens ad quæstionem sibi propositam de intelligentia illorum verborum Pauli *Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur*. Ac Sisinius etiam monachus ab Exuperio Tholosano Episcopo missus pro distribuendis eleemosynis inter Monachos Palæstinæ, & Ægypti, prout elicitur ex Prologo eiusdem D. Hieronymi in Commentarium Zachariæ Prophetæ, quem propterea ad eundem Exuperium direxit. Eius etenim sæculi Antistites sancta deuotione allecti Monachis etiam in exteris Regionibus degentibus necessaria vitæ suppeditare Deo gratum iudicabant. Properauit autem Sisinius prout ex ea epistola, elicitur eleemosynas ab Exuperio illi ad destribuendam traditas Ægypti monachis deferre, quod sciret ob anni penuriam alimentorum alimonia admodum laborare. O charitas!

Illustres monachi.

Atticus.

a lib. 6. c. 18.
b lib. 8. c. 27.

c in Dialog. de vit. Chrysost.

2 Obortus hoc tempore fuit Vigilantius hæresiarcha, qui inter alia putida dogmata, quæ euomuit, vnum erat damnare Cœlibatum. Sic enim ex D. Hieronymo in opere contra ipsum notatur. Propterea idem S. Doctor per Sisinium relatum in Ægyptum properantem id opus transmisit, ne scilicet Vigilantij veneno propinato Monachi illius regionis sauciarentur. Notet hic incidenter lector, quod licet Baronius hunc Vigilantium Hispanum patria dicat inhærens D. Hieronymi non recte expensis verbis; nihilominus qui rem intimius inspexerunt cum non Hispanum, sed Gallum existimant, etsi Calagurri (non ea quæ ad ripas Iberi florens *Calaborra* vocitatur, sed quæ ad radices montis Pyrenæi in Barcinonensi

Vigilantius hæresiarcha.

nonensi solo olim sita fuit, vt propterea Barcinonensis Diœcesis presbyter dicatur) diu commoratus fuerit. Cuius sententiæ auctores sunt Flauius Dexter [a] Biuarius eius scholiastes rem erudite prosequens; ac de exteris auctoribus Gennadius [b], Marianus Victorius eiusdem D. Hieronymi studiosissimus [c]. Hæc paucis dicta, vt hunc hæreticum ab Hispania relegemus, quæ adeo infœcunda similium monstrorum extitit, vt vix seu raro aliquod produxerit, sed ab exteris Regionibus fere semper mutuauerit.

a in Chron. anno 388. n.11.
b de Scriptorib. Ecclesiast.
c in ar gum. lib. contra Vigilantium.

Leporius.

2 Notatur ab eodem Dextero *sub isto anno* Leporius Episcopus Vticensis in Bœtica, prius monachus è familia S. Augustini; quem dicit mutasse perditam suam priorem sententiam admonitum a præceptore Augustino. Quod late explicat Dextri elucidator Biuarius. Nobis hæc indicasse sufficiat, quia licet Dexter hunc Leporium Augustinianum monachum dicat, attamen Gennadius, Cassianus simpliciter eum monachum vocant, quo titulo a nostra historia repellendus non erat. Eo præsertim quod vt *sub an.* 395. diximus, Augustini priores discipuli ex Eliæ imitatoribus erant. Item quia idem Augustinus testatur [d], quod eo suadente Monasterium, & Xenodochium erexit. De ipso etiam Baronius [e], item malæ fidei auctor Ioannes Balæus [f], vbi dicit eum Seueri Sulpitij filium fuisse, presbyterum, & monachum, sed Pelagianum; & quod admonitus per Palladium nostrum Cælestinus Papa Episcopos miserit, a quibus edoctus, & per Sanctum Augustinum in Africa correptus, *ita cessit errori, vt hæresim quam prius intente predicabat, acriter deinde impugnare perrexerit*. Qua de re late Baronius idem *sub anno* 420.

d serm. 50. de diuersis.
e sub ann. 409. §. ad postremū.
f in Catal. Scriptor. Britan. Centur. 1. in Leporeo Agricola.

Annus Christi 407. Innocentij Pont. 6. Arcadij, & Honorij Imper. 13.

Chrysostomi obitus.

1 PRÆSENTI anno S. Ioannes Chrysostomus ærumnis confectus ex hac vita ad cælestem coronam vocatus obijt, quinquaginta duobus annis natus, & meritis plenus, vel ob innumera scripta in laudem Dei, vtilitatem Ecclesiæ, & sanctorum commemorationem. Ad eius funus tanta multitudo virginum, monachorum, & insignium personarum ex Syria, Cilicia, Ponto, & Armenia conuenit, vt ex condicto eo conuenisse putarentur. De eius vita, ac illustrissimis gestis Socrates, Sozomenus, Leo Augustus, Palladius, Metaphrastes, & alij plures. Quomodo non omnia ipsi attributa opera supposititia sint, habet Baronius *sub hoc anno*, quem alij sectantur. Consulendus maxime Vvastelius noster, qui [g] plura monumenta vulgariter Chrysostomo ascripta non esse ipsius, sed aliqua illorum nostri Ioannis Ierosolymitani apte ostendit. De quo, & nos sequenti tomo dicemus.

g to. 2. vindic. oper Io. Ierosol.

Monachi illustres.

2 Celebrantur circa hoc tempus ex monachis Alexander Patricius Cyrenæus, qui ad huc adolescentulus monastica vita initiatus est, postea presbyter, & tandem Episcopus Basianopolis in Bithynia, de quo Sine-

sius

sius *epist.* 67. Item Hesychius quidam, qui monachus, & illustris Scriptor vocatur ab Onuphrio Panuino *sub anno* 402. De quo quis fuerit nobis incompertum, cum nec potuerit esse ille similis nominis D. Hilarionis discipulus, de quo in superioribus, nec alius etiam nomine similis, qui temporibus D. Gregorij Papæ creditur claruisse.

3 Monachi etiam alij circa id tempus in Ægypto clari erant, quos Theophilus Alexandrinus Antistes, etsi Chrysostomo, & alijs infensus, valde honorabat. Quandoque enim, prout ex *lib. 5. vit. Patr. libell.* 14. *n.* 63. elicitur, eos ad prandium inuitabat; vbi etiam quod nec ab illo inuitati adduci potuerunt, vt carnes comederent. Quandoque etiam eos in eremo inuisebat. Vnde prout ex eodem quoque 5. *lib. libell.* 15. *n.* 19. habetur, ad montem Nitriæ venit; tuncque contigit, vt cùm interrogasset Abbatem illius montis, quid specialius ex tali viuendi modo hausisset, ille respondit (digna sane monachi sententia) *Culpare, & reprehendere me ipsum sine cessatione*. Venit quoque in Scithi, vbi cum fratres rogassent Abbatem Pambo, vt aliquid diceret, quo Archiepiscopus ædificationem sumere posset, ipse respondit prudenter: *Si in taciturnitate mea non ædificatur, neque in sermone meo ædificabitur*. Eo *lib.* 5. *libell.* 15. *n.* 42. Monachi clari. Pambo Abbas.

Annus Christi 408. Innocentij Papæ 7. Honorij Imp. 14 & Theodosij Iunioris 1.

1 VITA cessit hoc anno Arcadius Imperator, pœnas soluens exilij, & mortis S. Ioannis Chrysostomi, siquidem ætatis annum dumtaxat trigesimum primum agens mori cogitur. Reliquit autem filio suo puerulo Theodosio Imperatori appellato tutorem Regem Persarum Isdegerdem, qui adeo optima fide pupillo Imperium conseruauit, vt propterea a Deo æquissimo iudice, & amico iustitiæ, & fidelitatis meruerit quod Christiana fides in Persarum regnum introduceretur. Eo maxime tempore, quo Occidentale Imperium bellis, & turbinibus vexabatur. De his Socrates, Sozomenus, Paulus diaconus, Marianus Scotus, & alij. Imperatorum successio.

2 Florebat in Monachatu hoc tempore Alexander quidam, qui ob vitæ meritum ad Antiochenæ Ecclesiæ clauum obtinendum euectus fuit. De ipso Theod. *lib.* 5. *c.* 35. hæc: *Toto vitæ tempore ante susceptum Episcopatum in Palæstra monastica contrito, cum plurimum se exercuisset, generosum athletam se plane declarauit, quippe tum oratione docuit alios, tum vitæ consuetudine orationem confirmauit*. Rursus de eo ista: *Diuinus autem Alexander seuera vita disciplina, studio sapientiæ, egestate voluntaria, eloquentia, alijsque denique Spiritus Sancti donis admodum excelluit*. Plura præterea recte ab ipso gesta narrat, eo fine a nobis indicata, vt nouerit lector, quod cum monachi propter vitæ merita ad dignitates assumuntur, vtiles admodum Alexander monachus.

Eccle-

Ecclesiæ conspiciuntur, secus vero cum ad ipsas praua ambitione ducti anhelarunt.

Acacius.

3 Acacius etiam ille ex monacho Episcopus Beræensis, de quo in superioribus dictum de Diuo Ioanne Chrysostomo male meritum fuisse, eo quod contra ipsum conspirauerit, per pœnitentiam apud Innocentium Papam reconciliatus fuit, prout ex epist. 18 & 22. eiusdem Innocentij elicitur. Licet postea infelix in Nestorij fœdam hæresim lapsus describatur. Baronius [a].

[a] *hic §. Quod rursum.*

Melania.

4 Hoc etiam anno Melania illa senior, de qua plura in præcedentibus, Vrbis cladem, quæ anno sequenti contigit, antiqui vaticinij memor, timens, Roma recessit Ierosolymam se conferens cum illo comitatu, quem ex Palladio *sub anno* 402. retulimus. Carthaginem appulisse, & inde Tagastam putat Baronius [b]. Cæterum cum Palladius, & Heraclides solum commemorent ipsam ex Sicilia Hierosolymam petijsse nullo fundamento asseritur hæc Africana peregrinatio. Nec Metaphrastes, cui inniti videtur Baronius [c], loquitur de Melania ista Seniori vidua, sed de Melania iuniori coniuge Piniani, de qua *sub anno sequenti*.

[b] *sub ann. 409. §. Hoc ipso ann.*

[c] *in vita Melaniæ 31. Ianuarij.*

Discipuli Arsenij.

5 Huic tempori adaptari potest memoria discipulorum magni illius Arsenij pompæ histrionicæ mundi egregij contemptoris, de quo aliqua in superioribus dicta. Hi autem fuerunt Daniel, Alexander, & Zoilus. Ex quibus Daniel plura, quæ de ipso Arsenio in libris *Vitar. Patr.* habemus, testificatus est. Is videtur esse, de quo *lib. 4. vit. Patr.* scribitur merito puritatis, & mansuetudinis a S. Paphnutio Diaconij, & postea Presbyterij munere decoratum fuisse. Et cui tribuuntur illa maxime monachis alta mente condenda: *Quantum corpus viruerit tantum anima exsiccatur; & quantum exsiccatum fuerit corpus anima tantum virescit.* Et ad idem intentum: *Quantum corpus fouetur tantum anima subtiliatur, & quantum fuerit corpus subtiliatum, tantum anima fouetur.* Alexander porro in obedientiæ obseruantia adeo scrupulosus fuit, vt propterea debuerit ab Arsenio magistro admoneri, prout ex *lib. 5. vit Patr. libell.* 14. *n.* 1. habetur. Quantum autem ipsius obedientiæ fiderit Arsenius, ex eodem libro *libell.* 15. haberi etiam potest. Vbi etiam similia de Zoilo leguntur.

Annus Christi 409. Innocentij Papæ 8. Honorij Imp. 15. Theodosij Imper. Iunioris 2.

Roma inuasio.

1 ANNVS iste Vrbi, & Orbi infaustus. Alaricus etenim Italiam tentat, & nullis repertis in itinere obstaculis Romam obsidet. Auro, & donis alijs obsidione liberatur Vrbs, videlicet quinquies mille libris auri, tricies mille libris argenti, quater mille tunicis sericis, ter mille pellibus coccineis, piperis pondere quod ter mille libras æquaret. Sed postea iterum obsidetur, capieturq; anno sequēti.

Zosi-

Zoſimus, Oroſius, Socrates, Sozomenus, & alij. Refert autem hic Sozom. [a] cui ſimilia Socrates [b] quendam monachum ex ijs, qui in Italia erant, Alarico conſuluiſſe, vt Vrbi parceret, nec ſe tantorum malorum auctorem conſtitueret, & Alaricum ipſi reſpondiſſe: *Se non volentem hoc tentare, ſed eſſe quemdam, qui ſe obtundendo vrgeat, ac præcipiat, vt Romam euertat*. Dei ergo conſilio librato, euerſiones Vrbium contingunt, hominum criminibus ſic poſcentibus. Eadem etiam de cauſa Vvandali Hiſpaniam hoc anno occupauerunt, a quibus Bœtica Vvandalia dicta, ſicut Luſitania ab Alanis. Caſſiodorus, Proſper, Siluianus, qui propter inhoneſtatis vitium punitam Hiſpaniam hoc tempore ſcribit.

a lib 9. c.6.
b lib. 7. c. 10.
Monachus quidam.

2 Interim Melania iunior neptis illius Melaniæ viduæ ſenioris, & Monialis noſtri Ieroſolymitani Cœnobij, iuxta dicta in ſuperioribus, Romæ excidium fugiens, Siciliam primo, deinde Carthaginem Africæ cum ipſius marito Piniano, ac Albina matre aduenit; vbi congeſtis pecunijs eius Eccleſiæ pauperes locupletarunt. Tagaſtam inde, vbi S. Alpius Epiſcopus erat, venientes duo monaſteria ædificarunt, alterum quidem virorum numero octoginta; alterum fæminarum numero 130. Plures etiam pecunias ſacris ædibus, & Monaſterijs conſecrarunt. Captiuos, & Inſulam quandam a gladio liberantes. Methapraſtes [c]. Vbi etiam plurima de huius Melaniæ iunioris incredibili abſtinentia, orationibus, vigilijs, ieiunijs, & honeſtis alijs exercitijs, potiſſimum vero de ſtrictiſſimo illo carcere, in quo incluſa morabantur. *Cum ligneam quendam* (inquit Metaphraſtes) *arcam paraſſet altitudine quidem tantam, vt non permitteret ei ſtare rectam, latitudine vero, vt non poſſet declinare ad dexteram, nec ad ſiniſtram, in ea corpus includit, per breue foramen eos qui foris erant, alloquens, & eos audiens*. Plura etiam de ipſa Palladius [d] *in Lauſiaca hiſtor. cap.* 119. Vbi ſpecialiter quomodo ornamenta ſua in Eccleſiarum ornatum dederit, ac diuitias in Monaſteriorum, & egentium per Orientem, Ægyptum, Thebaidem Palæſtinam, & Occidentem diuiſerit; ac cum matre Albina, & ancillis religioſam vitam egerit. Similia ferme Heraclides [e].

Melania iunior.
c in vit. Melaniæ die 31. Ian.
d lib.3. vit. Pat.
e in Paradiſo c.49.

3 De Melania porro ſeniori iam conuictus Dom. Baronius [f] teſtimonijs Auguſtini, & Paulini, quibus eam valde commendant, affirmat maculas illas, quæ ei ex patrocinio Origenis errorum inhæſerant, penitus diluiſſe, poſtquam iam illos Romæ ab Anaſtaſio Papa damnari comperijt. Sed liceat paucis ipſum conuenire. Cur etiam propter grauiſſima encomia eorundem Auguſtini, Paulini, & Anaſtaſij, quibus noſtrum Ioannem Hieroſolymitanum commendant, quæ in ſuperioribus retulimus, non eodem modo cenſebimus ipſum, ſi quas ex Origenis erroribus labes contraxit, penitus diluiſſe? Accedente præſertim S. Hieronymi cum ipſo his temporibus communicantis etiam in ſacris, prout vidimus de funere S. Paulę, ſilentio? Demum eam felici fine quieuiſſe Ieroſolymis, ſub obedientia videlicet noſtri Ioannis, ex Palladio [g] & Heraclide [h] habeat lector.

Melania ſenior.
f ſub hoc anno §. quod vere.
g lib.8. vit. Pat. c.118.
h in Paradiſo c.42.

Pinianus. 4 Porro de Piniano marito Melaniæ iunioris multis prætermissis circa recusatum ab ipso presbyterium, de quibus Baronius *sub hoc anno*, quod magis ad nostrum scopum de monastica texenda historia illud est, quod ipse, vt colligitur ex relatis Palladio *c.* 121. & Heraclide *c.* 49. monachalem egerit vitam, cum 30. monachis scripturarum lectioni, hortique culturæ vacans. En propria monachorum munia, Oratio, & operatio. A Melania namque vxore, cum qua septem annis vixerat persuasus continentiæ, & Religioni animum applicuit. Vocatur a Palladio *supra c.* 119. filius Seueri, *qui erat ex Præfectis*. Apud Metaphrastem autem in vita Melaniæ *frater* Seueri dicitur. Testatur autem idem Palladius eo *c.* 121. hunc Pinianum, & eius vxorem Melaniam ipsum Romam venientem non paruo honore affecisse, refecisse, & abundantissimis viaticis excepisse, *propter beatum Ioannem Episcopum*, vt vel hinc etiam innotescat, quanta opinione, & reuerentia Ioannes noster Ierosolymitanus apud clarissimas personas in Vrbe esset.

Annus Christi 410. Innocentij Pont. 9. Imp. Honorij 16. Thodosij iunioris 3.

Vrbis vexatio. 1 PREMEBATVR hoc tempore Roma peste, fame, & Alarici vastatione; in pœnam sane criminum, quæ ea in Vrbe Orbis domina committebantur. Sozomenus, Zosimus, Orosius, & Neotherici alij post ipsos. Ex qua communi historia quæ nostræ propriora sunt excipiscanda.

Monialis. 2 Et primo de quadam sacra Deo virgine, Sanctimoniali videlicet eius æui, de qua Oros. [a] hæc: *Discurrentibus per Vrbem barbaris, forte vnus Gothorum, idemq; potens, & Christianus sacrā Dei virginem iam ætate prouectam in quadam Ecclesiastica domo reperit. Cumq; ab ea aurum, argentumque honeste exposceret: illa fideli constantia, esse apud se plurimum, & mox proferendum spopondit, ac protulit (erant hæc vasa sacra in custodiam accepta, quæ haud absque instinctu Spiritus sancti barbaro reuelanda putauit.) Dumque expositis opibus, attonitum barbarum magnitudine, & pondere, ac pulchritudine, ignota etiam vasorum qualitate, intelligeret; virgo Christi ad barbarum ait: Hæc Petri Apostoli sacra ministeria sunt. Præsume si audes: de facto tu videris. Ego quia defendere non valeo, neque tenere audeo. Barbarus ad reuerentiam religionis timore Dei, & fide virginis motus ad Alaricum hęc per nuncium retulit. Qui continuo reportari ad Apostoli basilicam vniuersa, vt erant vasa imperauit: virginem etiam simulque omnes qui se iungerent Christianos eodem cum defensione deduci.* Expendamus hic, & virginis constantiam, & barbari Alarici Arriani pietatem erga Sacra Vasa Deo, & sanctis illibata seruanda, quam non imitantur hoc tempore nonnulli, qui Christianorum stemmate gloriantur. Consimilia apud Cassiodorum [b].

a lib. 7. c. 39.

b varior. lib. 12.

3 Item de Marcella, & Principia eius filia, quas D. Hieronymo duce

sub

sub anno 384. sanctimonialibus annumerauimus. Ingressi barbari harum domum, & vultu intrepido excepti aurum, & desossas opes postulabant nec excusabat vilis tunica, & voluntaria paupertas. Ad fustes, & flagella deueniunt. Sed Deus suarum ancillarum haud immemor dura corda tyrannorum molliuit, & inter cruentos gladios pietatem florescere fecit. Eas namque cognitas ad Sancti Pauli Basilicam deduxerunt custodiendas, sicut & sacra vasa iuxta dicta ad templum Sancti Petri. D. Hieronymus *epist.* 16. quæ est ad Principiam. Nec hoc imitantur nostri æui Christiani milites; sæpius enim audiuimus fæminas Deo in sacris templis sacratas sacrilegissime ab ipsis vitiatas. Prosequitur Hironymus post aliquot dies Marcellam obdormijsse in Domino inter lacrymas filiæ *ridentem conscientia vitæ bonæ, & premijs futurorum*. Meruit propterea, vt in Martyrologio Romano *sub* 31. *Ianuarij* eius nomen celebraretur. Quam etiam idem Hieronymus *epist.* 10. *ad Furiam, & in præfat. in epistola Pauli ad Galatas*, & alibi laude commemorat. Præcipuam tamen ipsius commendationem ex eo, quod cum errores Origenis in Vrbem a quibusdam inducerentur, contra eos Marcella se opposuit, prout late Baronius *sub anno* 397. licet a veritate deuiet Melaniam illam seniorem eorum seminatricem fuisse autumans.

4 Obijt & eodem tempore Pammachius ille nobilitate, & sanctitate, ac cum D. Hieronymo amicitia celebris, de quo *sub anno* 385. dictum, quod monachismi etiam egregius sectator esset. Vnde Baronius [a] de ipso, & Marcella ait: *Ambo enim monasticam excoluerant disciplinam*. Laudes ipsius sæpius apud Hieronymum celebratæ conspiciuntur; præsertim *in præfat. ad Danielem*, eum & Marcellam vocat: *Vnicum Romanæ sanctitatis exemplar*. Palladius autem [b], & Heraclides [c] de eo aiunt mundo renuntiasse, & facultates proprias fratribus, & pauperibus distribuisse. Meruit proinde in Martyrologio Romano *pro die* 30. *Augusti* eius memoria reponi.

Pammachij obitus.

a *hic S. transfer.*

b *lib. 8 vit. Pat. c.* 122.

c *in Paradiso c.* 50.

5 Nec solum Roma, aut Italia hos barbarorum incursus passa Monachorum clades sensit, sed & Africa ipsa, prout testatur D. Augustinus *epistola* 122. dicens: *Etiam in illis solitudinibus Ægypti, vbi Monasteria separata ab omni strepitu quasi secura degebant a barbaris interfecti sunt fratres*. Vbi etiam de sanctimoniali quadam nepte Episcopi Sitifensis, quæ a barbaris capta mirabiliter erepta est, eo quod domus illa, in quam ingressa est, cœpit dominorum infirmitate affligi, a qua huius Sanctimonialis oratione liberati fuerunt. O mirabilis Dei erga suos prouidentia! De alijs etiam monachis hoc tempore pressuram a barbaris passis Baronius *hic* ex D. Hieronymo, & Cassiano. Quia vero non solum Palæstinam, sed & Phœnicem etiam inter eas Prouincias censent, quæ has clades monachorum persenserunt, cum Carmelus noster Phœnicis veluti pars sit, similem pressurã Eremitas illius tolerasse non incõgrue suspicamur; quamuis monumentorum penuria nos in hac parte cæcutire permittat.

Monachi inter fecti a barbaris

Annus Christi 411. Innocentij Pont. 10. Imper. Honorij 17. Theodosij iunioris 4.

Alarici mors repentina.

a lib. 13. histor. miscel.

1 SOLVIT hoc anno pœnas inuasionis Almæ Vrbis Alaricus repentina morte apud Cosentiam occupatus, dum in Siciliam exercitum traijcere frustra tentabat. Paulus Diaconus [a]. Operante etiam Honorio Imperatore pax, & vnitas per vniuersam Africam Ecclesiæ Catholicæ reddita est, media celeberrima collatione inter Catholicos, & Donatistas; vt quia id procurauerit Honorius, Deus æquissimus Iudex eum ab Alarico, & plerisque alijs crudelissimis tyrannis Imperium inuadentibus liberauerit. Orosius [b]. Discant ergo Principes terreni hanc vnicam viam sui Imperij tuendi esse, si pro religione laborent. Baronius [c].

b lib. 7. c. 34.

c sub hoc anno §. Apparuit.

Hieronymus, & Augustinus.

2 Nec mirum Deum sic suæ Ecclesiæ protectorem se insinuasse tempore quo monasticæ vitæ cultores non otio, aut delicijs, sed libris contra ipsius hostes scribendis vacabant. Quales erant D. Hieronymus contra Pelagium, & Cælestium, D. August. contra Pelagianos; & ipse Hieronymus contra Chiliastarum, seu Millenariorum veterem errorem scribentes.

Abbas Pinuphius.

3 Nihilominus humilitati, quæ veluti basis est, & fundamentum virtutum, hos & alios sanctissimos viros, inter tot egregia opera, in nostrum exemplum studuisse, ex eorum historijs comperiet lector. Ac specialiter ex vno Pinuphio, qui circa hoc tempus in partibus Ægypti, & Thebaidis sanctitate florebat, & de quo Cassianus [d] hoc admirabile humilitatis & despectionis sui exemplum refert. Erat cuiusdam magni Monasterij presbyter, & pro vitæ, & dignitatis reuerentia cunctis honorabilis. Videns autem se hoc pacto vix posse humilitatis meritum obtinere, *Fugiens occulte de cœnobio, secessit solus in Thebaidis vltimas partes, ibique deposito indumento monachorum, assumpta seculari veste, monasterium Tabennensiotarum expetiuit, quod sciebat cunctis monasterijs esse districtius, & in quo se pro longitudine regionis credidit ignorandum. Vbi dum diutissime pro foribus perseuerans, cunctorum fratrum genubus prouolutus, vt susciperetur summis precibus ambiuit. Cumque multo despectu probatus, & tandem fuisset admissus, continuo, vt seni, nullique operi penitus apto horti cura, diligentiaque mandatur. Quam ille operam sub alio fratre iuniore, qui eum sibi creditum retinebat, exercens, sic eidem subdebatur, vt non solum ea quæ ad horti diligentiam pertinebant, sed etiam vniuersa officia, quæ erant cunctis fratribus aspera, vel indigna, tota quotidie sedulitate compleret. Complura vero etiam nocte consurgens, ita furtim nullo teste operabatur, vt penitus auctorem operis nemo deprehenderet. Cumque ibidem triennio delitescens per vniuersam Ægypti dispersis vbique fratribus quæreretur, à quodam tandem visus fratre, qui de Ægypti partibus aduenerat, vix potuit pro humilitate habitus sui ac vilitate officij, quod gerebat, agnosci: nam sarculo deorsum incuruus, præparabat oleribus terram: deinde stercus humeris suis apportans, eorum radicibus ingerebat. Cumque hæc intuens fra-*

d lib. 4. instit. c. 30. & 31.

frater, super agnitione eius diutissima hæsitatione fuisset detentus, propius tandem accedens, non solum vultum, sed etiam sonum vocis eius diligenter explorans, ad pedes eius cominus se proiecit. Tunc fratres stupere cœperunt, & inquirere cur hoc fecisset ei, qui apud ipsos velut nuper de sæculo egressus, habebatur extremus. Cumque eis frater ille rei ordinem, & nomen ipsius Abbatis indicasset, maiori miraculo sunt perculsi, quoniam, & apud ipsos magna opinione fuerat compertus. Tunc ignorantiæ sua veniam ab eo postulabant, quod eum tanto tempore inter iuniores, ac paruulos deputassent. At ille flebat multum, & lugebat, quod scilicet inuidia diaboli fuisset proditus, nec licuisset ei diutius in tali humilitate, atque abiectione perdurare. Tunc eum fratres inuitum ac flentem ad proprium monasterium reduxerunt, custodientes eum summa diligentia, ne similiter quoque delapsus aufugeret. Vbi eum fuisset modico tempore demoratus, eodem rursus humilitatis desiderio accensus, captans nocturna silentia, ita defugit, vt iam non vicinam prouinciam, sed incognitas regiones expeteret. Nam conscendens nauim in Palæstinæ partes commeare curauit, credens se tutius latiturum si ad illa semetipsum asportasset loca, in quibus ne nomen quidem suum fuisset auditum. Quo cum aduenisset, nostrum Monasterium protinus expetiuit: quod non longe erat ab Spelæo, in quo Dominus noster ex Virgine nasci dignatus est. In quo Monasterio modico tempore supradictus Abbas Pinuphius delitescens secundum sententiam Domini, tamquam ciuitas supra montem posita, diutius abscondi potuit. Nam continuo quidam fratrum, qui ad loca Sancta de Ægypti partibus orationis causa venerant, agnitum eum cum multa prece, & maxime inuitum, ad suum iterum Cœnobium reuocauerunt. Hæc Cassianus, ruminanda sane monachis veræ perfectionis religiosæ studiosis.

Annus Christi 412. Innocentij Pont. 11. Imper. Honorij 18. Theodosij iunioris 5.

1 ANNVS iste velut alter Ianus finis erit huius secundi Tomi Annalium nostrorum, & principium tertij; eo quod eo tempore Ioannes ille noster Ierosolymitanus Antistes, eo solum infelix quod apud probos quosdam non satis de ipsius vita, rectaq; viuendi ratione conscios, male audiat circa Origenismi professionem, librum *de Institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in noua perseuerantium ad Caprasium monachum* scripserit, quo Carmeli nostri Anachoretas in Prophetica vita ad instar suorum prædecessorum Prophetarum gerenda instituit. Vt propterea hunc annum totius Carmelitici Instituti primordialem fuisse teneant aliqui, specialiter Rodriguez [a], Alphonsus Cassarubios [b], Hieronymus Plati [c], Ioannes Baptista Confectius [d], licet per errorem Typographi annus 422. pro 412. inscriptus appareat; specialius Franciscus Coriolanus [e]. Quantum porro in asserendo hoc anno pro primo Institutæ Religionis a veritatis scopo aberrent, cuncta quæ hoc 2. Tomo, & primo præcedente diximus, clamant: fuisse autem, in quo Ioannes eum librum Caprasio nuncupauit, concors

Liber Ioannis Ierosolymitani

a to.1.qq.regul. q.2. ar.5.
b in Compend. Priuileg. Mendic. in princip.
c lib. 2. de bono stat. Relig. c.22.
d in summario mater. Priuil. Mendic. c.7.
e in Breuiar. Chronolog. sub hoc anno.

a in epist. ad Eusebium. *b in opere de Script. Britan.* est nostrorum sensus post Beatum Cyrillum [a], quos exteri sequuntur, & ille Balæus, domesticus quondam, transfuga postea [b] sæpius. Is igitur annus a nobis primus erit in tertio Annalium tomo discutiendus, & in eo præcipue, quæ spectant ad præfatum Ioannis Ierosolymitani librum, qui pro Regula nostris inscriptus fuit, inuestiganda. Hæc tamen pro operis coronide, & vt clarius cunctis innotescat Deiparæ Virginis in suum Elianum, & Monasticum Ordinem, eiusque alumnos Patronatus, casus celebris, qui hoc tempore contigit, apponendus.

Visio facta S. Cyrillo pro Chrysostomo. 2. Obierat hoc anno Theophilus Alexandrinus Patriarcha, de quo aliqua in præcedentibus, & si non cum magna ipsius laude, eo præsertim quod D. Ioannem Chrysostomum a sua Sede Constantinopolitana eijci curauerit, maxime quod susceperit Ægyptios illos monachos *Longos fratres* nuncupatos, quos ex Ægypto Theophilus ablegauerat veluti suspectos de Origeniana labe. Vocatur autem *sanctæ memoriæ* Archiepiscopus [c]. *c ... vit. ... libell. 3.* Vbi etiam, quod cum proximus morti esset, dixerit: *Beatus es, Abba Arseni, quia semper hanc horam ob oculos habuisti.* In eius autem locum subrogatus est Cyrillus ille noster eius nepos, nam fratris ipsius filius, de quo in præcedentibus, & in tertio Tomo plura. Cyrillus ergo patrui velut lacte nutritus, odium quod Theophilus contra Chrysostomum conceperat, pectore retinebat, vt propterea ipsum ex Diptychis, seu tabulis, vbi sanctorum nomina scribebantur, aboleri curauerit. Postea tamen quomodo ad meliorem frugem, ac Chrysostomi deuotionem non solum litteris Isidori Pelusiotæ, sed & visione sibi facta eiusdem Virginis Deiparæ, Nicephorus [d] sic narrat: *d lib. 4. c. 28.* *Non solum litteris Isidori, sed & diuina etiam, & secretiori quadam reuelatione accedente correxit. Videre namque visus est se ipsum sacris ædibus expulsum a Ioanne comitatu, & diuino quod circa eum erat satellitio maxime freto, & Matrem Domini pro ipso deprecantem; atque cum multa etiam alia, tum illud præcipue, quod pro ipsius gloria plurimum ille decertarit, sicuti dicetur, referentem, vt in sacra templa reciperetur orare. Hanc visionem cum S. Cyrillus cogitabundus animo secum volueret, se ipsum quod in Sanctum virum inuectus esset, damnauit; & deinde ipse quoque, re cognita, Ecclesiæ Chrysostomi addictus, virum eum admiratus est; valdeque ipsum, quod contra illum imprudens prorsus irritatus fuerit, pœnituit. Proinde diuersum omnino a priore consilio faciens, Synodum Prouincialem coëgit, & Ioannis nomen simul, & ipse, & reliqui magnarum sedium Antistites in sacro Albo proposuerunt.* En matrem Domini pro Chrysostomo, & Cyrillo laborantem. Cuius etiam patrocinio huic secundo Tomo finem imponimus, de eodem quoque sperantes, vt reliquos qui supersunt pro historiæ complemento perfecturi simus, ac tandem vitam æternam sub tanta Patrona consecuturi, ad laudem & gloriam Patris, cuius ipsa filia; Filij, cuius mater, Spiritus sancti, cuius sponsa viuit, & regnat cum ipsis in sæcula sæculorum.

FINIS.

INDEX RERVM MAGIS NOTABILIVM,

Quæ in hoc Tomo reperiuntur. In quo prior numerus denotat Annum Christi, posterior vero paragraphum. Quæ vero sunt in Apparatu notantur per capita illius, & numerum paragraphorum.

A

Mona-

Baby-

B

lemni-

Cœli-

D

E

Annus Christi 411. Innocentij Pont. 10. Imper. Honorij 17. Theodosij iunioris 4.

Alarici mors repentina. 1 SOLVIT hoc anno pœnas inuasionis Almæ Vrbis Alaricus repentina morte apud Cosentiam occupatus, dum in Siciliam exercitum traijcere frustra tentabat. Paulus Diaconus [a]. Operante etiam Honorio Imperatore pax, & vnitas per vniuersam Africam Ecclesiæ Catholicæ reddita est, media celeberrima collatione inter Catholicos, & Donatistas; vt quia id procurauerit Honorius, Deus æquissimus Iudex eum ab Alarico, & plerisque alijs crudelissimis tyrannis Imperium inuadentibus liberauerit. Orosius [b]. Discant ergo Principes terreni hanc vnicam viam sui Imperij tuendi esse, si pro religione laborent. Baronius [c].

a lib. 13. histor. miscel.

b lib. 7. c. 24.

c sub hoc anno 9. Apparuit.

Hieronymus, & Augustinus. 2 Nec mirum Deum sic suæ Ecclesiæ protectorem se insinuasse tempore quo monasticæ vitæ cultores non otio, aut delicijs, sed libris contra ipsius hostes scribendis vacabant. Quales erant D. Hieronymus contra Pelagium, & Cælestium, D. August. contra Pelagianos; & ipse Hieronymus contra Chiliastarum, seu Millenariorum veterem errorem scribentes.

Abbas Pinuphius. 3 Nihilominus humilitati, quæ veluti basis est, & fundamentum virtutum, hos & alios sanctissimos viros, inter tot egregia opera, in nostrum exemplum studuisse, ex eorum historijs comperiet lector. Ac specialiter ex vno Pinuphio, qui circa hoc tempus in partibus Ægypti, & Thebaidis sanctitate florebat, & de quo Cassianus [d] hoc admirabile humilitatis & despectionis sui exemplum refert. Erat cuiusdam magni Monasterij presbyter, & pro vitæ, & dignitatis reuerentia cunctis honorabilis. Videns autem se hoc pacto vix posse humilitatis meritum obtinere, *Fugiens occulte de cœnobio, secessit solus in Thebaidis vltimas partes, ibique deposito indumento monachorum, assumpta seculari veste, monasterium Tabennensiotarum expetiuit, quod sciebat cunctis monasterijs esse districtius, & in quo se pro longitudine regionis credidit ignorandum. Vbi dum diutissime pro foribus perseuerans, cunctorum fratrum genubus prouolutus, vt susciperetur summis precibus ambiuit. Cumque multo despectu probatus, & tandem fuisset admissus, continuo, vt seni, nullique operi penitus apto horti cura, diligentiaque mandatur. Quam ille operam sub alio fratre iuniore, qui eum sibi creditum retinebat, exercens, sic eidem subdebatur, vt non solum ea quæ ad horti diligentiam pertinebant, sed etiam vniuersa officia, quæ erant cunctis fratribus aspera, vel indigna tota quotidie sedulitate compleret. Complura vero etiam nocte consurgens, ita furtim nullo teste operabatur, vt penitus auctorem operis nemo deprehenderet. Cumque ibidem triennio delitescens per vniuersam Ægypti dispersis vbique fratribus quæreretur, a quodam tandem visus fratre, qui de Ægypti partibus aduenerat, vix potuit pro humilitate habitus sui ac vilitate officij, quod gerebat, agnosci: nam sarculo deorsum incuruus, præparabat oleribus terram: deinde stercus humeris suis apportans, eorum radicibus ingerebat. Cumque hæc intuens*

d lib. 4. instit. c. 30. & 31.

fratri, super agnitione eius diutissima hæsitatione fuisset detentus, propius tandem accedens, non solum vultum, sed etiam sonum vocis eius diligenter explorans, ad pedes eius cominus se proiecit. Tunc fratres stupere cœperunt, & inquirere cur hoc fecisset ei, qui apud ipsos velut nuper de sæculo egressus, habebatur extremus. Cumque eis frater ille rei ordinem, & nomen ipsius Abbatis indicasset, maiori miraculo sunt perculsi, quoniam, & apud ipsos magna opinione fuerat compertus. Tunc ignorantia sua veniam ab eo postulabant, quod eum tanto tempore inter iuniores, ac paruulos deputassent. At ille flebat multum, & lugebat, quod scilicet inuidia diaboli fuisset proditus, nec licuisset ei diutius in tali humilitate, atque abiectione perdurare. Tunc eum fratres inuitum ac flentem ad proprium monasterium reduxerunt, custodientes eum summa diligentia, ne similiter quoque delapsus aufugeret. Vbi eum fuisset modico tempore demoratus, eodem rursus humilitatis desiderio accensus, captans nocturna silentia, ita defugit, vt iam non vicinam prouinciam, sed incognitas regiones expeteret. Nam conscendens nauim in Palestinæ partes commeare curauit, credens se tutius latiturum si ad illa semetipsum asportasset loca, in quibus ne nomen quidem suum fuisset auditum. Quo cum aduenisset, nostrum Monasterium protinus expetiuit: quod non longe erat ab Speleo, in quo Dominus noster ex Virgine nasci dignatus est. In quo Monasterio modico tempore supradictus Abbas Pinuphius delitescens secundum sententiam Domini, tamquam ciuitas supra montem posita, diutius abscondi potuit. Nam continuo quidam fratrum, qui ad loca Sancta de Ægypti partibus orationis causa venerant, agnitum eum cum multa prece, & maxime inuitum, ad suum iterum Cœnobium reuocauerunt. Hæc Cassianus, ruminanda sane monachis veræ perfectionis religiosæ studiosis.

Annus Christi 412. Innocentij Pont. 11. Imper. Honorij 18. Theodosij iunioris 5.

1 ANNVS iste velut alter Ianus finis erit huius secundi Tomi Annalium nostrorum, & principium tertij; eo quod eo tempore Ioannes ille noster Ierosolymitanus Antistes, eo solum infelix quod apud probos quosdam non satis de ipsius vita, rectaq; viuendi ratione conscios, male audiat circa Origenismi professionem, librum *de Institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in noua perseuerantium ad Caprasium monachum* scripserit, quo Carmeli nostri Anachoretas in Prophetica vita ad instar suorum prædecessorum Prophetarum gerenda instituit. Vt propterea hunc annum totius Carmelitici Instituti primordialem fuisse teneant aliqui, specialiter Rodriguez [a], Alphonsus Cassarubios [b], Hieronymus Plati [c], Ioannes Baptista Confectius [d], licet per errorem Typographi annus 422. pro 412. inscriptus appareat; specialius Franciscus Coriolanus [e]. Quantum porro in asserendo hoc anno pro primo Institutæ Religionis a veritatis scopo aberrent, cuncta quæ hoc 2. Tomo, & primo præcedente diximus, clamant: fuisse autem, in quo Ioannes eum librum Caprasio nuncupauit, concors

Liber Ioannis Ierosolymitani

a to. 1. qq. regul. q. 2. ar. 5.
b in Compend. Priuileg. Mendic. in princip.
c lib. 2. de bono stat. Relig. c. 22.
d in summario mater. Priuil. Mendic. c. 7.
e in Breuiar. Chronolog. sub hoc anno.

a in epist. ad Eusebium. b in opere de Scrip. Britan.

est nostrorum sensus post Beatum Cyrillum [a], quos exteri sequuntur, & ille Balæus, domesticus quondam, transfuga postea [b] sæpius. Is igitur annus a nobis primus erit in tertio Annalium tomo discutiendus, & in eo præcipue, quæ spectant ad præfatum Ioannis Ierosolymitani librum, qui pro Regula nostris inscriptus fuit, inuestiganda. Hæc tamen pro operis coronide, & vt clarius cunctis innotescat Deiparæ Virginis in suum Elianum, & Monasticum Ordinem, eiusque alumnos Patronatus, casus celebris, qui hoc tempore contigit, apponendus.

Visio facta S. Cyrillo pro Chrysostomo.

2. Obierat hoc anno Theophilus Alexandrinus Patriarcha, de quo aliqua in præcedentibus, & si non cum magna ipsius laude, eo præsertim quod D. Ioannem Chrysostomum a sua Sede Constantinopolitana eijci curauerit, maxime quod susceperit Ægyptios illos monachos *Longos fratres* nuncupatos, quos ex Ægypto Theophilus ablegauerat veluti suspectos de Origeniana labe. Vocatur autem *sanctæ memoriæ* Archiepiscopus [c]. Vbi etiam, quod cum proximus morti esset, dixerit: *Beatus es, Abba Arseni, quia semper hanc horam ob oculos habuisti*. In eius autem locum subrogatus est Cyrillus ille noster eius nepos, nam fratris ipsius filius, de quo in præcedentibus, & in tertio Tomo plura. Cyrillus ergo patrui velut lacte nutritus, odium quod Theophilus contra Chrysostomum conceperat, pectore retinebat, vt propterea ipsum ex Diptychis, seu tabulis, vbi sanctorum nomina scribebantur, aboleri curauerit. Postea tamen quomodo ad meliorem frugem, ac Chrysostomi deuotionem non solum litteris Isidori Pelusiotæ, sed & visione sibi facta eiusdem Virginis Deiparæ, Nicephorus [d] sic narrat: *Non solum litteris Isidori, sed & diuina etiam, & secretiori quadam reuelatione accedente correxit. Videre namque visus est se ipsum sacris ædibus expulsum a Ioanne comitatu, & diuino quod circa eum erat satellitio maxime freto, & Matrem Domini pro ipso deprecantem; atque cum multa etiam alia, tum illud præcipue, quod pro ipsius gloria plurimum ille decertarit, sicuti dicetur, referentem, vt in sacra templa reciperetur orare. Hanc visionem cum S. Cyrillus cogitabundus animo secum volueret, se ipsum quod in Sanctum virum inuectus esset, damnauit; & deinde ipse quoque, re cognita, Ecclesiæ Chrysostomi addictus, virum eum admiratus est; valdeque ipsum, quod contra illum imprudens prorsus irritatus fuerit, pœnituit. Proinde diuersum omnino a priore consilio faciens, Synodum Prouincialem coëgit, & Ioannis nomen simul, & ipse, & reliqui magnarum sedium Antistites in sacro Albo proposuerunt*. En matrem Domini pro Chrysostomo, & Cyrillo laborantem. Cuius etiam patrocinio huic secundo Tomo finem imponimus, de eodem quoque sperantes, vt reliquos qui supersunt pro historiæ complemento perfecturi simus, ac tandem vitam æternam sub tanta Patrona consecuturi, ad laudem & gloriam Patris, cuius ipsa filia; Filij, cuius mater; Spiritus sancti, cuius sponsa viuit, & regnat cum ipsis in sæcula sæculorum.

c 5. vit. ibell. 3.

d lib. 4. c. 38.

FINIS.

INDEX RERVM MAGIS NOTABILIVM,

Quæ in hoc Tomo reperiuntur. In quo prior numerus denotat Annum Christi, posterior vero paragraphum. Quæ vero sunt in Apparatu notantur per capita illius, & numerum paragraphorum.

A

Baby-

Cœli-

D

E

F

H

M

Maria

Ægy-

Q

R

Inno-

Sim-

Theo-

V

S. Vi-

Z

FINIS.